

Thomas d'Aquin [Aquinas], saint. Opera Omnia (édition léonine), Tertia pars summae theologiae. A quaestione LX ad quaestione XC. 1906.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF. Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :

\*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.

\*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer [ici](#) pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

\*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.

\*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter [reutilisation@bnf.fr](mailto:reutilisation@bnf.fr).

SANCTI  
THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

OPERA OMNIA

IUSSU IMPENSAQUE

LEONIS XIII P. M.

EDITA

TOMUS DUODECIMUS

TERTIA PARS SUMMAE THEOLOGIAE

A QUAESTIONE LX AD QUAESTIONEM XC

AD CODICES MANUSCRIPTOS VATICANOS EXACTA

CUM COMMENTARIIS


THOMAE DE VIO CAIETANI ORDINIS PRAEDICATORUM

S. R. E. CARDINALIS

ET SUPPLEMENTO EIUSDEM TERTIAE PARTIS

CURA ET STUDIO

FRATRUM EIUSDEM ORDINIS



Thomas d'Aquin (saint) 12  
Opera Omnia (édition)



\* 9 4 7 2 \*

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MCMVI

SANCTI  
THOMAE AQUINATIS  
ORDINIS PRAEDICATORUM  
OPERA OMNIA

SANCTI  
THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI  
OPERA OMNIA

IUSSU IMPENSAQUE  
LEONIS XIII P. M.

EDITA

TOMUS DUODECIMUS  
TERTIA PARS SUMMAE THEOLOGIAE

A QUAESTIONE LX AD QUAESTIONEM XC

AD CODICES MANUSCRIPTOS VATICANOS EXACTA

CUM COMMENTARIIS


THOMAE DE VIO CAIETANI ORDINIS PRAEDICATORUM

S. R. E. CARDINALIS

ET SUPPLEMENTO EIUSDEM TERTIAE PARTIS

CURA ET STUDIO

FRATRUM EIUSDEM ORDINIS



ROMAE  
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA  
S. C. DE PROPAGANDA FIDE  
MCMVI

*Proprietas litteraria.*

# PRAEFATIO

**A**LTERAM portionem Quaestionum Tertiae Partis introducturis aliqua pauca nobis tractare libet, maxime in confirmationem eorum quae circa necessitudinem codicum inter se in superiori Volumine praefati sumus. Ibi diximus textum traditionis in maiori et antiquiori parte codicum multis locis unanimiter contaminatum esse lectionibus erroneis, quas, ob testium concordiam, statim autographo tribuere propterea iam non deceat, quod certo et evidenter ad multiplex genus erratae transcriptionis pertinere cognoscantur, ideoque exemplaris male lecti vel intellecti existentiam praesupponant. Concors ergo testimonium referri debere ad aliquam primam transcriptionem, in qua textus autographi aliquibus locis detrimentum passus sit, et quae deinceps meliorem traditionis partem vitiaverit. Nec hic sistere diximus influxum illius primi apographi. Nullum enim codicem inveniri e cuius textu errores eius omnino disparuerint, et totam fere lectionum varietatem, quam traditio subministret, a deliberata errorum correctione natam esse et crevisse. Ex hoc autem legitime concludendum esse quod tota traditio autographi ab una eius transcriptione incoeperit. Ista ergo, et quaedam alia antea discussa, hic pluribus locis adductis Lectori persuadere intendimus. Commodi gratia ex praecedenti Praefatione numeros citabimus, ad quos dicenda reportari debent. Textum primi apographi, quem scilicet omnes fere codices veteres attestantur, nomine « textus antiqui » distinguimus a textu autographi.

Ad n<sup>os</sup> 3. et 8. — Quaestio LX, huius Voluminis prima, de earum numero est, quarum textus cum omnibus antiquis codicibus collatus est. Hac ergo Quaestione utimur ut specimine omnium, et incipimus a sex locis, ex quibus clare et indubie pateat, primo, lectionem antiqui textus erroneam esse; secundo, quid legerit autographum; tertio, variantes principium sumpsisse ab errore textus antiqui.

Art. 1. corp.  $\gamma$ ; AUTOGRAPHUM: « Omnia quae habent ordinem ad aliquid unum, licet diversimode, ab illo nominari *possunt* ».

TEXTUS ANTIQUUS: *possint*; Varians: *possit*.

Clarum est ni fallor scriptorem primi apographi ideo pro *possunt* vidisse et scripsisse *possint*, quia mente illud ad *licet* trahebat; sic sensum et structuram orationis corripit, quod contextum conferenti patebit. Lectio falsa *possit* in quatuor codicibus obtinet; vera lectio *possunt* in editionibus et in paucis eisque recentibus codicibus reapparet, ita ut tota ferme traditio manuscripta vitiata sit vel per errorem originalem *possint* vel ab errata correctione *possit*.

Art. 3. arg. 1.  $\alpha$ ; AUTOGRAPHUM: « Ne quis vos seducat *per philosophiam* et inanem fallaciam ».

TEXTUS ANTIQUUS: *per prophetiam*.

Non est dubium quin textus antiquus erraverit per dittographiam: *p pphiam* scripto pro *p phiam* autographi. Error in nulla editione et in paucis codicibus extra fideles primi apographi testes superest; obvenit tamen in EF et G, qui textum antiquum multoties corrigere attentant, et in codice Patavino tralucet sub falsa correctione *per inanem prophe-*

*tiam et fallaciam*. Erroris dittographiae et oppositi vitii haplographiae in textu antiquo infra plures casus citabimus.

Art. 4. arg. 2.  $\beta$ ; AUTOGRAPHUM: « Spiritus est Deus, et *eos qui adorant eum* in spiritu et veritate adorare oportet ».

TEXTUS ANTIQUUS: *eum qui adorant eum (adorant, eum)*

Variantes: *eum qui adorant eum*  
*omnes qui adorant eum*  
*eum qui adorant ... eum adorare*  
*oportet*.

Lectionem autographi (in quo *eos* fortasse scriptum erat *e*., sicut verba sacrae Scripturae per solas initiales litteras scribi solebant) invenimus in tribus tantum codicibus: F, Patavino et Vatic. 746, et in editione *a*; ceterae editiones saec. XV. *adorat* cum H et Oxoniensi.

Art. 6. corp.  $\beta$ ; AUTOGRAPHUM: « Possunt considerari sacramenta ex parte hominis... qui componitur ex anima et corpore: cui proportionatur sacramentalis medicina, *quae per rem visibilem corpus tangit*, et per verbum ab anima creditur ».

TEXTUS ANTIQUUS: *quae partem visibilem corpus tangit*

Variantes: *quae per partem visibilem corpus tangit*  
*quae partem visibilem, scilicet corpus tangit*  
*quae partem visibilem corporis tangit*  
*quae per rem visibilem, scilicet corpus, tangit*.

Scriptor primi apographi vidit *t* ubi autographum *r* habebat: *ptem* pro *p rem*. Cum autographo legunt Oxoniensis, Brixiensis et EGH, et editiones praeter *a*; ceterorum qui a textu antiquo discedere solent, nullus rem acu tetigit.

Ibid. ad 3.  $\iota$ ; AUTOGRAPHUM: « Utebantur in veteri lege aliquibus verbis... tam sacerdotes qui erant sacramentorum illorum ministri... quam etiam illi qui illis sacramentis imbuebantur ».

TEXTUS ANTIQVUS: *qui solis sacris induebantur*  
Variantes: *qui solis sacris imbuebantur*  
*qui illis sacris imbuebantur*  
*qui solum sacris imbuebantur*  
*qui sacramentis imbuebantur*  
*qui solis sacris utebantur*  
*qui illis sacris utebantur*  
*qui illis sacramentis utebantur.*

Hoc loco lectio quam autographo tribuimus a tota traditione abest; ideo nos in textu adoptavimus variantem ultimam ex G, Oxoniensi, Brixiensi, Ambrosiano et editionibus excepta *a*; nunc autem omnibus consideratis *imbuebantur* adoptasse malle, quia errori *induebantur* vicinior videtur et S. Thomae non ignotum est: *sacramentis imbuimur* dicit in QQ. DD. *De Veritate* qu. xxvii. art. 3. ad 6, et *sacramentis imbuti* in Supplemento qu. lxxi. art. 5 (infra 154 a 40). Utra autem lectio autographi fuisse credatur, certum est scriptorem primi apographi errasse, nec minus constat variantes apud errorem originalem caput habere.

Art. 8. corp.  $\eta$ ; AUTOGRAPHUM: « Unde Didymus... Si quis ita baptizare conetur ut unum de praedictis nominibus praetermittat... sine perfectione baptizat.

TEXTUS ANTIQVUS: *baptizare curetur*  
Variantes: *baptizare curet*  
*baptizare curaverit*  
*baptizare curatur*  
*baptizetur*  
*baptizetur curetur*  
*baptizaretur*  
*baptizare creditur.*

Lectio autographi in duobus codicibus reassumpta est. Error primae transcriptionis perseverat in H et Oxoniensi et erat prima manu in Patavino.

Duobus insuper locis eiusdem Quaestionis error transcriptionis consistit in verborum ordine perverso; quis ordo in autographo fuerit nescio:

Art. 6. ad 1.  $\eta$ ; TEXTUS ANTIQVUS: « in sacramentis rebus verba visibilibus adduntur ».

Variantes: *verba* ante *rebus*, post *visibilibus*. Error penetravit in E, et primam manum Patavini.

Art. 7. ad 3.  $\epsilon$ ; TEXTUS ANTIQVUS: « Ille qui profert verba corrupte sacramentalia ».

Variantes: *corrupte* ante *profert*, post *sacramentalia*, denique *corrupta*, quod certe falsum est et tamen praeterquam in GHbc invenitur in Oxoniensi et Brixiensi.

In eadem Quaestione aliae erroneae lectiones a prima autographi transcriptione in tota paene traditione permanserunt: art. 1.  $\delta$  *sacrum* pro *sacramentum*; art. 2.  $\delta$  *ea* (quod referret *Quaedam*) pro *eam* (nempe sanctitatem Christi); art. 5.  $\delta$  et  $\eta$  *determinate* pro *determinare*; ibid.  $\theta$  *sanctificandum* pro *significandum*; art. 6.  $\epsilon$  *principatus* pro *principatum*; art. 8.  $\beta$  *virtutem* pro *veritatem*,  $\zeta$   $\theta$  *virtus* pro *veritas* (medio corp. art., tertia linea ante  $\theta$ , omnes praeter *b* legunt bene *veritatem*).

Sequentes errores in multis codicibus, etiam ex coetu eorum qui textui antiquo fideles esse solent, verae lectioni locum cesserunt: art. 3.  $\gamma$  *et rememoratio* pro *rememorative*; art. 5.  $\mu$  *consulendum* pro *colendum*; art. 6. ad 3. (notavimus infra in Elencho Errorum pag. viii) *quod* pro *quod sicut*; art. 7. arg. 3. *corpus* pro *corruptio*; art. 8. corp. *unum* pro *utrum*.

Omnium maxime e traditione disparuit crassus error art. 2. ad 2. *adventus testium* codicum ABC, pro *ad vetus*

*testamentum*; I legit *adunt* in fine lineae et *ptestm* in principio sequentis, idest *adventus ptestamentum*, sed *p* expungitur. Tota ni fallor cetera traditio legit cum autographo, et tamen ob antiquitatem testimonii, quam signatura « ABC » habitualiter secum fert, libenter credimus errorem ita signatum iam apud distractum scriptorem primi apographi incoepisse. Quod in textu I, correctionis aman-tissimi, inverosimilis error ille perdurat, non est hic unicus locus ubi I nativitatem suam ex patre codicum ABC certis documentis prodidit. Idem vero phaenomenon, praesentiam dico aliquorum errorum antiqui textus, in omnibus mediis et recentibus codicibus observavimus.

Sicut in hac Quaestione oratio S. Thomae falsis ideoque ab eo alienis locutionibus interrumpitur, quae multam crisin provocarunt, ita in omnibus Quaestionibus Tertiae Partis, immo in singulis Articulis, peregrinae dictiones et melius dicendi tentamina obveniunt. Et sicut in hac Quaestione pro erroribus antiqui textus vera autographi verba, vel quae ibi fuisse saltem videntur, fere semper ex aliquo codice, saepe etiam ex multis codicibus haurire licuit, nullus tamen codex, nulla codicum combinatio erroribus veras lectiones constanter opponebat, ita per totum opus lectiones autographi erroribus obiciendae in nulla parte traditionis fixam sedem habent. Tandem, sicut in hac Quaestione ab aliquo errore antiqui textus nullus codex purus est, ita alibi omnes sua quisque vice antiqua vulnera ostendunt. Traditio igitur Tertiae Partis non ex sobole duarum vel plurium transcriptionum autographi, sed ex una transcriptione immediata, et ex huius correctionibus inaequaliter applicatis et propagatis, tota consurgit.

Ad n<sup>m</sup> 9. — Sequentes lectiones antiqui textus per ditographiam erroneas esse, facile credo sibi persuadebunt qui verba in scriptura codicum imaginatione rescribere possunt:

LXVIII. 3.  $\alpha$  *papa propter* pro *papa*; ibid. 5.  $\beta$  *glossa gratia pro gratia*; ibid. 12.  $\delta$  *ante nativitatem* pro *a nativitate* (*an n-* pro *a n-*); LXXV. 7.  $\alpha$  *enim recompletur* pro *n. completur*; LXXVI. 4.  $\delta$  *sola autem* pro *sola*; LXXVII. 4.  $\alpha$  *post hostias* pro *hostias*; LXXX. 5.  $\alpha$  *ibidem est* pro *ibidē*; LXXXII. 5.  $\epsilon$  *ideo non* pro *non*; LXXXIII. 3.  $\rho$  *de dedicatione* pro *dedicatione*; ibid. 6.  $\eta$  *alterius consecrationem* pro *alteri consecrationem* (*g* bis pro *semel*); LXXXIV. introd. (Quarto utrum) *in ipso* pro *impositio* (*in ipso* pro *in ipso*); ibid. 5. arg. 2. *per poenitentiam* pro *per misericordiam* (*p pñiam* pro *p mñiam*); LXXXVIII. 1.  $\gamma$  *nec non* pro *non*.

A contrario vitio sive ab haplographia laesae videntur sequentes:

LXIV. 5.  $\alpha$  *enim* pro *enim novae* (*n-no.*); ibid. arg. 2., et alibi saepe, *Io(annis)* pro *I. I.*; LXIX. 3.  $\beta$  *innata* pro *et innata*; LXXI. 1.  $\beta$  *potest* pro *potest puer*; LXXIV. 4.  $\zeta$  *Registro* pro *Registro ro(mana)*; cf. LXXX. 8.  $\zeta$  *sero* pro *secundum romanos*; LXXV. 4. arg. 2. *init. materia* pro *in materia*; LXXXII. 5. ad 2 *papa* mittit pro *papa praemittit*.

Ad n<sup>m</sup> 10. — Casus scriptoris post errorem se corrigentis obtinet qu. LXXXIV. art. 1. corp.  $\gamma$ : « (in confessione) peccator poenitens per ea quae agit et dicit *circa poenitentem* significat cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos per ea quae agit et dicit *circa poenitentem* significat opus Dei remittentis peccatum ». Quasi scriptori assistas clarum tibi est quid ei accidat: scripto *per ea quae agit et dicit* primo loco, omittit homoteleuton *significat... per ea quae agit et dicit*, pergat transcribendo verba *circa poenitentem*, et statim advertit se aliqua verba praeteriisse; resumit ea, sed verba redundantia *circa poenitentem* punctis delere obliviscitur.

Ad nos 11. et 12. — A sequentibus lectionibus textus antiqui deduci posse videtur, quod scriptor primi apographi interdum se ipse correxerit, aut correctus sit.

LXXXII. 1. ad 1.  $\gamma$ : « in potestate tradita sacerdoti in sua consecratione vel ordinatione ». Ita et nos; sed suspicamus legendum esse *ordinatione* solum, cum codice I, quia vel *ordinatione* hoc loco prae se fert speciem correctionis,

ac si pro *ordinatione* prius inconsiderate scriptum esset *consecratione*. Sed huic loco non insistimus: quatuor lectiones nunc citandae indubium est quin errores sint et maneant, etiam si nostrae speculationes circa earum naturam non probabiles alicui videantur.

LXXIV. 7. γ: « Ad tertium dicendum *quod* admixtio aquae ad vinum non est de necessitate sacramenti; non enim refert quantum ad necessitatem sacramenti quaecumque aqua admisceatur vino, sive naturalis sive artificialis ». Particula *enim* ad rem non est: requireretur potius *ergo*; nulla vero hoc loco opus est, si legatur *quod quia... non refert*. Copula *enim* intrusa est, sed qui intrudit non erravit in hoc quod credidit S. Thomam orationem suam semper particulis ligare et continere.

LXXIX. 4. corp. γ: « Nutrimentum autem cibi necessarium est corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur *ex caloris naturalis concupiscentia*. Spiritualiter autem quotidie in nobis aliquid deperditur ex calore concupiscentiae per peccata venialia ». Lectio non bona est: nusquam S. Thomas calori physico imponit concupiscentiam, quae semper ad rem moralem pertinet. Credimus scriptorem primi apographi omisisse homoteleuton *Spiritualiter... ex calore* et se correxisse postquam scripserat *concupiscentiae*, ita ut resultaret lectio « ... deperditur *ex calore concupiscentiae* Spiritualiter autem » etc.; quod deinceps falsa correctione mutatum fuerit in *ex caloris naturalis concupiscentia*.

LXXXIV. 4. arg. 3. α. Obiiciens studet probare sacerdotem in confessione poenitenti absolvendo manus imponere debere; argumentum huius in textu antiquo sic audit: « Verba sacerdotis in hoc sacramento non sunt maioris efficaciae quam in aliis sacramentis. *Non enim* sufficiunt verba ministri nisi aliquem actum exerceat; sicut in baptismo simul cum hoc quod dicit sacerdos Ego te baptizo, requiritur corporalis ablutio. Ergo » etc. Supposito quod inter *sacramentis* et *Non* scriptor primi apographi omiserit homoteleuton *Sed in aliis sacramentis* vel simile, absurdum istud *enim* malae correctioni attribuat. Hic iam quartus locus est ubi copula *enim* correctionis gratia male adhibetur: cf. locum penultimum et n. 2. η, xvi. 1. θ.

Ibid. 10. corp. η: « Caritas semel habita propter libertatem arbitrii potest amitti *et per consequens peccatum et per consequens post* veram poenitentiam potest aliquis peccare mortaliter ». Videas quam spontanea ad verba *Caritas... potest amitti* apud scriptorem nasci potuerit idea « per peccatum », quam pronus ergo fuerit pro *post scribere peccatum*. Quo dato, erronea lectio constitui videtur falsa transcriptione eiusque abundantia simul ac insufficienti correctione: scripto et non expuncto *et per consequens peccatum*, rescribitur *et per consequens post*.

Ad n<sup>m</sup> 35. — Character horum quatuor errorum minus clare expressus est, quam ut cui speciei proprie appertineant manifestum esset. Adsunt et aliae lectiones in textu antiquo certe erroneae, quae qua via erroneae factae sint nec a se nec contextu adhibito ostendunt. Inde earum correctio dubia fit et insegura, etiam praeter et super incertitudinem quam omnis coniectura secum fert. Si inter codices superstites aliqui inventi essent qui a patre codicum antiqui textus non dependerent, sed ex alia transcriptione autographi pervenirent, statim et illico pro erroribus antiqui textus authenticae lectiones praesto fuissent, sicut vice versa errores illius secundi transcriptoris (nam omnis scriptor errat, et ille secundus autographi interpretator peius forte errasset quam noster) per bonas lectiones textus antiqui facilem correctionem habuissent. Sed traditio non suppeditat alium testem ocularem autographi praeter scriptorem primi exemplaris textus antiqui. Non mirum si correctionem tentanti interdum aqua haereat. Duo exempla diversa citamus:

LX. 7. ad 3. α. « Quod autem dictum est de differentia corruptionis circa principium vel finem dictionis (agitur de corruptione formae sacramentorum) rationem habet: quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat significationem, variatio autem ex fine dictionis ut pluri-

mum *mutat significationem*, quae tamen apud graecos variatur etiam secundum principium dictionis in declinatione verborum ». Haec falsa lectio textus antiqui (qui hoc loco etiam testimonio codicum F et H gaudet; E et vetus Cordubensis lacunam habent) tribus modis correctata invenitur. Primo, *non mutat significationem* (ita editio a et omnes editiones post saec. XVI), bene hucusque; sed statim quaestio oritur, quo sensu declinatio verborum apud graecos significationem mutare dicatur: per declinationem vel coniugationem *τύπτω τέτυφα*, *caedo cecidi*, significatio apud latinos eodem modo quo apud graecos mutata et non mutata esse videtur. Alia correctio: *mutat consignificationem* (ita GI, Oxoniensis Patavinus Brixiensis Ambrosianus et editiones saec. XVI), inspirata fuit et valorem habet a loco Commentarii in IV. Sent., quem margine citamus, ubi dicitur: « ex parte finis mutatio variat consignificationem, non autem significationem, ut grammatici dicunt, sed mutatio ex parte principii variat significationem ». Manet tamen nobis dubium quare S. Thomas scripsisset « *ut plurimum* mutat consignificationem », et quare, dum de mutatione consignificationis in declinatione verborum expresse sermonem instituit, graecorum tantum reduplicationem respiciat, et eam omnino taceat quam latini norunt in verbis usus frequentissimi. Haec tamen lectio re denuo considerata probabilius nobis apparet. Melius tamen fuisset nobis, testimonio alterius testis autographi frui potuisse. — Editiones saec. XV legunt: *non mutat consignificationem*; antiqui vulneris cicatrix est.

Aliud exemplum praebet differens lectio formae baptismi apud graecos, cuius primum verbum est (et ut videtur semper fuit) *βαπτίζεσαι*, *Baptizatur*, modo indicativo. Tribus locis citatur: LX. 8. S. C. δ, LXVI. 5. ad 1. ι, LXVII. 6. corp. δ. Secundum textum antiquum S. Thomas primo et tertio loco scripsisset *Baptizatur*, medio vero *Baptizetur*. Contextus ansam non dat qua verum autographi verbum teneremus; in traditione extra codices antiqui textus invenimus tribus locis *Baptizatur* in GI, *Baptizetur* autem in editionibus a saeculo XVI, ceteroquin omnes quae fieri possent combinationes. (Secundo loco *Baptizatur* habent EFHIG et bc, sed primo loco *Baptizetur* FHbc; ita et E a correctore coaevo; prima manu lacunam). Latini scriptores ante et post S. Thomam (Halensis, Albertus, Estius, Toletus) vulgo dicunt actum baptismi apud graecos non significari modo indicativo, sed « sub alio modo, scilicet subiunctivo vel optativo, ad significandum quod actus interior expectatur ab extra », ut ipse dicit Comm. in IV. Sent. dist. III. art. 2. qu<sup>a</sup> 2. ad 1. Fidenter tamen crederemus S. Thomam postea rem melius doctum fuisse, si scriptor primi apographi tribus locis scripsisset *Baptizatur*; sed quia fluctuat, testimonium eius pro neutra lectione sat fidum evadit, et quia insuper, ut iam diximus, auxilio contextus destituimur, nullo criterio scimus utra lectio sit genuina, ideoque nos textum antiquum adoptavimus immutatum.

Ad n<sup>m</sup> 36. — Pro textu antiqui erroribus lectionem veram vel sufficienter bonam fere ubique ex libris nostris mutuari potuimus. Cum nullo codice aut editione legimus his locis: LX. 1. η; LXIV. 6. δ; LXVI. 5. δ, ν; 11. δ (*quod ex baptismo* legimus pro *quod baptizato* antiqui textus; praepositio *ex* omisa fuerit per haplographiam: ductus signi *quod* et verbi *ex* similes sunt); LXIX. 1. γ (*originalis* pro *originalium*); LXXIII. 4. δ; LXXIV. 1. α; LXXV. 1. ι; LXXVI. 2. α; 6. ζ (*sacrosanctum* pro *sacramentum*); LXXVII. 5. δ (*et pro vel*); LXXX. 3. ε; LXXXIII. 4. μ (locus reconstructu difficilis, quamvis sensus evidens est); 6. θ; LXXXIV. 6. β; LXXXVI. 1. δ; LXXXVIII. 1. γ, α (*inducit* pro *inducit* totus locus notabilis); LXXXIX. 2. μ.

Ad n<sup>m</sup> 39. — Circa verba ex S. Scriptura adducta in his ultimis Quaestionibus Tertiae Partis idem observavimus quod in prioribus, idest observavimus ad citationem alicuius loci S. Scripturae interdum alterius loci verba dari. Exempli gratia: LXX. 2. arg. 4 et LXXII. 10. ad 3: « In Christo Iesu non est masculus neque femina, ut dicitur Col. III »;



haec autem pertinent alibi, nempe Gal. III (v. 28), ideoque credi posset scriptor primi apographi erronee scripsisse *Col.* pro *Gal.* Tamen conferenti verba *Col.* III (v. 11.): « ubi non est gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus », lectionem *Col.* authenticam esse patet, et ipsum S. Thomam pro textu quem citatio indicat parallelum scripsisse. Idem saepius obtinet: LXXIV. 5. corp. citatur « Luc. XXII » (v. 18) pro textu Matth. XXVI (v. 29); LXXVI. 2. ad 2. « Exodi XII » (v. 46) pro Ioan. XIX (v. 36); LXXVIII. 3. ad 3. « Exodi XXIV » (vv. 7. 8) pro Hebr. IX (vv. 19. 20). Notabilis est citatio « Matth. XXVI », quae non semel intelligendum est quasi « in institutione Sacramenti »; cf. LXXIII. 5. arg. 3 (α), ubi cum ista cita-

tionem allegantur verba Lucae « Hoc facite in meam commemorationem ».

Ad n<sup>m</sup> 40. — Difficile crederemus non S. Thomam ipsum sed scriptorem primi apographi LXXV. 1. arg. 4 (ζ) *centurio* scripsisse pro *regulus*. Contextus sine ullo dubio indicat regulum, Ioan. IV. 46 seqq., qui « quaerebat corporalem Christi praesentiam », non centurionem, qui eam non quaerebat: « dic tantum verbo ». Modo non absimili S. Augustinus In Ioan. tract. CXIII (Migne 35. 1935) Barnabam pro Sila inducit: « quod (cantare et psallere) Paulus et Barnabas etiam in vinculis durissimis facere potuerunt »; cf. Act. XVI. 19–25. Nos legimus *regulus*, intentioni S. Thomae magis quam fortuitae scripturae obediens.

Postquam Tertiae Partis traditionem sat integre ad examen vocavimus, laetantes confitemur doctrinam sancti Auctoris sub lectionum varietate illibatam conservatam esse. Examini variantium a parte materialis originis eo abundantius tempus dedicare potuimus, quo rarius de mente S. Thomae dubitandum et deliberandum erat. Qui autem fieri potuit, ut autographum Tertiae Partis (et Secundae Secundae, et fortasse omnium Partium Summae) per tramitem unius solius immediatae transcriptionis in publicum ederetur? Ad hoc explicandum conducent forte quaedam considerationes, in Praefatione Supplementi quod huic Volumini iungimus, circa methodum publicandi et multiplicandi libros, qua aetas S. Thomae utebatur.

## ELENCHUS ERRORUM ANTIQUI TEXTUS TACITE CORRECTORUM

### QUAESTIO LX.

- art. 2. ad 2. init. quaedam *ad vetus testamentum* pertinentia – *adventus testium* ABpC, *adventus ptestm* (p expungitur) I.  
art. 4. corp. ult. *Caelestis* Hier. – *Eccl.* ACDEGHbc.  
art. 6. ad 2. ante med. Quae perfectius *est* in verbis – om. ABCD.  
ad 3. init. *sicut* Augustinus – om. ABCDEGa.  
art. 7. Praeterea, *corruptio* – *corpus* ABCDF.  
art. 8. corp. a princ. oportet considerare *utrum* per talem – *unum* ABCD.

### QUAESTIO LXI.

- art. 1. corp. med. animus applicari non *posset* – *possit* ABCD.  
art. 3. arg. 1. fin. non *praecedat* causam – *impedit* ABD; abrasa pC.  
ad 3. ult. *esse* ante et post *sacramenti eiusdem* habent ACDpG.  
altero loco solo H et editiones, ibi *esse* hic et F.  
art. 4. ad 1. fin. signa in spiritualia – *etiam* in ABCDpG et a, et H; totum om. I.

### QUAESTIO LXII.

- art. 1. corp. init. per aliquem modum *gratiam causare* – *gratiae causari* ABC.  
ult. Unde et *Tit. III* – *Tim.* ABCDpGH et a.  
ad 1. fin. inquantum *ordinantur* – *ordinatur* ABCa; inquantum... *sacrum* om. GH.  
art. 3. arg. 1. fin. *esse autem* in loco – om. ABCDHPG et a b (E deficit).  
ad 2. non *ut* eodem modo – post *modo* BD, utroque loco AC (E deficit).  
art. 4. arg. 2. med. neque *enim* est inter – *etiam* omnes praeter PI (E deficit).  
art. 5. corp. fin. copulatur per *susceptionem* sacramentorum – *succeptionem* ABCa.  
art. 6. Praeterea, sanctificatio *non fit nisi* – *non fit* ABpC, *fit* D.  
arg. 3. princ. *Idem* salutiferae – *Idemque* ABCDEa.  
ad 3. princ. Quidam *enim* – *autem* ABCDEa.

### QUAESTIO LXIII.

- art. 1. arg. 1. dicitur enim *II ad Tim. II* – *II ad Cor. III b*, *II ad Cor. III* ceteri praeter P et praeter I qui *ad Cor. XV* legit. Scriptor codicis I regulariter, ideoque intentionaliter, numeros epistoliarum Apost. Ioan., librorum Reg. Paralip., etc. omittit.  
S. C. pignus *Spiritus* in cordibus – *speciem* ACpB, *spem* D.  
art. 2. corp. fin. quod est *quiddam* fluens – *quidam* ABCEpG.  
art. 3. arg. 1. Nolite *contristare* Spiritum – *contristari* ABCFGHbc; pE om. non... *sacramentalis*.  
corp. princ. *character* insignitur – *character* ABC.  
*character* insigniuntur – *characterem* ABC.  
art. 5. arg. 3. med. Cultus autem exterior ad *quem* – *quam* ABCDE.  
ad 3. ult. qui *vicerunt* – *vincerunt* ABCDEHb.

- art. 6. corp. princ. Non autem omnia sacramenta *ordinantur* – *ordinant* ABCD.  
ante med. Pertinet autem aliquod *sacramentum* – *sacrificium* BCE FpD et a.

### QUAESTIO LXIV.

- art. 1. arg. 1. fin. Ergo videtur *quod* non solus – *quod etiam* ABCD.  
ad 2. ult. sed impetrat *operandum* – *et (etiam B) operandum* ABCD, *ad operandum* ed. a; I legit *sed operatur impetrandum*.  
art. 2. arg. 2. *Illiciuntur* daemones – *Alliciuntur* BCDA.  
art. 3. corp. post princ. passio Christi quae competit *ei* – *eis* ACpBE.  
art. 4. arg. 2. princ. Prorsus *maius* hoc – *magis* ABCEGHbc.  
corp. princ. creaturae potuit *communicari* – *communicare* ABCEH pG et b.  
art. 5. arg. 2. secundum illud I Ioan. IV – om. ABCDEHIpF et a.  
ad 2. med. *dummodo* sit coniunctum – *dum non* ACpBG, *dum tamen* sB.  
art. 6. ad 1. fin. ut congruat suo *ministerio* – *ministro* ABCDHPG et a.  
art. 8. S. C. sunt *casualia* – *carnalia* ABCD.

### QUAESTIO LXV.

- art. 1. ad 3. ante med. Actiones autem sunt *purgatio, illuminatio* – *illuminatio et (et om. a) purgatio* BCEa.

### QUAESTIO LXVI.

- art. 1. corp. a princ. Quidam *ergo* existimaverunt – *autem* BCEa, *vero* I.  
post med. fluens in *hominem* – *homine* ABCDEF.  
fin. character baptismalis *qui* est res – *quae* BCEIa.  
art. 3. arg. 1. fin. praesertim *cum* Ioannes – *est cum* ABC.  
art. 4. Praeterea, *lixivium* – *lexivium* omnes praeter Pa. Mox *lexivio* et *lexivium* et in Solutione *lexivio* omnes praeter Pla. Ad 2. tamen *lexatorum* soli CG.  
art. 5. corp. med. Est *autem* eius duplex – *enim* omnes praeter PI.  
art. 6. arg. 3. princ. *Bulgarorum* – *vulgarorum* ABCEGHI, *fulgarorum* D, *fulganorum* ed. a, *bulgatorum* b, *vulgatorum* c. Qu. LXVII. 5. (δ) *Vulgarorum* GHI.  
art. 7. arg. 3. init. corporis *posset* fieri – *possit* ABCDE, *potest* ed. a.  
art. 8. S. C. princ. *Reprehensibile* – *Reprehensibilem* ABCH.

### QUAESTIO LXVII.

- art. 1. arg. 2. init. *Eccl.* Hier. – *Cael.* omnes praeter P.  
S. C. in Decretis *lxxxvij d.* – *lxxxix d.* *ij* omnes praeter Pc.  
corp. post med. et aliorum *assistere* et ministrare – *existere* ABCDF.  
art. 4. ad 1. fin. *sed* tamen – *si* ABCE; *sed...* *baptizare* om. D.  
ad 3. med. extra *casum* necessitatis – *causam* ABCDE.  
art. 5. corp. post med. *baptizare potest*. Ut sic duo – *possit* ABCD.  
et postea *baptizaretur* ab eodem – *baptizetur* ABCE.

- art. 7. corp. med. curam populi occupati – occupanti ABCpDE.  
 art. 8. arg. 2. ult. Decretis xxx. qu. 1. cap. Pervenit – om. omnes. et Dictum est – ut ABCDFHabc (E deficit).  
 S. C. ult. quos visi estis – ubi estis ABCIpD, venistis ed. a. (E deficit).  
 ad 1. init. ubi immineret – nisi BChpG, ita potius AD. (E deficit).

## QUAESTIO LXXIII.

- art. 2. ad 2. ante med. baptismi et in martyrio – mario A, matrimonio CpB.  
 dicitur quod in martyrio – matrimonio ACpB.  
 art. 3. ad 3. post med. illud I Ioan. – om. ABCDEIb.  
 art. 9. corp. ult. Ecclesiasticae Hier. – Cael. omnes praeter Pa.  
 art. 11. arg. 1. fin. Quod quidem fit – quam ACpB.  
 corp. ante med. ad filium in ventre existentem – existente ABC DEHpG.

## QUAESTIO LXXIX.

- art. 6. S. C. ante med. ad illos etiam pertinet – alios ABC, hoc F. post med. per gloriam Patris – gratiam ABCDFa.  
 corp. med. non pervenirent ad vitam – pervenerunt ABCDHpG et b.  
 art. 7. Ad tertium dicendum quod baptizatus – baptismus ABCpD.  
 art. 8. corp. fin. Non hoc praestatur – Nisi hoc ABCD, Hoc non F, si non pG, hec H.  
 art. 9. S. C. dicitur Sap. I. – quod sapientia idest ABCa.

## QUAESTIO LXX.

- art. 4. ad 2. med. coeperant adunari ad cultum – adiuvari ABCF.  
 ad 3. med. Videtur tamen quod nulli – enim ABCDFHpG et abc, etiam E.

## QUAESTIO LXXI.

- art. 2. corp. princ. Diabolus autem hostis est – om. ABCDEF.  
 post med. praeccludit expulso viam ne redire possit – expulsio ACHpBD, expulsio (ne redire) b, expulsioe (redire) c.  
 ad 3. ante med. quae sunt ab interiori – qui ABCD.  
 art. 3. S. C. quae decept hominem – decipit omnes.  
 corp. ante fin. ad percipienda salutis mysteria – percipiendam ABCHpI et b, percipiendum E.  
 art. 4. ad 1. super immundos ministri habent – ministrabant ACDpB et a.  
 ad 2. ult. sed sicut in his – sicut ABCD.

## QUAESTIO LXXII.

- art. 1. arg. 2. princ. dicit I Cor. – om. ABCDEF.  
 ad 1. princ. Quidam enim – ar. (idest Aristoteles) ABCpD. Cf. infra qu. LXXXIX. art. 3. corp. med.  
 art. 2. ad 1. med. quod significat balsamum – quid ABCD.  
 art. 3. S. C. med. cum tradunt Paraclitum – cura ApBCD.  
 art. 4. arg. 1. med. Usus enim sacramentorum – om. ABCD.  
 art. 7. arg. 3. ult. non exhibetur nisi baptizato – in baptizato ABCD.

## QUAESTIO LXXIII.

- art. 1. ad 2. med. cum Spiritus Sanctus suscepit – suscepit ABCDa.  
 art. 5. corp. ante med. necesse erat ut die coenae – dies ABCDEFL.

## QUAESTIO LXXIV.

- art. 1. corp. princ. Artotrytae – artoclinite AEHI, (arriani expuncto) artoclinite B, artocluute CG, artodonite D, arodomite F, artoclivite ed. a, arcodivite b, arcodinite c.  
 terrae et ovium – oim (idest omnium) ABC, oi vel di pE.  
 Pepuziani – percutiani D, pecuciá E, petutivú F, pethuciani ed. a, pecuciani ceteri.  
 art. 2. ad 1. init. materia accipit determinatam – materiam ABC.  
 art. 3. arg. 1. med. consonum dominicae passioni – passionis ABC pGH; Sed... passioni om. D.  
 ad 4. med. quod declarat aliquis – declinat ABCa. Cf. qu. LXXVII. art. 8. corp. med.  
 art. 5. ad 2. de vino acescenti – acrescenti CE, accrescenti A.  
 art. 6. corp. med. in passione sua profluxisse legitur – profuisse ABCpD.  
 art. 7. S. C. med. potest simplicitati eius – simplici ABCD.  
 art. 8. ad 2. excluderetur significatio – signo ACDpB.

## QUAESTIO LXXV.

- art. 1. S. C. init. in VIII de Trin. – in libro de Trin. VIII ABCD EFGHbc, in libro VIII de Trin. ed. a.  
 corp. a princ. Hebr. x. Umbram – Umbra ABCDE.  
 fin. Berengarius – Belangarius ABCF, Beringarius D, Bèlegarius pG, Bèlegarius sG, Bellègarius H, Bellàgarius I, Brelegarius b,

Belengarius c. – Qu. LXXVII. art. 7. arg. 3. Belangarii A, Belangarii B, Relangarii I, Belengarii CEFpD et bc, Bellengarii H. – Ibid. ad 3. Belangarii ABCEIpD, Berangarii sD, Belengarii FsG et bc, Bellengarii HsG. (Berengarius et utroque loco Berengarii Pa).

- art. 2. ad 2. Et ideo in sacramentis – ideo sicut ACpB.  
 art. 3. corp. a princ. in quam corpora mixta resolvi – qua omnes praeter PsG.  
 ante med. elementa in quae resoluta est – qua ABCDEFHpG et b.  
 ad 1. fin. ex quo generatus est ignis – generatur est CD, generatur BF.  
 art. 4. arg. 2. princ. incipit esse in materia – om. CDFGpAB; de novo... convertitur om. I.  
 art. 6. arg. 2. med. potentia vitam habentis – habens ABCD.  
 art. 7. corp. fin. non suscipit magis neque minus – maius ABC.  
 ad 1. init. quaelibet duo instantia sit – instantanea ABCEpD.

## QUAESTIO LXXVI.

- (art. 1. ad 1. ante med. Unde in Symbolo Ephesino – ita omnes; an pro Synodo?).  
 art. 3. ad 1. ult. in quot partes dividitur – quod ABCDpE, vel forte sic orthographice, sicut scribuntur relinquit, inquit velud; cf. etiam qu. LXXIX. art. 8. γ.  
 art. 4. corp. ante med. Ex vi enim sacramenti – autem ABCDEa.  
 art. 8. corp. init. apparitio qua quandoque – quae ABD.  
 fin. ad ostendendum per hanc miraculosam – ostendendam ABCDEF.

## QUAESTIO LXXVII.

- art. 1. corp. fin. per quem conservabatur in esse – conservabantur ABCE.  
 sicut per propriam causam – primam ABCDEFHpG et abc.  
 art. 2. corp. post med. individuacionis principium omnibus formis – primum ABC.  
 paulo inf. iam nec ipsa forma sic existens – nam ABCDpE.  
 art. 3. arg. 1. in VII Metaphys. – Physic. omnes.  
 art. 4. corp. med. Alio modo poterant corrumpi – poterat ABCDEFL.  
 art. 5. corp. princ. manifeste aliquid sensibile eis succedit – ei ABC DEHpG.  
 art. 6. ad 1. post med. accipit panem secundo modo – corpus panem ABHpG.  
 art. 8. ad 1. princ. appositum videntur afficere – videtur ABCDEHpG et b.

## QUAESTIO LXXVIII.

- art. 1. S. C. princ. nam per reliqua omnia – om. ABCDIA.  
 art. 3. arg. 7. med. et calicem bibetis – biberitis ABEFa, bi. D.  
 ad 1. init. Hic est calix – om. ACsB, a pB.  
 ad 3. med. sanguis testamenti quod mandavit – quem ABCDE GHabc.  
 art. 6. S. C. fin. Ergo verba – haec AC, ergo haec ed. a.  
 ad 1. med. et sanguis ex reali – et ex ABCD.

## QUAESTIO LXXIX.

- art. 4. arg. 2. quod dicitur I Ioan. I. – I Ioan. ABCDEFGHbc, Ioan. I. Ia.  
 art. 5. corp. versus fin. magis attenditur affectus – effectus ACDpBE.

## QUAESTIO LXXX.

- art. 1. ad 3. fin. adhibetur sacramentalis manducatio – spiritualis ABCDEFGHbc.  
 art. 6. S. C. non prohibeat – prohibebat omnes.  
 art. 7. arg. 2. ante med. liberorum gratia utitur ille profecto – utitur ille ADE, utitur illo CpB et a.  
 art. 8. ad 3. princ. apud aliquos observatam – alios ABCDEa.  
 art. 9. arg. 2. energumini – ergumini ABCD, exguriu E, enūgimini F, spat. vac. H, emergumini ed. a, energumini b. In Solutione ergumini ABCD, argūi E, enūgimini F. Supra tamen, qu. LXXI. art. 2. arg. 1. et ad 1. nullus non bene scripserat.  
 art. 10. ad 1. post med. Unde Dominus Luc. xi docet – Dominus dicit ABCD, Dionysius dicit E.  
 ad 2. fin. per modum cibi qui – quae ABCDE.

## QUAESTIO LXXXI.

- art. 1. S. C. Heldibiam – iespam ABCDEF, selbiam vid. pG, leibiam sG, lelsbiam H, gespam ed. a, lestiam b, Lesbiam Pc.  
 art. 2. S. C. utrinque immanius – utrique ABCDEpG et bc, utique F, utroque ed. a, utriusque H.  
 adiens – audiens ABCDEFa, adiciés (idest adiciens) I.  
 ad 1. med. Iudas se separavit non autem – ideo ABCDEa, nam F.  
 ibid. fin. vinum in regno Dei bibit – regnum ABCDE.  
 art. 4. corp. fin. conspui – et spui ABC, et spm pD, et conspui sD, et sōpni E.

## QUAESTIO LXXXII.

- art. 1. ad 4. post med. aliorum quae consecrantur – consecratur ABCDEpF.  
 art. 2. S. C. concelebrant – celebrant ABDEpC. (In corp. art. celebrant Epl).  
 art. 5. S. C. minus perficitur sacerdote – perficiatur ABCEpD.  
 ad 2. init. Gelasius Papa praemittit – mittit ACDE, omittit pB.  
 art. 10. corp. princ. celebrare pro populo – om. omnes.

## QUAESTIO LXXXIII.

- art. 1. corp. princ. *Simplicianum* – *Simplicem* E, *Simplicium* ceteri. ibid. fin. libro vitae agni – et agni ABCDEa, agnus pF.  
 art. 3. arg. 7. init. pretiosius est inter materias – in ABCE, in (materia) ed. a.  
 arg. 8. ante med. *mysteriorum* Dei – *ministorum* A, *ministeriorum* BCDEFGI.  
 si circa dispensationem – contra ABCDEGHabc.  
 ad 1. princ. illud I Tim. – om. ABCDEla.  
 med. fundanda ideo passio – et ideo ABCEpF et a.  
 ad 2. princ. quam Ecclesia consecuta est – qua ABCDEa.  
 post med. in locis ab episcopo consecratis – episcopis ACDEF GHabc.  
 ad 6. post med. quia scilicet lignum porosum est – si ABCDE, om. a.  
 art. 5. ad 3. parum post med. *Secundam* pro liberatione a morte – *Secunda* ABCDEGHI.  
 paulo inf. *Sanctificas* vivificas benedictis – *Sanctificans* vivificans ABCE.  
 ad 5. ult. non dispergatur – ut non ABCDE; vel est repetitio praecedentis ut.  
 ad 8. ult. significat ceteros – tertios ABCDEFa, t'nos I.  
 ad 9. ante med. participes passionum Christi – passionem ABCE, passionis DFa.  
 art. 6. ad 2. ult. incoeptam desereret – deseret ABCDEF.

## QUAESTIO LXXXIV.

- Introd. Quarto utrum impositio manus – in ipso ABDI.  
 Septimo de institutione eius – instructione ABC, ministracione E.  
 art. 1. corp. princ. quod sancte accipiendum est – sane ABCEfSG et a, a sane D.  
 art. 2. ad 3. ante med. principaliter autem quia ad deletionem – enim ABCDEFGHabc.  
 art. 3. corp. princ. Unde oportet quod ea – per ea ABCDEa.  
 ibid. fin. et funibus peccatorum suorum – finibus ADEpB.  
 art. 4. corp. ante med. sacramento confirmationis in quo – quibus ABCE; confirmacionis... in sacramento om. D.  
 art. 5. arg. 1. med. unde metitur pax – pars ABCDEGHbc.  
 arg. 2. princ. Per misericordiam et fidem – poenitentiam ACDEFpB.  
 art. 6. corp. princ. baptismus qui est spiritualis generatio – quae ABC.  
 art. 7. arg. 1. princ. Ea enim quae sunt – Om. ABCDE.  
 ad 3. incarcerationem – incarnationem primo loco BDpACEG et bc, altero loco ABDEpCG et bc; in H ex margine rescisso remanent – natōz et ic.  
 art. 8. S. C. Si vero poenitentia – ergo ABCEFa; D om. haec tria verba.  
 art. 9. Praeterea II ad Cor. – om. ABCDEI, I FGHabc.  
 corp. post med. nunquam aliquid contrarium faciat – aliud ABCpG, om. F.  
 ad 2. ante med. nisi ex parte obiecti puta cum – subiecti ABCDEF.  
 ad 3. med. eius superfluitas est vitiosa – superflui ABCDE.  
 art. 10. arg. 3. princ. sanationes – sanationem omnes praeter P.  
 ibid. ult. veniam largiatur – venia ABCEa.  
 corp. post med. In quo quidem errabant – errabat ABCDE.  
 ad 5. ante med. Statutum est autem hominibus – enim ABCDEF.

## QUAESTIO LXXXV.

- art. 1. S. C. princ. quia legislator – quod ACDEHIpBG et a.  
 art. 2. arg. 2. princ. habitus distinguuntur per actus – distinguuntur ABCDEFI.

- ad 1. post med. Si ergo in actu poenitentis – vero ABCDEGHabc.  
 art. 3. arg. 2. Luctum unigeniti – unigenitum ABCDEH.  
 ad 4. fin. Et secundum hoc ad iustitiam – et ad ABC.  
 art. 5. corp. princ. cooperantibus per aliquos actus – alios ABCDE. paulo inf. Thren. ult. – IIII omnes praeter P.  
 art. 6. corp. ult. dictum est circa ordinem sacramentorum – orationem ABCpEG.

## QUAESTIO LXXXVI.

- art. 1. arg. 1. init. Dicit enim Apostolus – om. ABCDE.  
 art. 2. princ. cum post agnitionem – primo ABD.  
 post med. humilitatem subire non possit – subvenire ABsC et a; cf. solutionem.  
 ad 3. ante med. quae penitus irremissibilis est – irremissibile AC, est irremissibile BDF; E legit quae penitēs remissibile.  
 art. 3. arg. 1. med. quod exponens – exponit ABa. Pro sequens dicit, dixit ABCDE, dicens ed. a.  
 arg. 5. med. et sit ei offensus – sit ei fessus ABDpC, odiat ed. a.  
 art. 4. arg. 1. med. ideo enim est aliquis – non AlpBsC.  
 S. C. fin. quod fuit in poenam – poena ABCDEFa.  
 ad 2. ult. secundum ex gratia et – sed secundum ABCDE.  
 art. 5. corp. med. cum hanc contingat esse – contingit ABCDEF.

## QUAESTIO LXXXVII.

- art. 3. corp. med. novae legis in quibus confertur – offertur ABCE.  
 ad 3. med. quia sic qui esset – sicut ABCDpE.

## QUAESTIO LXXXVIII.

- art. 1. arg. 2. med. extinctam credebamus – extincta ABCE.  
 arg. 4. init. per gratiam teguntur – reguntur ABCIpE.  
 corp. a princ. Unde manifestum est – Ergo unde CpE (et veteres Escorialis et Cordubensis).  
 art. 2. S. C. fin. specialiter peccata dimissa – propter peccata ACpE.  
 ad 3. ult. praestatur totaliter indigno – indigne ACDEpB.  
 art. 4. arg. 1. ut patet per Philosophum – quia ut ABCE.

## QUAESTIO LXXXIX.

- art. 2. arg. 1. med. devient et exorbitent – derivent ACF, dirivent BE.  
 Deus faciat eis – faciet ABCDE.  
 corp. ante med. recipere magis et minus – maius ABCEFGHb.  
 art. 3. arg. 2. med. apud Nicaeam – Nicenam vel Vicenam omnes praeter P.  
 excludunt – excluduntur ABCDEFa.  
 corp. med. At contra hi qui – ar. (idest Aristoteles) contra ABCDE, Et contra c, argumentum contrarium ed. a. Cf. supra qu. LXXII.  
 art. 1. ad 1.  
 emendantur – emundantur ABCDEc, n. dantur I.  
 post med. Quod si irrepserit deiiciatur – detineatur ABCDEGHa.  
 ad 2. fin. ut credo – nec ACDpBE.  
 art. 4. Respondeo dicendum quod res viva – mira ABpCE.  
 art. 5. corp. fin. in quantum per eam remittuntur peccata – ea ABCDE.  
 art. 6. corp. fin. comparationem ad principium a quo – a principio ABCDEa.  
 iterum eadem numero – eandem ABCEpF.

## QUAESTIO XC.

- art. 3. ad 1. ult. in his tribus perficitur – perficiuntur ABCEa.  
 ad 2. init. pars integralis potest continere totum – non potest ABCI.  
 ad 3. princ. Sed quaedam habent ordinem – quae ABCDEF.  
 fin. ordinem virtutis et temporis – om. BC.

## ERRATA IN TEXTU ET IN NOTIS CORRIGE

- In Qu. LX. quatuor locis aliter quam legimus legisse mallems:  
 art. 1. corp. princ. pro denominari quod PI soli habent, nominari;  
 art. 8. corp. (θ) sacramenti in textum ponendum est; porro, ut iam diximus, art. 6. ad 3. (ι) imbuebantur pro utebantur et art. 7. ad 3. (x) mutat consignificationem pro non mutat significacionem.  
 In notis corrigenda sunt (praesertim ob mutationes modo dictas):  
 LX. 1. θ PIsG – PFIsg.  
 6. notam t lege: qui illis sacramentis imbuebantur. – qui solis sacris induebantur ABCpE et a, sacris induebantur D, qui solum sacramentis imbuebantur F, qui solis sacris imbuebantur I, qui solis

sacris utebantur sE, qui illis sacris utebantur pH, qui illis sacramentis utebantur GsH et editiones.

7. notam x lege: mutat consignificationem. – PGI; non mutat consignificationem bc, non mutat significacionem ed. a, mutat significacionem ceteri.

8. notam θ lege: sacramenti. – Om. Pc (sic, non PI).

LXVI. 5. t DFHsG – EFHpG

LXVIII. 5. β gloria tribus locis – gratia.

LXXXIX. 3. ε tertia. – tertia,

5. θ P, – P;

## CITATIONES IN TRACTATU DE SACRAMENTIS

In praecedentis voluminis Praefatione diximus, S. Thomam, quando Glossam in Psalmos et in Epistolas Paulinas citat, Petri Lombardi Commentario in Psalmos, eiusque Collectaneis in D. Pauli Epistolas uti. Ad confirmandum quae ibi scripsimus, inspicere iuvat citationes nostras in tractatu de Sacramentis; inter alias, qu. LXIX, art. 3, in corp. et ad 1; ibid., art. 4, ad 2; qu. LXXX, art. 5, arg. 1.

Quandoque etiam ex Gratiano D. Thomas citationes excerptit. Exempla quaedam subiicimus.

Qu. LXIX, art. 5, arg. *Sed contra*: « Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum: ad hoc valet baptismus ut baptizati Christo incorporentur* ». Augustinus sic habet: *Ad hanc* (sc. Christi dispensationem) *pertinet baptismus..... ut incorporentur illi membra eius*. Canon *Ad hoc baptismus* (143), *de Consecr.* dist. II: *Ad hoc baptismus valet ut baptizati Christo incorporentur*.

Qu. LXXII, art. 3, in corp.: « Unde Chrysostomus dicit, quod *nunquam aquae baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Domini corporis sanctificatae fuissent* ». Habetur can. (10) *Nunquam aquae, de Consecr.* dist. IV, ubi Chrysostomo adscribitur. Est autem Chromatii *in Matth.* cap. III, vers. 15.

Qu. LXXX, art. 3, arg. 1: « Dicit enim Augustinus, in lib. *de Remedio Poenitentiae: Ut quid paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti: credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare* ». Ad verbum invenitur in can. (47) *Ut quid paras, de Consecr.* dist. II, sub titulo *Augustinus de Remedio Poenitentiae*. Prima pars, sc. *Ut quid paras..... manducasti*, est ex tract. XXV *in Ioan. Evang.*: altera ex tract. XXVI desumitur.

Editione Piana, Romae 1570, *Sententiarum* Lombardi in hoc sicut in praecedenti volumine usi sumus. *Decreti Gratiani* editionem Friedberg, Lipsiae 1889, adhibuimus; Alexandri Halensis autem illam quae Venetiis prodiit, an. 1575.

Reliquum est ut declarem quae de citationibus quibusdam D. Thomae et Caietani observanda censuimus.

Qu. LXII, art. 1, in corp.: « Quidam tamen dicunt quod (sacramenta) non sunt causa gratiae aliquid operando, sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur ».

In margine notavimus: Cf. Guillelm. Paris., *de Sacram. Baptism.*, cap. 1 (non cap. III, ut erronee indicavimus), ubi sic dicit: « *Si quis autem quaesierit utrum sanctificatio ex aqua fit (in baptismo), sciendum quod non, sed ex solo Deo datore, qui invocatus ad hoc, adest et assistit, et operatur intus ad similitudinem et proportionem eius quod aqua habet operari exterius.... Et si ego ministerium adhibeam, illud est quod solum facio* ». Durandus, IV *Sent.*, dist. 1, qu. IV, opinionem a S. Thomâ relata *anti-quam* nominat.

Ibid., ad 1: « Sicut communiter dicitur, (sacramenta Novae Legis) efficiunt quod figurant ».

Magister, IV *Sent.*, dist. IV, cap. 1, loquitur de *illo verbo Augustini, Sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant*. In Augustino tamen hoc non invenimus. Petrus Pictaviensis, V *Sent.*, dist. XIII: *In solis electis sacramenta efficiunt quod figurant, ut dicit auctoritas*. Halensis, *Summae* p. IV, qu. v, memb. 3, art. 5, § 3: *In Glossa multoties invenitur quod sacramenta illud efficiunt quod figurant*.

Ibid., art. 6, ad 3: « Alii dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remotos culpae, sed non quantum ad effectus positivos ». Est opinio Gulielmi Autissiodorensis, *Summ.* lib. IV, *de Circumcisione*, art. 2. Cf. not. seq.

Ibid., « Alii dicunt, quod circumcisio conferebat gratiam etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita aeterna, non tamen quantum ad hoc quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum: quod et aliquando mihi visum est ». Fuit opinio Alexandri Halensis, *Summae* p. IV, memb. 7, art. 4, § 2;

cui assentit S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. I, p. II, art. 2, qu. 3; necnon B. Petrus Tarant., IV *Sent.*, dist. I, qu. III, art. 4. In margine per errorem indicavimus Gulielmum Autissiodorensis. Cf. not. praeced.

Qu. LXIII, art. 2, arg. 3: « A quibusdam character sic definitur: *Character est signum sanctum communionis fidei et sanctae ordinationis datum a hierarcha* ».

Halensis, *Summae* p. IV, qu. VIII, memb. 1, art. 1, § 1, data eadem definitione excepto *accedenti* ante *datum*, ipsam Dionysio, de *Ecclesiastica Hierarchia*, adscribit. B. Petrus Tarant. dicit, quod *ex verbis Dionysii accipitur*, lib. de *Eccles. Hier.*, et ponit, *traditum a hierarcha accedenti*.

B. Albertus, IV *Sent.*, dist. VI, art. 4, *Dicunt autem quidam*, inquit, *B. Dionysium in Eccles. Hier. ita definire.... tamen in nulla Dionysii translatione invenitur haec definitio nec per verba nec per sensum*: et allata veteri Dionysii translatione loci quem allegant, dicit: *non sumo eam (definitionem) ut a Sancto, sed a Doctoribus approbatam*.

D. Thomas, IV *Sent.*, dist. IV, qu. I, art. 2, dicit, quod *illa definitio nusquam invenitur a Dionysio posita, sed potest accipi ex verbis eius supra* (art. praeced.) *inductis, et acciperetur adhuc convenientius si sic diceretur: Character est signum communionis potestatis divinatorum et sacrae ordinationis fidelium, datum a divina beatitudine*. Locus Dionysii unde trahitur definitio, est Cap. II, part. III, § 4, *Eccles. Hierarchiae*.

Qu. LXV, art. 3, Comment. Caiet. num. II: « Usus autem postponendi (Eucharistiae sumptioni) extremam unctionem aliunde sumitur: de quo infra ». Nec in Commentariis sequentibus super Tertiam Partem, nec in quaestionibus quas ad commentaria complendum scripsit, de hoc usu tractat Caietanus.

Qu. LXVII, art. 7, arg. *Sed cont.*: « Dionysius dicit II cap. *Eccl. Hier.* » In margine pro part. II, § 7, legendum part. I, § 7.

Qu. LXXII, art. 6, ad I: « Virtus divina non est alligata sacramentis ». Ex Magistro, IV *Sent.*, dist. I, cap. *Sunt autem*.

Qu. LXXIII, art. 3, ad I: « Unde sicut ipse (Augustinus) dicit in Epistola *ad Bonifacium*, *Nulli est aliquatenus ambigendum* » etc. Non est Augustini, etsi ipsius nomine habeatur, de *Consecr.* dist. II, can. 36, dist. IV, can. 131, immo et a Mag. IV *Sent.*, dist. IX, et Auctore Comment. sub nomine Bedae, I *ad Cor.*, cap. x, vers. 16.

Qu. LXXIV, art. 4 in corp.: « Dicit enim B. Gregorius in Registro: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem. Sed ceterae Ecclesiae offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut et fermentum miscetur farinae* ». Idem, paucis immutatis, *Cat. Aur. in Matth.*, cap. xxvi, g, et Op. *Cont. Error. Graec.* Part. II, cap. xxii (Ed. Uccelli, Romae 1880). Praeter auctorem tractatus *Contra Errores Graecorum*, in margine citatum, id sub Gregorii Dialogi nomine habet Iosephus Methonensis Episcopus in sua *Expositione pro Sancta et Œcumenica Synodo Florentina*, cap. II, de *Azymo et Fermentato*, § VIII. Cf. De Rubeis, *Dissert. Critic.* XXXII, cap. v, num. v.

Qu. LXXV, art. 6 in corp.: « Quidam posuerunt quod, facta consecratione, non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis eius ». De hac opinione tractat Alexander Halensis, *Summae*, p. IV, qu. x, memb. 5, art. 3, § 2: item, S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. XI, p. I, qu. 2; neuter tamen auctorem designat.

Qu. LXXVI, art. 3, arg. *Sed cont.*: « Augustinus dicit in quodam Sermone: *Singuli accipiunt Christum Dominum: et in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se praebet in singulis* ».

Haec Magister, IV *Sent.*, dist. XII, cap. *Sed quia*, Hieronymo attribuit. Can. *Singuli autem* (77), dist. II de *Consecr.*, eidem in *Serm. Dominicae V post Theophaniam*. Algerus, *De Sacram. Corp. et Sang. Dom.* lib. I, cap. xv, dicit: *Item Ambrosius, Dominica V post Epiphaniam*: « *Singuli accipiunt* etc. » Guitmundus, *De Verit. Corp. et Sang. Domini*, lib. I, citat praefationem in ritu Ambrosiano, *quae, ut dicit, per totum Latinum orbem inter Epiphaniam et Septuagesimam, in quadam die Dominica habetur*. Haec praefatio in *Sacramentario* S. Gregorii Magni invenitur pro Dom. V post Epiphaniam. Halensis, *Summae* p. IV, qu. x, memb. 7, art. 3, § 5, verba allata Damasceno adiudicat.

Ibid., in corp.: « Manifestum est quod Christus totus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, et non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt, ponentes exemplum de imagine quae apparet in speculo, quae una apparet in speculo integro, infracto autem speculo apparent singulae in singulis partibus ».

Guillelmus Autissiodorensis opinionem hic reiectam, exemplumque imaginis in speculo propugnat, *Summae* lib. IV, tract. *de Sacram. Eucharist.*, cap. *de Fractione Formae*. Ante ipsum alios idem sensisse scimus ex Innoc. III, qui *de S. Altaris Myste-rio* lib. IV, cap. VIII, eos refellit.

S. Thomas, IV *Sent.*, dist. x, art. 3, qu<sup>a</sup> 3: *Et ponunt exemplum de speculo*, inquit, *quia Augustinus dicit* etc.; ubi editores Piani in margine notant: *In quodam sermone de Verbis Evangelii*. Halensis, *Summae* p. IV, qu. x, memb. 7, art. 3, § 5, scribit: *Quidam dicentes, ut Augustinus dicit, quod sicut fracto speculo* etc. Et infra: *iuxta exemplum quod Augustinus ponit, ut dicunt*. Nec in *Serm. de Verb. Evang.*, nec alibi in Augustino hoc invenimus.

Qu. LXXVII, art. 1, in corp.: « Manifestum est etiam quod huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subiecto ».

Abaelardus, *Epitom. Theol. Christian.*, cap. XXIX: *De specie quoque illa*, inquit, *panis et vini, dubitatur cuius sit. Ad quod sane respondendum, quod ipsum corpus, propter horrorem assumendi, eas in se formas recipiat*. In margine per errorem scripsimus: *Cf. Mag., IV Sent., dist. XII, cap. Sed quia corpus*.

Ibid.: « Dicunt autem quidam quod (accidentia) sunt, sicut in subiecto, in aere circumstante »

Aliquos sic sensisse testatur Mag., IV *Sent.*, dist. XII, cap. *Sed quia corpus*. S. Bernardus, *Capitula haeresum Petri Abelardi*, cap. IX, impropere ipsi dixisse quod *verisimilius est quod sint in aere*. Guillelmus Abb. S. Theodoricus, *Disput. advers. Abaelard.*, ad *Gaufridum*, cap. IX: *Dicit etiam Magister Petrus* (sc. Abaelardus) *de sacramento Altaris..... accidentia prioris substantiae remanere in aere*.

Abaelardus, *Epitom. Theol. Christian.*, cap. XXIX: *Si enim nolumus dicere quod illius corporis* (sc. Christi) *sit haec forma* (sc. species sacramentalis), *possumus satis dicere quod in aere sit illa forma ad occultationem propter praedictam causam carnis et sanguinis reservata*.

Vide Gietl, *Die Sentenzen Rolands*, pag. 234, in not., ubi alios indicat accidentia in aere esse posse dicentes.

Ibid., art. 5, in corp.: « Et ideo alii dixerunt quod redit substantia panis et vini in ipsa corruptione specierum ».

Praeter adnotatos in margine, quosdam antiquos hanc sententiam tenuisse constat ex Rolando. Cf. Gietl. *Die Sentenzen Rolands*, pag. 235.

Ibid., art. 8, ad 4: « Quidam posuerunt, quod quantumcumque parva fiat extranei liquoris permixtio, substantia sanguinis Christi desinit esse sub toto ».

Halensis, *Summae* p. IV, qu. x, memb. 7, art. 2, § 3: *Potest dici sine praeiudicio melioris sententiae..... quod quocumque humido appposito et diviso secundum partes speciei continentis, non est ibi sacramentum*.

Qu. LXXVIII, art. 1, ad 1, opiniones varias circa modum quo Christus consecravit videre est apud Innoc. III, *De S. Altaris Myste-rio*, lib. IV, cap. VI.

Ibid., art. 5, in corp.: « Et ideo alii dixerunt quod haec dictio *hoc* in hac locutione facit demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum, ut sit sensus, *Hoc est corpus meum*, idest, *Significatum per hoc est corpus meum* ».

Halensis, *Summae* p. IV, qu. x, memb. 4, art. 2, § 3, dicit hanc orationem, *Hoc est corpus meum*, esse significativam et operativam: significativam ex prima sui institutione, operativam ex formae sacramentalis institutione. *Ratione ergo*, inquit, *qua est significativa hoc demonstrat signatum per signum; ratione qua est operativa insinuat aliquid in aliud convertendum. Unde cum dicitur, HOC EST CORPUS MEUM, hic est intelligibilis demonstratio signati per signum convertendum in signatum*. — Vide B. Albertum, IV *Sent.*, dist. VIII, art. 6.

Ibid., art. 6, in corp.: « Quidam antiqui doctores dixerunt quod hae duae formae, scilicet consecrationis panis et vini, se invicem expectant in agendo; ita scilicet quod prima non perficit suum effectum antequam secunda proferatur ».

Innoc. III, lib. IV *de S. Altaris Mystero*, cap. xxii, de hac opinione tractat, nihil determinando, nec eius defensores nominando. B. Albertus, IV *Sent.*, dist. viii, art. 9, docet formas illas divisim explere effectus suos, et unam non exspectare aliam.

Qu. LXXX, art. 3, in corp.: « Circa hoc quidam antiqui erraverunt, dicentes quod corpus Christi nec etiam a peccatoribus sacramentaliter sumitur ». Contra hos invehit Guitmundus, *de Corp. et Sang. Christi verit. in Eucharistia*, lib. III.

Ibid., art. 5, arg. 2: « Hieronymus dicit in quadam epistola: 'Quid tibi cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Dic, sacerdos; dic, clerice, qualiter cum eisdem labiis Filium Dei oscularis, quibus osculatus es filiam meretricis. O Iuda, osculo Filium hominis tradis!' ».

Prima pars, sc. *Quid tibi... fabularis*, est ex Hieronymo, epist. XLII, *ad Oceanum*. Totum sub nomine Hieronymi invenies apud S. Thomam, IV *Sent.*, dist. ix, art. 3, q<sup>a</sup> 5, arg. 2: et apud Halensem, *Summae* p. IV, qu. xi, memb. 2, art. 2, § 2, quaest. conseq. ult. Thomas Hibernicus, *Flores Doctorum*, Lugduni 1678, ut ex *Bernardo in epistola: Quid tibi cum feminis qui ad altare cum Domino familiaris es? Qualiter eisdem labiis oscularis in altari Filium Virginis, quibus oscularis in lupanari filiam meretricis?* Innoc. III, *Serm. de Temp.* XII, etsi non ad verbum, sententialiter tamen idem habet: *Quidam, inquit, nocte filiam Veneris agitant in cubili; mane Filium Virginis offerunt in altari. Nocte Venerem amplexantur; mane Virginem venerantur.*

Ibid., art. 12, Comment. Caiet., qu. i, num. ii: « Nestorius et Pelagius cum sequacibus adstruxerunt universaliter servandam communionem sub utraque specie, diversa tamen ratione moti etc. ». B. Ioannes de Ragusio Ord. Praed., in oratione habita in Concilio Basileensi (Mansi, XXIX, 768, 769), eadem dixerat de Nestorio et Pelagio.

Qu. LXXXI, art. 2, in fine corp.: « Et ideo dicendum est, quod Iudas cum aliis discipulis corpus Domini et sanguinem suscepit: ut dicit Dionysius, in lib. *Eccles. Hierarchiae* ».

En verba Dionysii huc spectantia, secundum antiquam Scoti Erigenae translationem: *Iuxta quod et symbolorum ipse conditor partitur sanctissime, non sancte ei et unimode sacra concaenantem, docens facile simul et deiformiter quomodo ipsa iuxta habitum vera in divina assumptio ad similitudinem eorum communionem ipsis advenientibus donat.* Cf. B. Albert. *Comment. in Dionys. de Eccles. Hierarch.*, cap. iii, § 8, qui eodem sensu quo D. Thomas haec Dionysii verba interpretatur.

Qu. LXXXII, art. 10, in corp.: « Quidam dixerunt quod sacerdos potest omnino licite a consecratione abstinere, nisi teneatur, ex cura sibi commissa, celebrare pro populo, et sacramenta praebere ».

Alexander Halensis, *Summae* p. IV, qu. xi, memb. 2, art. 4, § 1, *de Cessatione ab actu manducandi*: « Existimo, inquit, quod si quis sacerdos non habens curam animarum, nec officium, nec beneficium, propter quod haberet necesse celebrare, et ob reverentiam sacramenti et timorem suae indignitatis cessaret semper, nisi iniungeretur sibi contrarium a superiore, quod non peccaret mortaliter ». S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. xii, p. ii, art. 2, qu. i, ad 5: « Dicendum, quod officium sacerdotale non imponitur, ut homo necessario exequatur, sed pro loco et tempore, ut sibi videbitur expedire; et ideo, si conscientia dictat, quod sit abstinendum ob sui indignitatem et reverentiam sacramenti, non peccat ».

Qu. LXXXIII, art. 2, ad 2: « Quidam dicunt, quod per immissionem particulae corporis (Christi) in vinum, convertatur vinum in sanguinem ».

In margine indicavimus: *De Divin. Offic.* part. IX, cap. xviii. — inter Opp. Alcuini. Addendum, quod S. Bernardus, Ep. LXIX, *ad Guidonem Abbat.*, dicit: *Deinde, quod comperta, sero licet, negligentia, vinum fudisti in calicem super hostiae sacratae particulam, laudamus, nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitantes liquorem, etsi non ex consecratione propria atque solemni in Sanguinem Christi mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu Corporis sacri.*

Qu. LXXXIV, post art. 2, Comment. Caiet. num. III. In margine, pro *de Verb. Dom.* legendum: *de Verb. Apost.*

Qu. LXXXVII, art. I, Comment. Caiet., num. II: « iuxta illud Ezech., *In quacumque hora ingemuerit peccator etc.* ».

Non nisi sententialiter in Ezechiele habetur; sc. cap. XXXIII, vers. 12: *Impietas impii non nocēbit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*: Cf. vers. 14, 15 et cap. XVIII, vers. 21. Isaiae cap. XXX, vers. 15, versio Latina LXX Interp. (Cf. S. Hieron. *in Isaiam*): *Cum reversus ingemueris* (al. *cum reversus fueris et ingemueris*), *salvus eris*.

In libro *de Vera et falsa Poenit.*, inter Opp. Aug., cap. XVII, legimus: *Credo quod ille* (al. *quidem illi*), *qui dixit: « Quacumque hora peccator ingemuerit et conversus fuerit, vita vivet »*. Hugo a S. Vict., *Summ. Sentent.*, tr. VI, cap. XI, dicit: « *Iuxta quod alibi dictum: 'Quoties ingemuerit homo, omnium iniquitatum eius non recordabor'* ». Item, *de Sacram.* lib. II, p. XIV, cap. V: *Ego Scripturam audio dicentem: « Quia in quacumque hora ingemuerit » etc.* Item, *ibid.*, cap. VIII: *prophético illo testimonio probare volunt quod dicitur: « Quacumque hora ingemuerit » etc.* Cf. Mag., *IV Sent.*, dist. XVII, cap. *Hic oritur*; Gratian., dist. XX, can. *Sciendum est*; item, *Append. ad can. Facilius, de Poenit.*, dist. I; item, can. *Nullus expectet, de Poenit.*, dist. VII. Rolandus (Gietl, *Die Sentenzen Rolands*, p. 243) inducit *Dominum dicentem per prophetam: 'In quacumque hora peccator conversus fuerit et ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor'*, et alibi: *'peccator, quacumque hora conversus fuerit, vita vivet et non morietur'*. Guillelmus Autissiod., *Summ.* lib. IV, tr. *de Poenit.*, cap. *Utrum de omni peccato iteranda sit poenitentia: Dicit Dominus per Ezechielem: « Quacumque hora ingemuerit peccator » etc.* Halensis quoque, *Summae* p. IV, qu. XX, memb. 3, art. 2: *In Ezechiele habetur, inquit, « Quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit »*. Unde quod a Caietano exhibetur, conflatum videtur ex Isaia et Ezechiele.

Qu. LXXXVIII, art. I, arg. 2. In margine, pro can. *Quemcumque*, legendum: can. *Revertar*.

*Ibid.*, in corp.: « In quaestionem vertitur, utrum macula et reatus poenae aeternae, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale sequens. Quibusdam igitur visum est, quod simpliciter hoc modo redeant ».

Hugo de S. Victore, *de Sacrament.* lib. II, p. XIV, cap. 9 in fine, dicit: *Quando venit culpa, secuta est poena: quando correcta est culpa, subtracta est poena. Quando reversa est culpa, reversa est et poena. Unum contra unum, et duo contra duo; nec duo contra unum*. Attamen in *Summa Sentent.*, tract. VI, cap. XIII, aliter sensisse videtur. Dicit enim: *Alii, quibus magis videtur consentiendum, dicunt quod pro illis peccatis, pro quibus Deo per poenitentiam satisfecit (peccator), non sit amplius puniendus, etiam si postea vel similia vel graviora committat.... sed pro ingratitude*.

Qu. XC, art. 3, in corp.: « Quidam dixerunt haec tria (sc. contritionem, confessionem et satisfactionem) esse partes subiectivas poenitentiae ».

Guillelmus Autissiod. *Summae* lib. IV, *de Sacram. Poenit.*, cap. II, dicit: *Poenitentia duobus modis potest sumi: uno modo, secundum quod poenitentia est punitio pro peccatis; et hoc modo contritio, confessio et satisfactio sunt partes subiectivae poenitentiae: alio modo, secundum quod poenitentia est sufficiens punitio pro peccatis; sufficiens, dico, secundum omne forum; et sic contritio, confessio et satisfactio sunt partes integrales poenitentiae*.

## COMMENTARIA CARDINALIS CAIETANI

De his sufficienter dictum est in Praefatione superioris voluminis a pag. XLII: ubi etiam legi possunt ea quae spectant ad quaestiones quas Tertiae Parti a sancto Thomae incompletae relictae idem Cardinalis adiunxit. Illas iuxta primam editionem anni 1523, post Quaestionem XC exhibemus. Addidimus per modum Appendicis, Septimam Quaestionem ex ipsius opusculo Vigintiseptem Quaestionum, ad quam se refert in Quaestionibus de Contritione, Quaesit. III (pag. 344).



Iuvat hic repetere Pianae editionis Monitum ad Pium Lectorem. « Curavimus itaque ut quam emendatissime imprimerentur omnia amotis etiam, ex eisdem commentariis, atque expunctis omnibus locis, iuxta nostri ordinis sanctiones, qui post decreta Tridentinae Synodi, lectorem poterant detinere dubium, vel suspensum; quos videlicet, vel ipsemet Commentator vivens emendaverat, et si viveret, emendasset: vel, uti diximus, falsariorum et impiorum perfidia temeraverat. Et quibusdam aliis de mandato Sanctissimi D. N. D. Pii divina Providentia Papae Quinti sublatis ». Sicut in dicta praefatione scripsimus, Piani editores non indicant ea quae sustulerunt. Quae omissa invenimus asterisco notavimus, et eorum elenchum subiungimus. Qu. LX, art. 7, n. III, l. 12-17, *Et audeo... chrismatis*; Qu. LXIII, art. 1, n. II, l. 1 - col. 2, l. 1, *duo... Secundum est*; Qu. LXVI, art. 6, integri numeri IV-X; Qu. LXVIII, art. 2, et art. 11, integrum Commentum; Qu. LXXIV, art. 3, n. III, col. 2, *Quocirca... conflatum unius ponitur speciei*; Qu. LXXV, art. 1, n. II, l. 15-37, *Dico... Eucharistia*; Qu. LXXVIII, art. 1, integri numeri I-V; Qu. LXXX, art. 4, integrum Commentum; ibid. art. 12, *quaest. 1, n. VI, l. 29-33, Et hinc... habendam*; n. VII, l. 27-41, *In cuius... sacramentalibus sed; ut ex... sacramentalem sed; non ut... sanguinis sed*; col. 2, l. 11, *solum modo*; l. 14, 15, *et non... manducatione*; n. VIII, l. 5-p. 248, l. 23, *Et quod... sectis aut opinionibus; quaest. 2, n. VI, l. 28-30, ita... bibentis*; Qu. LXXXI, art. 2, integer numerus IV; ibid. art. 10, l. 1, 2, PD legunt, *scito hanc esse difficultatem an*, et integrum numerum II omittunt.

### VARIAE LECTIONES COMMENTARIORUM CARDINALIS CAIETANI

A editio Veneta 1523; B editio Bononiensis 1528; P editio Piana, Romae 1570; D Patavina 1698.

#### QUAESTIO LX.

- ART. 1, num. 1, lin. 3, *reliqua* P.  
 » » l. 6, *huius* om. P.  
 ART. 2, col. 2, l. 3, *hominis* P.  
 ART. 5, n. II, fin., *substantiale* PD.  
 ART. 6, n. II, pag. 10, l. 6, *significandum* PD.  
 ART. 7, n. III, l. 12-17, *Et audeo... chrismatis* om. PD;  
 et statim pro *tamen* leg. *enim*.  
 » » l. 5 a fin. col., *Io vi absolvo* PD.  
 » » l. 3 » *perfecte* P.  
 » n. VI, l. antepenult., pro *in corrupte, incorrupte* P.  
 ART. 8, n. I, l. 9, *qui est* PD.

#### QUAESTIO LXI.

- ART. 2, n. IV, l. 11, *indiguisset* PD.

#### QUAESTIO LXII.

- ART. 1, n. I, l. 7 a fin., pro *creatur, creator* PD.  
 » n. III, l. ult., pro *praepositione, propositione* PD.  
 » n. V, l. 1, *primum* P.  
 » n. VII, l. penult. col., *vel* hab. PABD.  
 » n. IX, l. ult., *movendam* PD.  
 ART. 2, n. I, l. penult., *gratiae sacramentalis* P, *gratia sacramentalis* D.  
 » n. II, l. 18 a fin., pro *nunc nunc, nunc* PD.  
 » » l. 11 a fin., *diversorum* AB; statim *rationis* D.  
 ART. 4, n. III, l. 2, pro *nunc nunc, nunc* PD.  
 » n. IV, l. penult., pro *varia, vana* PABD.  
 ART. 5, l. 14, *probetur* PD.

#### QUAESTIO LXIII.

- ART. 1, n. II, l. 1 sqq., *duo* usque ad *Secundum est* om. PD.  
 » » l. 11 a fin., *est militia* PD.  
 ART. 2, n. I, l. 7, *in* om. PD.  
 » n. VI, l. ult., *in eandem personam* PD.  
 » n. VIII, l. penult., *sunt* PD.  
 » n. IX, l. 8 a fin., *geometricae* PD.  
 » n. XI, l. 5, *indifferenter* PD.  
 ART. 4, n. III, l. 4 a fin., pro *det, de* P.

- ART. 4, n. V, l. 15, pro *secundam* (AD), *secundum* PB.  
 » n. VIII, l. 7 a fin., pro *apposita, opposita* PD.  
 ART. 5, n. I, l. 5, pro *hic, sic* PD.  
 ART. 6, n. I, l. 1, PD add. *est* post *clarus*, et om. post *una*. - l. 9, pro *cultum, occultum* A.

#### QUAESTIO LXIV.

- ART. 1, n. IV, l. 5, *arctetur* PD.  
 ART. 3, l. 1, *una est* PD.  
 ART. 6, n. III, l. penult., pro *audentis, audientis* PD.  
 » n. VI, l. antepen., pro *qua, quia* PD.  
 » n. VIII, l. 6, *proprie* P.  
 » n. XI, l. penult., pro *minister, ministret* P.  
 ART. 8, n. I, l. 1, *clarus est* PD.  
 » n. III, l. 3, pro *qui, quae* PD.  
 » » l. 12, *Homo* om. PD.  
 » » l. 6 a fin. art., *est* om. PD.  
 ART. 9, n. I, l. 1, *clarus est... una est* PD.  
 ART. 10, n. I, l. 2, pro *cum, in* PABD.  
 » n. II, col. 2, l. 2, *propter* om. PABD.  
 » » » l. 6, B om. *aliquos baptizaret*, A habet in margine.

#### QUAESTIO LXVI.

- ART. 2, l. 5 a fin., pro *tunc, nunc* PD.  
 ART. 5, n. II, l. ult., post *te* PD add. *etc.*  
 » n. III, l. 7, *ut* om. PABD.  
 » » l. 17, pro *uti, ut* PD.  
 » n. VI, l. 5 a fin. col., *primum et* om. PD.  
 « » p. 70, l. 1, *Paracleti* P.  
 ART. 6, n. II, l. 4, pro *vocaliter, totaliter* PD.  
 » n. III, l. 3, *relata* (om. *etiam*) a P, *relatas* a D;  
*in* om. PD.  
 » n. IV-X: hos numeros integros omittunt. PD. -  
 Num. v.  
 l. 2, pro *Quod* (B), *Quia* A; num. VIII,  
 col. 2, l. 1, pro *primum* (A), *premium* B.  
 ART. 8, n. I, l. 1, *clarus est* PD.

#### QUAESTIO LXVII.

- ART. 1, n. I, l. 1, *clarus est* PD.

- ART. 1, n. I, l. 11 a fin. n., *ignorantis se bene* PABD; an corrigendum per *credentis*, an vero per *male*?
- ART. 5, n. II, l. penult. col., pro *ut, et* P.
- ART. 6, n. I, l. 7, *primam* P.
- » n. II, l. 11, *ministri* hab. PABD.
- » n. VIII, l. 12, pro *ministeriis, misteriis* B.
- » n. IX, col. 2, l. 10, pro *in aqua, in qua* P.
- » n. X, l. 11 a fin., *necessitatis* PABD.
- » n. XI, l. 7, *debite* P.
- » » p. 88, l. 7, *integratur* P.
- » n. XIV, l. 18, *secundum* P; et lin. 20, *allatam*.
- » n. XV, l. 6 a fin. col., *tertium* Pd.
- » n. XVI, l. 1, *proprie* Pd.
- » n. XVIII, l. 2, pro *philosophicam, physicam* Pd (*ph'cam* AB).
- » n. XIX, l. 5, *pluralem* Pd.
- » n. XX, l. 32, *utraque* P.
- » » l. 7 a fin., *baptizando* PBD.

## QUAESTIO LXVIII.

- ART. 2, integrum Comment. om. Pd. — Num. 1, l. 9 a fin., *Abrae* B.
- ART. 3, l. 4, pro *negotio* (Pd), *negatio* AB.
- » col. 2, l. 3, pro *qu. 4, qu. I* PABD.
- ART. 6, l. 2, *confitente* P.
- ART. 7, n. I, l. 2, *responsione* P.
- » » l. 9, *qu. II* PABD; *tenet* P. — Lin. 6 a fin., *qu. II* PABD.
- » n. IX, l. 7, pro *secundum ea* (B), *secundum se* PAD.
- ART. 11, integrum Comment. om. Pd. — Lin. penult. pro *incuria, iniuria* AB.

## QUAESTIO LXIX.

- ART. 7, l. 7, *aperitionem* P.
- ART. 8, l. 1, pro *argumento, art. P, ar. D*; pro *quarto, tertio* PABD.
- ART. 10, n. III, l. 8 a fin. num., *essentia* P.
- » n. IV, l. 8 a fin. col., *forma* Pd.
- » » l. antepen., *mentes* A, B?

## QUAESTIO LXXII.

- ART. 2, l. 7, *Extra* om. P, AB in marg. habent.
- » l. 7 a fin., *procedenti* Pd.
- ART. 3, n. IV, l. 7, pro *superaddita, supra dicta* P.
- ART. 11, n. I, l. 1, *articulo* P (ar. ABD).
- » n. II, l. 3, *in* om. Pd.

## QUAESTIO LXXIII.

- ART. 2, l. 5, *vel* om. B; an legendum *velut*?

## QUAESTIO LXXIV.

- ART. 3, n. III, *nullam cogentem inveniuntur* Pd.
- » » col. 2, *Quocirca... conflatum unius ponitur speciei* (ad fin. num.) om. Pd. — Lin. 14 a fin. pag. 148, *et multo* B.
- » n. V, l. 1, *proposito modo* PAD.
- » » l. 8, pro *primo aquae, aqua* P.
- » » l. 16, ante *ex* Pd add. *et*.

## QUAESTIO LXXV.

- ART. 1, n. II, l. 15, *Dico... l. 37, Eucharistia* om. Pd.
- » n. III, l. antepen., *latissimae* Pd.
- » n. IV, l. 4, *siquidem* PBD.
- » n. VII, l. ult., *consecrationem* P.
- » n. VIII, l. 3, *praesentia* P.
- » » l. 9, *fundarem* Pd.
- » n. IX, l. 12, pro *quid, quod* Pd.
- » n. XI, col. 2, l. 5, *dupliciter* Pd.
- » » l. 11, a ante *doctoribus* ponit P.
- » n. XII, l. 15, *neutram* P.

- ART. 2, n. I, l. 7, pro *adducuntur, afferuntur* Pd; post quod P repetit: *In corpore recitat opinionem affirmativam et reprobat eam quatuor rationibus.*

- » n. II, l. 6, *et* om. Pd.
- » n. VII, l. 10 a fin. col., *ad ante praeteritam* om. Pd.
- » n. VIII, l. 9 a fin., *substantiam* PABD.
- » n. IX, l. 10 a fin., *molestis* P.
- » n. XI, col. 2, l. 1, *esse de eis* Pd.
- » n. XIII, l. 9 a fin., *corpus* Pd.
- » n. XV, l. 6 a fin., *sequeretur* Pd.
- ART. 3, n. II, col. 2, l. 8, *ordinatam* P.
- » n. V, l. 7, 8, *consecrationem* om. Pd, AB in marg. habent.
- » » l. 15, pro *hoc, haec* Pd.
- » » l. 19, pro *viam, vim* PABD.
- ART. 4, n. IV, l. 3, forte scribendum *Physicis*.
- » n. VII, l. 7, *exprimendum* P.
- » n. VIII, l. 9, *actor* PABD.
- » n. IX, col. 2, l. 26, *disparatas* PABD.
- » » l. 28, pro *subit, subdit* Pd.
- » » l. 11 a fin., *altera* P.
- » n. XII, l. 4, *quod ante conversio* addit P et post *hoc* omittit.
- » n. XIV, l. 5, pro *nodi, modi* P; lin. seq. om. secundum *in*; et post pauca om. a ante *Durando*.
- » » l. 13 a fin., *creatura* P.
- » n. XVI, p. 172, l. 4, *eum* Pd.
- » » l. penult. col., pro *et, est* Pd.
- » » col. 2, l. 9 a fin., *matariarum* Pd.
- ART. 6, Hoc Comment. PABD articulo quinto subiungunt.
- » n. IV, l. 2, *in VII qu.* PABD.

## QUAESTIO LXXVI.

- ART. 1, n. V, l. 19, *absolutae* P.
- ART. 2, n. II, l. 5 a fin., pro *scilicet, sed* Pd.
- » n. IV, l. 3, pro *intrinseca* (Pd), *extrinseca* AB. (Scotus bis non *intrinseca*).
- » n. V, l. 17, pro *ubicalis, localis* Pd.
- » » l. 7 a fin., pro *solus, solius* Pd.
- » n. VI, l. 5, pro *sacramentalem, supernaturalem* PABD.
- » n. VII, l. 3, pro *lib., 51* P.
- » n. VIII, l. 9, 12, *signata* Pd.
- ART. 3, n. VI, col. 2, l. 2, pro *argumentum, arguens* Pd.
- ART. 6, n. VI, col. 2, l. 2, *volitam* PABD.
- » » l. 4 a fin., *dormitet* P.
- » n. VII, l. 4, pro *quando, quoniam (qm)* PAD.
- ART. 7, n. VII, l. 35, *ipsum* Pd.
- » n. IX, col. 2, l. 2, *perfectionis* P.
- » n. X, l. antepen., *intellectum* P.
- ART. 8, l. 1, *vera* P; l. 7 a fin., *extensivae* Pd.

## QUAESTIO LXXVII.

- ART. 1, n. II, l. 6 a fin., pro *passionem, positionem* Pd.
- » n. III, l. 14 a fin., pro *vice materiae, vicemateriae* AB.
- » n. IV, l. 15 a fin., *sicut* om. Pd.
- ART. 5, n. I, l. 2, pro *responsione, ratione* Pd.
- » » l. 5, *per* ante *conversionem* om. Pd.
- » n. II, col. 2, l. 4, pro *in quantum, inquantum* Pd.
- » n. V, l. 4, pro *sit, fit* P.

## QUAESTIO LXXVIII.

- ART. 1, n. I-V om. Pd. — Num. II, l. 7, *possint* B; et l. 4 a fin., om. *beati*.
- » n. II bis, l. 18-20., *loquens... Christi* om. P (hab. ABD).
- ART. 4, n. I, l. 1, pro *virtute, veritate* PABD.
- » n. II, l. 6, *Hoc esse* PAD (*Hoc est* B).

- ART. 5, n. III, l. 5, pro *sit, fit* Pd.  
» n. v, l. 4 a fin., pro *ideo, in Deo* PABD.

## QUAESTIO LXXIX.

- ART. 1, n. II, l. 6 a fin., *diligente* PB (*diligente* AD).  
» n. III, l. 13 a fin. col., *si* om. Pd.  
» » l. 4 a fin. num., *Tum* om. Pd.  
» n. IV, l. 11 a fin., *requirere* PBD.  
» n. IX, l. 7, 8, *rationabiter* P, *rationabiliter* D.  
» » p. 221, col. 2, lin. ult., *gratiae* P.  
ART. 5, n. I, l. 4, pro *fit, sit* Pd.

## QUAESTIO LXXX.

- ART. 4, integrum Comment. om. Pd. — Num. I, l. 6, *contritum* AB.  
ART. 5, n. II, l. 10, pro *maius, magis* P.  
ART. 6, n. I, *non* om. PABD.  
» n. v, l. 3, *ordinarent* Pd. — Lin. 4, *particulariter* Pd, *participare* B.  
ART. 11, n. I, l. penult., *ex iis* Pd.  
ART. 12, Quaest. I, n. I, l. 5, *enim* om. Pd.  
» » n. IV, l. 32, pro *insensibiliter, sensibiliter* P.  
» » » l. 38, pro *infantibus, in factibus* P.  
» » n. v, l. 17, *quid* P.  
» » l. 9 a fin. col., *et* om. P.  
» » n. VI, l. 7, *Evangelico* Pd.  
» » » l. 24, *hoc* PBD; l. 27, *infantum* A.  
» » » l. 29-33, *Et hinc... habendam* om. Pd.  
» » » l. 20 a fin. col., *subdit* Pd.  
» » n. VII, l. 27-29, Pd om. *In cuius... sacramentalibus sed*, et post *materiales* inserunt *enim*; l. 35, 36, eadem om. *ut ex... sacramentalem sed*; et l. 39-41, om. *non ut... sanguinis sed*.  
» » » col. 2, l. 11, P om. *solummodo*, quod ABD habent; l. 13, *morte* Pd; l. 14, 15, *et non... manducatione* om. Pd.  
» » » » l. 19, pro *Christum, ipsum* Pd.  
» » » » l. 12 a fin. num., *et* om. Pd, et pro *alia* hab. *alias*.  
» » n. VIII, l. 2, *primum* P.  
» » » l. 5, usque ad pag. 248, l. 23, *Et quod... sectis aut opinionibus* om. Pd. — Lin. 10 a fin. pag. 247, ad verbum *aut*, margo AB *vel an*; l. penult. pag. 247, pro *habetur, dicitur* A(dr).  
» » n. XII, col. 2, l. 3, *memoria* PABD.  
» » » » l. 10, *servandam* Pd; quae l. 12 om. a; et l. 14 *pa-teat* legunt.  
» » » » l. 21 a fin. col., *factum* Pd.  
» Quaest. II, n. II, l. 24, *laetificandam* Pd.  
» » n. VI, l. 28-30, *ita... bibentis* om. P.  
» » » l. 10 a fin., pro *sacri, sacramenti* Pd.  
» » n. VII, l. 1, pro *et, ut* Pd.  
» » n. VIII, l. 7, *tertium nec* om. P.  
» » » l. 8 a fin., *hoc* om. P.  
» » n. XV, l. 6 a fin. col., pro *qui, quia* Pd.  
» » » l. penult. col., pro *subiunctum, subiectum* Pd.  
» » » p. 253, l. 18, *conferendi* om. Pd, AB in marg. habent.  
» » » » l. 29, *approbationes* A.  
» Quaest. III, n. 1, l. 10, pro *prosecutionis* (ABD), *persecutionis* P.

- ART. 12, quaest. III, n. II, l. antepen., post *communione* marg. AB addit *hanc*.  
» » n. III, col. 2, l. 5, *communicarunt* Pd.  
» » n. v, l. 6, pro *quo, qui* Pd.

## QUAESTIO LXXXII.

- ART. 2, n. IV, integrum num. om. Pd. — Lin. ult., *sive defendendo* om. B.  
ART. 6, n. I, l. 6, pro *innuitur, invenitur* Pd.  
ART. 9, l. 1, post *disputationes* P add. *et*; D Comment. omittit.  
ART. 10, l. 1, 2. Pd leg.: *scito hanc esse difficultatem, an*, et om. integrum num. II.

## QUAESTIO LXXXIII.

- ART. 3, n. III, col. 2, l. 6, *et* om. Pd; l. 8, *aqua* P.

## QUAESTIO LXXXIV.

- ART. 2, n. III, l. 6, pro *fit, sit* B.  
» » l. 16, *utrique* AB.  
» n. IV, l. 1, *doctor* A.  
ART. 3, n. III, p. 291, l. 9, pro *quoniam, qui* Pd.

## QUAESTIO LXXXV.

- ART. 2, n. I, l. 1, ante *secundi* P addit *huius*.  
» n. IV, col. 2, l. 9, *inferior* A.  
» » l. 11 a fin., pro *revelationis, relationis* Pd.  
» n. VI, l. ult., pro *commutativa, communicativa* P.  
ART. 3, n. I, l. ult., pro *per, propter* Pd.  
ART. 6, n. IV, l. 3, post *nunquam*, Pd add. *tamen*.

## QUAESTIO LXXXVI.

- ART. 2, n. III, l. 12, pro *sit, fit* B. — Lin. 14, pro *qu. cxiii, c. i3* P, *q. i3* D (AB art. 2 in marg. habent).  
ART. 4, l. 9, *in ordinationem* P.  
ART. 6, n. I, l. 6, *virtus* P; et n. II, l. 3, *passiva*; D Comment. omittit.

## QUAESTIO LXXXVII.

- ART. 1, n. v, l. 4, *ivisset* Pd.  
» n. VII, l. 14, pro *hinc, hic* Pd.  
» » l. 4 a fin. col., pro *obiicitur, dicitur* Pd.  
ART. 2, n. II, l. 5, pro *Tum, tunc* P.  
ART. 4, n. II, l. 10 a fin., ante *peccatum* Pd add. *et*.

## QUAESTIO XC.

- ART. 1, n. II, l. antepen., *est* om. P.

## QUAESTIONES DE CONTRITIONE.

*Loca ubi textus editionis A (an. 1523) relictus fuit*

- QUAESIT. I, n. II, col. 2, l. 4, pro LXXXV, 84 A.  
» n. III, p. 342, l. 34, *distinguat* A.  
» n. v, p. 343, l. 7 a fin. num., *directionem* A.  
QUAESIT. IV, n. v, l. 39, ad vocem *hoc*, *Alias hoc enim* A.

## QUAESTIONES DE CONFESSIOE.

- QUAESIT. II, n. VII, l. 9, *poenitentialem* A.  
QUAESIT. III, n. VII, l. 20, *numerum... circumstantiam* A.  
QUAESIT. V, n. III, l. 22, 23, *offendisset... doleret... intenderet* A.

## QUAESTIONES DE SUSCIPIENTIBUS INDULGENTIAS.

- QUAESIT. I, n. VII, l. 16, ad vocem *excedat*, *Alias extendat* margo A.

## APPENDIX.

*(Ex ed. Lugd. 1541)*

- NUM. VI, l. 14 a fin. col., *in correximus in sine*; et num. VIII, l. 4 a fin., *in poenitentia in impenitentia*.

### Siglorum interpretatio.

A . . . .	Cod. Par. Nat. fonds Latin 15800.
B . . . .	» Vat. 748.
C . . . .	» » 750.
D . . . .	» » 10157.
E . . . .	» » Ottob. 207.
F . . . .	» » 747.
G . . . .	» » 749.
H . . . .	» Neapol. Nat. VII. B. 7.
I . . . .	» » » » 15.
P . . . .	Ed. Piana.
<i>a</i> . . . .	» princeps.
<i>b</i> . . . .	» Tarvisii anni 1476.
<i>c</i> . . . .	» s. l. anni 1478.
prima . . . .	ABCD <i>a</i> .
tertia . . . .	PGHI <i>bc</i> .
editiones . . . .	P <i>bc</i> .
ceteri . . . .	sigla omnium codicum, manuum et editionum ex deductione omnium in nota prae- cedentium siglorum remanentia repraesentant.

### Edd. Comment. Card. Caiet.

P . . . .	Editio Piana. 1570.
A . . . .	» Venet. 1523.
B . . . .	» Bonon. 1528.
D . . . .	» Patav. 1698.

**TERTIA PARS**  
**SUMMAE THEOLOGIAE**  
**SANCTI THOMAE AQUINATIS**  
**A QUAESTIONE LX**  
CUM COMMENTARIIS  
**CARDINALIS CAIETANI**

---

TERTIA PARS  
SUMMAE THEOLOGIAE

ANGELICI DOCTORIS

SANCTI THOMAE AQUINATIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

CUM COMMENTARIIS

THOMAE DE VIO CAIETANI

EIUSDEM ORDINIS

S. R. E. CARDINALIS

QUAESTIO SEXAGESIMA

QUID SIT SACRAMENTUM

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

**P**OST considerationem eorum quae pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiae sacramentis, quae ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent\*. Et prima consideratio erit de sacramentis in communi; secunda de unoquoque sacramentorum in speciali\*.

Circa primum quinque consideranda sunt: primo, quid sit sacramentum; secundo, de necessitate sacramentorum\*; tertio, de effectibus sacramentorum\*; quarto, de causa eorum\*\*;

quinto, de numero\*.

Circa primum quaeruntur octo.

Primo: utrum sacramentum sit in genere signi.

\* Cf. Prolog.

\* Qu. LXVI.

\* Qu. LXI.

\*\* Qu. LXII.

\*\* Qu. LXIV.

\* Qu. LXV.

Secundo: utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum.

Tertio: utrum sacramentum sit signum unius rei tantum, vel plurium.

Quarto: utrum sacramentum sit signum quod est res sensibilis.

Quinto: utrum ad sacramentum requiratur determinata res sensibilis.

Sexto: utrum ad sacramentum requiratur significatio quae est per verba.

Septimo: utrum requirantur determinata verba.

Octavo: utrum illis verbis possit aliquid addi vel subtrahi.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SACRAMENTUM SIT IN GENERE SIGNI

IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; art. 4, qu<sup>a</sup> 1, ad 1; dist. III, qu. I, art. 1, ad 3.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramentum non sit in genere signi. Videtur enim sacramentum dici a *sacramento*: sicut medicamentum a *medicando*. Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causae quam ad rationem signi. Ergo sacramentum magis est in genere causae quam in genere signi.

2. PRAETEREA, sacramentum videtur occultum aliquid<sup>α</sup> significare: secundum illud *Tob. XII* \*: *Sacramentum regis abscondere bonum est*; et *Ephes. III* \*: *Quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo*. Sed id quod est absconditum, videtur esse contra rationem signi: nam *signum est quod, praeter<sup>β</sup> speciem quam sensibus ingerit, facit aliquid aliud in cognitionem*

\* Vers. 7.

\* Vers. 9.

β

α) occultum aliquid. – aliquid occultum P.

β) praeter. – per HpG et bc; Alias per margo P.

venire, ut patet per Augustinum, in II *de Doct. Christ.* \* Ergo videtur quod sacramentum non sit in genere signi.

\* Cap. I.

\* Can. *Parvuli qui sine.*

3. PRAETEREA, iuramentum quandoque sacramentum nominatur: dicitur enim in Decretis, XXII caus., qu. v \*: *Parvuli qui sine aetate rationabili sunt, non cogantur iurare: et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum, id est ad iuramentum, accedat.* Sed iuramentum non pertinet ad rationem signi. Ergo videtur quod sacramentum non sit in genere signi.

\* Cap. v.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in X *de Civ. Dei* \*: *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum, est.*

RESPONDEO DICENDUM quod omnia quae habent ordinem ad unum aliquid, licet diversimode, ab illo denominari possunt  $\gamma$ : sicut a sanitate quae est in animali, denominatur sanum non solum animal, quod est sanitatis subiectum, sed dicitur medicina sana in quantum est sanitatis effectiva, diaeta vero in quantum est conservativa eiusdem, et urina in quantum est significativa ipsius. Sic igitur *sacramentum* potest aliquid dici vel quia in se habet aliquam sanctitatem occultam, et secundum hoc sacramentum idem est quod *sacrum secretum*: vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causae vel signi vel secundum quamcumque aliam habitudinem. Specialiter autem nunc loquimur de sacramentis secundum quod important habitudinem signi. Et

$\gamma$

secundum hoc sacramentum ponitur in genere signi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia medicina se habet ut causa effectiva sanitatis, inde est quod omnia denominata a medicina dicuntur per ordinem ad unum primum agens: et per hoc, medicamentum importat causalitatem quandam. Sed sanctitas, a qua denominatur sacramentum  $\delta$ , non significatur per modum causae efficientis, sed magis per modum causae formalis vel finalis. Et ideo non oportet quod sacramentum semper importet causalitatem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ratio illa procedit secundum quod sacramentum idem est quod *sacrum secretum*. Dicitur autem non solum Dei secretum, sed etiam regis, esse sacrum et sacramentum  $\epsilon$ . Quia secundum antiquos sancta vel sacrosancta dicebantur quaecumque violari non licebat \*: sicut etiam muri civitatis \*\*, et personae in dignitatibus constitutae. Et ideo illa secreta, sive divina sive humana, quae non licet violari quibuslibet publicando, dicuntur sacra vel sacramenta.

AD TERTIUM DICENDUM quod etiam  $\zeta$  iuramentum habet quandam habitudinem ad res sacras: in quantum scilicet est quaedam contestatio facta per aliquod sacrum. Et secundum hoc dicitur esse sacramentum  $\eta$ : non eadem ratione qua nunc loquimur de sacramentis; non tamen aequivoce sumpto nomine sacramenti, sed analogice, scilicet secundum diversam habitudinem ad aliquid unum, quod est res sacra.

$\gamma$ ) possunt. — IpC a et editiones; possint ABGsC, possit DEFH.  
 $\delta$ ) sacramentum. — PlsG; sacrum.  
 $\epsilon$ ) sacrum et sacramentum. — sacrum et sacrum F, secretum et sacrum G, sacramentum H, sacrum ed. a, et sacramentum b.  
 $\zeta$ ) etiam. — Om. DGHbc.

$\eta$ ) esse sacramentum. — esse iuramentum sacramentum E, iuramentum pG, iuramentum sacramentum H, iuramentum est sacramentum I, iuramentum esse sacramentum sG et editiones, esse iuramentum ceteri.

\* Cf. Dig. I, VIII, de Divis. Rerum et Qualit., 1.  
 \*\* Ibid., 1, 8.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Cf. Comment. Caiet. in Prolog.

POST CONSIDERATIONEM etc. Hic incipit secunda pars principalis huius Libri \*, distincta in partes octo: primam, de sacramentis in communi; et reliquas septem secundum singula septem sacramenta. Prima igitur haec pars, durans usque ad quaestionem sexagesimam sextam, inchoat a sacramenti genere, in primo articulo huius quaestionis sexagesimae, ut clare titulus monstrat. Ita quod in titulo huius articuli *sacramenti* nomen sumitur secundum eam significationem qua praedicatur de septem Ecclesiae sacramentis. Et est intentio inquirendi an, secundum illam significationem, sit in genere signi: quamvis absque additione aliqua quaestio proponatur, et propterea argumenta absolute de sacramento arguant.

II. In corpore articuli una est conclusio: *Sacramentum de quo est sermo, est in genere signi.* Probat. Nunc

loquimur de sacramentis secundum quod important habitudinem signi. Ergo.

Antecedens manifestatur ex hoc quod *sacramenti* nomen est multiplex, et dicitur tam habens, quam causa, quam signum, et respectu sanctitatis occultae. Et rursus hoc manifestatur ex communi regula: quia omnia habentia ordinem ad unum, possunt diversimode ab illo nominari, ut patet in *sanitate et sanis*.

Haec satis clara sunt ex communibus regulis nominum multiplicium ad unum, vel in uno, vel ab uno, quae abusive vocantur analogae. Unde etiam Auctor, in calce responsionis ad tertium, hanc abusionem corrigendo, cum dixisset, *sed analogice*, statim declaravit quid intendit, subdens: *scilicet secundum diversam habitudinem ad unum*, etc.

### ARTICULUS SECUNDUS

#### UTRUM OMNE SIGNUM REI SACRAE SIT SACRAMENTUM

IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 1.



AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non omne signum rei sacrae sit sacramentum. Omnes enim creaturae sensibiles sunt signa rerum sacrarum: secundum illud *Rom. I* \*: *Invisibilia Dei per ea quae fa-*

\* Vers. 20.

*cta sunt intellecta conspiciuntur.* Nec tamen omnes res sensibiles possunt dici sacramenta. Non ergo omne signum rei sacrae est sacramentum.

2. PRAETEREA, omnia quae in veteri lege fiebant, Christum figurabant, qui est *Sanctus San-*

\* Dan. cap. ix, vers. 24.  
\*\* Vers. 11.  
\* Vers. 17.

ctorum \*: secundum illud I Cor. x \*\*: *Omnia in figura contingebant illis*; et Coloss. II \*: *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*. Nec tamen omnia gesta Patrum veteris Testamenti, vel etiam omnes caeremoniae legis, sunt sacramenta, sed quaedam specialiter: sicut in Secunda Parte \*

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. ci, art. 4.

habitu est. Ergo videtur quod non omne signum sacrae rei sit sacramentum.  
3. PRAETEREA, etiam in NOVO Testamento multa geruntur in signum alicuius rei sacrae, quae tamen non dicuntur sacramenta: sicut aspersio aquae benedictae, consecratio altaris, et consimilia <sup>α</sup>. Non ergo omne signum rei sacrae est sacramentum.

\* Cf. Lanfranc., de Corp. et Sang. Dom., cap. xii; Hug. a S. V., de Sac. lib. I, p. ix, cap. ii; Mag. IV Sent., dist. i, cap. Sacramentum.

SED CONTRA EST quod definitio convertitur cum definito. Sed quidam \* definiunt sacramentum per hoc quod est *sacrae rei signum*: et hoc etiam videtur ex <sup>β</sup> auctoritate Augustini supra \* inducta. Ergo videtur quod omne signum rei sacrae sit sacramentum.

\* Art. i, arg. Sed cont.

RESPONDEO DICENDUM quod signa dantur <sup>γ</sup> hominibus, quorum est per nota ad ignota pervenire. Et ideo proprie dicitur sacramentum quod est signum alicuius rei sacrae ad homines pertinentis: ut scilicet proprie dicatur sacramentum,

γ

α) consimilia. — similia tertia praeter I.  
β) ex. — Om. tertia praeter P.  
γ) dantur. — proprie dantur PlsG.

secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est *signum rei sacrae inquantum est sanctificans homines*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod creaturae sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet sapientiam et bonitatem divinam, inquantum sunt in seipsis sacra: non autem inquantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramenta secundum quod nunc loquimur de sacramentis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod quaedam ad vetus Testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi secundum quod in se sanctus est. Quaedam vero significabant sanctitatem eius inquantum per eam <sup>δ</sup> nos sanctificamur: sicut immolatio agni paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta.

AD TERTIUM DICENDUM quod res denominantur <sup>ε</sup> a fine \* et complemento. Dispositio autem non est finis, sed perfectio. Et ideo ea quae significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur sacramenta, de quibus procedit obiectio; sed solum ea quae significant perfectionem sanctitatis humanae.

\* Aristot. de Anima lib. II, cap. IV, n. 15. — S. Th. lect. IX.

δ) eam. — EsG; ea.  
ε) denominantur. — denominatur tertia praeter H.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore Auctor accommodat definitionem hanc, scilicet, *signum rei sacrae*, ad hoc ut sit convertibilis cum sacramento: ut quod ex proprietate significationis non habet, ex accommodatione intelligatur habere. Hinc enim duas subintelligi vult conditiones rei sacrae: scilicet, *sanctificantis homines*. Quod non aliunde deducitur quam ex hoc quod signum proprie datur homini, cuius est per notum ad ignotum discurrere.  
Et scito duo. Primum, quod Auctor non solum pro

reverentia sic definiunt sacramentum, sed etiam pro firmando usu Ecclesiae, quo sacramentum dicimus non cuiusque rei sacrae signum, sed homines sanctificantis, descriptionem hanc in definitionem erexit.

Secundum est quod ly *sanctificantis* intelligitur in actu exercito, hoc est quod est signum rei sacrae ut actualiter exercet sanctificationem hominis: quia ad hoc adhibetur ut signum, ut sanctificetur homo per illius significationem.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SACRAMENTUM SIT SIGNUM UNIUS REI TANTUM

IV Sent., dist. i, qu. i, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 4.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramentum non sit signum nisi unius rei. Id enim quo multa significantur, est signum ambiguum, et per consequens fallendi occasio: sicut patet de nominibus aequivocis. Sed omnis fallacia debet removeri a Christiana religione: secundum illud Coloss. II \*: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam <sup>α</sup> et inanem fallaciam*. Ergo videtur quod sacramentum non sit signum plurium rerum.

\* Vers. 8.

α

\* Art. 2.

2. PRAETEREA, sicut dictum est \*, sacramentum significat rem sacram inquantum est humanae sanctificationis causa. Sed una sola est causa

sanctificationis humanae, scilicet sanguis Christi: secundum illud Heb. ult. \*: *Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. Ergo videtur quod sacramentum non significet plura.

\* Vers. 12.

3. PRAETEREA, dictum est \* quod sacramentum proprie significat ipsum finem sanctificationis. Sed finis sanctificationis est vita aeterna: secundum illud Rom. VI \*: *Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam*. Ergo videtur quod sacramenta non significant <sup>β</sup> nisi unam rem, scilicet vitam aeternam.

\* Art. 2, ad 3.

\* Vers. 22.

β

SED CONTRA EST quod in sacramento Altaris

α) philosophiam. — a et tertia praeter pG; prophetiam.

β) sacramenta non significant. — sacramentum non significet H et editiones.



est duplex res significata, scilicet corpus Christi verum et mysticum: ut Augustinus dicit, in libro *Sententiarum Prosperi* \*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, sacramentum proprie dicitur quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. In qua tria possunt considerari: videlicet ipsa causa sanctificationis nostrae, quae est passio Christi; et forma nostrae sanctificationis, quae consistit in gratia et virtutibus; et ultimus finis nostrae sanctificationis, qui est vita aeterna. Et haec omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est et signum rememorativum <sup>γ</sup> eius quod praecessit, scilicet passionis Christi; et demonstrativum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiae; et prognosticum, <sup>δ</sup> idest praenuntiativum, futurae gloriae \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod tunc est signum

ambiguum, praebens occasionem fallendi, quando significat multa quorum unum non ordinatur ad aliud. Sed quando significat multa secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum, sed certum: sicut hoc nomen *homo* significat animam et corpus prout ex eis constituitur humana natura. Et hoc modo sacramentum significat tria praedicta secundum quod quodam ordine sunt unum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sacramentum, in hoc quod significat rem sanctificantem, oportet quod significet effectum, qui intelligitur in ipsa causa <sup>ε</sup> sanctificante prout est causa sanctificans.

AD TERTIUM DICENDUM quod sufficit ad rationem sacramenti quod significet perfectionem quae est forma: nec oportet quod solum significet perfectionem quae est finis.

\* Cf. can. *Hoc est quod dicimus, de Consecr.*, dist. II; Lanfranc. *de Corp. et Sang. Dom.*, cap. xiv.  
\* Art. praeced.

\* Cf. Halens. *Sum. Theol.* p. IV, qu. I, memb. I.

<sup>γ</sup>) et signum rememorativum. — PH; et (om. lbc) signum et rememorativum Gbce, et signum et rememoratio ceteri.

<sup>δ</sup>) prognosticum. — P; praenosticum HpG et ab, pronosticum ceteri.  
<sup>ε</sup>) ipsa causa. — ipso E. — causa ante sanctificans om. Pl.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una conclusio, cum uno corollario. Conclusio: *Sacramentum est signum trium rerum*. Declaratur. Sacramentum est signum nostrae sanctificationis, in qua considerantur tria. Et haec per sacramenta significantur. Ergo.

Corollarium est: *Sacramentum est signum rememora-*

*tivum, demonstrativum, et prognosticum*. Declaratur ex tribus praemissis.

Adverte hic quod Auctor gratia materiae absque probatione procedit, declarando quae absque controversia acceptantur de sacramentis in communi.

### ARTICULUS QUARTUS

#### UTRUM SACRAMENTUM SEMPER SIT ALIQUA RES SENSIBILIS

Infra, qu. LXI, art. 1; IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 1; art. 3; dist. XIV, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 1;  
IV *Cont. Gent.*, cap. LVI; In *Ioan.*, cap. III, lect. I.



AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramentum non semper sit aliqua res sensibilis. Quia secundum Philosophum, in libro *Priorum* \*, omnis effectus suae causae signum est. Sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita etiam sunt quidam effectus intelligibiles: sicut scientia est effectus demonstrationis. Ergo non omne signum est sensibile. Sufficit autem ad rationem sacramenti quod sit signum alicuius rei sacrae in quantum homo per eam sanctificatur, ut supra \* dictum est. Non ergo requiritur ad sacramentum quod sit aliqua res sensibilis.

2. PRAETEREA, sacramenta pertinent ad regnum Dei et cultum Dei <sup>α</sup>. Sed res sensibiles non videntur pertinere ad cultum Dei: dicitur enim Ioan. IV \*: *Spiritus est Deus: et eos <sup>β</sup> qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet; et Rom. XIV \*: Non est regnum Dei esca et potus*. Ergo res sensibiles non requiruntur ad sacramenta.

3. PRAETEREA, Augustinus dicit, in libro *de Lib. Arbit.* \*, quod *res sensibiles sunt minima bona,*

*sine quibus homo recte vivere potest*. Sed sacramenta sunt de necessitate salutis humanae, ut infra \* patebit: et ita sine eis homo recte vivere non potest. Non ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *super Ioan. \**: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*. Et loquitur ibi de elemento sensibili, quod est aqua. Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

RESPONDEO DICENDUM quod divina sapientia unicuique rei providet secundum suum modum: et propter hoc dicitur, *Sap. VIII \**, quod *suaviter disponit omnia*. Unde et Matth. XXV \* dicitur quod *dividit <sup>γ</sup> unicuique secundum propriam virtutem*. Est autem homini connaturale ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem est per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde, cum res sacrae quae per sacramenta significantur, sint quaedam spiritualia et intelligibilia bona quibus homo sanctificatur, consequens est ut per aliquas res sensibiles si-

\* Cf. lib. II, cap. XXIX, n. 1.

\* Art. 2.

\* Vers. 24.  
<sup>β</sup>

\* Vers. 17.

\* Lib. II, cap. XIX.

<sup>α</sup>) ad regnum Dei et cultum Dei. — ad regnum Dei B, ad cultum Dei G, ad regnum vel cultum Dei Hbc, ad cultum et (vel P) regnum Dei Pl.

<sup>β</sup>) eos. — PFa; omnes I, eum ceteri; pro adorant, adorat Hbc.  
<sup>γ</sup>) dividit. — dedit E et tertia.

\* Qu. LXI, art. 1.

\* Tract. LXXX.

\* Vers. 1.

\* Vers. 15.

<sup>γ</sup>

gnificatio sacramenti impleatur: sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in divina Scriptura res spirituales nobis describuntur. Et inde est quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles: ut etiam Dionysius probat, in I cap. *Caelestis Hierarchiae*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod unumquodque praecipue denominatur et definitur secundum illud quod convenit ei primo et per se: non autem per <sup>δ</sup> id quod convenit ei per aliud \*. Effectus autem sensibilis per se habet quod ducat in cognitionem alterius, quasi primo et per se homini innotescens: quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet <sup>ε</sup>. Effectus autem intelligibiles non habent quod possint ducere in cognitionem alterius nisi inquantum sunt per aliud manifestati, idest per aliqua sensibilia. Et inde est quod primo et principaliter dicuntur signa quae sensibus offeruntur: sicut Augustinus dicit,

in II *de Doct. Christ.* \*, quod <sup>ζ</sup> *signum est quod, praeter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire*. Effectus autem intelligibiles non habent rationem signi nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa. Et per hunc etiam modum quaedam quae non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, inquantum sunt significata per aliqua sensibilia: de quibus infra \* agetur.

AD SECUNDUM DICENDUM, quod res sensibiles, pro ut in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum vel regnum Dei: sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit.

AD TERTIUM DICENDUM quod Augustinus ibi loquitur de rebus sensibilibus secundum quod in sua natura considerantur <sup>η</sup>: non autem secundum quod assumuntur ad significandum spiritualia, quae sunt maxima bona.

<sup>δ</sup> \* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. VI, cap. IV, n. 7. - S. Th. lib. VII, lect. III.

\* Qu. LXIII, art. 1, ad 2; art. 3, ad 2; qu. LXXXIII, art. 6; qu. LXXXIV, art. 1, ad 3. - Cf. *Supplement.*, qu. XXX, art. 3, ad 3; qu. XLII, art. 1, ad 5.

<sup>δ</sup>) per. - secundum P; primo... ei om. I.  
<sup>ε</sup>) initium habet. - suū habet H, oritur editiones.  
<sup>ζ</sup>) quod. - Om. c, ubi dicit quod P.

<sup>η</sup>) in sua natura considerantur. - sunt in sua natura PH (pG ut videtur) et c, (considerantur super ras., in marg.) sua natura sG.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. *Res sensibiles*: puta aqua, oleum, vinum, panis.

In corpore una conclusio: *Ad sacramenta requiruntur res sensibiles*. Probat dupliciter. Primo, ratione. Res sacrae quae per sacramenta significantur, sunt quaedam bona intelligibilia quibus homo sanctificatur. Ergo per aliquas res sensibiles significatio sacramenti implenda est. Ergo ad sacramenta requiruntur res sensibiles.

Prima consequentia probatur ratione: ex parte quidem nostri, quia modus naturalis cognitionis humanae est ut

per sensibilia ad intelligibilia deveniat, signum autem est per quod in alterius cognitionem devenimus; ex parte vero Dei, quia secundum modum nostrum Deus providet nobis. Quod in littera tripliciter manifestatur. Consequens est igitur quod significatio talis signi a Deo homini dati, scilicet sacramenti, per sensibilia impleatur. - Et similitudine: quia spiritualia in sacra Scriptura per sensibiles similitudines innotescunt.

Secundo, probatur conclusio auctoritate Dionysii.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM REQUIRANTUR DETERMINATAE RES AD SACRAMENTA

Infra, qu. LXIV, art. 2, ad 2.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non requirantur determinatae res ad sacramenta. Res enim sensibiles requiruntur <sup>α</sup> in sacramentis ad significandum, ut dictum est \*. Sed nihil prohibet diversis rebus sensibilibus idem significari: sicut in sacra Scriptura Deus aliquando metaphorice significatur per lapidem \*, quandoque per leonem \*\*, quandoque per solem \*, aut aliquid <sup>β</sup> huiusmodi. Ergo videtur quod diversae res possint congruere eidem sacramento. Non ergo determinatae res in sacramentis requiruntur.

2. PRAETEREA, magis necessaria est salus animae quam salus corporis. Sed in medicinis corporalibus, quae ad salutem corporis ordinantur, potest una res pro alia poni in eius defectu. Ergo multo magis in sacramentis, quae sunt medicinae spirituales ad salutem animae ordinatae, poterit una res assumi pro alia quando illa defuerit.

3. PRAETEREA, non est conveniens ut hominum <sup>γ</sup> salus arctetur per legem divinam: et praecipue per legem Christi, qui venit omnes salvare. Sed in statu legis naturae non requirebantur in sacramentis aliquae res determinatae, sed ex voto assumebantur: ut patet *Gen.* XXVIII \*, ubi se Iacob vovit Deo decimas et hostias pacificas oblaturum. Ergo videtur quod non debuit arctari homo, et praecipue in nova lege, ad alicuius rei determinatae usum in sacramentis.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Ioan. III \*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*.

RESPONDEO DICENDUM quod in usu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus, et sanctificatio hominis: quorum primum pertinet ad hominem per comparisonem ad Deum, secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparisonem ad hominem. Non

\* Art. 4.

\* II Reg. cap. XXII, vers. 2; Zachar. cap. III, vers. 9; I ad Cor. cap. X, vers. 4; Apoc. cap. IV, vers. 3. \*\* Isai. cap. XXXI, vers. 4; Apoc. cap. V, vers. 5. \* Isai. cap. LX, vers. 19, 20; Malach. cap. IV, vers. 2.

\* Vers. 20 sqq.

\* Vers. 5.

<sup>α</sup>) requiruntur. - assumuntur PI.  
<sup>β</sup>) aliquid. - aliud addunt PI.

<sup>γ</sup>) hominum. - homini FH, hominis editiones.

autem pertinet ad aliquem determinare <sup>δ</sup> quod est in potestate alterius, sed solum illud quod est in sua potestate. Quia igitur sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo <sup>ε</sup> in sacramentis novae legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud I Cor. vi <sup>\*</sup>, *Abluti estis, sanctificati estis*, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, si idem possit <sup>ζ</sup> per diversa signa significari, determinare <sup>η</sup> tamen quo signo sit utendum ad significandum <sup>θ</sup>, pertinet ad significantem. Deus autem est qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, et per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo, sicut iudicio Spiritus Sancti determinatum est quibus similitudinibus in certis Scripturae locis res spirituales significantur, ita etiam debet esse divina institutione determinatum quae res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento.

AD SECUNDUM DICENDUM quod res sensibiles habent naturaliter sibi inditas virtutes conferentes ad corporalem salutem: et ideo non refert, si

duae earum eandem virtutem habeant, qua quis utatur. Sed ad sanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute <sup>ι</sup> naturaliter indita, sed solum ex institutione divina. Et ideo oportuit divinitus determinari quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, XIX *contra Faust.* <sup>\*</sup>, diversa sacramenta diversis temporibus congruunt: sicut <sup>x</sup> etiam diversis verbis significantur diversa tempora, scilicet praesens, praeteritum et futurum. Et ideo, sicut in statu legis naturae homines, nulla lege exteriori data, solo <sup>λ</sup> interiori instinctu movebantur ad Deum colendum <sup>μ</sup>, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exteriori legem dari: tum propter obscurationem legis naturae ex peccatis hominum; tum etiam ad expressiorem significationem gratiae Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam <sup>ν</sup> necesse fuit res determinari quibus homines uterentur in sacramentis. Nec propter hoc arctatur via salutis: quia res quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo studio adhibito haberi possunt.

δ) determinare. — P; *determinate*.  
ε) *Et ideo*. — PEHc; *Unde D*, om. G, *Ideo b*, *Et ceteri*; ante *oportet* sG et *a* addunt *ergo*.  
ζ) *si idem possit*. — *etsi idem possit I*, *etsi idem potest P*.  
η) *determinare*. — PEIsH et *a*; *determinate*.  
θ) *significandum*. — PDac; *sanctificandum*; margo P *als' sanctificandum*. Pro *significantem*, *sanctificantem* lc, quo expuncto *significantem* l.

ι) *virtute*. — *sibi* addunt Pc.  
x) *sicut*. — *sic* PD. — Pro *diversis*, in *diversis* BC.  
λ) *solo*. — *sed solo* tertia praeter I.  
μ) *colendum*. — HsG et editiones; *consulendum* ABCDEa; *movebantur... instinctu* om. FlpG.  
ν) *etiam*. — Om. GHbc.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una est conclusio responsiva quaesito: *In sacramentis novae legis oportet uti rebus ex divina institutione determinatis*. Probatur. Non pertinet ad aliquem determinare quod in alterius, sed quod est in sua potestate. Sed sanctificatio est in potestate Dei, non hominis. Ergo non pertinet ad hominem instituire sanctificativa hominis. Sed sacramenta sunt sanctificativa hominis. Ergo.

Ultimo subsumpta propositio et probatur auctoritate Apostoli. Et declaratur, distinguendo duo quae in sacramentorum usu inveniuntur, scilicet cultus divinus et sanctificatio hominis; et declarando horum differentiam, quia primum est hominis ad Deum, secundum est e contra Dei ad hominem.

II. Ubi videre potes quod Auctor duo haec consideravit in sacramentis, ut, quia ex primo poterat ratio determinandi res ad hominem spectare, cuius est colere Deum hoc vel illo modo; ex secundo necessitatem mon-

straret divinae institutionis, cuius est sanctificare hominem per haec vel illa signa, et sine his et illis, ut placet. Et quia nullum sacramentum est quod non sanctificet hominem, ideo omnia oportet a Deo determinata esse quoad sibi substantialia.

III. In responsione ad primum, adverte quam praesumptuosa, iniuriosa ac sacrilega sit eorum solertia qui proprias aut poetarum similitudines tanquam spiritualium simulacra interpretantur, scribunt aut praedicant. Usurpant enim officium Spiritus Sancti, cuius iudicio res aliquae institutae sunt in figuram aliorum, dicente Apostolo <sup>\*</sup>: *Omnia in figuram contingebant illis*. Vilificantque sacram Scripturam, dum ex tali fictione occasionem dant credendi quod similiter humano spiritu sunt in figuram ea quae sunt in sacris Litteris, quemadmodum haec quae audiunt humani dexteritate ingenii coaptata. Et sic multum auctoritatis detrahitur sacrae Scripturae figuris.

### ARTICULUS SEXTUS

#### UTRUM IN SIGNIFICATIONE SACRAMENTORUM REQUIRANTUR VERBA

IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 3; dist. XIII, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 6, ad 2; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 4, ad 10.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in significatione sacramentorum non requirantur verba. Dicit enim Augustinus, *contra Faustum*, libro XIX <sup>\*</sup>: *Quid sunt aliud quaeque corporalia sacramenta nisi quasi*

*quaedam verba visibilia*? Et sic videtur quod addere verba rebus sensibilibus in sacramentis sit addere verba verbis. Sed hoc est superfluum. Non ergo requiruntur verba cum rebus sensibilibus in sacramentis.

\* Cap. xvi.

\* Cap. xvi.

x

λ

μ

ν

\* I ad Cor., cap. x, vers. 11.

2. PRAETEREA, sacramentum est aliquid unum. Ex his autem quae sunt diversorum generum, non videtur posse aliquid unum fieri. Cum igitur res sensibiles et verba sint diversorum generum, quia res sensibiles sunt a natura, verba autem a ratione; videtur quod in sacramentis non requirantur verba cum rebus sensibilibus.

3. PRAETEREA, sacramenta novae legis succedunt <sup>α</sup> sacramentis veteris legis: quia, *illis ablatis, ista sunt instituta*, ut Augustinus dicit, XIX *contra Faustum* \*. Sed in sacramentis veteris legis non requirebatur aliqua forma verborum. Ergo nec in sacramentis novae legis.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Ephes. v* \*: *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*. Et Augustinus dicit, *super Ioan.* \*: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*.

RESPONDEO DICENDUM quod sacramenta, sicut dictum est \*, adhibentur ad hominum sanctificationem sicut quaedam signa. Tripliciter ergo considerari possunt: et quolibet modo congruit eis quod verba rebus sensibilibus adiungantur. Primo enim possunt considerari ex parte causae sanctificantis, quae est Verbum incarnatum: cui sacramentum quodammodo conformatur in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum.

Secundo possunt considerari sacramenta ex parte hominis qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore: cui proportionatur sacramentalis medicina, quae per rem <sup>β</sup> visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur. Unde Augustinus dicit \*, *super illud Ioan. xv* \*\*: *Iam vos mundi estis propter sermonem etc.: Unde ista est tanta virtus aquae ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?*

Tertio potest <sup>γ</sup> considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit autem <sup>δ</sup> Augustinus, in II *de Doct. Christ.* \*, quod *verba inter homines obtinuerunt principatum* <sup>ε</sup> *significandi*: quia verba diversimode formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis, et propter

hoc per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit ut significatio rerum sensibilibus per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest et ablutionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem: sed cum dicitur, *Ego te baptizo* <sup>ζ</sup>, manifestatur quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod res visibiles sacramentorum dicuntur verba per similitudinem quandam, in quantum scilicet participant quandam vim significandi, quae principaliter est in ipsis verbis, ut dictum est \*. Et ideo non est superflua ingeminatio verborum cum in sacramentis rebus visibilibus verba <sup>η</sup> adduntur: quia unum eorum determinatur per aliud, ut dictum est \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quamvis verba et aliae res sensibiles sint in diverso genere quantum pertinet ad naturam rei, conveniunt tamen ratione significandi. Quae perfectius est in verbis quam in aliis rebus. Et ideo ex verbis et rebus fit quodammodo unum in sacramentis sicut ex forma et materia: in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum, ut dictum est \*. — Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, puta ablutio et unctio <sup>θ</sup> et alia huiusmodi: quia in his est eadem ratio significandi et in rebus.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, *contra Faustum* \*, alia debent esse sacramenta rei praesentis, et alia rei futurae. Sacramenta autem veteris legis praenuntia erant Christi venturi. Et ideo non ita expresse significabant Christum sicut sacramenta novae legis, quae ab ipso Christo effluunt, et quandam similitudinem ipsius in se habent, ut dictum est \*. — Utebantur tamen in veteri lege aliquibus verbis in his quae ad cultum Dei pertinent, tam sacerdotes, qui erant sacramentorum illorum ministri, secundum illud *Num. vi* \*, *Sic benedicetis filiis Israel: et dicetis eis, Benedicat tibi Dominus*, etc.; quam etiam illi qui illis sacramentis utebantur <sup>ι</sup>, secundum illud *Deut. xxvi* \*: *Profiteor hodie* \* *coram Domino Deo tuo*, etc.

α) succedunt. — succederunt β, successerunt Pc.

β) per rem. — E et tertia praeter I; per partem D, partem ceteri; pro corpus, scilicet corpus F.

γ) potest. — possunt P.

δ) autem. — enim EFGHabc, om. AI.

ε) principatum. — Pla; principaliter F, principatus ceteri.

ζ) te baptizo. — baptizo te Bbc, baptizo GH.

η) verba. — a et tertia; ante rebus ponit F, post rebus ceteri.

θ) et unctio. — unctio B, inunctio Plc.

ι) qui illis sacramentis utebantur. — GsH et editiones; qui solis sacris induebantur ABCpE et a, sacris induebantur D, qui solis sacris utebantur sE, qui solum sacramentis imbuebantur F, qui solis sacris imbuebantur I, qui illis sacris utebantur pH.

κ) hodie. — Om. tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una conclusio: *Sacramenta tripliciter considerantur: et quolibet modo congruunt eis verba*. Probatur quoad primam partem: quia sacramenta adhibentur ut signa quaedam ad hominum sanctificationem. — Quoad secundam, singillatim declarando singula membra cum suis rationibus: ut clare et ordinate patet in littera.

Adverte quod prima pars conclusionis ex assumpto facile deducitur. Nam quia sacramenta ad sanctificationem adhibentur, oportet primam eorum considerationem se-

cundum sanctificationis causam fieri. Et quia ad sanctificandos homines sunt, secunda eorum consideratio ex parte hominis est. Et quia ut signa adhibentur, consequens est ut tertia eorum consideratio secundum significationem fiat.

II. In responsione ad secundum, perspice quod in sacramentis res et verba coeunt in unum signum: quia constituunt unum sacramentum, quod non nisi signum unum est. Unde, proprie loquendo, ablutio in aqua in baptismo non est unum signum, et verba sunt aliud si-

gnum, ut tanquam ex duobus partialibus signis fiat unum totale signum: sed ipsa applicatio aquae, quae indeterminata est ad significandam spiritualem ablutionem, vel spiritualem claritatem aut simplicitatem, aut aliquid huiusmodi, ex coniunctione ad verba abluentis determinatur ad significandam spiritualem ablutionem. Ita quod non sunt duae relationes signi in aqua et verbis: sed una tantum relatio signi est in hoc composito ex rebus et

verbis, ut sunt determinabile et determinatio in ratione significandi unum spiritualem effectum. Sunt enim haec, ut in littera subtiliter traditur et declaratur in tertia ratione in corpore articuli, velut materia et forma in genere signi: non quod relatio talis signi sit composita ex materia et forma; sed quia relatio talis signi non adest nisi composito ex talibus determinabili et determinante, quae sunt velut materia et forma.

## ARTICULUS SEPTIMUS

## UTRUM REQUIRANTUR DETERMINATA VERBA IN SACRAMENTIS

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non requirantur determinata verba in sacramentis. Ut enim Philosophus dicit \*, *voces non sunt eadem apud omnes*. Sed salus, quae per sacramentum quaeritur, est eadem apud omnes. Ergo non requiruntur aliqua determinata verba in sacramentis.

2. PRAETEREA, verba requiruntur in sacramentis in quantum sunt principaliter significativa, sicut supra \* dictum est. Sed contingit per diversa verba idem significari. Ergo non requiruntur determinata verba in sacramentis.

3. PRAETEREA, corruptio cuiuslibet rei variat eius speciem. Sed quidam corrupte verba proferunt, nec tamen propter hoc impediri creditur sacramentorum effectus: alioquin illiterati et balbi qui sacramenta conferunt, frequenter defectum in sacramentis inducerent. Ergo videtur quod non requirantur in sacramentis determinata verba.

SED CONTRA EST quod Dominus determinata verba protulit in consecratione sacramenti Eucharistiae, dicens, Matth. xxvi \*: *Hoc est corpus meum*. Similiter etiam mandavit discipulis ut sub determinata forma verborum baptizarent, dicens, Matth. ult. \*: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, in sacramentis verba se habent per modum formae, res autem sensibiles per modum materiae. In omnibus autem compositis ex materia et forma principium determinationis est ex parte formae, quae est quodammodo finis et terminus materiae. Et ideo principaliter requiritur ad esse rei determinata forma quam determinata materia: materia enim determinata quaeritur <sup>a</sup> ut sit proportionata determinatae formae. Cum igitur in sacramentis requirantur determinatae res sensibiles, quae se habent in sacramentis sicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* \*, verbum operatur in sacramentis, *non quia dicitur*, idest, non secundum

exteriorem sonum vocis: *sed quia creditur*, secundum <sup>β</sup> sensum verborum qui fide tenetur. Et hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eadem voces <sup>γ</sup> quantum ad sonum. Et ideo, cuiuscumque linguae verbis proferatur <sup>δ</sup> talis sensus, perficitur sacramentum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet in qualibet lingua contingat diversis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est qua principaliter et communius homines illius linguae utuntur ad hoc significandum. Et talis vox assumi debet in significatione sacramenti. Sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramenti cuius usus est communior ad actum per quem sacramenti effectus significatur: sicut aqua communius utuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur; et ideo aqua assumitur ut materia in baptismo.

AD TERTIUM DICENDUM quod ille qui corrupte <sup>ε</sup> profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia: et ita non videtur perfici sacramentum.

Si autem hoc <sup>ζ</sup> faciat ex errore vel lapsu linguae, si sit tanta corruptio quae omnino auferat sensum locutionis, non videtur perfici sacramentum. Et hoc praecipue contingit quando fit corruptio ex parte principii dictionis: puta si, loco eius quod est *in nomine Patris*, dicat, *in nomine matris*. – Si vero non totaliter auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelam, nihilominus perficitur sacramentum. Et hoc praecipue contingit quando fit corruptio ex parte finis: puta si aliquis dicat *patrias* <sup>η</sup> *et filias*. Quamvis enim huiusmodi <sup>θ</sup> verba corrupte prolata nihil significant ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut significantia ex accommodatione usus. Et ideo, licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus.

Quod autem dictum est de differentia corruptionis circa principium vel finem dictionis, rationem habet quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat significationem, variatio

\* *Peri Herm.*, cap. 1, n. 3. – S. Th. lib. 1, lect. 11.

\* Art. 6.

\* Vers. 26.

\* Vers. 19.

\* Art. 6, ad 2.

<sup>a</sup>

\* Tract. LXXX.

<sup>α</sup>) quaeritur. – requiritur editiones et a.  
<sup>β</sup>) secundum. – idest secundum PlsG.  
<sup>γ</sup>) eadem voces. – sint eadem voces I, eadem voces sint editiones. – quantum ad sonum om. GH.  
<sup>δ</sup>) verbis proferatur. – PDisH et a; verbum proferatur ABCEF, verbis proferantur G, verbis proferuntur pH et bc; pro perficitur, perficit FGHabc.

<sup>ε</sup>) corrupte. – PI; post verba ponunt ABCD, post sacramentalia EFa, corrupta post verba GHbc.  
<sup>ζ</sup>) hoc. – Om. GHbc.  
<sup>η</sup>) patrias. – in nomine patrias P.  
<sup>θ</sup>) huiusmodi. – Om. GHbc.

autem ex fine dictionis ut plurimum non mutat significationem \*. Quae tamen apud Graecos variatur etiam secundum principium dictionis in declinatione <sup>λ</sup> verborum.

Magis tamen videtur attendenda quantitas cor-

ruptionis ex parte dictionis <sup>μ</sup>. Quia ex utraque parte potest esse tam parva quod non aufert sensum verborum: et tam magna, quod aufert <sup>ν</sup>. Sed unum horum facilius accidit ex parte principii, aliud ex parte finis \*.

\* Cf. IV Sent., dist. III, art. 2, qu<sup>a</sup> 2, ad 6.

ι) *fine*. — parte finis Plc. E om. *variatio... significationem*.  
 κ) *non mutat significationem*. — Ed. a; *non mutat consignificationem bc, mutat consignificationem PGI, mutat significationem ceteri* (Pro E. cf. ι).

λ) *in declinatione*. — et declinationis H, in declinationibus cetera tertia.  
 μ) *ex parte dictionis*. — Om. PI. — Pro Quia, Quae GHbc, Quod I.  
 ν) *aufert*. — sensum verborum addit F.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat. — In corpore una conclusio: *In sacramentis requiritur determinata forma verborum*. Probatur. In sacramentis requiruntur determinatae res sensibiles, quae se habent ut materia. Ergo multo magis requiritur determinatio verborum, quae se habet ut forma.

Antecedens quoad primam partem patet ex articulo quinto. Quoad secundam, ex sexto: et hic repetitur. — Consequentia probatur. Quia principaliter requiritur ad esse rei determinata forma quam determinata materia. Probatur: quia in omnibus compositis ex materia et forma principium determinationis est ex parte formae, quia est finis et terminus materiae; et materia determinata requiritur ut sit proportionata determinatae formae.

II. In responsione ad secundum, adverte quod doctrina praesentis litterae, scilicet quod in qualibet lingua vox illa qua principaliter et communius homines illius linguae utuntur ad illum actum significandum, assumi debet in sacramentis, vera est quantum est ex parte debiti usus verborum: quoniam ad tantum mysterium non nisi principalia communioraque assumenda sunt verba. Cum hac tamen doctrina stat quod oppositum fiat vel ex accommodatione usus \*, vel quia sacramenti forma non urget ad hoc \*.

\* Cf. num. seq.

\* Cf. num. iv.

III. Quantum autem valeat contra communitatem et proprietatem linguae accommodatio usus, testatur forma baptismi apud Latinos, dum dicitur: *Ego te baptizo*, etc. *Baptizare* enim latina lingua neque principaliter neque communiter significat *abluere*, ut patet: in tantum quod, si quis diceret alteri, *Baptiza hoc sudarium*, aut non, aut vix intelligeretur. Et procul dubio dicere deberemus: *Ego te abluo in nomine Patris*, etc. Quia tamen accommodavit Ecclesiae latinae usus vocabulum hoc ad significandum actum abluendi qui in sacramento fit, illo utendum est. Unde etiam mulieres in vulgari baptizantes dicunt: *Io te baptizo*. Et audeo dicere minoris curae fuisse introducere haec verba ad Latinos: quoniam hinc fit ut non percipiat populus, sed nec sacerdos aut levita, quid importat *baptizare*. Quod optime intelligerent omnes si diceretur: *Ego te abluo*, aut *lavo*. Et simile accidit in sacramento confirmationis in verbo *chrismatis* \*. Providentia tamen divina hinc Ecclesiam suam doctam esse voluit quod, quocumque verbo accommodato ab usu ad significandum illud utamur, etiam si alterius sit idiomatis, sacramentum perficitur: ita quod nec mixtio idiomatum in eadem numero forma sacramenti tollit perfectionem sacramenti.

\* Et audeo... *chrismatis* om. P; et statim pro *tamen* legit *enim*.

\* Cf. qu. LXVII, art. 6, Comment. ad 4<sup>am</sup> object. Petri de Palude cont. conclus.

Habes quoque hinc quod, quia usus accommodatione personas dignas alloquimur in numero plurali, dicendo uni, *Vos*, etc.; ita quod, si diceretur illi, *Tu*, videretur inferri sibi iniuria: ideo, si quis in forma sacramenti poenitentiae, absolvendo episcopum vel principem, honoris consueti gratia dicat, *Absolve vos a peccatis vestris*, etc., perfectum est sacramentum \*: non minus quam si in vulgari dixisset, *Io ve absolvo dalli vostri peccati*. Quia perfecta est significatio orationis ad illam personam solam ex accommodatione usus, non minus quam perfectae sint omnes similes orationes, puta, *Do vobis hoc munus, Venite vos ad prandium mecum*, et similia.

Et eadem ratione perfecta essent sacramenta si persona recipiens sacramentum exprimeretur in nomine honorabili abstracto: puta si quis diceret, *Ego absolvo dominationem vestram a peccatis suis*. Pro regula enim generali habendum est quod, quando oratio habet perfectam significationem ex accommodatione usus in ceteris locutionibus, sufficit ad sacramenti perfectionem similis oratio applicata ad materiam sacramenti. Et ratio est quia operatio spiritualis in sacramentis sequitur significationem perfectam orationis sacramentalis: ac per hoc, ubi oratio habet suam significationem perfectam, sacramentum perficitur. Constat autem quod oratio quae in qualibet materia communiter habet suam significationem perfectam, non perdit perfectionem suae significationis ex hoc quod applicatur ad materiam sacramentalem. Igitur, sicut sufficit oratio illa perfecta in aliis, ita et in sacramentis.

IV. Quia autem sacramenti forma non urget ad principaliter et communiter consueta verba, si quis ex huiusmodi libertate uteretur aliis verbis, puta dicendo, *Ego te abluo in nomine Patris*, etc., aut, in sacramento Eucharistiae, *Istud est*, etc.: perfecta essent sacramenta. Non enim de necessitate sacramenti sunt illae voces quibus communiter Ecclesia utitur: sed illae vel aliae loco illarum idem significantes quod illae. Sic enim intelligendum est determinatam exigi formam verborum ad sacramenta.

Sed sunt voces illae quibus Ecclesia utitur, de necessitate praecepti Ecclesiae. Ideo peccaret quisquis advertenter uteretur aliis vocibus ab illis quibus Ecclesia sua consuevit uti in sacramentis. Unde haec non diximus ut liceat cuique mutare voces in sacramentis: sed ut, si acciderit, noverint non esse iteranda sacramenta propter huiusmodi mutationes.

V. Et confirmatur quod dicimus ex forma consecrationis sanguinis Christi qua utitur Ecclesia latina. Dicit enim, *Hic est calix sanguinis*: ubi aut metaphoricè sumitur *calix*; aut ponitur continens pro contento. Ac per hoc ex vi verborum, sectando propriam significationem, non significatur conversio vini in sanguinem, sed in calicem: quod est ridiculum. Attestatur enim per hoc Spiritus Sanctus quod sufficiunt ad sacramentorum perfectionem verba vel ex proprietate, vel accommodatione usus significantia veritatem sacramenti, quaecumque sint illa: nec esse de necessitate sacramenti communiora in aliqua lingua verba.

VI. In responsione ad tertium, adverte quod, ut patet *de Consecr.*, dist. IV, cap. *Retulerunt*, Zacharias Papa determinavit fuisse baptizatum illum qui ob ignorantiam baptizantis baptizatus est *in nomine Patria et Filia et Spiritua Sancta*. Ubi vides quod corruptio fuit tanta quod variata est significatio nominum: nam *patria* non patrem, sed locum nativitatis significat. Sed licet *patria* absolute aliud significet quam *Pater*, ut tamen est pars corrupte prolata huius orationis, *Ego te baptizo in nomine Patria et Filia* etc., significasse *patrem* iudicatum est: et sic oratio tota non mutavit significationem. Et hoc valde notandum est pro casibus occurrentibus in corrupte prolati verbis circa alia sacramenta, vel ex festinatione, vel ex balbutiente lingua, vel aliquo alio accidente.

## ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM ALIQUID LICEAT ADDERE VERBIS IN QUIBUS CONSISTIT FORMA SACRAMENTORUM

IV Sent., dist. III, art. 2, quis 2, 3, 4.

**A**D OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod nihil liceat addere verbis in quibus consistit forma sacramentorum. Non enim minoris sunt necessitatis huiusmodi verba sacramentalia quam verba sacrae Scripturae. Sed verbis sacrae Scripturae nihil licet addere vel minuere: dicitur enim *Deut. IV* \*: *Non ad detis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo*; et *Apoc. ult.* \*: *Contestor omni audienti verba prophetiae libri huius: Si quis apposuerit ad haec, apponet super eum Deus plagas scriptas in libro isto; et si quis diminuerit, auferet Deus partem eius de libro vitae*. Ergo videtur quod neque in formis sacramentorum liceat aliquid addere vel minuere.

\* Vers. 2.

\* Vers. 18, 19.

\* Art. 6, ad 2; art. 7.

\* S. Th. lect. III. - Did. lib. VII, cap. III, n. 8.

α

2. PRAETEREA, verba se habent in sacramentis per modum formae, ut dictum est \*. Sed in formis quaelibet additio vel subtractio variat speciem, sicut et in numeris: ut dicitur in VIII *Metaphys.* \* Ergo videtur quod, si aliquid addatur vel subtrahatur a forma sacramenti, non erit idem sacramentum.

β

3. PRAETEREA, sicut ad formam sacramenti α determinatus numerus dictionum requiritur, ita etiam requiritur determinatus ordo verborum, et etiam orationis continuitas. Si ergo additio vel subtractio non aufert sacramenti veritatem β, videtur quod pari ratione nec transpositio verborum, aut etiam interpolatio pronuntiationis.

γ

SED CONTRA EST quod in formis sacramentorum quaedam apponuntur a quibusdam quae ab aliis non ponuntur γ: sicut Latini baptizant sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*; Graeci autem sub ista, *Baptizatur δ \* servus Christi N. in nomine Patris*, etc. Et tamen utrique verum conferunt ε sacramentum. Ergo in formis sacramentorum licet aliquid addere vel minuere.

\* Cf. Goar, *Ritual. Graec., In Offic. S. Baptismat.*

ε

RESPONDEO DICENDUM quod circa omnes istas mutationes quae possunt in formis sacramentorum contingere, duo videntur esse consideranda. Unum quidem ex parte eius qui profert verba, cuius intentio requiritur ad sacramentum, ut infra \* dicitur. Et ideo, si intendat per huiusmodi additionem vel diminutionem alium ritum inducere qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum: quia non videtur quod intendat facere id quod facit Ecclesia.

\* Qu. LXIV, art. 8.

Aliud autem est considerandum ex parte si-

α) sacramenti. - Om. HpG et bc.  
β) veritatem. - P; virtutem. Cf. ζ, θ.  
γ) ponuntur. - apponuntur P.  
δ) Baptizatur. - Baptizentur pH, Baptizetur FsEH et editiones; Graeci... etc. om. pE; cf. qu. LXVI art. 5, t et LXVII art. 6. δ.  
ε) utrique verum conferunt. - PEFI; utrique verum confertur BGc, utrisque verum confertur C, utrique confertur D, uterque verum confert Ha, uterque verum confertur Ab.  
ζ) sic. - si sic sG. - Pro veritas, virtus omnes praeter P, sed I om. quia... verborum.

gnificationis verborum. Cum enim verba operentur in sacramentis quantum ad sensum quem faciunt, ut supra \* dictum est, oportet considerare utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum: quia sic ζ manifestum est quod tollitur veritas sacramenti. Manifestum est autem quod, si diminuatur aliquid eorum quae sunt de substantia formae sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum: et ideo non perficitur sacramentum. Unde Didymus dicit, in libro *de Spiritu Sancto* \*: *Si quis ita baptizare conetur η ut unum de praedictis nominibus praetermittat*, scilicet Patris et Filii et Spiritus Sancti, *sine perfectione baptizabit*. - Si autem subtrahatur aliquid quod non sit de substantia formae, talis diminutio non tollit debitum sensum verborum, et per consequens nec sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiae, quae est, *Hoc est enim corpus meum*, *ly enim* sublatum non tollit debitum sensum verborum, et ideo non impedit perfectionem sacramenti: quamvis possit contingere quod ille qui praetermittit, peccet ex negligentia vel contemptu.

\* Art. 7, ad 1.

\* Lib. II. - Inter Opp. Hieron. 7

Circa additionem etiam contingit aliquid apponi quod est corruptivum debiti sensus: puta si aliquis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris maioris et Filii minoris*, sicut Ariani baptizabant. Et ideo talis additio tollit veritatem sacramenti. - Si vero sit talis additio quae non auferat debitum sensum θ, non tollitur sacramenti veritas. Nec refert utrum talis additio fiat in principio, medio vel fine. Ut, si aliquis dicat, *Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii eius unigeniti, et Spiritus Sancti Paracliti*, erit verum baptisma. Et similiter, si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beata Virgo te adiuvet*, erit verum baptisma.

θ

Forte autem si diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et Beatae Virginis Mariae*, non esset baptismus: quia dicitur I Cor. I \*: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* - Sed hoc verum est si sic intelligatur in nomine Beatae Virginis baptizari sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur: talis enim sensus esset contrarius verae fidei, et per consequens tolleretur veritas sacramenti. Si vero sic intelligatur quod ι additur, *et in nomine Beatae Virginis*,

\* Vers. 13.

η) baptizare conetur. - PE; baptizare curetur ABCHpG, baptizetur F, baptizetur curetur D, baptizare curaverit sG, baptizare curatur I, baptizaretur ed. a, baptizare creditur bc.

θ) sensum. - PI; sensum sacramenti. - Pro veritas, virtus omnes praeter P.

ι) sic intelligatur quod. - intelligatur quod illud quod GHbc, intelligatur quod I. - non quasi nomen Beatae Virginis om. GHI; pro operetur, non operetur GH; pro baptismo, baptismum G.

non quasi nomen Beatae Virginis aliquid opere-  
tur in baptismo, sed ut eius intercessio prosit  
baptizato ad conservandam gratiam baptismalem,  
non tollitur perfectio sacramenti.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verbis \* sacrae  
Scripturae non licet aliquid apponere quantum  
ad sensum: sed quantum ad expositionem sa-  
crae Scripturae, multa verba eis a doctoribus ap-  
ponuntur. Non tamen licet etiam verba sacrae  
Scripturae apponere ita quod dicantur esse de  
integritate sacrae Scripturae: quia hoc esset vi-  
tium falsitatis. Et similiter si quis diceret aliquid  
esse de necessitate formae quod non est.

AD SECUNDUM DICENDUM quod verba pertinent  
ad formam sacramenti ratione sensus significati.  
Et ideo, quaecumque fiat additio vel subtractio

vocum <sup>λ</sup> quae non addat aliquid aut subtrahat  
debito sensui, non tollitur species sacramenti.

AD TERTIUM DICENDUM quod, si sit tanta inter-  
ruptio verborum quod intercipiatur intentio pro-  
nuntiantis, tollitur sensus sacramenti, et per con-  
sequens veritas eius. Non autem tollitur quando  
est parva interruptio proferentis <sup>μ</sup>, quae intentio-  
nem et intellectum non aufert.

Et idem etiam dicendum est de transpositione  
verborum. Quia, si tollit sensum locutionis, non  
perficitur sacramentum: sicut patet de negatione  
praeposita vel postposita signo. Si autem sit talis  
transpositio quae sensum locutionis non variat,  
non tollitur veritas sacramenti: secundum quod  
Philosophus dicit \* quod <sup>ν</sup> *nomina et verba trans-  
posita idem significant.*

\* *Peri Herm.*,  
cap. x, n. 13.  
Contin. Comm.  
S. Th. lib. II,  
lect. iv.

x) *verbis*. — *verbum* E, *verba* IpH, *ad verba* editiones.  
λ) *vocum*. — *verborum* tertia praeter I.

μ) *proferentis*. — Post *intentionem* ponunt PIsG. Post *intellectum*  
I et editiones addunt *verborum*.  
ν) *secundum... dicit quod*. — *quia secundum... dicit* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore tria fiunt: primo, po-  
nuntur duae communissimae regulae circa huiusmodi  
varietates; secundo, descenditur specialiter ad diminutio-  
nem et additionem; tertio, movetur quaedam difficultas  
circa additionem, et solvitur. Prima regula se tenet ex  
parte intentionis ministrantis sacramentum. — Secunda vero  
se tenet ex parte significationis verborum. Quod intellige,  
non secundum se, sed in ordine ad totam orationem:  
oportet enim mutari sensum ipsius orationis, quae est for-  
ma sacramenti, ad hoc ut sacramentum sit nullum, ut  
praedictum est \*. — De diminutione autem aut additione  
in speciali in singulis sacramentis, sermo erit in propriis  
locis. Hic in communi est sermo.

II. Ubi nota, pro solutione difficultatis motae, quod  
additio ad formam, ultra duos modos qui in littera po-  
nuntur, scilicet vel tanquam aliquid intrinsecum ad for-  
mam vel tanquam extrinsecum, tertius invenitur omnino

per accidens, quando scilicet interponitur aliquod verbum,  
non ut sit aliquid intrinsecum vel adiacens formae, sed  
impertinens omnino interpositio ad aliud propositum di-  
citur verbum: ut si inter baptizandum, postquam dixit,  
*Ego te baptizo*, dicat alicui, *Recede hinc*, seu aliquid  
eiusmodi, et prosequatur, *in nomine Patris et Filii*, etc.  
Hoc enim non est proprie addere ad verba formae: sed  
interponere verba interrumpendo formam. Potest siquidem  
interruptio de qua in responsione ad tertium est sermo,  
dupliciter fieri: vel sine interpositione verborum, vel cum  
interpositione verborum.

Utraque autem interruptio non debet esse tanta quod,  
iuxta communem morem hominum, continuitas solvatur  
orationis. Si enim, postquam minister dixit, *Ego te baptizo*,  
iret pransum, et postea subderet, *in nomine Patris et  
Filii*, etc.: sive interim tacuisset sive non, soluta esset  
orationis unitas.

\* Art. 7, Com-  
ment. num. III.





## QUAESTIO SEXAGESIMAPRIMA

### DE NECESSITATE SACRAMENTORUM

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LX, In-  
trod.

**D**EINDE considerandum est de necessitate sacramentorum\*.  
Et circa hoc quaeruntur quatuor.  
Primo: utrum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.

Secundo: utrum fuerint necessaria in statu ante peccatum.  
Tertio: utrum fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum.  
Quarto: utrum fuerint necessaria post Christi adventum.

#### ARTICULUS PRIMUS

##### UTRUM SACRAMENTA FUERINT NECESSARIA AD HUMANAM SALUTEM

IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 1; III *Cont. Gent.*, cap. CXIX; IV, cap. LV, LVI.

\* Vers. 8.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta non fuerint <sup>α</sup> necessaria ad humanam salutem. Dicit enim Apostolus, I *ad Tim.* IV\*: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Sed usus sacramentorum pertinet ad corporalem exercitationem: eo quod sacramenta perficiuntur in significatione sensibilium rerum et verborum, ut dictum est\*.

\* Qu. LX, art. 6.

\* Vers. 9.

2. PRAETEREA, II *Cor.* XII\*, Apostolo dicitur: *Sufficit tibi gratia mea.* Non autem sufficeret si sacramenta essent necessaria ad salutem. Non sunt ergo sacramenta salutis humanae necessaria.

\* Vers. 10.

3. PRAETEREA, posita causa sufficienti, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum. Sed passio Christi est sufficiens causa nostrae salutis: dicit enim Apostolus, *ad Rom.* V\*: *Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis, reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Non ergo requiruntur sacramenta ad salutem humanam.

\* Cap. XI.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, XIX *contra Faust.* \*: *In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Sed necessarium est ad humanam salutem homines adunari in unum verae religionis nomen. Ergo sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.

RESPONDEO DICENDUM quod sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione. Quarum prima sumenda est ex conditione humanae naturae, cuius proprium est ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia

deducatur. Pertinet autem ad divinam providentiam ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis. Et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quae sacramenta dicuntur.

Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit ut Deus per quaedam corporalia signa hominibus <sup>β</sup> spiritualem medicinam adhiberet: nam, si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset, corporalibus deditus.

Tertia ratio sumenda est ex studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur. Ne igitur esset homini durum si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceretur <sup>γ</sup>, ad evitanda superstitiosa exercitia, quae consistunt in cultu daemonum, vel qualitercumque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum.

Sic igitur per sacramentorum institutionem homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia; humiliatur, se corporalibus subiectum recognoscens <sup>δ</sup>, dum sibi per corporalia subvenitur; praeservatur etiam a noxiis corporalibus <sup>ε</sup> per salubria exercitia sacramentorum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod corporalis exercitatio, in quantum est corporalis, non multum utilis est. Sed exercitatio per usum sacramentorum non est pure corporalis, sed quodammodo est spiritualis: scilicet per significationem et causalitatem.

α) fuerint. — sint PI.  
β) hominibus. — homini P.  
γ) exerceretur. — GHI; (proposita sunt eis b...) exercentur bc, exerceatur P, exercetur ceteri.

δ) recognoscens. — cognoscens tertia praeter I.  
ε) corporalibus. — Om. H, actionibus corporalibus I, actionibus editiones.

AD SECUNDUM <sup>ζ</sup> DICENDUM quod gratia Dei est sufficiens causa humanae salutis. Sed Deus dat hominibus gratiam secundum modum eis convenientem. Et ideo necessaria sunt hominibus sacramenta ad gratiam consequendam \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod passio Christi est causa sufficiens humanae salutis. Nec propter

hoc sequitur quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem: quia operantur in virtute passionis Christi, et passio Christi quodammodo applicatur hominibus per sacramenta, secundum illud Apostoli <sup>η</sup>, *Rom. vi \**: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.*

\* D. 982.

\* Vers. 7.

ζ) *Ad secundum.* — Ordinem solutionum *Ad secundum* et *Ad tertium* invertunt omnes praeter P.

η) *Apostoli.* — Om. Ha et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una conclusio: *Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.* Et probatur tripliciter.

Ubi nota duo. Primum, quod non est hic sermo de necessario ad humanam salutem sine quo non potuisset homo salvari: sed de necessario sine quo non convenienter humana salus fuisset. In cuius signum, Auctor,

tam in prima quam secunda ratione, convenientiam infert sacramentorum.

Secundo, nota differentiam inter Auctorem et Magistrum Sententiarum, in 1 distinctione \* Quarti, circa has tres rationes, ex eruditione, humiliatione et exercitatione. Nam altius tractantur ab Auctore, ut patet conferendo.

\* Cap. *Triplici autem.*

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM ANTE PECCATUM FUERINT HOMINI NECESSARIA SACRAMENTA

II *Sent.*, dist. xxiii, qu. ii, art. 1, ad 1; IV, dist. i, qu. i, art. 2, qu<sup>a</sup> 2.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ante <sup>α</sup> peccatum fuerint homini necessaria sacramenta. Quia, sicut dictum est \*, sacramenta sunt necessaria homini ad gratiam consequendam. Sed etiam in statu innocentiae homo indigebat gratia: sicut in Prima Parte \* habitum est. Ergo etiam in statu illo erant necessaria sacramenta.

2. PRAETEREA, sacramenta sunt convenientia <sup>β</sup> homini secundum conditionem humanae naturae, sicut dictum est \*. Sed eadem est natura hominis ante peccatum et post peccatum. Ergo videtur quod ante peccatum homo indiguerit sacramentis.

3. PRAETEREA, matrimonium est quoddam sacramentum: secundum illud *Ephes. v \**: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Sed matrimonium fuit institutum ante peccatum, ut dicitur *Gen. ii \**. Ergo sacramenta erant necessaria homini ante peccatum.

SED CONTRA EST quod medicina non est necessaria nisi aegroto: secundum illud *Matth. ix \**: *Non est opus sanis medicus.* Sed sacramenta sunt quaedam spirituales medicinae, quae adhibentur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt necessaria ante peccatum.

RESPONDEO DICENDUM quod in statu innocentiae <sup>γ</sup> sacramenta necessaria non fuerunt. Cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo

superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis: sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animae vires, et ipsi animae corpus. Contra hunc autem ordinem esset si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale \*: quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentiae homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur in remedium peccati, sed etiam in quantum ordinantur ad animae perfectionem \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod homo in statu innocentiae gratia indigebat \*: non tamen ut consequeretur gratiam per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter et invisibiliter.

AD SECUNDUM DICENDUM quod eadem est natura hominis ante peccatum et post peccatum, non tamen est idem naturae status. Nam post peccatum anima, etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem: quod in illo statu homini necesse non erat.

AD TERTIUM DICENDUM quod matrimonium fuit institutum in statu innocentiae, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturae. Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum et Ecclesiam: sicut et omnia alia in figura Christi praecesserunt \*.

α

\* Art. 1, ad 2.

\* Qu. xcvi, art. 4, ad 1. — Cf. I<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cix, art. 2; qu. cxiv, art. 2.

β

\* Art. 1.

\* Vers. 32.

\* Vers. 22 sqq. — Cf. *Matth. cap. xix, vers. 4 sqq.*; *Marc. cap. x, vers. 6 sqq.*

\* Vers. 12. — Cf. *Marc. cap. ii, vers. 17*; *Luc. cap. v, vers. 31.*

γ

\* D. 9, 1107.

\* D. 740.

\* D. 74.

\* Cf. I *ad Cor.*, cap. x, vers. 11.

α) *ante.* — etiam ante tertia.  
β) *convenientia.* — necessaria tertia praeter I.

γ) *innocentiae.* — ante peccatum addit P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una conclusio: *In statu innocentiae homo sacramentis non indigebat, nec pro remedio peccati, nec pro perfectione animae.* Probat.

In statu illo superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis. Sed contra hunc ordinem esset si anima a corporalibus sacramentis perficeretur, sive

quoad scientiam sive quoad gratiam. Ergo. — Maior declaratur. Quia sicut mens sub Deo, ita etc.

II. Circa hanc doctrinam, simul cum ea quae exprimitur in responsione ad secundum, dubium occurrit, an haec dicta, scilicet quod in statu innocentiae superiora nullo modo dependebant ab inferioribus, et similiter quod anima quantum ad superiorem partem non indiguisset accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem, intelligenda sint de ipso statu innocentiae communi primo homini et filiis qui fuissent innocentes: an de primo homine solum, qui solus fuit ante peccatum. Et est ratio dubii quia in statu innocentiae filii Adae acquisivissent scientiam ex sensibilibus, ut Auctor dicit in Prima Parte, qu. c. i. \*: ac per hoc, superiora aliquo modo dependebant ab inferioribus, et superior pars animae indigebat ad sui perfectionem accipere a corporalibus rebus. Cuius oppositum hic dicitur. Et propterea haec verba non pertinent ad statum innocentiae communem patri et filiis.

Sed nec de ipso Adam verificantur. Quia animae primi hominis competeat modus intelligendi per conversionem ad phantasmata: ut Auctor dixit in Prima Parte, qu. xciv, art. 2. Intellectio enim per conversionem ad phantasmata dependet a phantasmatibus. Ac per hoc, superiora dependebant aliquo modo ab inferioribus. Cuius oppositum hic dicitur.

III. Ad hoc dicitur quod praesens doctrina intelligenda est de statu innocentiae ut fuit in Adam. Tum quia in

ipso solo fuit sine dependentia superiorum ab inferioribus quoad scientiam. — Tum quia Auctor non quaerit absolute de statu innocentiae, sed *de homine ante peccatum*: ut per ly *ante peccatum* determinet quod de homine secundum tempus illud quo fuit antequam peccaret quaerit, et non simpliciter de homine si perseverasset cum posteritate in innocentia.

Ad obiectionem autem in oppositum dicitur quod intellectio Adae, quia ex speciebus non acquisitis ex sensibus, sed infusus a Deo procedebat, non dependebat a phantasmatibus: sed utebatur phantasmatibus ut inferioribus, sicut anima utebatur corpore subdito.

IV. Et si quaeratur quid respondendum secundum Auctoris doctrinam sit quaerenti an filii innocentes indiguissent sacramentis: dicitur quod non fuissent eis necessaria sacramenta. Quia principalis perfectio hominis per sacramenta est per gratiam. Homines autem fuissent geniti cum gratia: ut in Prima Parte, qu. c, art. 1, Auctor dixit. Non indiguissent igitur ex conditione sui status sacramentis perfectivis hominis quantum ad gratiam. Et quia gratiam comitantur dona intellectus perfecta, consequens est ut nec quoad perfectionem scientiae de supernaturalibus indiguissent sacramentis. Eodem enim modo divina sapientia providet de principali et accessorio: ut patet ex opposito nostro statu, in quo perfectionem scientiae supernaturalis ex sacramentis accipimus, quia per illa tantum gratiam a Deo habemus.

### ARTICULUS TERTIUS

#### UTRUM POST PECCATUM, ANTE CHRISTUM, SACRAMENTA DEBUERINT ESSE

IV Sent., dist. 1, qu. 1, art. 2, quis 3, 4.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod post peccatum, ante Christum, sacramenta non debuerunt esse. Dictum est enim \* quod per sacramenta passio Christi hominibus applicatur: et sic passio Christi comparatur ad sacramenta sicut causa ad effectum. Sed effectus non praecedit causam. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante Christi adventum.

2. PRAETEREA, sacramenta debent esse convenientia statui humani generis: ut patet per Augustinum, XIX *contra Faustum* \*. Sed status humani generis non fuit mutatus post peccatum usque ad reparationem factam per Christum. Ergo nec sacramenta debuerunt immutari, ut, praeter sacramenta legis naturae, alia statuerentur in lege Moysi.

3. PRAETEREA, quanto magis est aliquid propinquum perfecto, tanto magis debet ei assimilari. Sed perfectio salutis <sup>α</sup> humanae per Christum facta est, cui propinquiora fuerunt sacramenta veteris legis quam ea quae fuerunt ante legem. Ergo debuerunt esse similia sacramentis Christi. Cuius tamen contrarium apparet, ex eo quod sacerdotium Christi praedicitur esse futurum *secundum ordinem Melchisedech*, et non *secundum ordinem Aaron*, ut habetur *Heb. vii* \*. Non ergo convenienter fuerunt disposita ante Christum sacramenta.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, XIX *con-*

*tra Faust.* \*, quod *prima sacramenta, quae celebrabantur et observabantur ex lege, praenuntiabant Christi venturi*. Sed necessarium erat ad humanam salutem ut adventus Christi praenuntiaretur. Ergo necessarium erat ante Christum sacramenta quaedam disponi.

RESPONDEO DICENDUM quod sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem in quantum sunt quaedam sensibilia signa invisibilium rerum quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae, ut sit ipse iustus <sup>β</sup> et iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi \*. Et ideo oportebat ante Christi adventum esse quaedam signa visibilia quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et huiusmodi signa sacramenta dicuntur. Et sic patet quod ante Christi adventum necesse fuit quaedam sacramenta institui.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum: quae scilicet ad ipsam significandam sunt instituta. Causa autem finalis non praecedit tempore, sed solum in intentione agentis. Et ideo non est inconveniens aliqua sacramenta ante Christi passionem fuisse.

AD SECUNDUM DICENDUM quod status humani generis post peccatum et ante Christum dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum fidei

\* Art. 1.

\* Art. 1, ad 3.

\* Cap. xvi, xvii.

\* Vers. 11. — Cf. Ps. cix, vers. 4.

\* Cap. xiii.

<sup>β</sup> Ad Rom., cap. iii, vers. 25, 26.

<sup>α</sup> salutis. — EF et tertia praeter pG; legis salutis.

<sup>β</sup> iustus. — PG; Christus iustus Hbc, Christus ceteri, nisi forte tpc 1.

rationem. Et sic semper unus et idem perman-  
sit: quia scilicet iustificabantur homines per fidem  
futurae Christi adventus.

Alio modo potest considerari secundum inten-  
sionem et remissionem peccati, et expressae cog-  
nitionis de Christo. Nam per incrementa tem-  
porum et peccatum coepit in homine magis do-  
minari, in tantum quod, ratione hominis per pec-  
catum obtenebrata, non sufficerent homini ad  
recte vivendum praecepta legis naturae, sed ne-  
cesse fuit determinari praecepta in lege scripta;  
et cum his quaedam fidei sacramenta. Oportebat  
etiam ut per incrementa temporum magis explicaretur  
cognitio fidei: quia, ut Gregorius dicit \*, *per  
incrementa temporum crevit divinae cognitionis  
augmentum*. Et ideo etiam necesse fuit quod in  
veteri lege etiam  $\gamma$  quaedam sacramenta fidei  
quam habebant de Christo venturo, determinarentur;  
quae quidem comparantur ad sa-

cramenta quae fuerunt ante legem sicut determi-  
natum ad indeterminatum; quia scilicet ante  
legem non fuit determinate praefixum homini  
quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem.  
Quod erat necessarium et propter obtenebratio-  
nem legis naturalis; et ut esset determinatio fi-  
dei significatio  $\delta$ .

AD TERTIUM DICENDUM quod sacramentum Mel-  
chisedech, quod fuit ante legem, magis assimila-  
tur sacramento novae legis in materia: in quantum  
scilicet *obtulit panem et vinum*, ut habetur *Gen.*  
*xiv* \*, sicut etiam sacrificium novi Testamenti ob-  
latione panis et vini perficitur. Sacramenta tamen  
legis Mosaicae magis assimilantur rei significatae  
per sacramentum, scilicet passioni Christi: ut patet  
de agno paschali et aliis huiusmodi. Et hoc ideo  
ne, propter continuitatem temporis, si permaneret  
eadem sacramentorum species, videretur esse  
sacramenti eiusdem continuatio.

\* Homil. XVI, al.  
lib. II, homil. IV,  
in *Ezechiel*.

$\gamma$

$\gamma$ ) etiam. — Om. PFI.

$\delta$ ) determinatio fidei significatio. — PsE; determinatio fidei signo

pE, determinatio fidei GHb, determinatio fidei signo (sig<sup>o</sup> AD, signatio FI) ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una conclusio: *Ante Christi  
adventum, post peccatum, necesse fuit quaedam  
sacramenta institui*. Probat. Sacramenta sunt necessaria  
ad humanam salutem ut signa sensibilia invisibilium rerum  
quibus homo post peccatum sanctificatur. Ergo ante Christi  
adventum, post peccatum, oportuit esse quaedam sensi-

bilia signa quibus fidem suam de Christo futuro homo pro-  
testaretur. Ergo oportuit tunc esse sacramenta quaedam.

Prima consequentia probatur. Quia nullus post pecca-  
tum sanctificatur nisi per Christum, etc. — Secunda con-  
sequentia probatur. Quia huiusmodi signa dicuntur esse  
sacramenta.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM POST CHRISTUM DEBUERINT ESSE ALIQUA SACRAMENTA

IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 5; dist. II, qu. I, art. 4, qu<sup>a</sup> 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LVII.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod  
post Christum non debuerint esse ali-  
qua sacramenta. Veniente enim veritate,  
debet cessare figura. Sed *gratia et ve-  
ritas per Iesum Christum facta est*, ut dicitur  
Ioan. I \*. Cum igitur sacramenta sint veritatis  
signa sive figurae, videtur quod post Christi pas-  
sionem sacramenta esse non debuerint.

2. PRAETEREA, sacramenta in quibusdam ele-  
mentis consistunt, ut ex supra \* dictis patet. Sed  
Apostolus dicit, *Galat. IV* \*, quod, *cum essemus  
parvuli, sub elementis mundi eramus servientes*:  
nunc autem, *temporis plenitudine veniente*, iam  
non sumus parvuli. Ergo videtur quod non de-  
beamus Deo servire sub elementis huius mundi,  
corporalibus sacramentis utendo.

3. PRAETEREA, *apud Deum non est transmuta-  
tio nec vicissitudinis obumbratio*, ut dicitur Iac. I \*.  
Sed hoc videtur ad quandam mutationem divi-  
nae voluntatis pertinere, quod alia sacramenta  
nunc exhibeat hominibus ad sanctificationem tem-  
pore gratiae, et alia ante Christum. Ergo videtur  
quod post Christum non debuerint institui alia  
sacramenta.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *contra  
Faust. XIX* \*, quod sacramenta veteris legis sunt

*ablata, quia impleta: et alia sunt instituta virtute  
maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero  
pauciora*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut antiqui Patres  
salvati sunt per fidem Christi venturi, ita et nos  
salvamus per fidem Christi iam nati et passi.  
Sunt autem sacramenta quaedam signa prote-  
stantia fidem qua homo iustificatur. Oportet au-  
tem aliis signis significari futura, praeterita seu  
praesentia: ut enim Augustinus dicit, *XIX contra  
Faust. \**, *eadem res aliter annuntiatum facienda,  
aliter facta: sicut ipsa verba « passurus » et « pas-  
sus » non similiter sonant*. Et ideo oportet quae-  
dam alia sacramenta in nova lege esse, quibus  
significentur ea quae praecesserunt in Christo,  
praeter sacramenta veteris legis, quibus praenun-  
tiabantur futura.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Dionysius  
dicit, in v cap. *Eccl. Hier.*, status novae legis  
medius est inter statum veteris legis, cuius fi-  
gurae implentur in nova lege; et inter statum  
gloriae, in qua omnis nude et perfecte manife-  
stabitur veritas. Et ideo tunc nulla erunt sacra-  
menta. Nunc autem, *quandiu per speculum in  
aenigmate cognoscimus*, ut dicitur I *Cor. XIII* \*,  
oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiri-

\* Vers. 17.

\* Qu. LX, art. 4.

\* Vers. 3, 4, 7.

\* Vers. 17.

\* Cap. XIII.

\* Vers. 18.

\* Cap. XVI.

\* Vers. 12.

tualia devenire. Quod pertinet ad rationem sacramentorum.

\* Loc. cit. in arg.,  
vers. 9.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sacramenta veteris legis Apostolus \* vocat *egena et infirma elementa*, quia gratiam nec continebant, nec causabant. Et ideo utentes illis sacramentis dicit Apostolus *sub elementis mundi* Deo servisse: quia scilicet nihil erant aliud quam elementa huius mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent et causant. Et ideo non est de eis similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut paterfamilias non ex hoc habere monstratur mutabilem voluntatem quod diversa praecepta familiae suae proponit pro temporum varietate, non eadem praecipiens hieme et aestate; ita non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum ex hoc quod alia sacramenta instituit post Christi adventum, et alia tempore legis; quia illa fuerunt congrua gratiae praefigurandae, haec autem sunt congrua gratiae praesentialiter demonstrandae.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una conclusio: *Oportet in nova lege esse quaedam alia sacramenta*. Probatur. Sacramenta sunt signa protestantia fidem qua homo iustificatur. Ergo oportet esse alia sacramenta quibus praeterita credita significantur.

Consequentia, quoad id quod supponit, scilicet diver-

sitatem significabilium, probatur: quia antiqui salvabantur per fidem Christi nascituri, nos per fidem Christi nati. Et quoad ipsa signa probatur: quia aliis signis oportet significari praeterita et futura. Probatur hoc auctoritate Augustini: et ex ipsis verbis praeteriti et futuri temporis.



## QUAESTIO SEXAGESIMASECUNDA

### DE EFFECTU PRINCIPALI SACRAMENTORUM, QUI EST GRATIA

IN SEX ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LX, In-  
trod.

α

\* Qu. LXIII.

**D**EINDE considerandum est de effectu Sacramentorum \*. Et primo, de effectu eius α principali, qui est gratia; secundo de effectu secundario, qui est character \*.

Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum sacramenta novae legis sint causa gratiae.

Secundo: utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.

Tertio: utrum sacramenta contineant gratiam.

Quarto: utrum sit in eis aliqua virtus ad causandum gratiam.

Quinto: utrum talis virtus in sacramentis derivetur a passione Christi.

Sexto: utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM SACRAMENTA SINT CAUSA GRATIAE

Infra, art. 6; I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cxii, art. 1, ad 2; IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 4, qu<sup>a</sup> 1; dist. xviii, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 1, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. lvii; *De Verit.*, qu. xxvii, art. 4; *Quodl.* XII, qu. x; *De Eccles. Sacram.*; *Ad Galat.*, cap. ii, lect. iv.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta non sint causa gratiae. Non enim idem videtur esse signum et causa: eo quod ratio signi videtur magis effectui competere. Sed sacramentum est signum gratiae. Non igitur est causa eius.

2. PRAETEREA, nullum corporale agere potest in rem spiritualem: eo quod *agens est honorabilius patiente*, ut Augustinus dicit, XII *super Gen. ad litt.* \* Sed subiectum gratiae est mens hominis, quae est res spiritualis. Non ergo sacramenta possunt gratiam causare.

3. PRAETEREA, illud quod est proprium Dei, non debet alicui creaturae attribui. Sed causare gratiam est proprium Dei: secundum illud Psalmi \*: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*. Cum ergo sacramenta consistant in quibusdam verbis et rebus creatis, non videtur quod possint gratiam causare.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *super Ioan.* \*, quod aqua baptismalis *corpus tangit et cor abluit*. Sed cor non abluitur nisi per gratiam. Ergo causat gratiam: et pari ratione alia Ecclesiae sacramenta.

RESPONDEO DICENDUM quod necesse est dicere sacramenta novae legis per aliquem modum gratiam causare. Manifestum est enim quod per sacramenta novae legis homo Christo incorporatur: sicut de baptismo dicit Apostolus, *Galat.* III \*: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Non autem efficitur homo membrum Christi nisi per gratiam.

Quidam \* tamen dicunt quod non sunt causa gratiae aliquid operando: sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur. Et

ponunt exemplum de illo qui, afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex regis ordinatione: non quod denarius ille aliquid operetur ad habendum praedictae pecuniae quantitatem; sed hoc operatur sola voluntas regis. Unde et Bernardus dicit, in quodam sermone *in Cena Domini* \*: *Sicut investitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per anulum, sic divisiones gratiarum diversae sunt traditae sacramentis*.

Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum regiae ordinationis de hoc quod pecunia recipiatur ab isto. Similiter liber est quoddam signum quo designatur traditio canonicatus. Secundum hoc igitur sacramenta novae legis nihil plus essent quam signa gratiae: cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur quod sacramenta novae legis non solum significant, sed causant gratiam.

Et ideo aliter dicendum: quod duplex est causa agens, principalis et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus: sicut ignis suo calore calefacit. Et hoc modo non potest causare gratiam nisi Deus \*: quia gratia nihil est aliud quam quaedam participata similitudo divinae naturae, secundum illud II *Pet.* I \*: *Magna nobis et pretiosa promissa donavit, ut divinae simus consortes naturae*. — Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti: sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quae est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta

\* Al. de Baptismo etc., n. 2.

\* Cap. xvi. - Cf. Aristot. *de Anim.* lib. III, cap. v, n. 2; s. Th. lect. x.

\* Ps. LXXXIII, vers. 12.

\* Tract. LXXX.

\* Vers. 27.

\* Cf. Gulielm. Paris. *de Sacram. Baptism.* cap. III.

\* D. 68o.

\* Vers. 4.

α) eius. — Om. ADEa, eorum P.

β novae legis gratiam causant: adhibentur enim β  
ex divina ordinatione ad gratiam in eis causan-  
dam. Unde Augustinus dicit, XIX *contra Faust.* \*: *Haec omnia*, scilicet sacramentalia, *fiunt et trans-*  
eunt: *virtus tamen*, scilicet Dei, *quae per ista ope-*  
ratur, *iugiter manet*. Hoc autem proprie dicitur  
instrumentum, per quod aliquis operatur. Unde  
et Tit. III \* dicitur: *Salvos nos fecit per lavacrum*  
*regenerationis.*

\* Cap. xvi.

\* Vers. 5.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod causa princi-  
palis non proprie potest dici signum effectus,  
licet occulti, etiam si ipsa sit sensibilis et mani-  
festa. Sed causa instrumentalis, si sit manifesta,  
potest dici signum effectus occulti: eo quod non  
solum est causa, sed quodammodo effectus, in-  
quantum movetur a principali agente. Et secun-  
dum hoc, sacramenta novae legis simul sunt  
causa γ et signa. Et inde est quod, sicut com-  
muniter dicitur, *efficiunt quod figurant*. Ex quo  
etiam patet quod habent perfecte rationem sa-  
cramenti: inquantum ordinantur ad aliquid sa-  
crum non solum per modum signi, sed etiam  
per modum causae.

γ

β) enim. — hominibus addit E, idem P post ordinatione.  
γ) causa. — causae tertia et a.

AD SECUNDUM DICENDUM quod instrumentum ha-  
bet duas actiones: unam instrumentalem, secun-  
dum quam operatur non in virtute propria, sed  
in virtute principalis agentis; aliam autem habet  
actionem propriam, quae competit sibi secundum  
proprium formam; sicut securi competit scindere  
ratione suae acuitatis, facere autem lectum in-  
quantum est instrumentum artis. Non autem per-  
ficit actionem instrumentalem nisi exercendo  
actionem propriam; scindendo enim facit lectum.  
Et similiter sacramenta corporalia per propriam  
operationem quam exercent circa corpus, quod  
tangunt, efficiunt operationem instrumentalem  
ex virtute divina δ circa animam: sicut aqua ba-  
ptismi, abluendo corpus secundum propriam vir-  
tutem, abluit animam inquantum est instrumen-  
tum virtutis divinae; nam ex anima et corpore  
unum fit. Et hoc est quod Augustinus dicit \*,  
quod *corpus tangit et cor abluit*.

AD TERTIUM DICENDUM quod ratio illa procedit  
de eo quod est causa gratiae per modum prin-  
cipalis agentis: hoc enim est proprium Dei, ut  
dictum est \*.

\* Loc. cit. in arg.  
Sed cont.

\* In corpore.

δ) divina. — DEI et editiones; ante virtute ponit F, om. ceteri.

### Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo nota terminos. Non enim quaeritur, *an sacra-*  
*menta dicantur causa*: sed, *an sint causa*. Et hoc ideo  
quia non satisficit quaestioni vocando causam id quod vera  
non est causa.

De gratia autem in praesenti titulo sermo est indis-  
tincte. Reservatur enim sequenti articulo quae sit illa  
gratia quae per sacramenta confertur. Unde non spectat  
ad praesentem quaestionem discutere in speciali de gratia  
quae causatur. — Rursus, si principium non articuli huius,  
sed introductae quaestionis huius, perspexeris, ubi haec  
quaestio sexagesimasecunda a quaestione sexagesimatertia  
distinguitur, dicendo, *Et primo, de effectu eius principali,*  
*qui est gratia; secundo, de effectu secundario, qui est*  
*character*: videbis quod sub gratiae nomine hoc in loco  
non comprehenditur character, cum distinguatur contra  
characterem; sed communiter sumitur, prout a Sanctis  
dicitur quod *sacramenta conferunt gratiam*.

\* In hoc art. et  
art. 4.

Et hoc manda memoriae: et reminiscere, cum postea \*  
dicitur sacramenta causare instrumentaliter gratiam, ut  
non recurras ad characterem, volens fugere quod bap-  
tismus non causet gratiam gratum facientem, quia creatur,  
et creatura non potest etiam instrumentaliter creare. Hic  
enim, de effectu principali sacramentorum, qui est gratia  
distincta contra characterem, tractando, quaeritur an sa-  
cramentum sit causa gratiae: et in sequenti articulo quid  
addat haec gratia supra gratiam gratum facientem discu-  
titur.

II. In corpore articuli tria fiunt: primo, ponitur id in  
quo oportet omnes convenire; secundo, recitatur quo-  
rundam opinio; tertio, respondetur quaesito secundum  
proprium opinionem. Quoad primum, conclusio est: *Ne-*  
*cesse est dicere sacramenta novae legis aliquo modo*  
*causare gratiam*. Probatur. Per sacramenta homo Christo  
incorporatur. Ergo acquirit gratiam. — Antecedens est Apo-  
stoli. — Consequentia patet: quia non fit homo membrum  
Christi nisi per gratiam.

Quoad secundum, primo ponitur opinio quod sacra-  
menta causant non operando ad gratiam, sed quia Deus  
assistit; cum exemplis, et auctoritate Bernardi. — Secundo,  
exponitur quid importet haec opinio, scilicet quod non  
ponit sacramenta supra genera signorum: et declaratur

exemplis. — Tertio, improbat haec opinio auctoritate  
Sanctorum addentium signo causam.

Quoad tertium, ponitur primo distinctio bimembris  
de causa agente: scilicet principali, et instrumentali. —  
Secundo, ponitur causae principalis conditio, qua distin-  
guitur ab instrumentali, scilicet: Principalis causa est quae  
agit virtute suae formae, cui assimilatur effectus. Et iuxta  
hoc membrum ponitur una conclusio: *Solus Deus est*  
*causa principalis gratiae*. Probatur. Solus Deus est cuius  
est participata similitudo gratia. Ergo solus Deus est gra-  
tiae causa principalis. Antecedens est Petri Apostoli. Con-  
sequentia patet ex conditione causae principalis. — Tertio,  
ponitur conditio causae instrumentalis. Et iuxta hoc mem-  
brum ponitur alia conclusio, scilicet: *Sacramenta sunt*  
*causae agentes instrumentaliter ad gratiam*. Probatur.  
Causa instrumentalis est quae non agit virtute suae for-  
mae, sed per solum motum quo ab agente principali mo-  
vetur. Sed sacramenta Deus adhibet ut per ea causet gra-  
tiam. Ergo sunt causae instrumentales. Maior patet ex  
signo, quia effectus non assimilatur instrumento: et ex  
exemplo de lectulo respectu serrae et artis. Minor pro-  
batur auctoritate Augustini, et Apostoli, et modi loquendi:  
quia hoc vocatur instrumentum per quod principale agens  
operari dicitur.

III. Hoc in loco advertendum est quod Scotus, in  
IV *Sent.*, dist. I, qu. IV et V, etsi videatur tertiam ponere  
opinionem, secundum tamen rem positio sua incidit in  
opinionem praereditam ac improbatam in littera: solis  
enim verbis ab illa differt \*. Ponit enim tria in sacramento.  
Primo, effectum quem sensibile signum habet a Deo:  
puta quod adhibetur ex institutione divina tale ut a nobis  
suscipiatur ut sacramentum. Secundum, quod est neces-  
sitas necessitate infallibilitatis respectu effectus significati  
per sacramentum. Tertium, quod habet rationem dispo-  
sitionis: pro quanto suscipiens sacramentum ex ipsa sus-  
ceptione disponitur ad suscipiendum effectum significatum  
per sacramentum, a Deo immediate causante illum. Ex  
quorum trium concursu infert quod sacramentum, licet  
non sit secundum rem causa gratiae, potest tamen appel-  
lari causa instrumentalis gratiae: ut sic salventur auctori-  
tates Sanctorum.

\* Cf. num. v.

Declarat autem hoc, scilicet quod sine vera causalitate possit dici causa instrumentalis. Tum quia meritum dicitur causa praemii: et tamen non efficit illud. — Tum quia motus dicitur causa termini: et tamen non efficit illum. — Tum quia vere dicimus quod per motum acquiritur terminus, et per meritum acquiritur praemium: et tamen neutrum est causa vere instrumentalis. Et hoc directe militat contra rationem litterae sumptam ex modo loquendi cum illa praepositione *per*.

IV. Arguit praeterea contra conclusionem principalem huius litterae, scilicet, *Sacramentum est vere causa instrumentaliter agens ad gratiam* \*. Et argumentum suum est ex parte effectus. Aut sacramentum attingit instrumentaliter agendo ipsam gratiam gratum facientem, aut aliquam dispositionem praeviam. Non potest dici primum: quia gratia creatur, et nulla creatura potest etiam instrumentaliter creare.

Nec potest dici secundum. Tum quia dispositio illa, cum sit forma supernaturalis, est aequae creabilis sicut gratia. — Tum quia subiectum est aequae in potentia obedientiali ad illam dispositionem. — Tum quia dispositio illa producit in instanti: sacramenta autem non possunt agere in instanti. Et si ponatur produci in tempore, Deum agere in tempore inconvenit.

Arguit praeterea contra idem descendendo specialiter ad sacramentum Eucharistiae. Quia transsubstantiatio fit sola infinita virtute: non minus quam creatio. Nec potest fingi in pane dispositio necessitans ad transsubstantiationem: quoniam dispositio necessitans est in eodem instanti cum termino.

Praeterea, in aliis sacramentis oporteret assignare quae sit ista dispositio quae instrumentaliter causatur a sacramentis.

Demum arguit quod superflue ponitur ista causalitas in sacramentis \*. Quia sine ipsa, ex assistentia divina Ecclesiae revelata in operationibus sacramentalibus, omnia salvantur ad sacramenta et eorum effectus requisita.

V. Ad primo obiecta Scoti \* breviter respondendo, dicitur quod, cum ipse non salvet sacramentum causam esse, sed causam dici; et in veritate non nisi signum infallibile praeceptum suscipi ponatur ad effectum sacramenti: non satisficit auctoritatibus Sanctorum dicentibus sacramentum esse signum et causam efficientem signatum, ut patet in IV *Sententiarum* \*.

Cum ergo obiicitur primo quod sacramentum habet rationem dispositionis, respondetur quod non esset dispositio nisi ratione obedientiae qua praeceptum suscipitur signum. Et propterea falsum est quod ipsum sacramentum, seu illius susceptio, secundum se esset dispositio in esse reali, nisi ponatur realiter causa.

Ad secundum vero, de merito \*, dicitur quod, licet meritum sit causa ut ratio qua operanti est debitum praemium, et propterea dicitur causa praemii, constat tamen meritum non efficere praemium: quoniam aliunde est mereri, et aliunde praemiare. Et propterea non obstat hoc proposito, ubi de causa efficiente secundum rem est quaestio.

Ad tertium, de motu, dicitur quod, quia motus potest sumi active vel passive vel absolute; et per motionem activam procul dubio effective fit terminus; per motum autem simpliciter vel passive non effective, sed tanquam per viam acquiritur terminus: ideo argumentum non obstat propositioni qua utitur Auctor in hoc proposito, scilicet: *Illud proprie dicitur instrumentum, per quod agens effective operatur*.

Et per hoc patet responsio ad ultimum, contra rationem de modo loquendi. Quoniam non sumit argumentum Auctor ex *ly per* absolute, sed applicato ad id per quod efficiens operatur.

VI. Ad argumenta secundo loco inducta, contra conclusionem principalem \*, dicitur quod sacramentum instrumentaliter attingit gratiam sacramentalem; et non oportet recurrere ad dispositionem praeviam ad gratiam. Quidquid enim, secundum aliorum opinionem ut probabiliorum, dixerit Auctor in IV *Sent.* \*, hoc in loco, secundum pro-

priam sententiam, longe altius sensit, expresse ponens gratiam gratum facientem, qua scilicet homo fit membrum Christi, et qua sumus divinae naturae consortes, a Deo principaliter et a sacramento instrumentaliter effici. — Et confirmatur clare hanc esse suam intentionem ex titulo quaestionis, ubi distinguit hanc quaestionem a sequenti per hoc quod nunc quaeritur de sacramenti effectu principali, qui est gratia, tunc autem quaeretur de effectu secundario, qui est character, de quo et ornatu simile dicitur esse iudicium in IV *Sent.* \*, quoad praesentem quaestionem. — Et confirmatur hoc idem ex sequenti articulo huius quaestionis, ubi gratia sacramentalis non ponitur dispositio, sed, ut patebit \*, nullum habituale donum addit supra gratiam gratum facientem.

Ad obiectionem autem quod nulla creatura potest etiam instrumentaliter creare, respondetur hoc concedendo: sed negando quod gratia proprie creetur. Quod patet ex eo quod, cum desinit esse, non annihilatur: nam, si crearetur, quia creatio est ex nihilo, cum desineret conservari, oporteret quod eius desitio esset annihilatio. Deum autem credimus nunquam aliquid annihilare.

Et licet hoc sufficiat argumento, pro reverentia tamen communis dicti, sane intelligendi, de creatione gratiae, distinguere potes quod causatio gratiae dupliciter sumi potest. Vel quatenus est mutatio animae de non-gratia in gratiam Deo: et sic attingitur instrumentaliter a sacramento. Vel quatenus creatio ibi aliquo modo immiscetur: et sic fit gratia immediate a Deo. Probat autem convenienter sic dici, quia Christus, caput Ecclesiae ut homo (alioquin non esset eiusdem naturae cum membris), influit vitam, procul dubio gratiae gratum facientis, membris suis. Constat autem humanitatem Christi infra latitudinem contineri creaturarum. Non inconvenit ergo Deum per humanitatem Christi ut instrumentum coniunctum, et per sacramentum ut instrumentum separatum, gratiam gratum facientem in homine causare: ut clare habes hic in responsione ad tertium bene perspecta ac collata cum argumento et corpore articuli, ad quod se remittit.

Et per hoc patet responsio ad obiecta reliqua contra dispositiones praevias causabiles per sacramenta in speciali. De singulorum enim propriis effectibus in tractatu singulorum patere poterit. Nunc enim sat est proposito de effectu qui est gratia sacramentalis, tractare: quam diximus, et manifestabimus, non oportere esse dispositionem aliquam praeviam ad gratiam. Quare falsum est sacramentum non posse causare in instanti. Quoniam in termino temporis prolationis verborum sacramentum causare effectum suum potest. — Nec etiam inconvenit Deum, voluntarie utendo motu creaturae, agere in tempore: cum nullus adeo desipiat qui neget Deum posse localiter movere, quod est agere in tempore.

VII. Ad demum obiecta quod superflue ponitur ista causalitas in sacramentis \*, respondetur quod non superflue, sed necessario ponitur. Tum necessitate reverentiae ad auctoritates Sanctorum: quas ipsemet Scotus volens salvare, glossat: « *causa* », idest « *signum infallibile* »; ubi patet manifestus error in glossando. — Tum necessitate dignitatis sacramentorum novae legis. Longe enim digniora sunt si locantur in genere causae, quam si infra latitudinem signorum concludantur, ut sacramenta veteris legis. Fateri enim oportet sacramenta novae legis digniora esse sacramentis veteris legis: et excedere vetera in hoc quod nova *efficiunt quod figurant*, vetera autem non, ut patet in IV *Sent.*, dist. 1 \*.

A glossante autem Scoto, aut quocumque altero, in extraneum sensum, quaerendum est quibus verbis, aut quibus articulis, aut quo sermone, Sancti, aut quicumque alii, debuissent aut potuissent explicare hoc, scilicet quod sacramenta sint causa effectiva gratiae, si non explicatur per ista, *Efficiunt quod figurant*, et rursus per ista, *Ita ut imaginem gerat et causa existat*: quae omnia explicantur in Quarto *Sententiarum* \*. Doceant nos, quaeso, quibus vocabulis explicandum fuerat: et sic cognoscant se vel non sequi doctrinam Sanctorum in hac parte, collectam a Magistro Sententiarum.

\* Cf. num. vi.

\* Cf. num. vii.

\* Num. iii.

\* Dist. i, cap. Sacramentum. — Cf. s. Th. ibid. qu. i, art. 4, qu. 1.

\* Num. iii, Declarat.

\* Num. iv.

\* Dist. i, qu. i, art. 4, qu. 1; dist. xviii, qu. i, art. 3, qu. 1, ad 1.

\* Dist. i, qu. i, art. 4, qu. 1.

\* Comment. num. ii.

\* Num. iv, Demum.

\* Cap. Iam videre. — Cf. ibid. s. Th. qu. i, art. 4, qu. 1.

\* Dist. i, cap. Sacramentum; dist. iv, cap. Hic dicendum est.



\* In Decret. pro Armen.

Et scito quod hodie minus libera apparet opinio haec. Quoniam in concilio Florentino, sub Eugenio IV \*, legimus differentiam inter sacramenta veteris et novae legis in hoc quod illa non causabant gratiam, ista vero continent gratiam et conferunt eam. Haec ibi.

\* Num. III.

VIII. In responsione ad secundum, adverte Scotum, ubi supra \*, nec exempla praeterire. Unde contra exemplum de efficientia instrumentorum artificum arguit, probando serram non esse effectivam causam instrumentalem. Tum quia nec figura, nec quantitas, nec motus localis est forma activa. — Tum quia, sicut albedo expellit ab eodem nigredinem non effective sed formaliter, ita corpus expellit corpus ab eodem loco non effective, sed quasi formaliter.

IX. Ad haec facile est et respondere, et monstrare inopinabilem hanc Scoti novam phantasiam esse falsam. Cum enim movens proximum et motum oporteat esse simul; et constet ligni partes, quae secundo moventur localiter, non esse simul cum artifice (non enim oportet se tangi artificem et lignum quod secatur): consequens est quod movens proximum partes illas oportet quod sit serra, quae

est corpus movens motum. — Et confirmatur auctoritate Aristotelis, II *de Anima* \*, ponentis nautam movere navem et manu et temone, altera ut instrumento coniuncto, altero ut instrumento separato. Constat autem effective esse huiusmodi movere.

Ad primam ergo objectionem dicitur quod, licet motus localis absolute non sit forma activa aut actio, movere tamen localiter est agere, ut patet. Et sic, sicut artifex movendo serram agit, ita serra, movendo partes ligni, agit.

Ad secundam dicitur quod aliud est loqui de modo quo corpus expellit corpus ab eodem loco, et aliud est loqui de modo quo corpus movens motum expellit aliud corpus a suo loco: sicut aliud est loqui quomodo calor expellit frigus, et aliud quomodo corpus calefaciens calefactum expellit frigus. Ad propositum siquidem quaestionis huius non spectat primum, sed secundum: quoniam instrumentum artificis est movens motum. Ex quo patet quod exemplum Auctoris deservit proposito, dum sacramentum ponitur instrumentum divinae misericordiae motum a Deo ad movendum animam in sanctitatem sui.

\* Cap. IV, n. 16. — S. Th. lect. IX.

## ARTICULUS SECUNDUS

### UTRUM GRATIA SACRAMENTALIS ADDAT ALIQUID SUPRA GRATIAM VIRTUTUM ET DONORUM

Infra, qu. LXXII, art. 7, ad 3; II *Sent.*, dist. XXVI, art. 6, ad 5; IV, dist. I, qu. I, art. 4, qu<sup>a</sup> 5; dist. VII, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 3; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 5, ad 12.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod gratia sacramentalis non addat aliquid supra gratiam virtutum et donorum.

Per gratiam enim virtutum et donorum perficitur anima sufficienter et quantum ad essentiam animae, et quantum ad eius potentias: ut patet ex his quae in Secunda Parte \* dicta sunt. Sed gratia ordinatur ad animae perfectionem. Ergo gratia sacramentalis non potest aliquid addere super gratiam virtutum et donorum.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CX, art. 3, 4.

2. PRAETEREA, defectus animae ex peccatis causantur. Sed omnia peccata sufficienter excluduntur per gratiam virtutum et donorum: quia nulum est peccatum quod non contrarietur alicui virtuti. Gratia ergo sacramentalis, cum ordinetur ad defectus animae tollendos, non potest aliquid addere super gratiam virtutum et donorum.

\* S. Th. lect. III, — Did. lib. VII, cap. III, n. 8.

3. PRAETEREA, omnis additio vel subtractio in formis variat speciem, ut dicitur in VIII *Metaphys.* \* Si igitur gratia sacramentalis addat aliquid super gratiam virtutum et donorum, sequitur quod aequivoce dicatur gratia. Et sic nihil certum ostenditur <sup>α</sup> ex hoc quod sacramenta dicuntur gratiam causare.

α

SED CONTRA EST quod, si gratia sacramentalis non addit aliquid super gratiam donorum et virtutum, frustra sacramenta habentibus et dona et virtutes conferrentur. In operibus autem Dei nihil est frustra \*. Ergo videtur quod gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.

\* Arist. *de Cael. et Mund.* lib. I, cap. IV, n. 8. — S. Th. lect. VIII.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CX, art. 3, 4.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte \* dictum est, gratia, secundum se considerata, perficit essentiam animae, in quantum participat quandam similitudinem divini esse. Et sicut

ab essentia animae fluunt eius potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus potentiae perficiuntur in ordine ad suos actus.

Ordinantur autem sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana: sicut baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis et fit membrum Christi; qui quidem effectus est aliquid speciale praeter actus potentiarum animae. Et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam quandam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum \*, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum.

\* D. 677.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod gratia virtutum et donorum sufficienter perficit essentiam et potentias animae quantum ad generalem ordinationem actuum <sup>β</sup>. Sed quantum ad quosdam effectus speciales qui requiruntur in Christiana vita, requiritur sacramentalis gratia.

β

AD SECUNDUM DICENDUM quod per virtutes et dona sufficienter excluduntur vitia et peccata quantum ad praesens et futurum: in quantum scilicet impeditur homo per virtutes et dona a peccando. Sed quantum ad praeterita peccata, quae transeunt actu et permanent reatu <sup>γ</sup>, adhibetur homini remedium specialiter per sacramenta.

γ

AD TERTIUM DICENDUM quod ratio sacramenta-

α) ostenditur. — nobis ostenditur Plc.  
β) actuum. — animae addunt I et editiones.

γ) reatu... instrumento ex (art. 4, ad 3). — Om. E; antiquus corrector reliqua secundi articuli super marginem superiorem scripsit et e regione reatu notat hic deficiunt due qoes.

lis gratiae se habet ad gratiam communiter dictam sicut ratio speciei ad genus. Unde, sicut non aequivoce dicitur *animal* communiter dictum

et pro homine sumptum, ita non aequivoce dicitur gratia communiter sumpta et gratia sacramentalis.

Commentaria Cardinalis Caietani

**I**N titulo per *gratiam virtutum et donorum* intellige habitum gratiae gratum facientis, et virtutum tam theologialium quam moralium, et donorum Spiritus Sancti.

In corpore unica est conclusio: *Gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum*. Et probatur conclusio haec ex diversitate effectuum: quia scilicet alius est effectus gratiae sacramentalis, et alius est effectus gratiae virtutum et donorum. Et quia in conclusione et titulo non de sola distinctione, sed de distinctione per modum addentis fit mentio, ideo probatio utrumque includit, scilicet distinctionem et additionem, assumens non solum effectus gratiae virtutum et donorum ex una parte et effectus gratiae sacramentalis ex altera parte, sed etiam proportionem virtutum et donorum ad gratiam, ac per hoc implicite proportionem gratiae sacramentalis, seu ipsius effectus, ad gratiam.

Est ergo probatio ista. Gratia absolute perficit essentiam animae; et, sicut ab essentia fluunt potentiae, ita a gratia fluunt perfectiones potentiarum, dona scilicet et virtutes. Sacramenta autem ordinantur ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana, praeter actus potentiarum animae. Ergo, sicut virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam perfectionem ordinatam ad actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam et virtutes et dona quoddam divinum auxilium ad consequendum finem. Ergo gratia sacramentalis addit super gratiam donorum et virtutum.

Antecedens quoad primam partem declaratur. Gratia est similitudo divini esse: — seu, Quia anima, in quantum participat quandam similitudinem divini esse, perficitur a gratia. Quantum vero ad secundam partem, declaratur quoad hoc, quod potentiae perficiuntur per dona et virtutes in ordine ad actus ipsarum potentiarum. Quoad tertiam vero partem, declaratur ex effectu baptismali, qui est spiritualis regeneratio non qualitercumque, sed ita ut homo moriatur vitiis, membrumque Christi fiat. — Ubi scito quod effectus baptismi proprius non est gratia gratum faciens absolute: sed sic renasci secundum gratiam in membrum Christi ac si ipse passus fuisset patiente Christo; et hoc importat remissionem omnis culpae et omnis poenae. Constat enim hoc effectum quandam esse necessarium in vita Christiana, ultra bonam dispositionem actuum potentiarum animae. Et quod dicitur de baptismo, idem intelligi vult Auctor de effectibus aliorum sacramentorum. Quod si praeveniendi intelligere cupis, vide inferius articulum primum quaestionis sexagesimaequintae: ibi enim invenies proprium cuiusque sacramenti effectum, tam quoad bonum datum quam quoad defectum expulsum.

Consequentia autem ut consona rationi relinquatur. Quoniam utraeque, scilicet perfectiones potentiarum et gratiae sacramentales, de genere spiritualium sunt, et dependentium a gratia, et necessarium in vita Christiana, etc.

II. Circa hanc doctrinam, adverte dupliciter posse intelligi gratiam sacramentalem addere super gratiam donorum

et virtutum. Primo, ut addat donum aliquod habituale. Et hic sensus licet forte multis placeat, et ab Auctore sumptus credatur, quia ponit differentiam specificam inter gratias sacramentales et gratiam donorum et virtutum, tam hic in responsione ad ultimum, quam in Quaestionibus *de Veritate*, qu. xxvii, art. 5, ad 12: mihi tamen, etiamsi alibi, hoc est in libris *Sententiarum* \* aut *Quaestionibus Disputatis* \*, Auctor expressisset oppositum, aliter sentiendum videtur ex hoc loco. Et est secundus sensus, ut gratia sacramentalis addat supra gratiam donorum et virtutum, non habituale aliquod donum, sed actuale divinum auxilium extensivum gratiae virtutum et donorum ad effectum proprium sacramenti.

Moveor autem ad hoc, quoniam in Prima Secundae \* Auctor, dividendo gratiam, distinxit contra habituale donum gratiae, gratuitum divinum auxilium. Ac per hoc, sub genere gratiae communiter dictae locavit duo genera seu species gratiarum, scilicet gratiam habitualis doni, et gratiam divini auxilii. Et propterea, cum hoc in loco expresse dicat gratiam sacramentalem addere divinum auxilium, non est ad aliud genus gratiae e regione positum, scilicet donum habituale, divertendum: sed, planum litterae sensum sectando, sentiendum est quod gratia sacramentalis distinguitur specie a gratia virtutum et donorum, non sicut habitus ab habitu, sed sicut gratuitum divinum auxilium a gratuito habituali dono; et per hoc, esse speciem gratiae communiter dictae, ut in responsione ad tertium dicitur; et dividi in plures species, iuxta specificam pluralitatem effectuum, ut inferius qu. lxxii, art. 7, ad 3, dicitur.

Et confirmatur hoc ex nunc nunc allegato loco, ubi Auctor gratiam in sacramento confirmationis collatam, ad hic dicta se referens: — non dicit diversam esse gratiam gratum facientem et sacramentalem baptismi et confirmationis: sed dicit gratiam utrobique collatam habere aliquid commune, et aliquid proprium; et quoad commune, quod est gratia gratum faciens, esse unius speciei; si vero consideretur quoad propria superaddita, sic diversarum sunt rationum collata in baptismo et confirmatione. Ex hoc enim quod ad diversum modum considerandi gratiam se resolvit, insinuat non esse ibi diversos habitus: sed, ut diximus, esse unum habitum relatum seu extensum ex novo divino auxilio per sacramentum exhibito, ad diversos secundum speciem effectus.

Et confirmatur hic sensus. Quia hoc sufficit ad salvandum et dignitatem sacramentorum in causando, et gratias sacramentales, et effectus earum: nec multiplicantur tot habitus in anima.

III. In responsionibus ad primum et secundum, si vis in speciali videre differentiam utriusque effectus, scilicet perfectionis ad quam ordinatur sacramentum, et de qua tractatur in responsione ad primum; et similiter defectus contra quem ordinatur sacramentum, de quo in responsione ad secundum tractatur: lege dictum articulum primum quaestionis sexagesimaequintae inferius.

\* II *Sent.*, dist. xxvi, art. 6, ad 5; IV, dist. i, qu. i, art. 4, qu. 5; dist. vii, qu. ii, art. 2, qu. 3.  
\* Loc. cit.

\* Qu. cix, art. 10 sqq.; qu. cx, art. 2.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SACRAMENTA NOVAE LEGIS CONTINEANT GRATIAM

Part. I, qu. XLIII, art. 6, ad 4; I *Sent.*, dist. xv, qu. v, art. 1, qu. 1, ad 2; IV, dist. i, qu. i, art. 4, qu. 4;  
*De Verit.*, qu. xxvii, art. 7.



**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta novae legis non contineant gratiam. Contentum enim videtur esse in continente. Sed gratia non est in sa-

cramento: neque sicut in subiecto, quia subiectum gratiae non est corpus sed spiritus; neque sicut in vase, quia *vas est locus mobilis*, ut dicitur in IV *Physic.* \*, esse autem in loco non con-

\* Cap. iv, n. 12. — S. Th. lect. vi.

venit accidenti. Ergo videtur quod sacramenta novae legis non contineant gratiam.

2. PRAETEREA, sacramenta ordinantur ad hoc quod homines per ea gratiam consequantur. Sed gratia, cum sit accidens, non potest transire de subiecto in subiectum. Ergo pro nihilo esset gratia in sacramentis.

3. PRAETEREA, spirituale non continetur a corporali, etiam si in eo sit: non enim anima continetur a corpore, sed potius continet corpus. Ergo videtur quod gratia, cum sit quoddam spirituale, non contineatur in sacramento corporali.

\* De Sacram. lib. I, part. ix, cap. 2.

SED CONTRA EST quod Hugo de Sancto Victore dicit \*, quod *sacramentum ex sanctificatione invisibilem gratiam continet*.

RESPONDEO DICENDUM quod multipliciter dicitur aliquid esse in alio: inter quos duplici modo gratia est in sacramentis. Uno modo, sicut in signis <sup>α</sup>: nam sacramentum est signum gratiae. — Alio modo, sicut in causa. Nam, sicut dictum est \*, sacramentum novae legis est instrumentalis gratiae causa. Unde gratia est in sacramento novae legis, non quidem secundum similitudinem

α  
\* Art. 1.

speciei, sicut effectus est in causa univoca; neque etiam secundum aliquam formam propriam et permanentem proportionatam ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis non univocis, puta res generatae in sole; sed secundum quandam istrumentalem virtutem, quae est fluens et <sup>β</sup> incompleta in esse naturae, ut infra \* dicitur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod gratia non dicitur esse in sacramento sicut in subiecto; neque sicut in vase prout vas est locus quidam: sed prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi, secundum quod dicitur Ezech. ix \*: *Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua*.

β  
\* Art. 4.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quamvis accidens non transeat a subiecto in subiectum, transit tamen a causa per instrumentum aliquo modo in subiectum: non ut eodem modo sit in eis, sed in unoquoque secundum propriam rationem.

\* Vers. 1.

AD TERTIUM DICENDUM quod spirituale existens perfecte in aliquo, continet ipsum, et non continetur ab eo. Sed gratia est in sacramento secundum esse fluens et incompletum. Et ideo non inconvenienter sacramentum dicitur gratiam continere.

α) signis. — signo PI.

β) et. — PsH; om. Cf. ad 3. et qu. LXIII art. 2. corp. fin.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS accipiendus est ut sonat. — In corpore sunt duae conclusiones. Altera est: *Gratia est in sacramentis sicut in signis*. Et probatur. Quia sacramentum est signum gratiae.

Altera est: *Gratia est in sacramentis sicut in causa, non univoca nec aequivoca, sed instrumentali*. Et probatur quoad secundam partem: quia non est secundum simili-

tudinem speciei, sicut homo genitus erat in homine generante. Quoad tertiam vero: quia non est secundum aliquam formam propriam et permanentem proportionatam ad talem effectum, sicut res generatae sunt in sole. Quoad quartam demum partem: quia est secundum quandam virtutem fluentem et incompletam in ipsa natura.

### ARTICULUS QUARTUS

#### UTRUM IN SACRAMENTIS SIT ALIQUA VIRTUS GRATIAE CAUSATIVA

Infra, qu. LXXVIII, art. 4; IV Sent., dist. 1, qu. 1, art. 4, qu<sup>a</sup> 2; dist. VIII, qu. II, art. 3; De Verit., qu. xxvii, art. 4, ad 4; Quodl. XII, qu. x.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in sacramentis non sit aliqua virtus gratiae causativa. Virtus enim gratiae causativa est virtus spiritualis. Sed in corpore non potest esse <sup>α</sup> virtus spiritualis: neque ita quod sit propria ei, quia virtus fluit ab essentia rei, et ita non potest eam transcendere; neque ita quod recipiat eam ab alio, quia quod recipitur ab aliquo, est in eo per modum recipientis. Ergo in sacramentis <sup>β</sup> non potest esse aliqua virtus gratiae causativa.

α  
β

2. PRAETEREA, omne quod est, reducit ad aliquod genus entis, et ad aliquem gradum boni. Sed non est dare in quo genere entis sit talis virtus: ut patet discurrenti per singula. Nec etiam potest reduci ad aliquem gradum bonorum: neque enim est inter minima bona, quia sacramenta

sunt de necessitate salutis; neque etiam inter media bona, cuiusmodi sunt potentiae animae, quae sunt quaedam potentiae naturales; neque <sup>γ</sup> inter maxima bona, quia nec est gratia nec virtus mentis. Ergo videtur quod in sacramentis nulla sit virtus gratiae causativa.

3. PRAETEREA, si talis virtus est in sacramentis, non causatur in eis nisi per creationem a Deo. Sed inconveniens videtur quod tam nobilis creatura statim esse desinat sacramento perfecto. Ergo videtur quod nulla virtus sit in sacramentis ad gratiam causandam.

4. PRAETEREA, idem non potest esse in diversis. Sed ad sacramenta concurrunt diversa, scilicet verba et res: unius autem sacramenti non potest <sup>δ</sup> esse nisi una virtus. Ergo videtur quod in sacramentis nulla sit virtus.

γ  
δ

α) potest esse. — est editiones; Sed... spiritualis om. I.  
β) sacramentis. — sacramento CFGHI.

γ) neque. — neque etiam PFI. — quia PFIsG et c; quae.  
δ) potest. — Tertia praeter G; habet.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *super Ioan. \**: *Quae e tanta vis aquae ut corpus tangat et cor abluat?* Et Beda \* dicit quod *Dominus tactu suae mundissimae carnis vim regenerativam contulit aquis.*

\* Tract. LXXX.  
\* Mag. IV Sent., dist. III, cap. Si vero.

RESPONDEO DICENDUM quod illi qui ponunt quod sacramenta non causant gratiam nisi per quandam concomitantiam \*, ponunt quod in sacramento non sit aliqua virtus quae operetur ad sacramenti effectum: est tamen virtus divina sacramento co-assistens †, quae sacramentalem effectum operatur. Sed ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere quod in sacramento sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. Et haec quidem virtus proportionatur instrumento. Unde comparatur ad virtutem absolutam et perfectam alicuius rei sicut comparatur instrumentum ad agens principale. Instrumentum enim, ut dictum est ‡, non operatur nisi in quantum est motum a principali agente, quod per se operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens et completum esse in natura: virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud, et incompletum; sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens.

\* Cf. art. 1.

\* Ibid.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completae, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentalem §: in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem in-

¶

ε) Quae. — Quod BFG, Unde P.  
‡) co-assistens. — consistens AD, assistens HpG et editiones.  
§) instrumentalem. — Om. pG, et instrumentalem H, instrumentaliter Pl.

ducendum; sicut etiam in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut motus, eo quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti, sicut alteratio ad qualitatem: ita virtus instrumentalis non est, proprie loquendo, in aliquo genere, sed reducitur ad genus et speciem virtutis perfectae.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut virtus instrumentalis acquiritur instrumento ex hoc ipso quod movetur ab agente principali, ita et sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi et applicatione ministri ad usum sacramenti \*. Unde Augustinus dicit, in quodam sermone de Epiphania \*: *Nec mirum quod θ aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus pervenire. Pervenit plane, et penetrat conscientiae universa latibula. Quamvis enim ipsa sit subtilis et tenuis, benedictione tamen Christi subtilior, occultas vitae causas ad secreta mentis subtili rore pertransit.*

\* D. 683.

\* S. Maxim. Taurin. Serm. XII, al. de Bapt. Christi Serm. II. — Cf. Caten. Aur. in Matth., cap. III, f. θ

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut eadem vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum; ita etiam eadem vis sacramentalis invenitur in verbis et rebus, prout ex verbis et rebus perficitur unum sacramentum.

θ) quod. — Efa et tertia praeter I; quam. — Ante subtilior PEFISG addunt facta. Pro occultas, occultans P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat sumendus est, de virtute causativa effective.

In corpore referuntur duae viae. Altera ponentium sacramenta non causare gratiam nisi concomitanter. Et secundum hanc respondetur quaestioni negative: quia sola virtus divina assistens est quae causat gratiam.

Altera, quam sequitur Auctor, ponentium quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae. Et secundum hanc respondetur quaesito, dicendo duo. Primo. *Necesse est simul ponere quod in sacramento sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum.* — Secundo, qualis est ista virtus. Et dicitur: *Haec virtus proportionatur instrumento.* Et probatur. Virtus haec se habet ad alicuius rei perfectionem et virtutem absolute, sicut instrumentum se habet ad agens principale. Sed instrumentum non operatur nisi in quantum est motum a principali agente: principale autem agens operatur per se. Et propterea virtus principalis habet completum et permanens esse in natura: virtus autem instrumentalis incompletum et transiens. Ergo virtus haec proportionatur instrumento. Et probatur hoc ultimum: quia motus est actus imperfectus ab agente in patiens.

II. Adverte hic maximam hoc in loco difficultatem inveniri, eo quod uno sensu intellecta communiter videntur, tam a sequacibus quam ab adversariis, verba Auctoris, cum tamen dupliciter possint intelligi. Primo, ut sit sensus quod in sacramentis novae legis est aliqua virtus

superaddita, non solum propriae operationi sensibilis elementi, sed etiam superaddita motui quo movetur a principali agente; et haec virtus est quaedam qualitas habens esse fluens per modum motus; et est spiritualis; immo est ipsa gratia secundum esse fluens et incompletum, ut in calce praecedentis articuli hoc ultimum Auctor expressit. Et hic est sensus communis, contra quem Scotus, ubi supra \*, et Durandus \*\* et Aureolus \*\*\* arguunt.

III. Sed quoniam hic sensus non est intentus ab Auctore, nec verus, ut nunc nunc conabor ostendere; ideo, argumentationibus istorum omissis, ad secundum venio sensum: ut scilicet virtus ista nihil aliud sit quam motus quo instrumentum a principali agente movetur ad proprium principalis agentis effectum inducendum. Moveor autem ad hoc ex communibus, et ex propriis. Apertissime enim Auctor in hac littera ex communibus omni instrumentali causae procedit, dicens: *Sed ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere quod in sacramento sit quaedam virtus*, etc. Ubi patet quod secundum eum simile est iudicium de sacramento et de aliis causis instrumentalibus, quantum ad virtutem instrumentalem per modum transeuntis, etc. Sed de causa instrumentali expressit Auctor, in primo huius quaestionis articulo, haec verba: *Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente.* Ubi dictio exclusiva manifestat quod ab instrumento excludit Auctor omnem agendi

\* Art. 1, Comment. num. III.  
\*\* IV Sent., dist. I, qu. IV.  
\*\*\* IV Sent., dist. I, qu. I, art. 1.

rationem superadditam motui quo movetur a principali agente.

Et hoc ipsum, in speciali de sacramentis loquendo, in calce responsionis ad primum huius articuli replicat, dicens: *Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem.* Ubi vides vim spiritualem consistere in hoc quod sacramenta ordinantur a Deo ad effectum spiritualem.

Et confirmatur hic sensus ex eo quod, secundum Auctorem \*, sacramentum baptismi virtutem hanc inchoative accepit in sui institutione, scilicet quando Christus est baptizatus. Tunc enim aqua sanctificata est, accipiendo inchoative vim regenerativam. Sed constat nihil tunc aquam accepisse nisi habilitatem ut sit materia baptismi: factum est enim tunc ut non oleum, non vinum, etc., sed aqua idonea esset ad regenerandum. Et si his adiungas quod vis quaelibet eiusdem rationis est in sui inchoatione et perfectione, opinaberis quod vis regenerativa quae, in aqua inchoative posita, contenta est sola idoneitate, in ablutione sacramentali consummate posita, contenta est solo usu quo Deus actualiter ablutione illa utitur ad regenerandum. Usus siquidem, seu motus ille quo Deus movet illam, seu utitur actione nostra sensibili, sacramentum constituit in esse effectivo gratiae sacramentalis: quia est quo est movens motum a principali agente. Et est vis spiritualis: quia est quo respectu effectus spiritualis. Et est ipsa gratia secundum esse incompletum et transiens: quia est mediatio et motio quaedam ad gratiam. — Et multa alia posent hic dici: nisi diffuse de hac virtute instrumentali scripsissem superius in articulo secundo \* quaestionis tertiae decimae.

Et confirmantur haec omnia, quia sic absque multiplicatione entium salvantur causalitates effectivae instrumentorum, et dicta Auctoris. Ait enim, in responsione ad primum, quod *in ipsa voce sensibili est vis quaedam spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis.* Nihil est enim in voce sensibili in quantum procedit a mente, praeter significationem, nisi usus quo mens illa utitur significativa voce ad excitandam mentem auditoris. Et propterea non movetur Graecus a Latino, quia significativa vox qua loquens utitur, non pervenit ad intellectum Graeci. *Et hoc subdit modo Auctor, vis spiritualis est in sacramentis.*

IV. Nec te moveat quod Auctor iungit motui instrumenti virtutem seu vim, ex ipsa adiunctione insinuans differentiam inter instrumenti motum, et virtutem de qua est quaestio. Quoniam sermo Auctoris est formalis tam de virtute quam de motu. Quod ut melius intelligas, distingue motum quo potest instrumentum moveri, in motum simplicem, et motum virtuosum. Est siquidem instrumenti simplex motus ille ad quem ex parte moventis sufficit potentia motiva; ex parte vero termini, naturalis effectus instrumenti. Motus autem *virtuosus* est ille qui ex parte moventis, ultra potentiam motivam, exigit artem, seu aliquid proportionale arti; ex parte vero termini, ducit ad effectum principalis agentis, puta artis, seu alicuius proportionaliter se habentis sicut ars se habet ad instru-

menta sua. Exemplum utriusque motus perspice in cithara: cuius fides si moveantur a non-musico, sonabunt tantum; si vero moveantur a musico, efficient non solum sonum, sed sonum musicum, qui est effectus proprius artis musicae. Ubi patet quod simplex motus fidium citharae non ducit nisi ad naturalem effectum percussionis illarum: motus vero qui ab arte procedit, ad effectum artis ducit, utpote vim artis in se habens; et propterea motus virtuosus appellatur.

Tria ergo cum hic considerentur, scilicet motus, et vis seu virtus, et motus virtuosus; ratione diversitatis quae est inter motum et vim seu virtutem, dispares valde conditiones assignantur utriusque, puta quod vis seu virtus est de genere qualitatis (reductive tamen), quod habet esse intentionale, quod est spiritualis, etc., quae non conveniunt motui; ratione vero coincidentiae seu identitatis motus et virtutis in tertio, hoc est in motu virtuosus instrumenti, ut dictum est, quod instrumentum agit per solum motum quo movetur a principali agente. Ratione autem solius formalis distinctionis inventae inter motum et virtutem in motu virtuosus instrumenti, apponitur motui instrumenti vis seu virtus: et non ad denotandum quod sint duae res; sed quod haec duo coeuntia in instrumento, inveniuntur constituentia illius motum virtuosum. Et hic est quem sacramentalia signa a Deo sortiuntur, cum sacramenta conferuntur. Nam si quis aliquem ablueret aqua, etc., non animo faciendi quod facit Ecclesia, tunc sacramentalia signa et verba moverentur simplici motu tantum, utpote a solo homine, et nihil aliud efficerent nisi corporalem ablutionem. Cum vero quis hominem abluit servatis servandis iuxta institutionem Christi, moventur tunc sacramentalia signa motu virtuosus, utpote a Iesu Christo (*ipse est enim qui baptizat \**), et *corpus tangendo abluunt cor*, ut Augustinus dicit \*.

Ex quibus omnibus habere potes, diligens Lector, unde et quomodo varia seu dissona, ut apparet, dicta de instrumentorum motu et virtute, sane intelligere potes.

V. In responsione ad ultimum, perspice quam bene definita sit vis sacramentalis, et universaliter instrumentalis. Nam sicut diversa instrumenta nihil aliud habent ab arte una nisi suos motus virtuosos ad effectum artis; et omnes illi motus, quia sunt motus partiales, sunt unus motus totalis, ac per hoc una vis principalis agentis inventa instrumentaliter in diversis instrumentis: ita in ministro, verbis et elemento sunt passivi motus virtuosus partiales multi, nam et ministri operatione, puta ablutione, et verbis et aqua utitur Christus movendo singula ut agens principale; et sicut ex omnibus non consurgit nisi unum numero sacramentum, ita ex omnibus partialibus motibus virtuosis, hoc est passive et active sumptis, non constat nisi una numero vis sacramentalis; quemadmodum omnes motus singulorum trahentium navem non sunt nisi unus numero tractus, una numero totalis actio, unam inferens passionem unumque effectum. Nec oportet laborare ad inveniendum quomodo ex diversis formis intentionalibus fit una forma simplex aut composita vel per aggregationem, ut contra tenentes huiusmodi virtutes intentionales arguitur.

## ARTICULUS QUINTUS

### UTRUM SACRAMENTA NOVAE LEGIS HABEANT VIRTUTEM EX PASSIONE CHRISTI

Infra, qu. LXIV, art. 2, ad 2; IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 4, qu. 3.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta novae legis non habeant virtutem ex passione Christi. Virtus enim sacramentorum est ad gratiam causandam in anima, per quam spiritualiter vivit. Sed, sicut Augustinus dicit, *super Ioan. \**: *Verbum prout erat in principio apud Deum, vivificat animas: secundum autem quod est caro fa-*

*ctum, vivificat corpora.* Cum igitur passio Christi pertineat ad Verbum secundum quod est caro factum, videtur quod non possit causare virtutem sacramentorum.

2. PRAETEREA, virtus sacramentorum videtur ex fide dependere: quia, sicut Augustinus dicit, *super Ioan. \**, verbum Dei perficit sacramentum, *non quia dicitur, sed quia creditur.* Sed fides no-

\* Qu. LXVI, art. 1; IV *Sent.*, dist. III, art. 5, qu. 2.

\* Comm. num. v sqq.

\* Ioan. cap. 1, vers. 33. — Aug. In *Ioan. Evang.* tract. VI. \* Cf. arg. *Sed conti.*

\* Tract. XIX, n. 15, 16.

\* Tract. LXXX.

stra non solum respicit passionem Christi, sed etiam alia mysteria humanitatis ipsius, et principaliter etiam divinitatem eius. Ergo videtur quod sacramenta non habeant specialiter virtutem a passione Christi.

\* Vers. 11.

3. PRAETEREA, sacramenta ordinantur ad hominum iustificationem: secundum illud I Cor. vi \*: *Abluti estis, et iustificati estis*. Sed iustificatio attribuitur resurrectioni: secundum illud Rom. iv \*: *Resurrexit propter iustificationem nostram*. Ergo videtur quod sacramenta magis habeant virtutem a resurrectione Christi quam ab eius passione.

\* Vers. 25.

\* Vers. 14.

SED CONTRA EST quod, super illud Rom. v \*, *In similitudinem praevaricationis Adae etc.*, dicit Glossa \*: *Ex latere Christi dormientis a fluxerunt sacramenta, per quae salvata est Ecclesia*. Sic ergo videtur sacramenta virtutem habere ex passione Christi.

\* Ord. et Lomb. a

\* Art. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus; aliud autem coniunctum, ut manus. Per instrumentum autem coniunctum movetur instrumentum separatum: sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiae est ipse Deus \*, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet quod virtus salutifera derivetur a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta.

\* D. 68o.

Gratia autem sacramentalis ad duo praecipue ordinari videtur: videlicet ad tollendos defectus praeteritorum peccatorum, in quantum transeunt actu et remanent reatu; et iterum ad perficiendum animam in his quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianae vitae. Ma-

nifestum est autem ex his quae supra \* dicta sunt, quod Christus liberavit nos a peccatis nostris praecipue per suam passionem, non solum efficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem initiavit ritum Christianae religionis, *offerens seipsum oblationem et hostiam Deo*, ut dicitur *Ephes. v \**. Unde manifestum est quod sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum \*. In cuius signum, de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua et sanguis \*, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quae sunt potissima sacramenta.

\* Qu. XLVIII, art. 1, 2, 6; qu. XLIX, art. 1, 3.

\* Vers. 2.

\* D. 982.

\* Ioan. cap. XIX, vers. 34; I Ioan. cap. V, vers. 6.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Verbum prout erat in principio apud Deum, vivificat animas sicut agens principale: caro tamen eius, et mysteria in ea perpetrata, operantur instrumentaliter ad animae vitam. Ad vitam autem corporis non solum instrumentaliter, sed etiam per quandam exemplaritatem, ut supra \* dictum est.

\* Qu. LVI, art. 1, ad 3.

AD SECUNDUM DICENDUM quod *per fidem Christus habitat in nobis*, ut dicitur *Ephes. III \**. Et ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem. Virtus autem remissiva peccatorum speciali quodam modo pertinet ad passionem ipsius. Et ideo per fidem passionis eius specialiter homines liberantur a peccatis: secundum illud Rom. III \*: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius*. Et ideo virtus sacramentorum, quae ordinatur ad tollendum peccata, praecipue est ex fide passionis Christi.

\* Vers. 17.

\* Vers. 25.

AD TERTIUM DICENDUM quod iustificatio attribuitur resurrectioni ratione termini ad quem, qui est novitas vitae per gratiam. Attribuitur tamen passioni ratione termini a quo, scilicet quantum ad dimissionem culpae.

a) dormientis. — in cruce addunt FI et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat. — In corpore una conclusio: *Sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi*. Probat tripliciter. Primo, ex communibus: quia humanitas Christi est instrumentum coniunctum deitatis, sacramentum autem instrumentum separatum. Et formatur ratio. Agens principale per coniunctum instrumentum movet separatum. Sed Deus est agens principale gratiae; et humanitas Christi instrumentum coniunctum; et sacramentum instrumentum separatum. Ergo.

Et quia haec ratio non concludit de passione Christi, sed de humanitate Christi, in qua Christus mysteria multa consummavit, puta nativitatem, praedicationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, etc.: ideo secunda subiungitur ratio, per quam probatur specialiter quod a passione Christi virtus sit sacramentorum. Et procedit ratio ex effectu proprio gratiae sacramentalis: quia scilicet uterque talis proprius effectus appropriatur passioni Christi. Et

formatur ratio. Tam liberatio a peccatis nostris, quam initium ritus Christianae religionis, est praecipue a passione Christi. Sed utrumque fit praecipue per gratiam sacramentalem. Ergo gratia sacramentalis: — seu, quod in idem redit, Ergo virtus sacramentalis gratiae est a passione Christi. — Maior declaratur ex dictis. Quoad primam partem quidem: quia Christus liberavit nos per passionem a peccatis, non solum efficienter et meritorie, quod convenit aliis eius mysteriis, sed etiam satisfactorie, quod appropriatur passioni. Quoad secundam vero: quia per passionem, offerendo seipsum, initiavit ritum Christianae religionis. — Minor autem clara ex hoc tractatu.

Tertio, probatur conclusio ex signo fluxus sanguinis et aquae de latere Christi, per quod praecipua sacramenta monstrantur quod copulantia sunt nobis virtutem passionis Christi.

## ARTICULUS SEXTUS

## UTRUM SACRAMENTA VETERIS LEGIS GRATIAM CAUSARENT

Infra, qu. LXXII, art. 5, ad 3; I<sup>a</sup> II<sup>a</sup>, qu. ciii, art. 2; IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 5, qu<sup>a</sup> 1; dist. xviii, art. 3, qu<sup>a</sup> 1, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LVII; *De Verit.*, qu. xxvii, art. 3, ad 20; qu. xxviii, art. 2, ad 12; *De Eccles. Sacram.*; *Ad Galat.*, cap. II, lect. IV.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta veteris legis gratiam causarent. Quia, sicut dictum est \*, sacramenta novae legis habent efficaciam ex fide passionis Christi. Sed fides passionis Christi fuit in veteri lege, sicut et in nova: *habemus enim eundem Spiritum fidei*, ut habetur II *Cor.* IV \*. Sicut ergo sacramenta novae legis conferunt gratiam, ita etiam sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

2. PRAETEREA, sanctificatio non fit nisi per gratiam. Sed per sacramenta veteris legis homines sanctificabantur: dicitur enim *Levit.* VIII \*: *Cumque sanctificasset eos*, Moyses scilicet <sup>α</sup> Aaron et filios eius, *in vestitu suo*, etc. Ergo videtur quod sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

3. PRAETEREA, Beda dicit, in homilia *Circumcisionis* \*: *Idem salutiferae curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat quod baptismus agere revelatae tempore gratiae consuevit*. Sed baptismus nunc confert gratiam. Ergo circumcisio gratiam conferebat. Et pari ratione alia sacramenta legalia: quia sicut baptismus est ianua sacramentorum novae legis, ita circumcisio erat ianua sacramentorum veteris legis; propter quod Apostolus dicit, *Galat.* V \*: *Testificor omni circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae*.

SED CONTRA EST quod dicitur *Galat.* IV \*: *Convertimini iterum ad infirma et egena elementa?* Glossa \*: *id est ad legem, quae dicitur infirma, quia perfecte non iustificat*. Sed gratia perfecte iustificat. Ergo sacramenta veteris legis gratiam non conferebant.

RESPONDEO DICENDUM quod non potest dici quod sacramenta veteris legis conferrent gratiam iustificantem per seipsa, id est propria virtute: quia sic non fuisset necessaria passio Christi, secundum illud *Galat.* II \*: *Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est*.

Sed nec potest dici quod ex passione Christi virtutem haberent conferendi gratiam iustificandi. Sicut enim ex praedictis \* patet, virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem et sacramenta \*, differenter tamen: nam continuatio quae est per fidem, fit per actum animae; continuatio autem quae est per sacramenta, fit per usum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id quod est posterius tempore, antequam sit, movere, secundum quod praecedit in actu animae: sicut finis, qui est posterior tempore, movet agentem secundum quod est apprehensus et desideratus ab ipso. Sed illud quod nondum est in rerum natura, non

movet secundum usum exteriorum rerum. Unde causa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis, sicut causa finalis \*. Sic igitur manifestum est quod a passione Christi, quae est causa humanae iustificationis, convenienter <sup>β</sup> derivatur virtus iustificativa ad sacramenta novae legis, non autem ad sacramenta veteris legis.

Et tamen per fidem passionis Christi iustificabantur antiqui Patres, sicut et nos. Sacramenta autem veteris legis erant quaedam illius fidei protestationes, inquantum significabant passionem Christi et effectus eius. Sic ergo patet quod sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem: sed solum significabant fidem, per quam iustificabantur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod antiqui Patres habebant fidem de passione Christi futura, quae, secundum quod erat in apprehensione animae, poterat iustificare. Sed nos habemus fidem de passione Christi praecedenti, quae potest iustificare etiam secundum realem usum sacramentalium rerum, ut dictum est \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illa sanctificatio erat figuralis: per hoc enim sanctificari dicebantur quod applicabantur cultui divino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum passionem Christi.

AD TERTIUM DICENDUM quod de circumcissione multiplex fuit opinio. Quidam \* enim dixerunt quod per circumcisionem non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum. — Sed hoc non potest esse: quia homo non iustificatur a peccato nisi per gratiam, secundum illud *Rom.* III \*: *Iustificati gratis per gratiam ipsius*.

Et ideo alii dixerunt quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remotos culpae, sed non quantum ad effectus positivos <sup>γ</sup>. — Sed hoc etiam videtur esse falsum \*. Quia per circumcisionem dabatur pueris facultas perveniendi ad gloriam, quae est ultimus effectus positivus gratiae. Et praeterea, secundum ordinem causae formalis, priores sunt naturaliter effectus positivi quam privati, licet secundum ordinem causae materialis sit e converso: forma enim non excludit privationem nisi informando subiectum.

Et ideo alii \* dicunt quod circumcisio conferebat gratiam etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita aeterna: non tamen quantum ad hoc quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum. Quod aliquando <sup>δ</sup> mihi visum est \*. — Sed diligen-

\* Art. 5, ad 2.

\* Vers. 13.

\* Vers. 31.

α

\* Homil. X.

\* Vers. 3.

\* Vers. 9.

\* Ord. et Lomb.

\* Vers. 21.

\* Art. praeced. - Cf. qu. XLVIII, art. 6, ad 2; qu. XLIX, art. 1, ad 4, 5. \* D. 982.

α) eos, Moyses scilicet. — Moyses P; scilicet... eius om. I.  
β) convenienter. — consequenter Hbc et margo P per Alias.

γ) positivos. — gratiae addunt editiones.  
δ) aliquando. — et aliquando PI.

\* D. 322.

β

\* In corpore.

\* Mag. IV *Sent.*, dist. I, cap. *Ideo autem*; Gloss. Ord. et Lomb. in *Rom.* cap. IV, vers. 11.

\* Vers. 24.

\* D. 342.

\* Autissiod. *Sum. Aur.* lib. IV, cap. *de Circumc.*, art. 2.\* IV *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 4, qu<sup>a</sup> 3.

tius consideranti apparet hoc etiam non esse verum: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae et mereri vitam aeternam\*.

Et ideo melius dicendum videtur quod circumcisio erat signum<sup>e</sup> fidei iustificantis: unde

Apostolus dicit, *Rom. iv*\*, quod *Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiae fidei*. Et ideo in circumcisio conferebatur gratia\* in quantum erat signum passionis Christi futurae\*, ut infra\*\* patebit<sup>ζ</sup>.

\* Vers. 11.

\* D. 804.

\* D. 343.

\*\* Qu. LXX, art. 4.

ζ

<sup>e</sup>) *circumcisio erat signum.* — *circumcisio sicut et alia sacramenta veteris legis erat solum (solum om. E) signum* ElSG et editiones (et codices Ambrosianus et Brixiensis; cf. ζ).

<sup>ζ</sup>) *Et ideo in circumcisio... patebit.* — *Et ideo non habet in se*

*virtutem nec conferendi gratiam nec auferendi peccatum, sed hoc fiebat per virtutem passionis Christi quam (quod Brix.) circumcisio designabat* codices Ambr. et Brix. Cf. Vol. XI Praef. nos 16 et 27.

Commentaria Cardinalis Caietani

**T**ITULUS clarus. — In corpore sunt duae conclusiones negativae. Prima est: *Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam virtute propria*. Probatur auctoritate Apostoli.

Altera est: *Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam virtute in eis habita a passione Christi*. Probatur ex communi differentia coniunctionis alicuius causae ad causandum vel per usum exteriorum rerum, vel per actum animae: quia prima est causae effectivae, ac per hoc prioris secundum esse; secunda autem est causae finalis, ac per hoc potest esse posterioris secundum esse. Sub hac enim differentia communi subsumitur in speciali differentia inter passionem Christi coniungi per sacramenta, vel per fidem: ita quod per sacramenta coniunctio continetur sub coniunctione per usum exteriorum rerum; et coniunctio per fidem continetur sub coniunctione per actum animae. Et sub hoc procedendo descenditur, et quod passio Christi est prior secundum esse sacramentis nostris et posterior sacramentis veteris legis, ac per hoc nostris quidem sa-

cramentis passio Christi coniungi potest ut causa activa operans per illa, priscis autem non potest coniungi ut causa activa operans per illa, quod est intentum conclusionis: et quod passio Christi ut finalis causa coniungitur per fidem tam nobis quam antiquis. Et propterea utrique salvamur per fidem passionis Christi: sed non utrique per sacramenta virtuosa ex passione Christi. Non tamen superstitiosus erat usus illorum sacramentorum: quia adhibebantur, etsi non ut virtuosa, tamen ut signa fidei virtuosae.

Sta igitur, Lector, in formali differentia inter coniunctionem per fidem seu actum animae ut sic, et per sacramenta seu usum exteriorum rerum ut sic: et videbis differentiam in littera subtiliter positam inferre sacramenta nostra esse virtuosa, et antiqua non. Et memento, Novitiae, quod de coniunctione causali, seu causae ut sic, est sermo: ut non fallaris ab importunitate digredientium ad ea quae sunt per accidens.





## QUAESTIO SEXAGESIMATERTIA

### DE ALIO EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER

IN SEX ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXII, **D**EINDE considerandum est de alio effectu sacramentorum, qui est character \*.  
 Et circa hoc quaeruntur sex.  
 Primo: utrum ex sacramentis causetur character aliquis in anima.  
 Secundo: quid sit ille character.

Tertio: cuius sit character.  
 Quarto: in quo sit sicut in subiecto.  
 Quinto: utrum insit indelebiter.  
 Sexto: utrum omnia sacramenta imprimant characterem.

#### ARTICULUS PRIMUS

##### UTRUM SACRAMENTUM IMPRIMAT ALIQUEM CHARACTEREM IN ANIMA

IV Sent., dist. iv, qu. 1, art. 1; art. 4, qu. 1, ad 1; De Eccles. Sacram.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramentum non imprimat aliquem characterem in anima. *Character* enim significare videtur quoddam signum distinctivum. Sed distinctio membrorum Christi ab aliis fit per aeternam praedestinationem, quae non ponit aliquid in praedestinato, sed solum in Deo praedestinante, ut in Prima Parte \* habitum est: dicitur enim II ad Tim. II \*: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt eius*. Ergo sacramenta non imprimunt characterem in anima.

2. PRAETEREA, character signum est distinctivum. Signum autem, ut Augustinus dicit, in II de Doct. Christ. \*, est quod, praeter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Nihil autem est in anima quod aliquam speciem sensibus ingerat. Ergo videtur quod in anima non imprimatur aliquis character per sacramenta.

3. PRAETEREA, sicut per sacramenta novae legis distinguitur fidelis ab infideli, ita etiam per sacramenta veteris legis. Sed sacramenta veteris legis non imprimebant aliquem characterem <sup>α</sup>: unde et dicuntur *iustitiae carnis*, secundum Apostolum, ad Heb. IX \*. Ergo videtur quod nec sacramenta novae legis.

SED CONTRA EST QUOD APOSTOLUS DICIT, II Cor. I \*: *Qui unxit nos, Deus est: et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Sed nihil aliud importat character quam quandam signationem <sup>β</sup>. Ergo videtur quod Deus per sacramenta nobis suum characterem imprimat.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex praedictis \* patet, sacramenta novae legis ad duo ordinan-

tur: videlicet ad remedium contra peccata; et ad perficiendum animam in his quae pertinent ad cultum Dei secundum ritum Christianae vitae. Quicumque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud <sup>γ</sup> consignari: sicut milites qui adscribebantur ad militiam antiquitus solebant aliquibus characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo, cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali characterem insigniantur <sup>δ</sup>. Unde Augustinus dicit, in II contra Parmenianum \*: *Si militiae characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam Imperatoris confugerit, ac, prece fusa et venia impetrata, militare iam coeperit: nunquid, homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haerent <sup>ε</sup> sacramenta Christiana quam corporalis haec nota?*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod fideles Christi ad praemium quidem futurae gloriae deputantur signaculo praedestinationis divinae. Sed ad actus convenientes praesenti <sup>ζ</sup> Ecclesiae deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, quod character nuncupatur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod character animae impressus habet rationem signi in quantum per sensibile sacramentum imprimatur: per hoc enim scitur aliquis <sup>η</sup> baptismali characterem insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Nihilominus tamen character, vel signaculum, dici potest per quandam similitudinem omne quod figurat <sup>θ</sup> alicui, vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile: sicut Christus dicitur *figura* vel *chara-*

<sup>α</sup>) characterem. — in anima addunt EIsG et editiones.  
<sup>β</sup>) signationem. — P (ADEF ?); significationem BCabc (et ADEF ?), consignationem GI, figam H.  
<sup>γ</sup>) illud. — sE a et tertia; aliud. — Pro consignari, deputari et consignari (consignificari b) GHbc.  
<sup>δ</sup>) insigniantur. — insignantur CDEHpB et bc, insignentur pGsB, signentur sG.

<sup>ε</sup>) haerent. — PsE; habent; cf. art. 5 α. et qu. LXVI. art. 9. η. — quam PsG; an.  
<sup>ζ</sup>) praesenti. — praesentis BCa. Pro deputantur, deputatur ACpB. Pro quod, qui tertia.  
<sup>η</sup>) aliquis. — esse addunt PI.  
<sup>θ</sup>) figurat. — configurat PFGb, consignatur H.

\* Qu. xxiii, art. 2.

\* Vers. 19.

\* Cap. 1.

\* Vers. 10.

\* Vers. 21, 22.

\* Qu. LXII, art. 5.

\* Cap. XIII.

cter paternae substantiae, secundum Apostolum, Heb. I\*.

\* Vers. 3.

\* Qu. LXII, art. 6.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra\* dictum est, sacramenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem ad aliquem spi-

ritualem effectum operantem. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character, sed sufficebat ibi corporalis circumcisio, quam Apostolus *signaculum* nominat, Rom. IV\*.

\* Vers. 11.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat, de sacramento indefinite, non universaliter, aut particulariter explicite. Quaeretur enim explicite de particulari in articulo sexto.

In corpore una conclusio: *Fideles per sacramenta aliquo spirituali caractere insigniuntur*. Probatur. Quicumque ad aliquod certum deputatur, consuevit consignari. Sed homines per sacramenta deputantur ad spirituale aliquod spectans ad Dei cultum. Ergo fideles per sacramenta aliquo spirituali caractere insigniuntur. — Probatur maior exemplo militum. — Minor vero: quia sacramenta ad duo ordinantur, hoc est, ad remedium contra peccatum, et ad perficiendum hominem in his quae ad cultum divinum sunt.

Et confirmatur tota ratio, cum conclusione, auctoritate Augustini, unde Auctor sumpsit.

II. Adverte hic duo. Primum, quod sacramenta imprimere characterem ex sacra Scriptura non habetur, sed ex Ecclesiae auctoritate, et non multum antiqua: ut patet ex sacris canonibus et priscis quaestionibus Patrum de reiteratione baptismi; quae locum non habuissent si Ecclesiam determinasset imprimi in anima characterem per baptismum; quod Innocentius III, Extra, de Bapt., cap. *Maiores causas*\*, determinavit.

\* *Maiores Ecclesiae causas.*

Secundum est\* quod Auctor persuasibilem hanc veritatem ecclesiasticam reddere studuit ex ratione proportionalis similitudinis inter homines deputatos ab homine ad militiam corporalem, et deputatos a Deo ad cultum Christianae religionis, quae utique *militia*\* est illius qui est *Dominus fortis et potens in praelio*\*, ad debellandas *aereas potestates*\*, *vincendumque mundum*\*\* , sectatus Augustini vestigia. Rationabile siquidem est ut homines, qui a *principibus mundi huius* consueverunt ad corporalia corporali nota insigniri, cum a Deo ad perennem spiritua- lem cultum secundum animam deputantur, spirituali signo signentur in anima. Sic enim divinam providentiam disponere homines suaviter\* invenitur: ut scilicet proportionaliter insigniantur secundum animam a Deo, sicut secundum corpus consueverunt a principe humano.

\* *duo... Secundum est om. P.*

\* II Cor. cap. x, vers. 3, 4.

\* Ps. xxiii, vers. 8.

\* Ad Ephes. cap. ii, vers. 2.

\*\* I Ioan. cap. v, vers. 4.

\* Sap. cap. viii, vers. 1.

III. In responsione ad secundum, vide, Novitiae, quod iuxta primam ibidem responsionem, character non secundum se, sed secundum suam causam, hoc est, non solitarie sumptus, sed ut ex sua causa sensibili, quae est sacramentum, habet rationem signi. Et quia haec responsio multis non facit satis, apposita est ab Auctore altera responsio de ipso caractere in seipso. Ita quod prima de caractere causaliter; secunda de eodem formaliter est.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHARACTER SIT SPIRITUALIS POTESTAS

IV Sent., dist. iv, qu. i, art. 1.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod character non sit spiritualis potestas. *Character* enim idem videtur esse quod *figura*: unde ad Heb. I\*, ubi dicitur, *figura substantiae eius*, in graeco habetur loco *figurae* « *character* ». Sed *figura* est in quarta specie qualitatis\*: et ita differt a potestate, quae est in secunda specie qualitatis\*. *Character* ergo non est spiritualis potestas.

\* Vers. 3.

\* Aristot. Categ. cap. vi, n. 14.

\* Ibid., n. 7.

2. PRAETEREA, Dionysius dicit, II cap. *Eccles. Hier.*\*, quod *divina beatitudo accedentem* ad beatitudinem *in sui participationem recipit, et proprio lumine, quasi quodam signo, ipsi tradit suam participationem*. Et sic videtur quod character sit quoddam lumen. Sed lumen pertinet magis<sup>β</sup> ad tertiam speciem qualitatis. Non ergo character est potestas, quae videtur ad secundam speciem qualitatis pertinere.

\* Part. III, § 4.

α

β

3. PRAETEREA, a quibusdam character sic definitur: *Character est signum sanctum communionis fidei et sanctae ordinationis, datum a hierarcha*. Signum autem est in genere relationis, non autem in genere potestatis. Non ergo character est spiritualis potestas.

α) *beatitudinem*. — *habitudinem* G; (*accedenti, idest ad vitam spiritualem* Auctor dicit I. c. ante Articulum).

β) *pertinet magis*. — *potius pertinet* GH, *videtur magis* (... *qualitatis pertinere*) I, *videtur pertinere post qualitatis* editiones. — Pro Non ergo... *pertinere*, Ergo non est spiritualis potestas b, om. HIpG.

4. PRAETEREA, potestas habet rationem causae et principii: ut patet in V *Metaphys.*\* Sed *signum*, quod ponitur in definitione characteris\*, magis pertinet ad rationem effectus. *Character* ergo non est spiritualis potestas.

\* S. Th. lect. xiv. - Did. lib. IV, cap. xii.

\* Cf. arg. praec.

SED CONTRA, Philosophus dicit, in II *Ethic.*\*: *Tria sunt in anima: potentia, habitus et passio*. Sed character non est passio: quia passio cito transit, character autem indelebilis est, ut infra\* dicitur. Similiter etiam non est habitus. Quia nullus habitus est qui se possit ad bene et male habere\*. *Character* autem ad utrumque se habet: utuntur enim eo quidam bene, alii vero male. Quod in habitibus non contingit: nam habitu virtutis *nullus utitur male*\*, habitu malitiae nullus bene γ. Ergo relinquitur quod character sit potentia.

\* Cap. v, n. 2. - S. Th. lect. v.

\* Art. 5.

\* Cf. Aristot. loc. prox. cit., n. 2.

\* Aug. de Lib. Arbit. lib. II, cap. xix.

γ

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est\*, sacramenta novae legis characterem imprimunt in quantum per ea deputamur<sup>δ</sup> ad cultum Dei secundum ritum Christianae religionis. Unde Dionysius, in II cap. *Eccles. Hier.*\*, cum dixisset quod Deus *quodam signo tradit sui participationem accedenti*<sup>ε</sup>, subiungit: *perficiens eum divinum*

\* Art. 1.

δ

\* Loc. cit.

ε

γ) *bene*. — *utitur bene* BCa.

δ) *deputamur*. — *deputantur* I, *deputantur homines* editiones.

ε) *accedenti*. — *ad baptismum* addunt EI et editiones.

et communicatorem divinorum. Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo <sup>ζ</sup> aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis, requiritur potentia activa; ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quae sunt divini cultus.

Sciendum tamen quod haec spiritualis potentia est instrumentalis: sicut supra \* dictum est de virtute quae est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem competit ministris Dei: minister autem habet se per modum instrumenti, ut Philosophus dicit, in I *Polit.* \* Et ideo, sicut virtus quae est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens et incompletum; ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod figuratio <sup>η</sup> est quaedam terminatio quantitatis \*. Unde, proprie loquendo, non est nisi in rebus corporeis: in spiritualibus autem dicitur metaphorice. Non au-

tem ponitur aliquid in genere vel specie nisi per id quod de eo proprie praedicatur. Et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis: licet hoc quidam posuerint.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passionones, vel sensibiles qualitates. Character autem non est lumen sensibile. Et ita non est in tertia specie qualitatis, ut quidam \* dixerunt.

AD TERTIUM DICENDUM quod relatio quae importatur in nomine signi, oportet quod super aliquid fundetur. Non autem relatio huius signi quod est character, potest <sup>θ</sup> fundari immediate super essentiam animae: quia sic conveniret omni animae naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima super quod fundetur talis relatio. Et hoc est essentia characteris. Unde non oportebit quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt <sup>ι</sup>.

AD QUARTUM DICENDUM quod character habet rationem signi per comparisonem ad sacramentum sensibile a quo imprimitur. Sed secundum se consideratus, habet rationem principii, per modum iam dictum \*.

\* Qu. LXII, art. 4.

\* Cap. II, n. 4. - S. Th. lect. II.

\* Cf. Euclid, *Element.* lib. I, definit. XIV.

ζ) recipiendo. - FsE a et tertia; retinendo ABCpE, reconcido D; cf. art. 3. corp. med.

η) figuratio. - figura F et tertia praeter H.

θ) Non autem relatio... potest. - Ideo autem relatio (Relatio autem P)... non potest editiones.

ι) Unde non... posuerunt. - Om. HpG et bc.

\* Cf. Antissiod. Sum. lib. IV, de Baptism. Christi, cap. Quid sit Baptismus.

\* In corpore.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS de quidditate characteris manifeste quaerit: in quo scilicet genere sit, an potestatis, an relationis, etc.

In corpore sunt tres conclusiones \*. Prima est: *Character sacramentalis est spiritualis potestas ad ea quae sunt divini cultus.* Probat. Character imprimitur a sacramentis in quantum per illa homo deputatur ad ea quae sunt Christiani cultus, consistentis in recipiendo aliqua vel in tradendo aliis. Ergo character sacramentalis est quaedam spiritualis potestas ad ea quae sunt divini cultus.

Antecedens quoad primam partem probatur auctoritate Dionysii in illis verbis: *perficiens eum divinum et communicatorem divinorum.* - Consequentia vero probatur, quia ad utrumque horum requiritur potentia aliqua, ad recipiendum quidem passiva, ad tradendum vero activa.

II. Circa deductionem conclusionis huius dubium occurrit. Nam invalida apparet consequentia: *Character sacramentalis est deputativus hominis ad cultum consistentem in recipiendo et tradendo: ergo est potentia.* Tum quia similis consequentia nihil valet: *Character militaris est deputativus hominis ad militiam consistentem in percutiendo: et ad percutiendum requiritur potentia percussiva. Ergo character militaris est potentia ad percutiendum.*

Et si instetur quod non est simile: quia potentia percussiva praesupponitur, utpote naturalis; potentia autem ad cultum non est naturalis, sed superaddita: - haec, inquam, instantia nihil obstat argumento. Quia ad militarem percussorem, ultra naturalium virium potentiam, requiritur potentia militaris: sicut ad sanandum requiritur in medico potentia medicativa. Stat ergo obiectio.

Et elevatur instantia ad universalem rationem. Unde, scilicet, licet a communissimis inferre determinate speciale: hoc est, a deputatione ad cultum Christianae religionis, ad potentiam respectu eiusdem cultus descendere? Deputatio siquidem ad cultum multipliciter fieri potest, scilicet signo, professione, officio, scientia, voluntate, potentia: ut patet inductive in militia et aliis cultibus et artibus. Unde inferre characterem esse potentiam quia est deputativus hominis ad cultum Christianae religionis, fallacia Consequentis videtur.

III. Ad hoc dicitur quod Auctor procedit ex determinatis in praecedenti articulo. Et propterea non procedit ex hoc solo quod character est deputativus ad cultum, etc.: sed ex hoc quod character sacramentalis est spiritualis perfectio animae ad cultum divinum secundum ritum Christianum. Ita quod non ex quacumque deputatione, sed ex tali deputativo, scilicet ut perfectivo animae ad talem cultum impresso a Deo, procedit littera: ut ipsamet littera *de seipsa testimonium perhibet*, auctoritatem afferens Dionysii hoc testantem. Ex huiusmodi autem assumpto concludi licuit intentum, si perspicaciter intuiti fuerimus cultum Christianae religionis formaliter, ut Auctor contemplatus est. Ex hoc enim quod character est perfectivus animae ad cultum Christianae religionis, et cultus Christianae religionis formaliter consistit in recipere vel dare, formaliter sequitur: Ergo character perficit animam ad recipiendum vel dandum. Sed constat liquido quod proprium et per se primo perfectivum ad recipere seu dare est posse recipere aut dare. Ergo character est spiritualis potentia qua homo secundum animam potest recipere vel tradere ea quae sunt Christianae religioni propria.

Et confirmatur haec ratio. Quia potentia sola est qua subtracta actus nullus redditur apud Deum: et similiter qua posita actus efficax est, quantumcumque ab homine prohibitus. Nam, subtracta caritate aut scientia aut fide, si potentia remanet, actus non est nullus: sed e contra, sola potentia deficiente, alia non sunt efficacia. Sic autem constat esse in proposito: quod, subtracto characterem, vane omnia recipiuntur; et similiter, subtracto characterem ordinis, vane omnia traduntur quae propria ordinis sunt. Est ergo character in genere potentiae.

Ad instantiam autem de militari characterem, patet responsio: quia non spectat ad animam.

Ad obiectionem autem universalem patet etiam responsio: quod falsum assumit, scilicet litteram ex sola deputatione procedere; cum procedat ex tali deputatione, scilicet ut perfectivo hominis spiritualiter secundum animam ad cultum spiritualem consistentem in recipere et tradere. Manifestum quippe est quod, formaliter proce-

\* Cf. num. IV.

dendo, optime, absque sophismatis aliqua specie, illatio tenet.

IV. Secunda conclusio est: *Haec spiritualis potentia est instrumentalis*. Declaratur a simili: sicut virtus quae est in sacramentis. — Et probatur ex subiecto. Quia est potentia ministri: ergo instrumenti. Antecedens probatur: quia character convenit ministris Christi ut sic. Consequentia probatur: quia minister, ut sic, habet rationem instrumenti.

Tertia conclusio est: *Character non est per se in genere: sed reductive in secunda specie qualitatis*. Prima pars probatur a simili: scilicet ex virtute in sacramentis; adiuncta ratione communi, quia est quiddam fluens et incompletum. — Secunda vero pars relinquitur ut evidens.

\* Cf. num. seq.

V. Occurrunt autem hic multa dubia. Primum \* est de genere generalissimo sub quo ponitur character. Quod circa tertiam conclusionem versatur.

\* Cf. num. ix.

Secundum \*, de specie. Et spectat ad eandem conclusionem.

\* Cf. num. vii, Minus tamen.

Tertium \* est circa responsionem ad tertium: quantum valeat ratio litterae, *Si relatio characteris fundaretur immediate super essentia animae, conveniret naturaliter omni animae*.

\* Cf. num. ix, Tenendo.

Quartum \* est, quantum valeat ratio litterae probans quod character non est habitus, quia omnis habitus est bonus vel malus: ut habes in littera, argumento ad oppositum.

Propter connexionem tamen materiae, tractabitur tertium dubium simul cum primo, et secundum simul cum quarto.

VI. Circa primum dubium, in quo genere sit character sacramentalis, scito primo, quod Durandus, in IV *Sent.*, dist. iv, qu. 1, putavit characterem esse relationem rationis, per quam aliquis ex institutione divina deputatur ad sacras operationes, sicut nummus sortitur rationem pretii. Et eius ratio est quia ea quae sunt fidei, clarificanda sunt, et non obscuriora reddenda. Per characterem autem, si ponitur relatio rationis, omnia clara sunt: si vero ponitur res realis, obscuriora introducuntur.

Sed posito haec seipsam levem monstrat, dum ex communibus tantum et extraneis procedit. Eiusque falsitas patet ex auctoritate Ecclesiae, Extra, *de Bapt. et eius effectu*, in cap. *Maiores*, in fine, ubi dicitur quod sacramentalis operatio imprimit characterem: certum est enim quod relatio rationis non imprimitur. — Et confirmatur ex Concilio Florentino \*, sub Eugenio IV, ubi dicitur: *Tria sacramenta characterem, idest spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur*. Haec ibi.

\* Decret. pro Armen.

VII. Scito secundo, quod Scotus, in Quarto, dist. vi, qu. 10, ad utramque partem disputat: concludens utrumque posse probabiliter sustineri, et quod character sacramentalis sit res absoluta in genere qualitatis, et quod sit relatio extrinsecus adveniens. Et hanc ultimam opinionem ipse tenet.

\* Num. v.

Minus tamen probabilis monstratur ista via discutiendo tertium dubium \*. Ubi scito consequentiam factam in littera destrui ex Scotica opinione, distinguente de relatione vel intrinsece adveniente, vel extrinsece. Et vocat relationem intrinsecus advenientem illam quae consequitur fundamentum posito termino: illam autem quae, positus fundamentum et termino, non necessario ponitur, vocat relationem extrinsecus advenientem. Exemplum primi: ut duplum, simile, aequale. Exemplum secundi: ut relatio agentis ad patiens, relatio locati ad locum, et huiusmodi. Ad primum genus dicit non esse motum, sed ad secundum: ac per hoc, posse a Deo de novo imprimi in animam relationem characteris absque aliquo absoluto novo fundante illam. Et propterea non sequitur: *Si relatio characteris poneretur immediate in anima, conveniret naturaliter omni animae*.

VIII. Tu autem patienter sustineto pertranseuntem me de respectibus his in communi: quia theologiam practicam tracto, non metaphysicam. Nec videtur digrediendum hoc in loco, quidquid sit de respectibus istis extrinsecis: qui forte non sunt intelligibiles. Quoniam omnis respectus,

formaliter sumptus, *hoc ipsum quod est, est ad aliud se habere* \*. Et si est ad aliud se habere, est in genere *ad aliquid*, quod est quartum praedicamentum \*. Et rursus, si est ad aliud se habere, necesse est ut consequatur fundamentum ex sola nova positione alterius: alioquin non esset ad aliud. Et propterea, si est *ad aliud se habere*, ad illud non est motus: ut ex hac ratione probatur V *Physicorum* \* ab Aristotele.

\* Aristot. *Categ.* cap. v, n. 2.  
\* Ibid. cap. ii, n. 6. — IV *Metaphys.*, cap. vii, n. 4; s. Th. lib. V, lect. ix.

\* Cap. ii, n. 1. — S. Th. lect. iii.

Et super hoc, scilicet super ipsa relatione formaliter inquantum relatio est, fundavit Auctor hic rationem suam. Relatio enim formaliter sumpta, quia *hoc ipsum quod est, est ad aliud*, si realis est, nascitur cum fundamento, non simpliciter in actu, sed sic quod ex sola appositione termini fit actu: similitudo enim nascitur cum albo sic quod, posito co-albo, statim similitudo in primo albo consurgit; et sic de aliis. Ac per hoc, si relatio characteris immediate fundaretur in anima, nasceretur simul cum anima, sic quod, posito illius termino, statim in anima consurgeret relatio characteris. Et si sic connasceretur cum anima, clare patet quod naturaliter conveniret omni animae.

Quocirca, aut character non est in genere *ad aliquid* nisi aequivoce. Et tunc, si est respectus, quaeratur illius genus. Nec erit facile fingere aliud genus: cum ponatur res spiritualis, et non sit formaliter passio. — Aut, si est in genere *ad aliquid*, definitio posita ab Aristotele non est communis suo generi: et exclusio motus ab *ad aliquid*, cum illius ratione, V *Physic.*, non est universalis de ipso genere *ad aliquid*, sed particularis, hoc est de aliqua specie relationis, scilicet intrinsecae. Quoniam Aristoteles, probando ad relationem non esse motum, attulit relationem quae secundum Scotum vocatur extrinsecus adveniens, scilicet dextri et sinistri. Nam relatio dextri inter me et columnam non sequitur fundamentum posito termino, loquendo ut Scotus loquitur. Nam, posito animali habente dextrum, et posita columna, non sequitur relatio dextri inter ipsa: potest enim columna poni neutra. Et accidit huiusmodi phantasia quia non consideratur fundamentum ut fundamentum, et terminus ut terminus, sed remote. Verbi gratia, relatio agentis ad patiens non habet pro extremis ignem et aquam, sed ignem calefacientem et aquam patientem a calefaciente: et sic de aliis. Unde, non remote sed propinque sumendo fundamentum et terminum, hoc est secundum eas dispositiones secundum quas hoc fundat et illud terminat, nulla est relatio realis quae non consurgat in fundamento, posito termino. Sed haec pertranseundo sint dicta pro claritate litterae, quae de relatione loquitur formaliter, sicut et Philosophus V *Physicorum*.

IX. Circa secundum dubium \*, scito Scotum, in Quarto, dist. vi, qu. 10, disputare ad omnem partem. Et, tenendo quod character est essentialiter respectus, sustinet ipsum habere rationem potentiae et activae et passivae, pro quanto Deus ordinavit assistendo agere habenti talem respectum, puta sacerdoti, et similiter imprimere in patiens habens talem respectum, puta characterem baptismi: ita quod respectus reddit baptizatum capacem passionis a Deo sic statuente; et similiter operationem sacerdotis efficacem. Et concurrunt hi respectus tanquam dispositiones in ordine ad agens voluntarium.

\* Num. v.

Tenendo autem quod character est forma absoluta, sustinet et quod potest poni in prima specie qualitatis: et quod potest poni in secunda. Respondetque ad rationem litterae, quae in quarto dubio \* proposita est, primo, quod non oportet omnem habitum esse bonum vel malum, sed potest aliquis habitus esse indifferens. Quod probat dupliciter. Tum quia ex actibus indifferens frequentatis causatur habitus indifferens. Tum quia frequentans considerationem alicuius conclusionis geometriae, habet habitum indifferens. — Secundo, quia character potest poni habitus supernaturalis bonus remote: ita quod non proxime seu sufficienter potest esse principium actus boni, sed remote; sicut fides, spes, caritas infusa, non est sufficiens principium boni actus, sed inclinatur ad bonum actum concurrentibus aliis requisitis. Multo autem remotius character potest disponere ad bonum actum.

\* Num. v.

X. Ad horum clariorem notitiam, advertendum est quod,

nisi formaliter consideremus, locemusque res in suis generibus, vagari multipliciter continget. Quocirca, cum character sacramentalis sit formaliter potentia: est enim baptismalis character quo per se primo homo potest recipere sacramenta reliqua, ut patet; et similiter character ordinis quo primo minister Ecclesiae, puta sacerdos, potest conficere Eucharistiam, etc., — et sit supernaturale accidens impressum animae, consequens est ut sub illo genere accidentium formaliter locetur quod potentias activas vel passivas continet, quod constat solum qualitatis genus esse, et unam illius speciem, secundam scilicet. Nec obstat quod non sit naturalis potentia. Quoniam, sicut sub habitu speciei continentur non solum naturales, sed supernaturales habitus, ita sub potentiae accidentalis specie continentur non solum naturales, sed supernaturales potentiae. Et in hoc debet quiescere intellectus bene dispositus.

\* Num. ix, Tenendo.

XI. Ad distractionem autem Scoticam trahentem relationem ad rationem potentiae \*, patet responsio ex hoc ipso quod distractio abusiva rerum ac rationum formalium est.

Ad id vero quod primo dicit de habitu indifferente, dicendum est quod nullus est actus humanus singularis indifferens moraliter. Quia fit vel quando, ubi, sicut, propter, etc., debet, et sic est bonus moraliter: vel non quando, aut ubi, aut sicut, aut propter, aut etc., debet, et sic est malus moraliter. Nec est inter ista duo medium in actu exercito: quia distinguuntur penes affirmationem et negationem. Ac per hoc, nullus potest esse habitus indifferens ex hoc capite.

Ad id vero quod de consideratione frequenti conclusionis geometricae subditur, dicitur quod, si consideratio est scientifica, generatur habitus bonus, scilicet scientiae, quae est virtus, ac per hoc boni tantum, puta veri. Si vero consideratio est non scientifica, generabitur habitus opinativus: qui etiam non est indifferens, sed declinat ad bonum vel malum prout declinat ad verum vel falsum.

Et quia character est forma supernaturalis a Deo pro-

munere impressa; ac per hoc, si esset habitus, non posset poni indifferens: ideo Scotus ad ultimam responsionem confugit. Quae falsum in primis affert, dum caritatem, fidem ac spem infusam a sufficientibus proximisque principis elicivis bonorum actuum aufert. Est enim infusa caritas et sufficientissimum et proximum elicitivum principium dilectionis Dei super omnia. Sed quod iste puer baptizatus non actu diligit, provenit ex conditione ipsius habitus caritatem, quia scilicet habet organa impediencia, etc.; et non ex insufficientia aut elongatione habitus. Et simile est de dormiente aut ebrio: non enim ex parte habitus infusi aut acquisiti provenit quod dormiens aut ebrius non considerat geometricas demonstrationes; aut non credit seu sperat; sed ex impedimento habitus habitum.

Male deinde locat characterem in specie, dum ex his ad quae remote se habet, locat ipsum. Debet siquidem iudicari res secundum ea quae sibi proxime conveniunt, et non secundum remota. Ac per hoc, non debet character poni sub specie habitus boni, quia valde remote disponit ad actum bonum.

XII. Sed haec accidunt Scoto quia difficile est operire falsum. Quocirca videto *omnia consonare vero* \*, et absque difficultate ulla characterem poni, non habitum, sed potentiam, quae ex propria ratione indifferens est ad bonum et malum: character enim est potentia qua potest quis dare vel recipere, et non est quo potest bene vel male dare vel recipere: — ut sic perspicias divinam sapientiam, *disponentem omnia suaviter* \*, donando nobis supernaturales potentias, dare eas suaviter, hoc est, servata conditione potentiarum: ut scilicet sint quibus possumus, et non quibus bene vel male possumus.

XIII. Argumenta Petri Aureoli, apud Capreolum, in iv dist. Quarti, contra hoc quod character sit potentia, quia ad specialia descendunt de potestate effectiva transubstantiationis in Eucharistia, etc., omittenda censui: quoniam suo loco quaelibet servanda est quaestio.

\* Cf. Arist. *Ethic.* lib. I, cap. viii, n. 1. — S. Th. lect. xii.

\* Sap. cap. viii, vers. 1.

## ARTICULUS TERTIUS

### UTRUM CHARACTER SACRAMENTALIS SIT CHARACTER CHRISTI

IV *Sent.*, dist. iv, qu. 1, art. 2; art. 3, qu. 5; art. 4, qu. 4.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod character sacramentalis non sit character Christi. Dicitur enim *Ephes. iv* \*: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis.* Sed consignatio importatur in ratione characteris. Ergo character sacramentalis magis debet attribui Spiritui Sancto quam Christo.

\* Vers. 30.

2. PRAETEREA, character habet rationem signi. Est autem signum gratiae quae per sacramentum confertur. Gratia autem infunditur animae a tota Trinitate: unde dicitur in Psalmo \*: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Ergo videtur quod character sacramentalis non debeat specialiter attribui Christo.

\* Ps. lxxxiii, vers. 12.

3. PRAETEREA, ad hoc aliquis characterem accipit ut eo a ceteris distinguatur. Sed distinctio sanctorum ab aliis fit per caritatem, quae *sola distinguit inter filios Regni et filios perditionis*, ut Augustinus dicit, *XV de Trin.* \*: unde et ipsi perditionis filii *characterem bestiae* habere dicuntur, ut patet *Apoc. xiii* \*. Caritas autem non at-

\* Cap. xviii.

\* Vers. 16, 17.

tribuitur Christo, sed magis Spiritui Sancto, secundum illud *Rom. v* \*, *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; vel etiam Patri, secundum illud *II Cor. ult.* \*, *Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei.* Ergo videtur quod character sacramentalis non sit attribuendus Christo.

\* Vers. 5.

\* Vers. 13.

SED CONTRA EST quod quidam \* sic definiunt characterem: *Character est distinctio a caractere aeterno impressa animae rationali, secundum imaginem consignans trinitatem creatam Trinitati creati et recreanti <sup>α</sup>, et distinguens a non configuratis, secundum statum fidei.* Sed character aeternus est ipse Christus: secundum illud *Heb. i* \*: *Qui cum sit splendor gloriae et figura, vel character, substantiae eius.* Ergo videtur quod character proprie sit attribuendus Christo.

\* Definitio Magistrorum. — Cf. B. Albert. M., IV *Sent.*, dist. vi, c, art. 4.

α

\* Vers. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex supra \* dictis patet, character proprie est signaculum quoddam quo aliquid insignitur ut ordinandum <sup>β</sup> in aliquem finem: sicut caractere insignitur denarius ad usum commutationum, et milites cha-

\* Art. 1.

β

α) et recreanti. — PFIsg et c; om.

β) ordinandum. — ordinatum Pc.

ractere insigniuntur quasi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur. Primo quidem, et principaliter, ad fruitionem gloriae. Et ad hoc insigniuntur <sup>γ</sup> signaculo gratiae: secundum illud Ezech. IX \*: *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium*; et Apoc. VII \*: *Nolite nocere terrae et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*.

γ  
\* Vers. 4.  
\* Vers. 3.

Secundo autem deputatur quisque fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea quae pertinent ad cultum Dei. Et ad hoc proprie deputatur character sacramentalis. Totus autem ritus Christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi, ab ipso Christo derivatae.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Apostolus ibi loquitur de configuratione <sup>δ</sup> secundum quam aliquis deputatur ad futuram gloriam, quae fit per gratiam. Quae Spiritui Sancto attribuitur, in quantum ex amore procedit quod Deus nobis aliquod gratis largiatur, quod ad rationem gratiae pertinet: Spiritus autem Sanctus amor est. Unde et I ad Cor. XII \* dicitur: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*.

\* Vers. 4.

AD SECUNDUM DICENDUM quod character sacra-

mentalis est res respectu sacramenti exterioris: et est sacramentum respectu ultimi effectus. Et ideo dupliciter potest aliquid characteri attribui. Uno modo, secundum rationem sacramenti. Et hoc modo est signum invisibilis gratiae, quae in sacramento confertur. — Alio modo, secundum characteris rationem <sup>ε</sup>. Et hoc modo signum est configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas eius ad quod aliquis deputatur: sicut milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum Christianum, cuius auctor est Christus, characterem accipiunt quo Christo configurantur. Unde proprie est character Christi.

AD TERTIUM DICENDUM quod characterem distinguitur aliquis <sup>ζ</sup> ab alio per comparisonem ad aliquem finem in quem ordinatur qui characterem accipit: sicut dictum est \* de characterem militari, quo in ordine ad pugnam distinguitur miles regis a milite hostis. Et similiter character fidelium est quo distinguuntur fideles <sup>η</sup> Christi a servis diaboli, vel in ordine ad vitam aeternam, vel in ordine ad cultum praesentis Ecclesiae. Quorum primum fit per caritatem et gratiam, ut obiectio procedit: secundum autem fit per characterem sacramentalem. Unde et *character bestiae* intelligi potest, per oppositum, vel obstinata malitia, qua aliqui deputantur ad poenam aeternam; vel professio illiciti cultus.

\* Art. 1.

η

γ) insigniuntur. — insignitur FsD et editiones, homines insigniuntur sG.  
δ) configuratione. — configuratione vel consignatione F, consignatione GHbc.

ε) characteris rationem. — propriam characteris rationem EI, propriam rationem characteris cetera tertia.  
ζ) aliquis. — Tertia praeter I; aliquid.  
η) distinguuntur fideles. — FsB et tertia; distinguitur fides ACDpB, distinguitur fideles E, distinguitur miles ed. a.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS de Christo loquitur ut est Verbum incarnatum, ut distinguitur a Patre et Spiritu Sancto ac ipsa Trinitate. Denotat autem obliquus casus auctoritatem in ipso Christo. Ita quod sensus est: An character sacramentalis sit character Christo ut principi configurans seu consignans characterem ipsum suscipientes: sicut character Romanus consignat milites Caesari, et Gallicus regi Francorum, etc.

In corpore tria sunt: primo, distinguitur character fidelium in duo genera; secundo, respondetur quaesito \*; tertio, ponitur unum corollarium \*.

\* Cf. num. III.

\* Cf. num. IV.

II. Quoad primum, distinguitur character fidelium in characterem ad caelestem beatitudinem, et characterem ad militantis Ecclesiae cultum. Ille est caritas, seu gratia: hic est sacramentalis, de quo est sermo. Communio istorum ex communi ratione characteris declaratur. Diversitas autem ex diversitate finium ac actuum manifestatur in littera. Praelibavit autem Auctor distinctionem hanc ut clara fieret doctrina sacrae Scripturae quae in argumentis discutitur: et ne novitium ambiguum relinqueret aut suspensum.

III. Quoad secundum, conclusio responsiva quaesito est: *Character sacramentalis est character Christi*. Probat.

Character sacramentalis est ad recipiendum et dandum ea quae sunt cultus Christiani. Ergo est specialiter character Christi. — Probat consequentia. Quia totus ritus Christianae religionis derivatur a Christi sacerdotio, cui configurantur fideles.

Nota hic quam formalis sit doctrina Auctoris, dum, de cultu Christianae religionis tractans, in Christum caput, non secundum quancumque illius conditionem, sed secundum sacerdotium, reducit characterem Christiani cultus. Sacerdotis enim est principatus cuiusque religionis, tam verae quam falsae.

IV. Quoad tertium, corollarium est: *Characteres sacramentales sunt participationes quaedam sacerdotii Christi*. Ex eo enim quod character sacramentalis est Christi sacerdotis character, consequens est ut sit quaedam diminuta imitatio ordinata ad actus spectantes ad Christi sacerdotium: quod est esse participationem sacerdotii Christi. Baptismali siquidem characterem a Christi sacerdotio habet homo formaliter et esse membrum Christianae religionis, et esse capacem reliquorum sacramentorum a Christi sacerdotio derivatorum. Et simile proportionaliter est de aliorum sacramentorum characteribus.

## ARTICULUS QUARTUS

## UTRUM CHARACTER SIT IN POTENTIIS ANIMAE SICUT IN SUBIECTO

IV *Sent.*, dist. iv, qu. i, art. 3, qu<sup>a</sup> 1.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod character non sit in potentiis animae sicut in subiecto. Character enim dicitur esse dispositio ad gratiam. Sed gratia est in essentia animae sicut in subiecto, ut in Secunda Parte \* dictum est. Ergo videtur quod character sit in essentia animae, non autem in potentiis.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cx, art. 4.

2. PRAETEREA, potentia animae non videtur esse subiectum alicuius nisi habitus vel dispositionis. Sed character, ut supra \* dictum est, non est habitus vel dispositio, sed magis potentia: cuius subiectum non est nisi essentia animae. Ergo videtur quod character non sit sicut in subiecto in potentia animae, sed magis in essentia ipsius.

\* Art. 2.

3. PRAETEREA, potentiae animae rationalis distinguuntur per cognitivas et appetitivas. Sed non potest dici quod character sit tantum in potentia cognoscitiva <sup>α</sup>, nec etiam tantum in potentia appetitiva: quia non ordinatur neque ad cognoscendum tantum, neque ad appetendum. Similiter etiam non potest dici quod sit in utraque: quia idem accidens non potest esse in diversis subiectis. Ergo videtur quod character non sit in potentia animae sicut in subiecto, sed magis in essentia.

\* Arg. 3, arg. Sed cont.

β

SED CONTRA EST quod, sicut in praemissa \* definitione characteris continetur, character <sup>β</sup> imprimatur animae rationali *secundum imaginem*. Sed imago Trinitatis in anima attenditur secundum potentias. Ergo character in potentiis animae existit.

\* Art. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, character est quoddam signaculum quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quae sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiae animae, sicut

essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subiecto in essentia animae, sed in eius potentia.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod subiectum alicui accidenti attribuitur secundum rationem eius ad quod propinque disponit: non autem secundum rationem eius ad quod disponit remote vel indirecte. Character autem directe quidem et propinque disponit animam ad ea quae sunt divini cultus exequenda: et quia haec idonee <sup>γ</sup> non fiunt sine auxilio gratiae, quia, ut dicitur Ioan. IV \*, *eos qui adorant Deum, in spiritu et veritate adorare oportet*, ex consequenti divina largitas recipientibus characterem gratiam largitur, per quam digne impleant ea ad quae deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subiectum secundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiae.

\* Vers. 24.

AD SECUNDUM DICENDUM quod essentia animae est subiectum potentiae naturalis, quae ex principiis essentiae procedit. Talis autem potentia non est character: sed est quaedam spiritualis potentia ab extrinseco adveniens. Unde, sicut essentia animae, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit; ita potentia naturalis animae perficitur per spiritualem potentiam, quae est character. Habitus enim et dispositio pertinent ad potentiam animae, eo quod ordinantur ad actus, quorum potentiae sunt principia. Et eadem ratione omne quod ad actum ordinatur, est potentiae tribuendum.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dictum est \*, character ordinatur ad ea quae sunt divini cultus. Qui quidem est quaedam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet quod character sit in cognitiva potentia animae, in qua est fides.

\* In corpore.

<sup>α</sup>) cognoscitiva. — cognitiva Pa, ggitiva Gl. — appetitiva om. A.  
<sup>β</sup>) character. — F et tertia praeter I; sic character E, character sic ceteri.

<sup>γ</sup>) idonee. — F et tertia; (et quia hoc homines idonei E, idonea ceteri.

## Commentaria Cardinalis Caietani

**T**ITULUS clarus. — In corpore una conclusio: *Character Test subiective in potentia animae*. Probatur. Character est signaculum quo anima insignitur ad recipiendum vel tradendum ea quae sunt cultus Christiani. Ergo ordinatur ad actus. Ergo est in potentia animae.

Prima consequentia, quae non nisi implicite in littera habetur, probatur ex eo quod cultus divinus in actibus consistit. — Secunda autem: quia potentia animae ordinatur ad operari, sicut essentia ad esse.

II. In responsione ad primum, adverte distinctionem in littera positam de eo ad quod disponit character, scilicet vel propinque vel remote: et quod proxime disponit ad actus Christianae religionis, remote autem disponit ad gratiam. Et hoc probatur in littera, quia ad hoc disponit ex consequenti. Et tu potes addere, quia disponere ad gra-

tiam est communis conditio sibi et multis aliis, multa enim alia disponunt ad gratiam, ut patet; et non est de numero propriorum sibi.

Et haec si retinueris, videbis vanum esse laborem Scoti, in ult. qu. dist. vi Quarti *Sent.*, procedentis ex eo quod dispositio ad formam nunquam est in posteriori naturaliter susceptivo. Hoc enim falsum esse constat de dispositione, non proxime, sed remote. Potest enim res quae non nisi remote et ex consequenti est dispositio ad gratiam, quae in essentia animae ponenda est, poni in quacumque potentia animae: immo etiam in membris exterioribus. Huiusmodi enim dispositiones, ut in littera dicitur, non vindicant sibi subiectum ex eo ad quod remote disponunt, sed ex eo ad quod proxime disponunt.

III. Cave hic ne dicta de characterem intelligas dicta de

sacramentis characterem imprimantibus, et *incidas in fo-*  
*veam*, putans quod sacramenta huiusmodi conferant gra-  
tiam ex consequenti, sintque principaliter causae charac-  
terum et ex consequenti gratiae, quia character, ut in  
littera dicitur, non proxime, sed ex consequenti dispositio  
est ad gratiam. Recolito superius \* habitae doctrinae, quod  
scilicet gratia est *principalis* sacramentorum effectus, et  
character est effectus *secundarius*: et perspice non licere  
attribuere sacramento conditionem characteris. Cum hoc  
enim quod character est remote et ex consequenti dispo-  
situs ad gratiam, stat quod gratia sit principalis effectus  
sacramenti. Tunc enim gratia non esset principalis effectus  
sacramenti, si solum daretur per sacramentum ut sequela  
ad characterem. Quae phantasia procul sit a te. Baptismus  
namque est principaliter *lavacrum regenerationis* \* in fi-  
lios Dei, in membra Christi: et secundario impressivus  
characteris. Et confert gratiam ex primo principaliter: et  
praeter hoc habet unde conferat gratiam ex consequenti,  
scilicet propter characterem. Ita quod character naturali  
ordine est effectus gratiae per quam aliquis fit Christianus  
formatus: prius enim natura est esse, quod spectat ad  
gratiam, quam posse, quod est characteris. Et cum hoc,  
est dispositio ex consequenti ad gratiam: pro quanto ad  
posse donatum a Deo, comitatur antecedenter vel conse-  
quenter largitio bene posse.

Et bene nota quod character non ponitur dispositio  
ad gratiam absolute: sed character secundum rationem suae  
causae, scilicet divinae largitatis, ponitur dispositio ad gra-  
tiam. Divinae siquidem largitatis ratio habet ut cui dat  
posse, det bene posse. Hac enim ratione character ponitur  
dispositio ad gratiam, ut patet in hac littera.

Et cum haec servaveris, Durandi obiectiones, in Quarto,  
dist. iv, qu. 1, spernes.

IV. In responsione ad tertium, dubium ex Scoto oc-  
currit, in praedicta \* ultima quaestione, ponente caracte-  
rem in voluntate. Tum quia est dispositio ad gratiam,  
quae est in voluntate, quia gratia est idem quod caritas.

Tum quia, si character est signum vel fundamentum  
obligationis animae ad Deum, rationabile est quod ponatur  
in illa potentia cuius primo est obligare, vel esse rationem  
obligandi. Talis autem est voluntas, quia praecise per actum  
eius aliquis se obligat principaliter: reliqua enim concu-  
rentia ad obligationem non sunt nisi quaedam praeambula  
aut signa.

V. Ad hoc dicitur quod Auctor et inferius in sequenti  
articulo, in responsione ad secundum, probat caracte-  
rem non esse in voluntate: quia character est vis instru-  
mentaliter, ac per hoc consistit in moveri ab alio; vol-  
untatis vero est movere seipsam ad operandum; dissonat  
igitur conditio characteris a conditione voluntatis. Et  
hic probat characterem esse in intellectu: quia actus ad  
quos proxime disponit, scilicet recipere vel tradere ea  
quae sunt Christiani cultus, sunt quaedam fidei protesta-  
tiones.

Unde ad primam Scoti obiectionem non oportet aliter  
respondere: quia iam dictum est \* quod characteri non  
assignatur subiectum ex eo quod est dispositio ad gratiam,  
quia remote ad eam disponit.

Ad secundam autem dicitur primo, quod conditionalis  
assumpta est falsa: quia non est necessaria. Quia cum  
veritate antecedentis stat quod character sit in illa potentia  
cuius sunt primo actus operationes ad quas character ob-  
ligat: et non in potentia quae est primo obligativa.

Dicitur secundo, quod antecedens potest dupliciter in-  
telligi: quod character sit obligativus vel proxime, vel ex  
consequenti. Et quod character per se et proxime non est  
quid obligativum, sed professivum Christiani cultus et fidei:  
et propter huiusmodi professionem obligat, quod est ex  
consequenti obligare. Character enim in anima monstrat  
animam Christianae religionis, ac per hoc obligatam Chri-  
sto, et non e contra: sicut character militaris monstrat  
militem Romanum, et ideo obligatum Caesari. Argumen-  
tum autem utitur antecedente in primo sensu. In quo

etiam, ut prima testatur responsio, falsam constituit con-  
ditionalem.

VI. Circa eandem responsionem dubium aliud occurrit,  
de ratione assignata in littera, scilicet: Quia divinus cul-  
tus est quaedam fidei protestatio per exteriora signa, ideo  
character est in intellectu, in quo est fides. Si enim cha-  
racteri assignandum est subiectum ex cultu divino, ad  
quem proxime disponit, consequens est ut subiectum eius  
sit illudmet quod est subiectum proprii et proximi prin-  
cipii ipsius cultus, magis quam illud quod est subiectum  
principii communis et remoti eiusdem cultus. Sed proprium  
proximumque cultus Dei principium est religionis virtus,  
quae est in voluntate. Ergo character, qui potentia est ad  
recipiendum vel tradendum ea quae sunt cultus, est in  
voluntate: et non in intellectu, in quo est fides, quae re-  
motum est principium cultus, quia mediante religione; et  
commune, quia fides operatur mediate ea quae sunt mul-  
tarum virtutum, puta spei, caritatis, religionis, etc.

VII. Ad hoc dicitur quod characterem convenire in  
subiecto cum fide magis quam cum religione, ex duobus  
sumi potest. Primo, ex eo quod tam fides quam character  
inter principia religionis computatur. Universa namque re-  
ligio filia est fidei, et quaedam fidei protestatio: ex reli-  
gione namque profitetur quilibet fidem suam. Character  
quoque, cum potentia sit activa vel passiva actuum reli-  
gionis, principii rationem habet.

Secundo, ex eo quod tam fides quam character respicit  
divinum cultum secundum id quod est: religio autem re-  
spicit divinum cultum secundum rationem boni. Est enim  
religio virtus moralis, cuius est *reddere hominem bonum*  
*et eius opus bonum efficere* \*. Fide enim et caractere  
homo potest in actus religionis: religione autem homo  
bene se habet ad illos. Et hinc fit ut character respiciat  
Christianum cultum ut professio quaedam fidei est, et non  
ut bene vel male fit. Et propterea ad fidei subiectum ac-  
cedit, et non spectat ad subiectum religionis.

Ad obiectionem autem in oppositum, dicitur quod pro-  
positio illa: *Si characteri debetur subiectum ratione cultus,*  
*debet potius poni in subiecto principii proximi ipsius cul-*  
*tus, quam principii remoti eiusdem, vera forte est ceteris*  
*paribus*. Sed hic non sunt cetera paria: quia cultus re-  
spicitur a principio proximo prout bene vel male fit, a  
qua ratione longe est character; a principio vero remoto  
respicitur secundum id quod est, in qua ratione convenit  
character cum fide, quae est principium remotum et com-  
mune. Et propterea non sequitur characterem esse in vo-  
luntate, in qua est religio: sed concluditur oppositum,  
scilicet esse in intellectu, in quo est fides.

VIII. Circa eandem responsionem dubium ex Durando,  
in IV *Sent.*, dist. iv, qu. 1, occurrit de subiecto characteris,  
quod sit potentia executiva. Quia virtus perficiens, non  
ad cognoscendum nec ad appetendum, sed ad exequen-  
dum, debet poni, non in intellectu nec in voluntate, sed  
in potentia executiva. Character autem est huiusmodi, ut  
patet. Ergo.

Ad hoc dicitur quod characterem esse in alia potentia  
quam intellectus vel voluntatis, est impossibile: quia quae-  
libet alia potentia est in composito, character autem est  
in anima intellectiva. Quod ex eo patet, quod est perpe-  
tuus, remanens in anima separata. In cuius signum; si  
baptizatus aut ordinatus resurgeret, non rebaptizaretur aut  
reordinaretur.

Ad obiectionem autem dicitur quod, licet maior sit vera  
de virtute seu habitu, non tamen est vera de potentia.  
Character autem non est virtus aut habitus, sed potentia.  
Licet enim habitus in parte intellectiva sit ad cognoscen-  
dum vel appetendum, potentia tamen appositae ad neutrum  
esse potest, immo debet: quoniam intellectus ipse sufficit  
pro potentia ad intelligendum, et voluntas pro potentia  
ad appetendum. Quocirca, cum character sit potentia in  
parte superiori animae ad recipiendum vel tradendum cul-  
tum protestantem fidem, rationabiliter ponitur in subiecto  
fidei, ut in littera dicitur.

\* Qu. LXII, In-  
trod. - Cf. Com-  
ment.

\* Ad Tit., cap.  
III, vers. 5.

\* Num. II.

\* Ibid.

\* Aristot. *Ethic.*  
lib. II, cap. VI,  
n. 3. - S. Th.  
lect. VI.



## ARTICULUS QUINTUS

## UTRUM CHARACTER INSIT ANIMAE INDELEBILITER

Infra, qu. LXVI, art. 9; qu. LXXXII, art. 8; IV *Sent.*, dist. IV, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 4; *Ad Rom.*, cap. VII, lect. 1.

**A**D QUINTUM SIC PROCEditur. Videtur quod character non insit animae indelebilitate. Quanto enim aliquod accidens est perfectius, tanto firmiter inhaeret. Sed gratia est perfectior quam character: quia character ordinatur ad gratiam sicut ad ulteriorem finem. Gratia autem amittitur per peccatum. Ergo multo magis character.

2. PRAETEREA, per characterem aliquis deputatur divino cultui, sicut dictum est \*. Sed aliqui a cultu divino transeunt ad contrarium cultum per apostasiam a fide. Ergo videtur quod tales amittant characterem sacramentalem.

3. PRAETEREA, cessante fine, cessare debet et id quod est ad finem, alioquin frustra remaneret: sicut post resurrectionem non erit matrimonium \*, quia cessabit generatio, ad quam matrimonium ordinatur. Cultus autem exterior, ad quem character ordinatur, non remanebit in patria, in qua nihil agetur in figura, sed totum in nuda veritate. Ergo character sacramentalis non remanet in perpetuum in anima. Et ita non inest indelebilitate.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in II *contra Parmenianum* \*: *Non minus haerent a sacramenta Christiana quam corporalis nota militiae. Sed character militaris non repetitur, sed agnitus approbatur*, in eo qui veniam meretur ab imperatore post culpam. Ergo nec character sacramentalis deleri potest.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, character sacramentalis est quaedam participatio sacerdotii Christi in fidelibus eius: ut scilicet, sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles eius ei configurentur <sup>β</sup> in hoc quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum et eorum quae pertinent ad divinum cultum. Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem: sed potestas sacerdotii eius comparatur ad characterem <sup>γ</sup> sicut id quod est plenum et perfectum ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem Christi est aeternum: secundum illud Psalmi \*: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Et inde est quod

omnis sanctificatio quae fit per sacerdotium eius, est <sup>δ</sup> perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis: nam ecclesiae vel altaris manet consecratio semper, nisi destruat. Cum igitur anima sit subiectum characteris secundum intellectivam partem, in qua est fides, ut dictum est \*; manifestum est quod, sicut intellectus perpetuus est et incorruptibilis, ita character indelebilitate manet in anima.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod aliter est in anima gratia, et aliter character. Nam gratia est in anima sicut quaedam forma habens esse completum in ea: character autem est in anima sicut quaedam virtus instrumentalis, ut supra \* dictum est. Forma autem completa est in subiecto secundum conditionem subiecti. Et quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium quandiu est in statu viae, consequens est quod insit <sup>ε</sup> animae mutabiliter. Sed virtus instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis. Et ideo character indelebilitate inest animae, non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotii Christi, a quo derivatur character sicut quaedam instrumentalis virtus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut ibidem \* Augustinus dicit, *nec ipsos apostatas videmus carere baptisate, quibus per poenitentiam redevotibus non restituitur, et ideo amitti non potuisse iudicatur*. Et huius ratio est quia character est virtus instrumentalis, ut dictum est \*: ratio autem instrumenti consistit in hoc quod ab alio moveatur, non autem in hoc quod ipsum se moveat, quod pertinet ad voluntatem. Et ideo, quantumcumque voluntas moveatur in contrarium, character non removetur, propter immobilitatem principalis moventis.

AD TERTIUM DICENDUM quod, quamvis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character, et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam: sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt ad gloriam, et in his qui sunt victi ad poenam.

α) haerent. — P; habent; cf. art. 1 ε.  
β) configurentur. — P; configurantur.  
γ) characterem. — PI; addunt sacerdotium ABCD, sacerdotum E, sacerdotii FGHabc.

δ) eius, est. — PFGLac; est D, eius quae est Hb, est eius ceteri.  
ε) insit. — gratia insit PG.  
ζ) videmus. — PFI; vidimus. Post quibus P addit utique. Pro potuisse, posse P.

## Commentaria Cardinalis Caietani

**I**N titulo, adverte quod ly *indelebilitate* potest dupliciter accipi. Vel per negationem omnis potentiae, etiam logicae, ad deletionem. Et sic esset sensus: An character insit indelebilitate, ita quod implicet contradictionem ipsum deleri. Et hic sensus procul est ab intento: potest enim a Deo deleri, desinendo conservare ipsum. — Vel per negationem propriae seu proximae naturalis potentiae ad

deletionem. Et hic sensus est intentus. Non enim quaerimus quid possit Deus facere: sed quid suapte natura conveniat characteri.

II. In corpore est una conclusio: *Character indelebilitate manet in anima*. Probatur. Omnis sanctificatio quae fit per sacerdotium Christi, est perpetua, re consecrata manente. Sed character sacramentalis est quaedam participatio

δ

\* Art. 4, ad 3.

\* Art. 2.

\* Loc. cit. in arg. Sed cont. — Cf. de Baptism. cont. Donatist. lib. I, cap. 1. ζ

\* Ad 1.

sacerdotii Christi aeterni in eius fidelibus secundum animae partem incorruptibilem. Ergo character indelebiter manet in anima.

Maior et probatur, et declaratur. Probatur quidem, quia sacerdotium Christi est aeternum: ut patet auctoritate Scripturae. — Declaratur vero, ex eo quod res inanimatae consecratae a ministris sacerdotii Christi, retinent consecrationem quandiu sunt: ut patet in ecclesiis, calicibus, etc.

Minor vero, quoad primam partem, declaratur ex duobus. Primo, ex proportionalitate Christi secundum plenam sacerdotii potestatem, et fidelium eius secundum aliquam potestatem respectu sacramentorum et cultus, etc. Secundo, ex hoc quod Christo non convenit habere characterem. — Quoad secundam autem partem, scilicet *aeterni*, non oportet aliter probari. — Quoad tertiam vero, probatur ex eo quod anima est subiectum characteris secundum intellectum.

III. Adverte hic quod in minori propositione appositus ly *aeterni*, propterea quia character habet rationem vis instrumentalis. Constat enim quod, nisi principale agens sit aeternum, impossibile est ponere instrumentalem eius virtutem perpetuam.

Adverte secundo ly *re consecrata manente*. Quoniam inde apparet responsio ad Scotum, in IV *Sent.*, dist. vi, qu. 9, obiicientem ex indelebitate characteris negationem

virtutis supernaturalis in sacramentis: quia virtus illa nunquam posset corrumpi, eodem modo quo characterem indelebilem Thomas ponit. — Respondemus siquidem quod virtus in sacramentis existens manet quandiu sacramentum manet, sicut et character durat quandiu anima durat. Durante siquidem sacramento, durat et virtus illa. Et sicut, si cessaret esse anima, desineret et eius character, ita, cessante sacramento, cessat virtus in illo. Et quoniam constat sacramenta omnia paululum durare, utpote habentia verba pro formis, ideo mirum non est si spirituales virtutes eorum crebro esse desinunt.

IV. In responsione ad primum, adverte rationem Auctoris ex philosophia non solum principia, sed testimonium ad sensum habere. Videmus enim motum caelestem durationem ex parte motus sortiri. Tantique fit huiusmodi rerum, quarum esse consistit in fieri, duratio ex parte agentis, ut negantes conservari permanentes res manu Creatoris, concedant huiusmodi res imperfectas posse perpetuari ab agente perpetuo, ut Averroes, in XII *Metaphys.* \*, testatur.

Et habes in hac littera aliam rationem radicalem huius differentiae inter formam habentem esse completum, et formam quae est vis instrumentalis: quia scilicet illa, quasi fixa in subiecto, sequitur conditionem subiecti; ista vero, quasi defluxus quidam agentis, illius sequitur conditionem.

\* Text. Com. xli.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PER OMNIA SACRAMENTA NOVAE LEGIS IMPRIMATUR CHARACTER

IV *Sent.*, dist. iv, qu. i, art. 4, quis 2, 3; dist. vii, qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; dist. xxiii, qu. i, art. 2, qu<sup>a</sup> 3; De *Eccles. Sacram.*; Ad *Heb.*, cap. xi, lect. vii.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per omnia sacramenta novae legis imprimatur character. Per omnia enim sacramenta novae legis fit aliquis participans sacerdotii Christi. Sed character sacramentalis nihil est aliud quam participatio sacerdotii Christi, ut dictum est \*. Ergo videtur quod per omnia sacramenta novae legis imprimatur character.

\* Art. 3. 5.

2. PRAETEREA, character se habet ad animam in qua est, sicut consecratio ad res consecratas. Sed per quodlibet sacramentum novae legis homo recipit gratiam sanctificantem, ut supra \* dictum est. Ergo videtur quod per quodlibet sacramentum novae legis imprimatur character.

\* Qu. LXII, art. 1.

3. PRAETEREA, character est res et sacramentum. Sed in quolibet sacramento novae legis est aliquid quod est res tantum, et aliquid quod est sacramentum tantum, et aliquid quod est res et sacramentum. Ergo per quodlibet sacramentum novae legis imprimatur character.

SED CONTRA EST quod sacramenta in quibus imprimatur character, non reiterantur, eo quod character est indelebilis, ut dictum est \*. Quaedam autem sacramenta iterantur: sicut patet de poenitentia et matrimonio. Ergo non omnia sacramenta imprimunt characterem.

\* Art. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, sacramenta novae legis ad duo ordinantur: scilicet in remedium peccati, et ad cultum divinum. Est autem omnibus sacramentis commune quod per ea exhibetur aliquod remedium

\* Qu. LXII, art. 1, 5.

contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directe ad divinum cultum: sicut patet de poenitentia, per quam homo liberatur a peccato, non autem per hoc sacramentum exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in statum pristinum.

Pertinet autem aliquod sacramentum ad divinum cultum tripliciter: uno modo, per modum ipsius actionis; alio modo, per modum agentis; tertio modo, per modum recipientis. Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad divinum cultum Eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, in quantum est Ecclesiae sacrificium. Et per hoc idem sacramentum non imprimatur homini character: quia per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum vel recipiendum in sacramentis, cum potius sit *finis et consummatio omnium sacramentorum*, ut Dionysius dicit, iii cap. *Eccles. Hier.* Continet tamen in seipso <sup>α</sup> Christum, in quo non est character, sed tota sacerdotii plenitudo.

Sed ad agentes in sacramentis pertinet sacramentum ordinis: quia per hoc sacramentum deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda. Sed ad recipientes pertinet sacramentum baptismi, per quod <sup>β</sup> homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiae sacramenta: unde baptismus dicitur esse *ianua sacramentorum* <sup>γ</sup>. Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio: ut infra \* suo loco dicitur. Et ideo per haec tria

α

β

γ

\* Cf. qu. LXV, art. 3.

α) in seipso. — in se ipsum PGI.

β) per quod. — per quem GI, per hoc quod Hbc, quia per ipsum P.

γ) sacramentorum. — omnium sacramentorum Pc.

sacramenta character imprimitur, scilicet baptismum, confirmationem et ordinem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod per omnia sacramenta fit homo particeps sacerdotii Christi, utpote percipiens aliquem effectum eius: non tamen per omnia sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid vel recipiendum quod pertineat ad cultum sacerdotii Christi. Quod quidem exigitur ad hoc quod sacramentum characterem imprimat.

AD SECUNDUM DICENDUM quod per omnia sacramenta sanctificatur homo, propter hoc <sup>δ</sup> quod

sanctitas importat munditiam a peccato, quod fit per gratiam. Sed specialiter per quaedam sacramenta, quae characterem imprimunt, homo sanctificatur quadam consecratione, utpote deputatus ad divinum cultum: sicut etiam res inanimatae sanctificari dicuntur in quantum divino cultui deputantur.

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet character sit res et sacramentum, non tamen oportet id <sup>ε</sup> quod est res et sacramentum, esse characterem. Quid autem sit res et sacramentum in aliis sacramentis, infra \* dicitur.

<sup>ε</sup>  
\* Qu. LXXIII, art. 1, ad 3; qu. LXXXIV, art. 1, ad 3; *Supplem.* qu. XXX, art. 3, ad 3; qu. XLII, art. 1, ad 5.

δ) propter hoc. — secundum tertia. — Pro quod fit, quae fit P.

ε) id. — esse id I, quod id c, omne id P.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una est conclusio: *Per tria sacramenta tantum imprimitur character.* Haec conclusio, quoad exponentem negativam, implicite ponitur in littera. Et secundum se totam in littera implicite probatur, praesupponendo supra \* dicta de characterem, scilicet quod est potentia ad recipiendum vel tradendum ea quae sunt divini cultus. Ex hoc enim supposito principio procedit Auctor, quasi subsumendo quaedam sacramenta non spectare directe ad novum cultum divinum, aut non ordinare ad recipiendum vel tradendum; ac per hoc, in his non imprimi characterem. Unde distinguit in primis Auctor duos sacramentorum fines: scilicet remedium peccati, et divinum cultum. Et in primo omnia dicit convenire: in secundo autem non, quod probat de sacramento poenitentiae. Subdistinguit deinde in tria membra sacramenta

ordinata ad secundum finem: et, excluso uno eorum, scilicet Eucharistiae, concludit reliqua duo genera imprimere characterem. Et clare patet processus in littera.

II. Adverte hic quod circa Eucharistiae sacramentum possunt duo considerari: scilicet ipsum sacramentum, quod nihil aliud est quam actio sacramentalis consistens in consecratione materiae; et potest considerari usus sacramenti, quo Eucharistia percipitur a nobis. Et de primo quidem, an imprimat characterem, sub quaestione cadere non potest: quia actio illa nihil ponit in animabus nostris, sed ad materiam exteriorem terminatur. De secundo autem Auctor loquitur, reddens rationem quare non imprimat nobis characterem: et cum hoc, magnificans ipsum, quod continet Christum, in quo est fons omnium characterum.

\* Art. 2.



## QUAESTIO SEXAGESIMAQUARTA

### DE CAUSIS SACRAMENTORUM

IN DECEM ARTICULOS DIVISA

<sup>α</sup>  
\* Cf. qu. LX, In-  
trod.

DEINDE considerandum est de causis <sup>α</sup> sacramentorum \*, sive per auctoritatem sive per ministerium.

Et circa hoc quaeruntur decem.

Primo: utrum solus Deus interius operetur in sacramentis.

Secundo: utrum institutio sacramentorum sit solum a Deo.

Tertio: de potestate quam Christus habuit in sacramentis.

Quarto: utrum illam potestatem potuerit aliis communicare.

Quinto: utrum potestas ministerii in sacramentis conveniat malis.

Sexto: utrum mali peccent dispensando sacramenta.

Septimo: utrum angeli possint esse ministri sacramentorum.

Octavo: utrum intentio ministri requiratur in sacramentis.

Nono: utrum requiratur ibi recta fides; ita scilicet quod infidelis non possit tradere sacramentum.

Decimo: utrum requiratur ibi recta intentio.

### ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SOLUS DEUS, VEL ETIAM MINISTER, INTERIUS OPERETUR AD EFFECTUM SACRAMENTI

Supra, qu. LXII, art. 1; IV Sent., dist. 1, qu. 1, art. 4, qu<sup>a</sup> 1.



AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non solus Deus, sed etiam minister, interius operetur ad effectum sacramenti. Interior enim effectus sacramenti est ut homo purgetur a peccatis, et illuminetur per gratiam. Sed ad ministros Ecclesiae pertinet *purgare, illuminare et perficere*: ut patet per Dionysium, in v cap. *Coel. Hier.* \* Ergo videtur quod non solus Deus, sed etiam ministri Ecclesiae operentur <sup>β</sup> ad sacramenti effectum.

2. PRAETEREA, in collatione sacramentorum quaedam orationum suffragia proponuntur. Sed orationes iustorum sunt magis apud Deum exaudibiles quam quorumcumque: secundum illud Ioan. IX \*: *Si quis Dei cultor est, et voluntatem Dei facit, hunc Deus exaudit.* Ergo videtur quod maiorem effectum sacramenti consequitur ille qui recipit illum <sup>γ</sup> a bono ministro. Sic ergo minister operatur aliquid ad interiorem effectum, et non solus Deus.

3. PRAETEREA, dignior est homo quam res inanimata. Sed res inanimata aliquid operatur ad effectum interiorem: nam *aqua corpus tangit et cor abluit*, ut Augustinus dicit, *super Ioan.* \* Ergo homo aliquid operatur ad interiorem effectum sacramenti, et non solus Deus.

SED CONTRA EST quod dicitur *Rom. VIII* \*: *Deus qui iustificat.* Cum igitur interior effectus omnium sacramentorum sit iustificatio, videtur quod solus Deus operetur interiorem effectum sacramenti.

RESPONDEO DICENDUM quod operari aliquem effectum contingit dupliciter: uno modo, per modum principalis agentis; alio modo, per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti. Tum quia solus Deus illabatur animae \*, in qua sacramenti effectus consistit <sup>δ</sup>. Non autem potest aliquid <sup>ε</sup> immediate operari ubi non est. – Tum quia gratia, quae est interior sacramenti effectus, est a solo Deo \*, ut in Secunda Parte \*\* habitum est. Character etiam, qui est interior quorundam sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, quae manat a principali agente, quod est Deus.

Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti, in quantum operatur per modum ministri <sup>ζ</sup>. Nam eadem ratio est ministri et instrumenti \*: utriusque enim actio exterius adhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod purgatio, secundum quod attribuitur ministris Ecclesiae, non est a peccato: sed dicuntur diaconi purgare, in quantum vel immundos eiiciunt a coetu fidelium, vel eos sacris admonitionibus disponunt ad sacramentorum receptionem. Similiter etiam sacerdotes illuminare dicuntur sacrum populum, non quidem gratiam infundendo, sed sacramenta gratiae tradendo: ut patet per Dionysium ibidem \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod orationes quae di-

\* Part. 1, § 3.

β

\* Vers. 31.

γ

\* Tract. LXXX.

\* Vers. 33.

\* Cf. de Eccles. Dogm. cap. L, al. LXXXIII. – Inter Opp. Aug.

\* D. 680. \*\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cxii, art. 1.

ζ  
\* Aristot. Polit. lib. I, cap. II, n. 4. – S. Th. lect. II.

\* § 3, 6.

α) *causis*. – *causa* tertia.

β) *operentur*. – *interius operentur* Pl.

γ) *illum*. – *ipsum* P.

δ) *consistit*. – *existit* PGH; *consistit... sacramenti effectus* om. A.

SUMMAE THEOL. D. THOMAE T. IX.

ε) *aliquid*. – *aliquis aliquid* B, om. bc; *Non... operari* om. P errore typographorum.

ζ) *ministri*. – *ministerii* BCDEGHl. Cf. art. 2. β.

cuntur in sacramentorum collatione, proponuntur Deo non ex parte singularis personae, sed ex parte totius Ecclesiae: cuius preces sunt apud Deum exaudibiles, secundum illud Matth. xviii\*: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque <sup>7)</sup> petierint, fiet eis a Patre meo.* Nihil tamen prohibet quin devotio viri iusti ad hoc aliquid operetur.

Illud tamen quod est sacramenti effectus, non impetratur oratione Ecclesiae vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cuius virtus opera-

tur in sacramentis, ut dictum est\*. Unde effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri: nec tamen minister operatur illud, sed impetrat operandum a Deo.

AD TERTIUM DICENDUM quod res inanimatae non operantur<sup>0</sup> ad interiorem effectum nisi instrumentaliter, ut dictum est\*. Et similiter homines non operantur ad sacramentorum effectum nisi per modum ministerii, ut dictum est\*.

\* Vers. 19.

7)

\* Qu. LXII, art. 5.

0

\* In corpore.

\* Ibid.

7) *quamcumque*. — *quacumque* BCEa. Pro *fiet eis*, *fiat eis* ABCa, *fiet illis* PG.

0) *operantur*. — *aliquid* addunt editiones.

### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. — In corpore una ponitur distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus singulis iuxta singula membra. Distinctio est. Operari effectum contingit vel per modum principalis agentis; vel per modum instrumenti.

Prima conclusio est: *Solus Deus primo modo operatur effectum interiorem sacramenti.* Et probatur dupliciter: ut patet clare in littera.

Secunda vero conclusio est: *Homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti secundo modo.* Et probatur. Quia minister habet rationem instrumenti, etc.

II. Adverte hic quod, cum in littera dicitur, *Solus Deus est causa gratiae*, intelligas de causa principali: quoniam de illa est sermo in prima conclusione, pro qua hoc dicitur. Et superius\* determinatum est sacramenta causare instrumentaliter gratiam. Et hic in secunda conclusione dicitur hominem ministerialiter causare interiorem effectum sacramenti eadem ratione qua sacramentum est causa gratiae: quoniam ministro utitur Deus, sicut et sacramentali locutione, ut instrumento ad causandum interiorem effectum sacramenti. Immo una eademque vis instrumentalis perfecta est in sacramento et ministro, sicut in verbis et rebus: ea ratione, quia minister non nisi ut necessario requisitus ad perfectionem sacramenti concurrat; omnibus autem requisitis ad perfectionem sacramenti utitur principale agens, quod est Deus, ut partialibus concurrentibus ad perficiendum sacramentum unum. Quod est uti eis ut partialibus concurrentibus ad perfectionem instrumenti unius. In uno vero instrumento, quotcumque requiratur partialia, una eademque perfecta virtus instrumentalis ponenda est.

III. In responsione ad secundum, dubium occurrit, an

gratiae intensior gradus comprehendatur sub annexis quae per devotionem ministri impetrari possunt recipienti sacramentum. Et est ratio dubii quia, si comprehenditur sub annexis, sequitur praecedentia verba litterae, scilicet, *Effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum*, esse falsa. Quoniam, si ex devotione ministri intensior gratia daretur baptizato vel absoluto, constat quod melior effectus daretur per meliorem ministrum: cum gratia ipsa sit effectus sacramenti.

In oppositum autem est quod nulla ratio apparet quare alia dona Dei possunt habere rationem annexi impetrabilis per devotionem ministri, et maiortas gratiae non possit habere rationem annexi huiusmodi. Potest enim devotus minister hoc, sicut et alia, a divinae misericordiae largitate impetrare.

IV. Ad hoc dicitur quod, cum minister sacramenti non sit deterioris conditionis ministrando sacramentum quam si non ministraret; et similiter recipiens non fit ex receptione deterioris conditionis; nec divina largitas ex hoc quod impendit sacramentum, arctatur: consequens est ut possit minister impetrare maiorem gratiam recipienti sacramentum quam sit illa quae regulariter per sacramentum datur, aut quae illi seclusa ministri devotione daretur; sicut posset eandem maiorem gratiam extra ministerium sacramenti impetrare. Ac per hoc, maiortas gratiae potest habere rationem annexi impetrabilis ex ministri devotione.

Nec propterea sequitur quod maior, seu melior effectus sacramenti detur per meliorem ministrum. Quoniam maiortas illa impetrata non haberet rationem effectus sacramenti, sed rationem annexi effectui sacramenti: et esset effectus a solo Deo concomitanter ad sacramentum, impetratus ex devotione ministri.

\* Qu. LXII, art. 1.

## ARTICULUS SECUNDUS

### UTRUM SACRAMENTA SINT SOLUM EX INSTITUTIONE DIVINA

1<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CVIII, art. 2; IV *Sent.*, dist. II, qu. 1, art. 4, qu<sup>a</sup> 4; dist. VII, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 1; dist. XIII, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 6, ad 1, 3; dist. XVII, qu. III, art. 1, qu<sup>a</sup> 5; *In Ioan.*, cap. I, lect. XIV.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta non sint solum ex institutione divina. Ea enim quae sunt divinitus instituta, traduntur nobis in sacra Scriptura. Sed quaedam aguntur in sacramentis de quibus nulla fit mentio in sacra Scriptura: puta de chrismate quo homines confirmantur, et de oleo quo sacerdotes inunguntur, et de multis aliis, tam verbis quam factis, quibus utimur in sacramentis. Non ergo sacramenta sunt solum ex institutione divina.

2. PRAETEREA, sacramenta sunt quaedam signa. Res autem sensibiles naturaliter quaedam significant. Nec potest dici quod Deus quibusdam significationibus delectetur, et non aliis: quia ipse omnia quae fecit approbat\*. Hoc autem proprium videtur esse daemonum, ut quibusdam signis ad aliquid alliciantur: dicit enim Augustinus, XXI *de Civ. Dei*\*: *Illiciuntur daemones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis.* Non ergo vi-

\* Gen. cap. I, vers. 31.

\* Cap. VI.

detur quod sacramenta indigeant esse ex institutione divina.

\* Vers. 10.

3. PRAETEREA, Apostoli vicem Dei gesserunt in terris: unde Apostolus dicit, II Cor. II \*: *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, idest, ac si ipse Christus donasset. Sic ergo videtur quod Apostoli, et eorum successores, possint nova sacramenta instituere.

\* Art. praeced.; qu. LXII, art. 1.

SED CONTRA EST quod ille instituit aliquid qui dat ei robur et virtutem: sicut patet de institutoribus legum. Sed virtus sacramenti est a solo Deo, ut ex dictis \* patet. Ergo solus Deus potest instituere sacramentum.

\* Ibid.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex supra \* dictis patet, sacramenta instrumentaliter operantur ad spirituales effectus. Instrumentum autem habet virtutem a principali agente. Agens autem respectu sacramenti est duplex: scilicet instituens sacramentum; et utens sacramento instituto, applicando scilicet <sup>α</sup> ipsum ad inducendum effectum. Virtus autem sacramenti non potest esse ab eo qui utitur sacramento: quia non operatur nisi per modum ministerii <sup>β</sup>. Unde relinquitur quod virtus sacramenti sit ab eo qui instituit sacramentum. Cum igitur virtus sacramenti sit a solo Deo, consequens est quod solus Deus sit sacramentorum institutor.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa quae aguntur in sacramentis per homines instituta, non

sunt de necessitate sacramenti: sed ad quandam solemnitatem, quae adhibetur sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in his qui sacramenta suscipiunt. Ea vero quae sunt de necessitate sacramenti, sunt ab ipso Christo instituta, qui est Deus et homo. Et licet non omnia sint tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione: sicut Apostolus dicit <sup>γ</sup>, I Cor. XI \*: *Cetera cum venero disponam*.

\* Vers. 34.

AD SECUNDUM DICENDUM quod res sensibiles aptitudinem quandam habent ad significandum spirituales effectus ex sui natura: sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione divina. Et hoc est quod Hugo de Sancto Victore dicit \*, quod *sacramentum ex institutione significat*. Praelegit tamen Deus quasdam res aliis ad significationes sacramentales, non quia ad eas contrahatur eius affectus <sup>δ</sup>, sed ut sit convenientior significatio.

\* De Sacram. lib. I, part. IX, cap. 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod Apostoli, et eorum successores, sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiae institutae <sup>ε</sup> per fidem et fidei sacramenta. Unde, sicut non licet eis constituere aliam ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta: sed per *sacramenta quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt*, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi \*.

\* Gloss. Lomb. super Rom. cap. V, vers. 14.

<sup>α</sup>) scilicet. — videlicet BCa.

<sup>β</sup>) ministerii. — ministri Fa. Cf. art. 1. ζ.

<sup>γ</sup>) dicit. — DFsGa et editiones; om.

<sup>δ</sup>) affectus. — effectus PEIa; Alias affectus margo P.

<sup>ε</sup>) institutae. — vel constitutae C et margo B, constitutae tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. — In corpore una conclusio: *Solus Deus est sacramentorum institutor*. Probatur. Virtus sacramenti est ab institutore sacramenti. Sed virtus sacramenti est a solo Deo. Ergo solus Deus est sacramentorum institutor.

Maior probatur. Instrumentum habet virtutem a principali agente. Sacramentum est instrumentum ad spirituales effectus: et principale agens respectu sacramenti non est utens tantum sacramento, sed instituens ipsum. Ergo virtus sacramenti est ab institute ipso. Processus totus est clarus. — Et secunda pars minoris istius prosyllogismi declaratur in littera, distinguendo duplex agens respectu sacramenti; et ex exclusione unius membri, scilicet agentis per modum utentis, infertur reliquum, scilicet agens insti-

tuendo, esse agens principale; ac per hoc, a quo est virtus sacramenti.

II. Nota hic quod haec ratio directe et formaliter, licet non aestimetur a negantibus virtutes in sacramentis: — aequivalenter tamen haec ratio omnes convincit confitentes sacramenta conferre gratiam, sive per virtutem in eis, sive per divinam assistentiam solam. Quoniam par est ratio de virtute instrumenti, si ponatur vis aliqua in eo, et si ponatur absque huiusmodi vi efficax: quia efficacia instrumenti ad huiusmodi spirituale effectum non nisi a Deo, non nisi ab institute signum illud, esse potest. Quandoquidem a ministro utente solum, constat esse non posse: quia minister tantum est, ut in littera dicitur.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, HABUERIT POTESTATEM OPERANDI INTERIOREM EFFECTUM SACRAMENTORUM

IV Sent., dist. v, qu. 1, art. 1; In Ioan., cap. 1, lect. XIV; I ad Cor., cap. 1, lect. II.



\* Vers. 33.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus, secundum quod homo, habuit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum. Dicit enim Ioannes Baptista, ut habetur Ioan. I \*: *Qui me misit*

*baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Sed baptizare in Spiritu Sancto est interius gratiam Spiritus Sancti conferre. Spiritus autem Sanctus* <sup>α</sup>

<sup>α</sup>) Spiritus autem Sanctus. — Spiritus Sanctus autem editiones.

descendit super Christum in quantum homo, non in quantum Deus: quia sic ipse dat Spiritum Sanctum. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, habuit potestatem interiorem effectum sacramentorum causandi.

\* Vers. 6.

2. PRAETEREA, Matth. ix \* Dominus dicit: *Scitis quod Filius hominis habet in terra potestatem dimittendi peccata*. Sed remissio peccatorum est interior effectus sacramenti. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, interiorem effectum sacramentorum operatur.

3. PRAETEREA, institutio sacramentorum pertinet ad eum qui tanquam principale agens operatur ad interiorem sacramenti effectum. Manifestum est autem quod Christus sacramenta instituit. Ergo ipse est qui interius operatur sacramentorum effectum.

4. PRAETEREA, nullus potest sine sacramento effectum sacramenti conferre, nisi propria virtute sacramenti effectum operetur. Sed Christus sine sacramento contulit sacramenti effectum: ut patet in Magdalena, cui dixit, *Dimittuntur tibi peccata* \*. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, operetur interiorem sacramenti effectum.

\* Luc. cap. vii, vers. 48.

5. PRAETEREA, illud in cuius virtute sacramentum operatur, est principale agens ad interiorem effectum. Sed sacramenta habent virtutem ex passione Christi et invocatione nominis eius: secundum illud I Cor. i \*: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Ergo Christus, in quantum homo, operatur interiorem sacramenti effectum.

\* Vers. 13.

\* Isidor. Etymol. lib. VI, cap. xix. Cf. can. Multi saecular., Caus. I, qu. 1.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit \*: *In sacramentis divina virtus secretius operatur salutem*. Divina autem virtus est Christi secundum quod est Deus, non autem secundum quod est homo. Ergo Christus non operatur interiorem sacramenti effectum secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

RESPONDEO DICENDUM quod interiorem sacramentorum effectum operatur Christus et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo:

aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem. Secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie, et efficienter, sed instrumentaliter <sup>β</sup>. Dictum est \* enim quod passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, causa est nostrae iustificationis et meritorie, et effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis eius, ut supra \* dictum est.

\* Qu. XLVIII, art. 1, 6; qu. XLIX, art. 1.

Sed tamen, quia est instrumentum coniunctum divinitati in persona, habet quandam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui <sup>γ</sup> sunt ministri Ecclesiae et ipsa sacramenta, ut ex supra \* dictis patet. Et ideo, sicut Christus, in quantum Deus, habet potestatem *auctoritatis* in sacramentis, ita, in quantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem *excellentiae*. Quae quidem consistit in quatuor. Primo quidem, in hoc quod meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis, ut supra \* dictum est. — Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud Rom. III \*, *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius*, quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur: ideo, secundo, ad potestatem excellentiae quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in eius nomine sacramenta sanctificantur. — Et quia ex institutione <sup>δ</sup> sacramenta virtutem obtinent, inde est quod, tertio, ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. — Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, quarto, ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre.

\* Qu. XIII, art. 2, 3; qu. XIX, art. 1.

\* Art. 1.

\* Qu. LXII, art. 5.

\* Vers. 25.

δ

Et per hoc patet responsio ad obiecta: utraque enim pars obiectionum <sup>ε</sup> vera est, ut dictum est \*, secundum aliquid.

\* In corpore.

β) *sed instrumentaliter*. — et instrumentaliter ed. a, om. HpG et bc.  
γ) *qui*. — quae sG et b. — Pro et ipsa sacramenta, et super ipsa sacramenta D, ipsa sacramenta pE, et super sacramenta sE, om. H et editiones.

δ) *institutione*. — institutione eius F, eius institutione editiones.  
ε) *obiectionum*. — obiectorum bc, om. G. — secundum aliquid ante vera ponit P; utraque... aliquid om. I.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. — In corpore est una conclusio, habens tres partes: *Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis: in quantum vero homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae, consistentem in quatuor*. Conclusio haec, quia de potestate loquitur, de qua quaesitum est in titulo; et potentia per actum cognoscitur: ideo ab operatione in littera manifestatur.

Et quoad primam quidem partem, quia Deus auctoritative operatur.

Quoad secundam vero, quia Christus, secundum quod homo, operatur in sacramentis meritorie et efficienter.

Quod probatur: quia passio Christi est causa iustificationis nostrae meritorie et effective. Et hoc ultimum declaratur: quod non effective principaliter, sed per modum instrumenti; non cuiuscumque, sed coniuncti divinitati in persona, et propterea principalitatem et causalitatem obtinentis respectu extrinsecorum, puta ministrorum Ecclesiae et sacramentorum.

Tertia autem pars conclusionis probatur manifestando illa quatuor, quae sunt meritum, nomen, institutio, et independentia; et probando singula propriis rationibus, excepto primo, quod tractatum fuit in quinto articulo quaestionis sexagesimae secundae.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS POTESTATEM SUAM QUAM HABUIT IN SACRAMENTIS,  
POTUERIT MINISTRIS COMMUNICARE

IV *Sent.*, dist. v, qu. 1, art. 2; art. 3, qu<sup>a</sup> 1, 2; *De Verit.*, qu. xxvii, art. 3, ad 17; *In Ioan.*, cap. 1, lect. xiv;  
I *ad Cor.*, cap. 1, lect. ii.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus potestatem suam quam habuit in sacramentis, non potuerit ministris communicare. Ut enim argumentatur Augustinus, *contra Maximinum* \*, *si potuit et non voluit, invidus fuit*. Sed invidia longe fuit a Christo, in quo fuit summa plenitudo caritatis. Ergo, cum Christus non communicaverit suam potestatem ministris, videtur quod non potuerit communicare.

\* Lib. II, al. lib. III, cap. vii.

\* Vers. 12.

\* *In Ioan. Evang.* tract. LXXII.

α

β

2. PRAETEREA, super illud Ioan. xiv \*, *Maiora horum faciet*, dicit Augustinus \*: *Prorsus maius hoc esse dixerim*, scilicet ut ex impio iustus fiat, quam *creare caelum et terram*. Sed Christus non potuit communicare suis discipulis α quod crearent caelum et terram. Ergo neque quod iustificent β impium. Cum igitur iustificatio impii fiat per potestatem Christi quam habet in sacramentis, videtur quod potestatem suam quam habet in sacramentis, non potuerit ministris communicare.

\* Vers. 16.

γ

3. PRAETEREA, Christo in quantum est caput Ecclesiae, competit ut ab ipso gratia derivetur ad alios: secundum illud Ioan. i \*: *De plenitudine eius omnes accepimus*. Sed hoc non fuit aliis communicabile: quia sic Ecclesia esset monstruosa, multa capita habens. Ergo videtur quod Christus suam potestatem non potuerit ministris γ communicare.

\* Vers. 31.

\* *In Ioan. Evang.* tract. V, n. 9.

\* Art. 3.

SED CONTRA EST quod, super illud Ioan. i \*, *Ego nesciebam eum*, dicit Augustinus \* quod δ *non noverat potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum et sibi retenturum*. Hoc autem non ignorasset Ioannes si talis potestas communicabilis non esset. Potuit ergo potestatem suam Christus ministris communicare.

α) *discipulis*. — *Alias ministris* margo P; *Sed Christus... terram* om. b.  
β) *iustificent*. — *iustificarent* editiones.  
γ) *ministris*. — Om. GHbc.

statem. Unam *auctoritatis*, quae competit ei secundum quod Deus. Et talis potestas nulli creaturae potuit communicari: sicut nec divina essentia.

Aliam potestatem habuit *excellendae*, quae competit ei secundum quod homo. Et talem potestatem potuit ministris communicare: dando scilicet eis tantam gratiae plenitudinem ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus; ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta; et ut ipsi possent sacramenta instituere; et sine ritu ε sacramentorum effectum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum coniunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere: sicut manus baculo.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus non ex invidia praetermisit potestatem excellentiae ministris communicare, sed propter fidelium utilitatem: ne in homine spem ponerent, et ζ essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur; sicut apud illos qui dicebant, *Ego sum Pauli, Ego autem Apollo, Ego vero Cephae*, ut dicitur I *Cor.* 1 \*.

\* Vers. 12.

AD SECUNDUM DICENDUM quod obiectio illa procedit de potestate auctoritatis, quae convenit Christo secundum quod est Deus. — Licet et potestas excellentiae possit auctoritas nominari per comparisonem ad alios ministros. Unde super illud I *Cor.* 1 \*, *Divisus est Christus?* dicit Glossa \* quod *potuit eis dare auctoritatem baptismi, quibus contulit ministerium*.

\* Vers. 13.

\* Lomb.

AD TERTIUM DICENDUM quod ad hoc inconveniens evitandum, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suae excellentiae ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter, alii vero secundario.

δ) *quod*. — *qui* I. Cf. art. 5. γ.  
ε) *sine ritu*. — Om. bc. Post effectum PI addunt sacramentorum.  
ζ) *et*. — *ne bc*, *et ne P*.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ex dictis in praecedentibus articulis clarus est. In corpore una distinctio bimembris de duplici potestate, auctoritatis scilicet et excellentiae, est, cum duabus conclusionibus. Quarum prima est negativa, scilicet: *Christus potestatem auctoritatis nulli potuit communicare*. Probatur. Quia est incommunicabilis, ut divina essentia.

Secunda est: *Christus potestatem excellentiae potuit communicare*. Declaratur et probatur. Declaratur quidem, numerando singula in quibus consistit potestas excellentiae. — Probatur autem: quia instrumentum coniunctum, quanto virtuosius est, tanto plus potest imprimere in instrumentum separatum. Quod manifestatur in manu et baculo.

II. Adverte hic primo, quod Auctor hoc in loco solvit

questionem motam a Magistro Sententiarum in quinta distinctione Quarti \*, et ab eodem minus solutam meliorique iudicio reservatam.

\* Cap. Hic quaeritur.

Adverte secundo, Auctorem formaliter de Christo habente potestatem excellentiae loqui. Et propterea non ex potestate divina, sed ex potestate instrumenti coniuncti, potentiam communicandi probavit.

Adverte tertio, Auctorem expresse hic dicere quod Christus potuit communicare homini puro ut sacramentorum effectum conferret solo imperio. Habes enim hinc quod potestas conferendi gratiam communicabilis est homini: principalis enim et communis sacramentorum effectus est gratia, ut superius \* patet. Et idem apparet hic in responsione ad tertium, si recte conferatur cum argumento.

\* Qu. LXII, Introd. — Cf. Comment.



## ARTICULUS QUINTUS

## UTRUM PER MALOS MINISTROS SACRAMENTA CONFERRI POSSINT

Infra, art. 9; IV *Sent.*, dist. v, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2; dist. VII, qu. III, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 2;  
IV *Cont. Gent.*, cap. LXXVII; *Ad Heb.*, cap. VII, lect. II.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per malos ministros sacramenta conferri non possint. Sacramenta enim novae legis ordinantur ad emundationem culpae et collationem gratiae. Sed mali, cum sint immundi, non possunt alios a peccato mundare: secundum illud *Eccli.* xxxiv \*: *Ab imundo quis mundabitur?* Et etiam, cum gratiam non habeant, non videtur quod gratiam conferre possint: quia *nullus dat quod non habet* \*. Non ergo videtur quod per malos sacramenta conferri possint.

2. PRAETEREA, tota virtus sacramentorum derivatur a Christo, ut dictum est \*. Sed mali sunt praecisi a Christo: quia non habent caritatem, per quam membra capiti uniuntur, secundum illud I Ioan. iv \*: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Ergo videtur quod per malos sacramenta conferri non possint.

3. PRAETEREA, si desit aliquid horum quae debitum est esse in sacramentis, non perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma vel materia <sup>β</sup>. Sed debitus minister sacramenti est ille qui caret macula peccati: secundum illud *Levit.* xxi \*: *Homo de semine tuo per familias qui habuit maculam, non offeret panes Deo tuo, nec accedet ad ministerium eius.* Ergo videtur quod, si minister sit malus, nihil efficiatur in sacramento.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit \*, super illud Ioan. i \*, *Super quem videris Spiritum* <sup>γ</sup> etc., quod non noverat Ioannes potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum et sibi retenturum, sed ministerium plane transiturum in bonos et malos. *Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, ministri Ecclesiae instrumentaliter operantur in sacramentis, eo quod quodammodo eadem est ratio ministri et instrumenti. Sicut autem supra \*

dictum est, instrumentum non agit secundum propriam formam <sup>δ</sup>, sed secundum virtutem eius a quo movetur. Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, praeter id quod exigitur ad rationem instrumenti: sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum; et sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Unde ministri Ecclesiae possunt sacramenta conferre etiam si sint mali.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ministri Ecclesiae neque a peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt, sua virtute: sed hoc facit Christus sua potestate per eos sicut per quaedam instrumenta. Et ideo effectus consequitur in suscipientibus sacramenta non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod per caritatem membra Christi uniuntur suo capiti ut ab eo vitam recipiant: quia, ut dicitur I Ioan. III \*, *qui non diligit, manet in morte.* Potest autem aliquis operari per instrumentum carens vita, et a se separatum quantum ad corporis unionem, dummodo sit coniunctum per quandam motionem: aliter enim operatur artifex per manum, et aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis et per malos <sup>ε</sup>, tanquam per instrumenta carentia vita; et per bonos, tanquam per membra viventia.

AD TERTIUM DICENDUM quod aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Uno modo, sicut existens de necessitate sacramenti. Quod quidem si desit, non perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma vel debita materia. — Alio modo est aliquid debitum esse in sacramento secundum quandam decentiam. Et hoc modo debitum est ut ministri sacramentorum sint boni.

\* Cypr. Martyr. Epist. LXXIII, ad Iubaian. (al. Iuanar.) et cett. Episc. Numid. de Baptizand. Haeref. - Cf. Caus. I, qu. I, can. Ventum; qu. VII, can. Daibertum.  
\* Art. 3; qu. LX, Introd.; qu. LXII, art. 5.

\* Vers. 4.

\* Vers. 16.

\* Vers. 17, 18.

\* In Ioan. Evang. tract. V, n. 9, 11.  
\* Vers. 33.

\* Art. 1.

\* Qu. LXII, art. 1, 4.

α) novae. — PF; om.  
β) materia. — debita materia PI.  
γ) Spiritum. — Sanctum addunt BCEFa. Pro quod non, Quem non F, Quid non tertia. Cf. art. 4. S. C.

δ) formam. — aut virtutem addunt I et editiones.  
ε) malos. — bonos ACpB; et per malos... carentia vita post viventia ponunt PFI.

## Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una est conclusio: *Ministri Ecclesiae possunt sacramenta conferre etiam si sint mali.* Probat. Ministri Ecclesiae instrumentaliter operantur in sacramentis. Ergo possunt sacramenta conferre etiam si sint mali.

Antecedens probatur ex eo quod eadem est ratio ministri et instrumenti. — Consequentia vero probatur ex eo quod instrumentum non propria virtute, sed virtute principalis agentis operatur. Quod probatur ab effectu: quia hinc est quod instrumento accidit omnis forma praeter id quod exigitur ad instrumenti rationem. Quod duplici exemplo in littera manifestatur.

II. Circa hanc consequentiam, seu rationem, dubium occurrit: quoniam implicite petit principium. Oportet enim ad integrandum processum hunc, subsumere quod bonitas vel malitia ministri est accidens, et non exactum ad rationem instrumenti ministrantis sacramenta. Hoc autem supponere perinde est ac si supponeretur conclusio. Eiusdem enim rationis est quod bonitas vel malitia accidat instrumento seu ministro sacramentorum, et quod cum malitia possit minister conferre sacramentum: quoniam accidentia, sive adsint sive absint, non variant potestatem.

III. Ad hoc dicitur quod studium Auctoris fuit ad reddendum rationem conclusionis, potius quam ad ipsam con-

\* Cap. II, n. 5.  
S. Th. lect. I.

clusionem. *Omnis enim quaestio est medii*, ut dicitur in II *Poster.* \*: et praecipue quando conclusionis veritas habetur pro evidente, ut est in proposito. Et propterea in littera neglexit Auctor subsumere de bonitate vel malitia, et ascendit ad universalem rationem instrumenti: ut, hac habita summaria notitia, propter quid mali ministri possunt conferre sacramenta, haberetur.

Et est in promptu consequentiae ratio ad praesentem materiam. Quoniam bonitas vel malitia moralis hac ratione ad ministrum sacramentorum necessaria creditur, si necessaria esset quia *nemo dat quod non habet*. Quae ratio in littera in primo argumento affertur: et dicitur fuisse Cypriani Martyris. Ex hoc enim quod minister instrumen-

taliter operatur; et instrumentum non propria, sed principalis agentis virtute efficit: consequens est manifeste quod ad efficacem collationem sacramenti non exigitur in ministro bonitas, qua sacramentum efficax conferat. Idem est enim malitiam ministri impedire sacramenti effectum, et ministrum agere propria virtute, quae per malitiam tolleretur.

Nulla est ergo petitio principii: sed claritas materiae brevior efficit processum litterae; in qua Auctor, quia ratio ipsa a sacris Doctoribus posita fuerat, ut patet in v dist. IV *Sent.*, vacavit probationi ipsius rationis, scilicet universali rationi instrumenti, ut antiquae traditionis ratio haberetur.

## ARTICULUS SEXTUS

### UTRUM MALI MINISTRANTES SACRAMENTA PECCENT

IV *Sent.*, dist. v, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 4; dist. xxiv, qu. I, art. 3, qu<sup>a</sup> 5.

**A**D SEXTUM SIC PROCEditur. Videtur quod mali ministrantes sacramenta non peccent. Sicut enim ministratur Deo in sacramentis, ita per opera caritatis: unde dicitur *Heb.* ult. \*: *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*. Sed mali non peccant si ministrent Deo in operibus caritatis: quinimmo hoc est consulendum <sup>α</sup>, secundum illud Dan. IV \*: *Consilium meum regi placeat: peccata tua eleemosynis redime*. Ergo videtur quod mali non peccent in sacramentis ministrando.

2. PRAETEREA, quicumque communicat alicui in peccato, etiam ipse est reus peccati: secundum illud *Rom.* I \*: *Dignus est morte non solum qui peccatum agit, sed etiam qui consentit <sup>β</sup> facientibus*. Sed si mali ministri peccent sacramenta ministrando, illi qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant. Ergo etiam ipsi peccarent. Quod videtur inconveniens.

3. PRAETEREA, nullus videtur esse perplexus: quia sic homo cogere desperare, quasi non posset <sup>γ</sup> peccatum evadere. Sed si mali peccarent sacramenta tradendo, essent perplexi: quia etiam quandoque peccarent si sacramenta non traderent, puta cum eis ex officio incumbit necessitas; dicitur enim I *Cor.* IX \*: *Vae mihi est <sup>δ</sup> si non evangelizavero: necessitas enim mihi incumbit*. Quandoque etiam propter periculum: sicut si puer, in periculo mortis existens, offeratur alicui peccatori baptizandus <sup>ε</sup>. Ergo videtur quod mali non peccent sacramenta ministrando.

SED CONTRA EST quod Dionysius dicit, I cap. *Eccles. Hier.* \*, quod *malis non est fas neque tangere symbola*, idest sacramentalia signa. Et in Epistola ad *Demophilum* \* dicit: *Talis, scilicet peccator, audax videtur sacerdotalibus manum imponens <sup>ζ</sup>; et non timet neque verecundatur, divina*

*praeter dignitatem exequens, et Deum putans ignorare quod ipse in seipso cognovit; et decipere existimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum; et audet immundas infamias, non dicam orationes, super divina signa Christiformiter enuntiare.*

RESPONDEO DICENDUM quod aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur *non secundum quod oportet*: ut patet per Philosophum, in libro *Ethicorum* \*. Dictum est autem \*\* conveniens esse ut sacramentorum ministri sint iusti: quia ministri debent Domino conformari, secundum illud *Levit.* XIX \*: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum; et Eccli.* X \*: *Secundum iudicem populi, sic et ministri eius*. Et ideo non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sanctorum <sup>η</sup>, quantum est ex parte ipsius hominis peccatoris, licet sancta secundum seipsa incontaminabilia sint: consequens est quod tale peccatum ex genere suo est mortale \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod opera caritatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad iustitiae sanctitatem <sup>θ</sup> sicut quaedam iustitiae partes. Et ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus caritatis, si sit iustus, amplius sanctificabitur <sup>ι</sup>: si vero sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed sacramenta in seipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem. Et ideo praeexigitur in ministro sanctitas iustitiae, ut congruat suo ministerio. Et ideo incongrue agit et peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ille qui ad sacramenta accedit, suscipit quidem sacramentum a ministro Ecclesiae, non in quantum est talis persona, sed in quantum est Ecclesiae minister. Et

\* Vers. 16.

α  
\* Vers. 24.

\* Vers. 32.

β

\* Vers. 16.

δ

ε

\* § 5.

\* Epist. VIII, § 2.

ζ

\* Lib. II, cap. III, n. 5; cap. VI, n. 10, 11. - S. Th. lect. III, VI.  
\*\* Art. 5, ad 3.

\* Vers. 2. - Cf. I Petr., cap. I, vers. 16.  
\* Vers. 2.

\* D. 892.

α) consulendum. - eis consulendum PI. - Pro regi, tibi P.  
β) Dignus est... peccatum agit... consentit. - Digni sunt... peccata faciunt... consentiunt PI; peccata etiam bc.  
γ) posset. - potens PI.  
δ) est. - Om. PEF, et ceteri.  
ε) baptizandus. - DFA et tertia; baptizandum.  
ζ) imponens. - apponens PI. Pro dignitatem, divinitatem P.

η) sanctorum. - sacramentorum PDFs], vel sanctorum sacramentorum sl. - Pro quantum, quod neque videlicet bc. - hominis om. H et editiones. - Pro sancta, sacramenta Psl, vel sacramenta sancta sl.  
θ) sed ipsa... sanctitatem. - Om. GH, nisi editiones; margo P per Al. ut nos.  
ι) sanctificabitur. - sanctificatur PI.

ideo, quandiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiae, quae eum tanquam ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleretur, puta cum degradatur vel excommunicatur vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ipsius.

AD TERTIUM DICENDUM quod ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare: quia

potest poenitere de peccato et licite ministrare. Non est autem inconueniens quod sit perplexus supposito quodam, scilicet quod velit remanere in peccato.

In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu in quo etiam posset laicus dispensare \*. Sic enim patet quod non exhibet se ministrum Ecclesiae, sed subuenit <sup>λ</sup> necessitatem patienti. Secus autem est in aliis sacramentis, quae non sunt tantae necessitatis sicut baptismus \*, ut infra \*\* patebit.

\*  
λ\* D. 267.  
\*\* Qu. LXV, art.  
3, 4; qu. LXVII,  
art. 3.

\*) dispensare. — baptizare Fl et editiones.

λ) exhibet... subuenit. — exhiberet... subueniret P.

### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat sumendus est. — In corpore duae conclusiones sunt. Prima est: *Mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum, peccant.* — Secunda est quod *hoc peccatum est ex suo genere mortale.*

Prima probatur. Quicumque operatur non secundum quod oportet, peccat in operando. Sed minister malus sacramenti operatur non secundum quod oportet. — Probatur. Quia ministri sacramentorum debent esse iusti: quia ministri debent conformari Domino, ut testantur auctoritates Scripturae.

Secunda vero conclusio probatur. Quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei et contaminationem sacramentorum \*. Quae particula declaratur: quod intelligitur non ex parte ipsorum sacramentorum, quoniam ipsa sunt incontaminabilia; sed ex parte ipsius peccatoris sacrilegium committentis.

\* Cf. not. 7.

II. Circa fundamentum huius processus, dubium occurrit, ex eo quod bonitas requiritur ad ministrum sacramentorum secundum quandam decentiam et convenientiam: ut in praecedenti articulo, ad tertium, et hic dicitur. Non est autem rationabile quod negatio conditionis requisitae secundum decentiam constituat peccatum mortale: cum videamus condiciones requisitas ad bene esse actuum moralium, nec etiam veniale constituere peccatum.

Et hoc etiam testatur maxima ex morali philosophia adducta in littera de circumstantiis actionum humanarum. Non enim dicit peccatum esse si quis operatur non secundum quod melius, aut quando melius, aut sicut melius, etc.: sed, non secundum quod oportet, aut quando oportet, aut sicut oportet, etc. Nam *oportet* necessitatem denotat: ut per hoc intelligamus peccatum tunc intervenire quando necessariae condiciones omittuntur; et non si condiciones ad bene esse omittantur, aut earum contrariae immisceantur.

Et si dicatur quod bonitas non est conditio ad bene esse ministri sacramenti, sed est conditio debita, ut in praecedenti articulo \* littera explicavit; debitum autem extra necessaria non est; et propterea cuiuscumque debiti omissio peccatum constituit: — adhuc militat ratio quod non sit peccatum mortale. Quoniam debitum actui humano non secundum necessitatem, sed secundum quandam decentiam, etsi possit sua absentia constituere peccatum, non tamen tantae vis est ut possit constituere peccatum mortale: ea ratione, quia sola indecentia non habet rationem peccati mortalis.

\* Ad 3.

Nec obstat quod indecentia huiusmodi ad irreuerentiam Dei et contaminationem sacramentorum spectat. Tum quia non quodlibet spectans ad haec est peccatum mortale: ut patet de multis irreuerentiis erga Deum et sacramenta quas negamus esse peccata mortalia, ut patet de comedentibus in ecclesia, aut iocosum aliquid dicentibus audiendo missam, et huiusmodi. — Tum quia huiusmodi indecentia non nisi reductive ad irreuerentiam Dei et contaminationem sacramentorum spectat: directe enim ipsius hominis malam dispositionem ponere videtur. Est enim dispositio quaedam ipsius operantis magis quam operationis: vide-

turque magis peccatum constituere praesumptionis quam sacrilegii.

III. Ad hoc dicitur quod actio sacramentalis potest sumi dupliciter. Vel secundum rationem operis operati. Et sic non exigit bonitatem vel malitiam ministri nisi secundum quandam decentiam. Et propterea, sive bonus sive malus sit minister, sacramentum verum et efficax est. — Vel secundum rationem operis operantis. Et sic exigit necessario bonitatem in ministro ad hoc ut recta sit. Et ratio assignata est in littera: et magis assignabitur cogens ratio in littera in responsione ad primum. Oportet enim actionem sacramentalem, si non solum in se recta esse debet, sed etiam secundum quod exit a ministro, ut sit consona secundum rectam rationem et Deo, cuius est minister, et sacramentis, quae ministrat. Et ex parte quidem conformitatis ad Deum, posita est ratio in hoc corpore articuli. Ex parte vero conformitatis ad sacramenta, ponitur ratio in responsione ad primum. — Et hinc patet ruere primam obiectionem.

Ad ea vero quae obiiciuntur directe contra rationem peccati mortalis in hoc actu, dicitur quod debitum secundum decentiam ad opus operatum est debitum secundum necessitatem ad opus operantis ministri. Et propterea non est mirum si eius absentia peccatum mortale constituat.

Et cum adhuc obiicitur ex eo quod non quaelibet irreuerentia sacramentorum est mortalis, respondetur hoc verum esse propter imperfectionem aliquorum actuum irreuerentialium: in quolibet namque genere mortalis peccati imperfectio actus excusat a mortali. Ministrare autem sacramenta indigne non est actus imperfectus in genere sacrilegii. Nec, ut ultima infert obieccio, reductive tantum ad sacrilegium spectat: sed directe ad contaminationem sacramentorum pertinet. Possunt enim sacramenta, secundum se incontaminabilia, dupliciter contaminari: scilicet vel ut egrediuntur a ministro; vel ut applicantur ad aliquid. Et hoc secundo modo sacrilegium est uti sacramento ad alium finem, ut sortilegi faciunt. Primo autem modo sacrilegus est malus minister, a quo exit sacramentalis actio indigne. Quantum enim est ex parte ipsius ministri mali, maculatur actio illa: quoniam tractatur ut profana, seu non sancta. Haec enim est ratio in hac littera assignata.

Quam si vis plenius intelligere, perspice vigorem eius ex auctoritate Apostoli dicentis \* de Eucharistia: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Ubi rationem peccati mortalis assignavit ex hoc quod manducans non diiudicat corpus Domini: hoc est, non discernit corpus Domini ab aliis cibis, sed sumit ipsum ut cibum profanum, quoniam sumit ipsum indispositus ad illum, utpote indigne. Idem enim accidit in malo ministro. Nam ministrans indigne sacramentum non diiudicat sacramentum, dum non discernit illud, ut a se egreditur, a profanis, sed se habet ad sacramentalem actionem ut profanam, dum indigne illam exercet. Hoc enim est contaminare sacramenta ex parte ipsius ministrantis seu recipientis. Et praesumptio ministri mali non est qualiscumque, sed sacrilega praesumptio: sicut

\* I ad Cor., cap.  
xi, vers. 29.

et praesumptio audentis indigne recipere sacramenta sacrilega est.

IV. Circa utramque conclusionem, adverte diligenter et caute conditiones in eis appositae in littera. Quarum prima est quod ministrans exhibeat se ministrum Dei et Ecclesiae; secunda est quod ministret sacramentum; tertia est quod tale peccatum est mortale non quomodolibet, sed ex suo genere. Docet enim per haec Auctor requiri ad hoc quod huiusmodi peccatum sit mortale, duo: primo, quod exhibeat se ministrum; secundo, quod tale ministerium sit actio sacramentalis. Ita quod, si alterum horum defuerit, non habes hinc mortale peccatum in ministeriis sacris. Docet rursus quod, si aliqua administratio sacramenti a malo ministro exercitata imperfectionem actus compatitur, non erit peccatum mortale: licet mali ministri administratio sacramentalis habeat ex suo genere peccatum mortale.

Adverte secundo quod, duabus existentibus rationibus peccati in huiusmodi ministerio, scilicet ex parte difformitatis ministri ad Deum, cuius est minister, et ex parte contaminationis sacramentorum quae administrantur; Auctor in hoc corpore articuli ex prima ratione probavit ministerium mali ministri esse peccatum; ex secunda autem ratione probavit illud esse peccatum mortale. Tantam autem differentiam inter has rationes insinuavit quod secunda usus est in responsione ad primum ut causa propria: primam autem rationem non tanti fecit. De utraque autem diffusior erit sermo, et ambarum efficaciae magis patebunt.

V. In responsione ad primum, adverte et percipe Auctorem uti regula illa Posterioristica, *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis* \*, dum ex hoc quod sacramenta sunt opera consecrationis sanctificata, infert in ministro praexigi sanctitatem iustitiae; et ex hoc quod opera caritatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, infert in Dei ministro respectu eorum non exigi sanctitatem iustitiae. Manifeste enim ex hoc significat hanc esse propriam causam mortalis peccati vel non mortalis peccati in administrationibus sacris: quoniam regula illa in solis propriis causis tenet. Ita quod, cum quaestio aliqua de peccato mortali in operationibus sacris contingit ex parte malitiae ministri, intuendum est an illa operatio ad quam quis malus exhibet se ministrum, sit aliqua consecratione sanctificata, quales sunt omnes actus sacrorum ordinum: an non sit consecrata. Et si est de numero consecratarum, concluditur hinc mortale peccatum in malo ministro. Et si non est de numero consecratarum, excusatur hinc minister malus a mortali peccato. Et est semper sermo de ministro malo malitia peccati mortalis in se existentis.

Hanc doctrinam quia diffuse tractavi in *Quolibetis* \*, ne eadem repetantur, modo pertranseo, unum tantum addiciens: quod videtur mihi modo actum praedicandi esse de numero actuum consecratarum, quia est actus ad quem minister consecratur; nam eius minister ex officio est episcopus primo, et secundario sacerdos. Nec obstat actum istum ex institutione Ecclesiae appropriatum esse sacro ordini: quoniam institutio Ecclesiae vel divina ad differentiam originis spectat, et non ad differentiam formalem. Extrahere siquidem hominem ab ecclesia sacrilegium formaliter est, licet ex institutione Ecclesiae actus iste substratus sit sacrilegio. Et similiter comedere semel in die, ut fit in quadagesima, abstinentia formaliter est, quamvis ex Ecclesiae statuto sub abstinentiae specie positum sit. Et similiter in proposito, licet praedicatio ex auctoritate Ecclesiae facta sit actus ordinis, sub specie tamen actuum ordinis formaliter comprehenditur. Ac per hoc, inter opera consecrata computanda est, ea ratione, quia ad ipsam, sicut et ad alios actus ordinis, consecrari oportet ministrum. Et propterea, secundum doctrinam hinc habitam, minister malus praedicans mortaliter peccat, sicut qui indigne administrat alios actus sacrorum ordinum.

VI. In responsione ad secundum, adverte quod non loquitur littera de inducente indignum ministrum ad sacramenti exhibitionem: sed de accipiente sacramentum ab indigno ministro. Quod ideo dixerim, quia alia quaestio

est, an liceat accipere sacramentum ab indigno ministro: et alia quaestio est, an liceat inducere ad administrationem sacramenti ministrum indignum. Prima quaestio hic solvitur: de secunda nihil dicitur. Sed facile solvi potest secunda, dicendo quod, licet nunquam liceat inducere hominem ad peccandum, uti tamen licet iniquitate alterius. Et propterea in duobus casibus licet inducere indignum ministrum ad exhibitionem sacramenti. Primus est, si minister tenetur ad huiusmodi exhibitionem: quia nemo peccat petendo actum sibi debitum a suo debitore. Et hac ratione excusantur qui a suo curato tenente concubinam sacramenta petunt. — Secundus est articulus necessitatis ex parte petentis, cum dispositione praeparationis ex parte ministri: hoc est, quod minister sit paratus ministrare sacramentum, et homo egeat illo. Eadem siquidem ratione qua licitum est indigenti petere mutuum ab usurario, licitum quoque est indigenti petere sacramentum ab indigno parato ad ministrandum.

VII. In eadem responsione, circa acceptionem sacramenti a ministro excommunicato, etc., nota primo, quod haec doctrina intelligitur, cessante extrema necessitate baptismi. Excipit enim ipse Auctor, in *IV Sent.*, dist. v \*, casum necessitatis, quo scilicet *posset quis a Iudaeo vel pagano baptismum recipere*.

Secundo, quod hodie, ex indulto Concilii Constantiensis sub Martino V, licitum est ab excommunicatis ministris recipere sacramenta, nisi in duobus casibus: hoc est, si nominatim denunciatus fuerit excommunicatus aut suspensus, etc.; vel si propter iniectionem manus violentae in clericum notorie constiterit in excommunicationem incidisse; ut refert Dominus Antoninus, archiepiscopus Florentinus, in suae Summae parte tertia, tit. xxvi, cap. iii \*.

VIII. In responsione ad tertium, circa illud, *In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando*, etc., dubium primo occurrit, propter relatas a Durando rationes ad oppositum, in *IV Sent.*, dist. v, art. 2. Et prima est contra excusationem ex articulo necessitatis. Quia casus evitabilis solo voluntatis propriae arbitrio non constituit articulum necessitatis. Sed sic est in proposito: quia indignus minister potest statim conteri, si vult, et transire de malo in bonum. Ac per hoc, non est casus necessitatis ministrum cum indignitate ad baptizandum. — Secunda vero ratio contra excusationem ex persona non-ministri tendit. Quia quicumque baptizat, sive vetula sive paganus, baptizat ut minister principalis agentis, qui est Christus: est enim minister de necessitate sacramenti baptismi, sicut et forma et materia. Falsum est ergo quod baptizans in necessitate non exhibeat se ministrum Ecclesiae. Ac per hoc, non inde excusatur si indignus baptizat.

Dubium secundo est \*, an Auctor in littera intendat excusare sacerdotem indignum in articulo necessitatis baptizantem, tam si baptizet cum solemnitate quam si sine solemnitate: vel intendat solum excusare baptizantem sine solemnitate. Et est ratio dubii, quia in littera hac nulla fit mentio de solemnitate: et consequenter videtur excusari utroque modo baptizans, dummodo baptizet ut subveniat necessitatem patienti in casu in quo laicus posset; sic enim in littera dicitur. — In oppositum autem est quod ab Auctore dicitur in *IV Sent.* \*, de baptizante cum solemnitate.

Dubium tertio occurrit \*, quo pacto potest stare doctrina haec cum superius \* dictis, scilicet: Ministratio sacramenti est ex suo genere peccatum mortale, si minister sit indignus. Nam si sic est, sive ministrans illud ministret ex officio, sive ex casu necessitatis, sive quavis alia ratione, semper sequitur quod actum exercet qui ex suo genere est peccatum mortale, puta contaminare sacramenta quantum ex ipso est. Constat enim quod in ceteris actibus qui de suo genere sunt peccata mortalia, variata conditio agentis non excusat a mortali: ut patet de adulterio, furto, et aliis. Aut igitur hoc non est mortale ex genere: aut quilibet indigne ministrans peccat mortaliter.

IX. Ad evidentiam horum, sciendum est quod praesentis doctrinae sensus est: In articulo necessitatis quo laico licet baptizare, si sacerdos baptizet, procul dubio sine sole-

\* Aristot. *Analyt. Poster.* lib. I, cap. XIII, n. 8. — S. Th. lect. xxiv.

\* Opusc. Caiet. tom. II, Tract. X. — Ed. Lugdun. 1562.

\* Qu. II, art. 2, quae 5.

\* Tit. xxv, cap. II, § 2.

\* Cf. num. x.

\* Dist. v, qu. II, art. 2, quae 4.

\* Cf. num. XI.

\* In corp. art.

mnitate, non peccat, quamvis in peccato mortali sit. Et ratio assignatur, quia tunc non gerit personam ministri ex officio, quem probatum est oportere esse iustum: sed gerit personam ministerialiter subvenientis necessitatem patienti.

Unde ad rationem primam in primo dubio allatam, dicitur quod necessitas excusans malum ministrum non est necessitas impossibilis contritionis, ut argumentum intelligit, quoniam in instanti potest quis contritionem habere de infinitis peccatis: sed est necessitas cogens hominem baptizatum ad exhibendum se non ut ministrum ex officio. Ex hoc namque quod minister ibi concurrat non ut minister ex officio, necessitate hoc exigente, a peccato excusatur.

Et per hoc patet solutio secundae rationis. Distinctum siquidem est de ministro vel ex officio, vel ex articulo necessitatis. Et licet quicumque baptizet sit minister Christi et Ecclesiae altero modo, non tamen semper est minister ex officio: de quo solo probatum est quod oportet esse iustum.

\* Num. viii, *Dubium secundo.*

X. Et per hoc patet solutio secundi dubii \*. Nam si articulus necessitatis pateretur ministrum cum solemnitate baptizare, non essemus in casu in quo laicus posset baptizare. Et rursus, si cum solemnitate baptizaret, manifeste constat quod exhiberet se ut ministrum ex officio. Ex utroque ergo capite, hoc est, ex casu in quo laicus posset baptizare, et ex hoc quod dicitur quod non exhiberet se ut ministrum ex officio, manifeste patet quod Auctor non intendit excusare huiusmodi sacerdotem nisi in casu in quo cogitur sine solemnitate baptizare.

XI. Ad tertium dubium \* dicitur quod, quia baptizans in articulo necessitatis deficit a perfecta ratione ministerii, quoniam non ministrat ex officio, ideo operatio sua imperfectum quid est in genere administrationis sacramentorum, non ex parte obiecti, hoc est sacramenti, sed ex parte agentis, hoc est ministri. Non enim exit operatio tunc a ministro ex officio, sed a nudum ministerium praebente. Ex huiusmodi autem imperfectione actus excusatur a mortali: quoniam administratio exiens ab indigno habet rationem mortalis pro quanto exit ab agente, et non aliter, ut in littera patet. Ex hoc enim fit ut, quia administratio huiusmodi non exit ab agente proprio, hoc est, ministro ex officio, non exeat etiam cum culpa mortali. Et propterea dicendum est quod administratio sacramenti *ab indigno ministro ex officio* est mortale ex suo genere, si ex claritate verborum excludendae sunt obiectiones. Si tamen absolute dicatur quod indigni administratio est peccatum mortale ex suo genere, verum dicitur: quoniam subintelligitur, *a proprio ministro*.

\* *Ibid., Dubium tertio.*

Nec obstat obiectio de adulterio et huiusmodi. Quoniam conditio agentis in hoc sacrilegio concurrat ut pars integrativa rationis formalis peccati mortalis ex suo genere: ita quod, sicut ad rationem furti non sufficit quod sit acceptio rei alienae, sed oportet quod sit invito domino; ita ad tale sacrilegium non sufficit quod sit administratio ab homine malo, sed exigitur quod sit etiam a ministro ex officio ut sic. Et ratio est assignata in littera \*: quia sanctis ministeriis non nisi sanctus convenit minister; qui, per se loquendo, non est nisi minister ex officio.

\* In corp. et ad 1.

## ARTICULUS SEPTIMUS

### UTRUM ANGELI POSSENT SACRAMENTA MINISTRARE

IV *Sent.*, dist. v, qu. ii, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXIV.

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod angeli possent <sup>α</sup> sacramenta ministrare. Quidquid enim potest minister inferior, potest et superior, sicut quidquid potest diaconus, potest et sacerdos: sed non convertitur. Sed angeli sunt superiores ministri in ordine hierarchico quam etiam quicumque homines: ut patet per Dionysium, in libro *Cael. Hier.* \* Ergo, cum homines possint ministrare in sacramentis, videtur quod multo magis angeli.

\* Cap. ix, § 2.

\* Vers. 30. - Cf. Luc. cap. xx, vers. 36. β

\* Qu. LXXIII, art. 5.

\* Qu. VIII, art. 7.

γ

\* Vers. 1.

2. PRAETEREA, homines sancti assimilantur angelis in caelo, ut dicitur Matth. xxii \*. Sed aliqui sancti in caelo existentes possunt <sup>β</sup> ministrare in sacramentis: quia character sacramentalis est indelebilis, ut dictum est \*. Ergo videtur quod etiam angeli in sacris possint ministrare.

3. PRAETEREA, sicut supra \* dictum est, diabolus est caput malorum, et mali sunt membra eius. Sed per malos possunt dispensari <sup>γ</sup> sacramenta. Ergo videtur quod etiam per daemones.

SED CONTRA EST quod dicitur *Heb. v* \*: *Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum.* Sed angeli boni vel mali non sunt ex hominibus. Ergo ipsi non constituuntur ministri in his quae sunt ad Deum, id est in sacramentis.

\* Art. 3; qu. LXII, art. 5.

α) *possent.* - *possint* P.  
β) *possunt.* - *possent* PFL.

ctum est, tota virtus sacramentorum a passione Christi derivatur, quae est Christi secundum quod homo. Cui in natura conformantur homines, non autem angeli: sed potius secundum passionem dicitur *modico ab angelis minoratus*, ut patet *Heb. II* \*. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta et in eis ministrare, non autem ad angelos.

\* Vers. 9.

Sciendum tamen quod, sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiae ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare hoc fieri voluntate divina: sicut quaedam templa dicuntur angelico ministerio consecrata \*. Si vero daemones, qui sunt *spiritus mendacii* \*, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illud quod faciunt homines inferiori modo, scilicet per sacramenta sensibilia, quae sunt proportionata naturae ipsorum, faciunt angeli, tanquam superiores ministri, superiori modo, scilicet invisibiliter *purgando, illuminando et perficiendo* \*.

\* Vide Bolland. *Act. SS.*, die xxix Sept., Apparit. S. Michael, auct. anonym., § xix, n. 7.  
\* III *Reg.*, cap. xxii, vers. 22, 23; II *Paralip.*, cap. xviii, vers. 21, 22; Ioan. cap. viii, vers. 44.

\* Dionys. *de Eccles. Hier.*, cap. v, part. 1.

γ) *dispensari.* - *ministrari* H et editiones.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sancti qui sunt in caelo, sunt similes angelis quantum ad participationem gloriae: non autem quantum ad conditionem naturae. Et per consequens neque quantum ad sacramenta.

AD TERTIUM DICENDUM quod mali homines non habent quod possint ministrare in sacramentis ex hoc quod per malitiam sunt membra diaboli. Et ideo non sequitur quod diabolus, qui est eorum caput, magis hoc possit.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo est sermo de angelis quoad naturam, sive boni sive mali sint. Et rursus est sermo de potestate ordinaria; hoc est: An, secundum communem cursum ordinis instituti a Deo, angeli possint ministrare sacramenta.

In corpore articuli quatuor fiunt. Primo, respondetur quaesito; deinde, ad bonitatem doctrinae, tractatur de potestate delegabili ipsis angelis, ubi tria dicuntur, ut patebit.

Quoad primum, conclusio est: *Angeli non possunt ministrare sacramenta.* Probatur. Tota virtus sacramentorum derivatur a Christo patiente. Ergo ad homines, et non ad angelos pertinet ministrare sacramenta. — Consequentia probatur ex duobus. Primo, ex dissimilitudine naturae: quia scilicet Christo homines, non angeli, assimilantur in natura\*. Secundo, quia Christus patiens, in quantum patiens, fuit minor angelis: minister autem non debet esse maior principali agente, ut contingeret in proposito, si sancti angeli essent ordinarie ministri Christi patientis.

Secunda conclusio est quod *potest conferri angelis quod administrant sacramenta.* Probatur. Quia Deus non alligavit virtutem suam ministris Ecclesiae, sicut nec sacramentis.

Tertia conclusio est de exercitio administrationis sacramentorum a bonis angelis: *Si administrarent sancti angeli sacramentum aliquod, deberet haberi pro vero sacramento.* Probatur. Quia sancti angeli sunt nuntii veritatis.

Quarta est: *Si daemones aliquid huiusmodi facerent, habendum esset pro falso:* quia sunt *spiritus mendacii.*

II. Adverte hoc in loco quod circa primam conclusionem Scotus, in IV *Sent.*, dist. vi, qu. i, opinatur oppositum, tenens quod omne suppositum intellectualis naturae potest sacramentum aliquod conferre, saltem baptisma.

Et ratio sua est, quia potest abluere aqua hominem proferendo verba debita, et habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia: haec enim tria requiruntur et sufficiunt ad ministerium. Et haec omnia potest angelus in assumpto corpore exercere.

Rationabilior autem Auctoris positio ex allatis in littera invenitur. Fundata enim est super auctoritate Apostoli, *ad Heb.* v, ubi pontificem omnem hominem declarat. Unde magnum argumentum assumitur ad propositum: quod, si maximum ministerium Ecclesiae soli homini convenit, ita quod angelis denegatur, quale est pontificatus, multo magis minima ministeria Ecclesiae angelis denegantur. — Fundatur et super ratione qua ministri debent assimilari principali agenti.

Ratio autem Scoti deficit in hoc manifeste, quod aequivoce utitur *locutione.* Locutio enim requisita ad ministerium sacramenti, est actus vitalis loquentis. Locutio autem angeli in corpore assumpto est motus corporis non viventis; ut patet. — Potest quoque dici quod deficit in alio: scilicet quod applicatio sacramenti debet fieri per instrumentum coniunctum primo, et mediante illo per instrumentum separatum; quod hic non haberet locum. — Et quamvis hoc non multum urgeat, primus tamen defectus cogit. Et quia primus defectus invenitur in omni supposito rationali extra humanam speciem, ideo oportet hominem esse qui ministret sacramenta.

Et sic patet quod minor Scoti est falsa, univoce sumendo rationem verborum. Aut maior est falsa, si prolationem verborum sumat quovis modo. Praeter principalem defectum prius dictum: scilicet quod oportet baptizantem esse Christi ministerium; ac per hoc, Christo homine non maiorem, sed conformem in natura.

\* Cf. *Ad Heb.*, cap. ii, vers. 16.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM INTENTIO MINISTRI REQUIRATUR AD PERFECTIONEM SACRAMENTI

Supra, qu. lx, art. 8; IV *Sent.*, dist. vi, qu. i, art. 2, qu<sup>a</sup> 1; dist. vii, qu. iii, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 3; dist. viii, qu. ii, art. 4, qu<sup>a</sup> 3, ad 1; dist. xxx, qu. i, art. 3, ad 3.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod intentio ministri non requiratur ad perfectionem sacramenti. Minister enim in sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti.

2. PRAETEREA, non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti, non posset homini ad sacramentum accedenti esse notum quod sacramentum suscepisset. Et ita non posset habere certitudinem salutis: praecipue cum quaedam sacramenta sint de necessitate salutis, ut infra\* dicitur.

3. PRAETEREA, intentio hominis non potest esse

ad id circa quod non est attentus<sup>α</sup>. Sed aliquando illi qui in sacramentis ministrant, non attendunt ad ea quae dicunt vel faciunt, alia cogitantes. Ergo, secundum hoc, non perficitur<sup>β</sup> sacramentum, propter intentionis defectum.

SED CONTRA EST quod ea quae sunt praeter intentionem, sunt casualia. Quod non est dicendum de operatione sacramentorum. Ergo sacramenta requirunt intentionem ministri.

RESPONDEO DICENDUM quod, quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi: sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem<sup>γ</sup> corporalem, et ad ludum, et ad multa alia huiusmodi. Et ideo oportet

\* Qu. lxxv, art. 4.

α) attentus. — PI; intentio Hbc, intentus ceteri. Pro attendunt, intendunt ed. a.  
β) perficitur. — perficeretur PEI.

γ) sanitatem. — PFGHI; sanctitatem. Pro corporalem, mentalem E, spiritualem ed. a. (Praecedens corporalem om. G).

quod determinetur ad unum, idest ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis. Et haec intentio exprimitur per verba quae in sacramentis dicuntur: puta cum dicit, *Ego te baptizo in nomine Patris*, etc.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus: sed loco intentionis est motus quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum, sicut est minister, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum. Et ideo requiritur eius intentio, qua se subiiciat principali agenti: ut scilicet intendat facere quod facit Christus et Ecclesia.

AD SECUNDUM DICENDUM quod hoc est duplex opinio. Quidam \* enim dicunt quod requiritur mentalis intentio in ministro: quae si desit, non perficitur sacramentum. Sed hunc defectum in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad sacramentum, supplet Christus, qui interius baptizat. In adultis autem, quia intendunt sacramenta suscipere, supplet illum defectum fides et devotio.

Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est iustificatio a peccatis: sed quan-

tum ad effectum qui est *res et sacramentum*, scilicet quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri; quia character nunquam imprimitur nisi per sacramentum.

Et ideo alii \* melius dicunt quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cuius est minister; in verbis autem quae proferuntur <sup>δ</sup>, exprimitur intentio Ecclesiae; quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimitur ex parte ministri et <sup>ε</sup> recipientis sacramentum.

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualement <sup>ζ</sup>, quae sufficit ad perfectionem sacramenti: puta si, cum sacerdos accedit <sup>η</sup> ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. Unde, si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur sacramentum. Quamvis studiose curare debeat sacramenti minister ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non totaliter est positum in hominis potestate: quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare; secundum illud Psalmi \*: *Cor meum dereliquit me*.

\* Halens. Sum. Theol. p. IV, qu. VIII, memb. III, § 1, in resp. ad obiect.

\* Cf. Die Sentenzen Rolands, de Sacram. Baptism., p. 206. - Freiburg, 1891.

\* Ps. XXXIX, vers. 13.

δ) proferuntur. - profert Pl.

ε) et. - vel P.

ζ) habitualement. - virtualement I, intentionem habitualement cetera tertia. Al's actualem margo P.

η) si, cum sacerdos accedit. - cum sacerdos accedit (accedat H, accedens P) tertia.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. - In corpore unica conclusio: *Intentio ministri exigitur ad perfectionem sacramenti*. Probatur. Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod determinetur ad unum, ut illud fiat. Sed ea quae aguntur in sacramentis, se habent ad multa, nisi per intentionem ministri determinentur ad unum. Ergo, etc. Processus totus clare patet in littera. - Et confirmatur. Quia verba sacramentalia exprimentur ministri intentionem.

II. In responsione ad secundum, nota primo, Novitiae, pro claritate litterae, Auctorem, referendo primam opinionem, narrare ipsam primo quoad hoc, quod requiritur mentalis intentio, ita quod, si desit, non perficitur sacramentum; secundo, quoad hoc, quod, stante casu quo huiusmodi imperfectio sacramenti accideret, sive adultus sive puer esset qui sacramentum sic defectuosum susciperet, supplementum aliunde sortiretur, et puer quidem a Christo, adultus autem ex propria fide et devotione. Postea reprehendit Auctor hanc opinionem: quia non potest salvare supplementum characteris.

Adverte secundo, quod altera opinio ibidem subiuncta et approbata, non est intelligenda ut verba sonant: puta quod non requiritur in ministro intentio propria mentalis, sed sufficit intentio Ecclesiae per verba expressa, quidquid intendat ipse minister interius. Hic enim sensus contradicit expresse doctrinae Auctoris, in ultimo huius quaestionis articulo, dicentis quod, *si minister non intendat sacramentum conferre, talis perversitas tollit veritatem sacramenti*; et inferius, in qu. LXVIII, art. 7, ad 2, dicentis: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus*. Sed sensus huius litterae ex proposito ad quod loquitur Auctor, sumendus est. Advertendum est enim quod haec omnia dicuntur hic pro solutione difficultatis motae in argumento, scilicet: Si mentalis intentio ministri exigeretur, nullus esset certus se esse vere baptizatum. Ad hanc enim certitudinem nostram de susceptis

sacramentis intelligendum est sufficere intentionem Ecclesiae per verba ministri expressam, nisi per ministrum aut suscipientem contrarium exprimat. Ita quod non intendit Auctor quod haec sufficiant ad perfectionem sacramenti simpliciter: sed ad perfectionem eius secundum humanam certitudinem. Per hoc enim evitatur inconveniens quod quilibet incertus posset dici de susceptis sacramentis.

III. In responsione ad tertium, adverte quod Auctor, communicans, ut puto, in vocabulis communi illius temporis usui, qui intentionem quidem sed non actualem *habitualement* vocabat, dixit hic *intentionem habitualement*: et statim subiunxit sensum intentum: *puta, cum sacerdos accedit* \*, etc.

Et haec propterea dixerim, ut scias non latuisse Auctorem differentiam inter habere aliquid in actu, vel in habitu, vel in virtute: et quod intentio requisita ad sacramenta, non sufficit quod sit secundum habitum, sed oportet quod sit secundum virtutem. Quod ut melius intelligas, accipe exemplum. Homo habens habitum iustitiae tunc actualiter intendit iustum, quando actualiter attendit ad ius reddendum; tunc vero habitualiter intendit iustum, cum retinet habitum iustitiae, etiam si dormiat; tunc autem virtualiter intendit iustum, dum vacat quidem reddendo iuri, puta quia sedet ad tribunal ut faciat sicut consuevit, seu iudicis officium, et nihil de iure cogitat, sed mens eius evagatur ad impertinentia. Ita quod, etiam si non haberet habitum iustitiae, ex solo hoc quod accedit ad iudicis officium faciendum in omnibus quae exercet iudiciis, quantumcumque evagetur, semper intendit iustum virtualiter: ea ratione, quia semper perseverat vis primae intentionis, qua primo proposuit facere iudicis officium. Et huiusmodi intentio non irrationabiliter vocatur habitualis, quia per modum habitus perseverat: nam et dormiente et distracto homine, perseverat.

Et haec est quae sufficere dicitur ad sacramenta. Et

\* Cf. not. η.

vere sic est. Sufficit enim ad confectionem Eucharistiae quod sacerdos vadat ad altare ut dicat missam, etiam si per totam missam evagetur mens eius.

Adverte secundo, documentum Auctoris, scilicet quod studiose debet minister operam dare ut etiam actualiter intendat, etc., non esse intelligendum in actu signato, sed in actu exercito. Non enim studendum est ut habeamus

hoc in mente actualiter, *Ego intendo conficere*: sed studendum est ut actualiter mens nostra ad ea quae sunt consecrationis, attendat; puta ad prolationem distinctam formae, ad reverentem contrectationem materiae, ad futuram tunc ineffabilem praesentiam divinae gratiae in sacramento, vel etiam ipsius Christi quoad Eucharistiam. Hoc est enim consecrare cum actuali intentione in actu exercito.

ARTICULUS NONUS

UTRUM FIDES MINISTRI SIT DE NECESSITATE SACRAMENTI

IV Sent., dist. vi, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 2, 3.

**A**D NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod fides ministri sit de necessitate sacramenti. Sicut enim dictum est \*, intentio ministri est necessaria ad sacramenti perfectionem. Sed *fides intentionem dirigit*: ut Augustinus dicit, *contra Iulianum* \*. Ergo, si desit vera fides in ministro, non perficitur sacramentum.

2. PRAETEREA, si minister Ecclesiae veram fidem non habeat, videtur esse haereticus. Sed haeretici, ut videtur, non possunt sacramenta conferre. Dicit enim Cyprianus, in Epistola *contra Haereticos* \*: *Omnia quaecumque faciunt haeretici, carnalia sunt et inania et falsa: ita ut nihil eorum quae illi gesserint, a nobis debeat probari.* Et Leo Papa \* dicit, in Epistola *ad Leonem Augustum* \*: *Manifestum est per crudelissimam et insanissimam vesaniam <sup>α</sup> in Alexandrina sede omnium caelestium sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificii oblatio, defecit christi sanctificatio, et paricidalibus manibus impiorum omnia sese subtraxere mysteria.* Ergo vera fides ministri est de necessitate sacramenti.

3. PRAETEREA, illi qui non habent veram fidem, videntur esse per excommunicationem ab Ecclesia separati: dicitur enim in secunda Canonica Ioannis \*: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave dixeritis ei;* et Tit. III \*: *Haereticum hominem, post primam et secundam correctionem, devota.* Sed excommunicatus non videtur conferre posse Ecclesiae sacramentum: cum sit ab Ecclesia separatus, ad cuius ministerium pertinet sacramentorum dispensatio. Ergo videtur quod vera fides ministri sit de necessitate sacramenti.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *contra Petilianum Donatistam* \*: *Mementote sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quod illa vel non sint, vel minus sancta sint.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis caritas, ita et fides. Unde, sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti quod

minister sit in caritate, sed possunt etiam peccatores sacramenta conferre, ut supra \* dictum est; ita non requiritur <sup>β</sup> fides eius, sed infidelis potest verum sacramentum praebere, dummodo cetera adsint quae sunt de necessitate sacramenti.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod potest contingere quod aliquis patiat defectum fidei circa aliquid aliud <sup>γ</sup>, et non circa veritatem sacramenti quod exhibet: puta si aliquis credat iuramentum esse in omni casu illicitum, et tamen credat baptismum efficaciam habere ad salutem. Et sic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi sacramentum.

Si vero patiat defectum fidei circa ipsum sacramentum quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius nullum sequi interiorum effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per huiusmodi quae exterius aguntur, sacramentum praebere. Unde, non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet existimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum: quia, sicut supra \* dictum est, minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, ex cuius fide suppletur id quod deest fidei ministro <sup>δ</sup>.

AD SECUNDUM DICENDUM quod haereticorum quidam in collatione sacramentorum formam Ecclesiae non servant. Et tales neque sacramentum conferunt, neque rem sacramenti. — Quidam vero servant Ecclesiae formam. Et tales conferunt quidem sacramentum, sed non conferunt rem sacramenti. Et hoc dico, si sunt manifeste ab Ecclesia praecisi. Quia ex hoc ipso quod aliquis accipit sacramenta ab eis, peccat: et per hoc impeditur ne effectum sacramenti consequatur. Unde Augustinus \* dicit, in libro *de Fide ad Petrum* \*: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem.* Et per hunc modum dicit Leo Papa *in sede Alexandrina sacramentorum lumen esse extinctum*: scilicet, quantum ad rem sacramenti, non autem quantum ad ipsum sacramentum.

Cyprianus autem nec <sup>ε</sup> sacramentum conferre haereticos credebatur: sed in hoc eius sententia

\* Art. praeced.

\* In Psalm. XXXI Enarr. II, n. 4. Cf. Cont. Iulian. lib. IV, cap. III.

\* Ep. LXXIII, ad Iubaian. (al. Ianuar.) et ceteros Episc. Numid. de Baptizand. Haeret. \* Primus.

\* Ep. CLVI, al. CXXV, cap. v. α

\* Vers. 10.

\* Vers. 10.

\* Al. Contra litteras Petilian. lib. II, cap. XLVII.

\* Art. 5.

α) vesaniam. — F et tertia; vestram animam. — defecit Pb; deficit. — subtrahere Pl; subtrahere. — mysteria F et editiones; ministeria. β) requiritur. — ad perfectionem sacramenti addunt H et editiones. γ) aliud. — Om. P.

δ) fidei ministro. — ministro B, fidei ministri PFIa, fidei in ministro c. ε) nec. — nullo modo editiones. — conferre GH; conferre posse I et editiones, afferre ceteri.

\* Ibid.

β

γ

\* Art. 8, ad 2.

δ

\* Fulgentius.

\* Cap. xxxvi, al. Reg. xxxiii. — Inter Opp. Aug.

ε



\* De Unic. Baptism., cont. Petilian., cap. XIII.

non tenetur. Unde Augustinus dicit \*: *Martyrem Cyprianum, qui apud haereticos vel schismaticos datum baptismum nolebat cognoscere, tanta merita, usque ad triumphum martyrii, secuta sunt, ut caritatis ꝫ qua excellibat luce obumbratio illa fugaretur, et, si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.*

AD TERTIUM DICENDUM quod potestas ministrandi sacramenta pertinet ad spiritualem characterem,

ꝫ) caritatis. — PEFI; caritas. Pro luce, lucis BDa, luc C, vite GHb. — fugaretur PFGsC; figuraretur.

qui indelebilis est, ut ex supra \* dictis patet. Et ideo per hoc quod aliquis ab Ecclesia suspenditur vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi sacramentum, sed licentiam utendi hac potestate. Et ideo sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo. Et similiter ille qui ab eo accipit sacramentum: et ꝫ sic non percipit rem sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur.

\* Qu. LXIII, art. 3.

ꝫ) et. — etiam ABC. — sic om. D.

### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una conclusio, cum uno corollario. Conclusio est: *Ad perfectionem sacramenti non exigitur fides ministri.* Probatur. Minister in sacramentis operatur non propria, sed Christi virtute. Ergo, sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti ministri caritas, ita nec eius fides. — Consequentia probatur. Quia fides pertinet ad perfectionem ministri, sicut et caritas. Quam non requiri probatur ex eo quod mali homines possunt ministrare sacramenta.

Corollarium est: *Infidelis potest esse minister sacramenti.*

\* Comm. num. vi, vii.

II. In responsionibus argumentorum, memento eorum quae diximus in articulo sexto \* de suscipientibus sacramenta ab indignis, quando peccant. Et iuxta illa intellige

quae hic dicuntur, addendo quod praecisi manifeste ab Ecclesia, si in articulo necessitatis sacramentum baptismi conferrent, non peccarent: immo tenentur in tali casu baptismum conferre, absque solemnitate tamen. Nec propterea sacerdotes efficerentur irregulares: ratione superius dicta, quia non ministri ex officio personam agerent, sed ministerialiter subvenientis necessitatem patienti.

III. In responsione ad secundum, adverte incidenter quod purgatio Cypriani Martyris, de qua Augustinus loquitur, non nisi venialis peccati fuit. Tum quia cum caritate stabat error ille: ut Augustini verba sonant. Tum quia tempore illo non erat per Ecclesiam determinata efficaciam sacramentorum per ministros extra Ecclesiam.

## ARTICULUS DECIMUS

### UTRUM INTENTIO RECTA MINISTRI REQUIRATUR AD PERFECTIONEM SACRAMENTI

Infra, qu. LXIV, art. 2, ad 2; IV Sent., dist. vi, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 2; Expos. litt.; dist. xi, qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup> 3, ad 1; dist. xxx, qu. 1, art. 3, ad 3.

**A**D DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. Intentio enim ministri debet conformari intentioni Ecclesiae, ut ex dictis \* patet. Sed intentio Ecclesiae semper est recta. Ergo de necessitate ad sacramenti perfectionem requiritur intentio recta ministri.

\* Art. 8, ad 1.

2. PRAETEREA, perversa intentio deterior esse videtur quam intentio iocosa. Sed intentio iocosa tollit sacramentum: puta si aliquis non serio, sed ludo aliquem baptizaret. Ergo multo magis perversa intentio aufert sacramentum: puta si aliquis aliquem baptizaret ut postmodum eum occideret.

\* Vers. 34; Matth. cap. vi, vers. 23.

3. PRAETEREA, perversa intentio facit totum opus vitiosum: secundum illud Luc. xi \*: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Sed sacramenta Christi non possunt inquinari per malos homines: sicut Augustinus dicit, *contra Petilianum* \*. Ergo videtur quod, si sit perversa intentio ministri, non sit ibi verum sacramentum.

\* Al. Cont. Litteras Petilian., lib. II, capp. xxxix, xliv, xlvii. — Cf. Contra Parmenian., lib. II, cap. xliii.

SED CONTRA EST quod perversa intentio pertinet ad malitiam ministri. Sed malitia ministri non tollit sacramentum. Ergo nec perversa intentio.

RESPONDEO DICENDUM quod intentio ministri potest perverti dupliciter. Uno modo, respectu ipsius sacramenti: puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed delusorie ꝫ aliquid agere. Et talis perversitas tollit veritatem sacramenti: praecipue quando suam intentionem exterius manifestat.

Alio modo potest perverti intentio ministri quantum ad id quod sequitur sacramentum: puta si sacerdos intendat aliquam feminam baptizare ut abutatur ea; vel si intendat conficere corpus Christi ut eo ad veneficia utatur. Et quia prius non dependet a posteriori, inde est quod talis intentionis perversitas veritatem sacramenti non tollit: sed ipse minister ex tali intentione graviter peccat.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Ecclesiae intentio recta est et quantum ad sacramenti perfectionem, et quantum ad sacramenti usum: sed prima rectitudo perficit sacramentum, secunda operatur ad meritum. Et ideo minister qui conformat intentionem suam Ecclesiae quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem sacramentum, sed non est sibi ad meritum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod intentio ludicra

ꝫ) delusorie. — derisorie editiones.

vel iocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum. Et ideo non est similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod perversa intentio pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa intentione ministri

pervertitur id quod agit in sacramentis in quantum est opus eius: non in quantum est opus Christi, cuius est minister. Et est simile si minister alicuius hominis prava intentione deferret <sup>β</sup> pauperibus eleemosynam, quam dominus recta intentione mandaret.

β) *deferret.* — PHI; *deferat* G, *deferet* bc, *differret dare* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani]

TITULUS clarus. — In corpore articuli est distinctio bimembris, cum singulis conclusionibus. Distinctio est. Intentio ministri potest perverti dupliciter: vel respectu sacramenti; vel respectu alicuius alterius.

Prima conclusio, iuxta primum membrum, est: *Perversa intentio respectu sacramenti tollit veritatem sacramenti.* Hanc conclusionem Auctor non probat in littera, sed ut manifestam relinquit ex praemissis\*: scilicet quod intentio ministri requiritur ad sacramentum. Huiusmodi enim perversitas tollit intentionem ministri.

\* Art. VIII.

Secunda conclusio, iuxta secundum membrum, est: *Perversa intentio ministri circa consequentia non tollit veritatem sacramenti.* Probat. Quia prius non dependet a posteriori.

II. In responsione ad secundum, adverte quod intentio ludicra seu iocosa in collatione sacramenti potest inveniri

dupliciter: vel relata ad ipsum sacramentum; vel relata ad finem aut motivum [propter] quod administret sacramentum. Exemplum primi: si quis, non intendendo facere quod facit Ecclesia, sed facere actum exteriorem similem actui quem facit Ecclesia, vel derisorie vel delectationis socialis gratia, aliquos baptizaret. Huiusmodi enim iocosa intentio tollit veritatem sacramenti: quia tollit intentionem ministri. Et de tali loquitur Auctor in littera.

Exemplum secundi. Si quis, socialis delectationis gratia, aliquos baptizaret, intendens tamen facere quod facit Ecclesia; sicut e contra si quis, delectationis gratia, permitteret se baptizari. Huiusmodi enim intentio iocosa non tollit veritatem sacramenti: sicut nec si fuisset intentio avara, puta si propter pecuniam conferret aut susciperet quis baptismum. Et ratio est quia iocositas talis non tollit intentionem ministri respectu sacramenti.



## QUAESTIO SEXAGESIMAQUINTA

### DE NUMERO SACRAMENTORUM

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LX, In-  
trod.

**D**EINDE considerandum est de numero sacramentorum\*. Et circa hoc quaeruntur quatuor.  
Primo: utrum sint septem sacramenta.

Secundo: de ordine eorum ad invicem.  
Tertio: de comparatione eorum.  
Quarto: utrum omnia sint de necessitate salutis.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM DEBEANT ESSE SEPTEM SACRAMENTA

IV Sent., dist. II, qu. I, art. 2; IV Cont. Gent., cap. LVIII; De Eccles. Sacram.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non debeant esse septem sacramenta. Sacramenta enim efficaciam habent ex virtute divina, et ex virtute passionis Christi\*. Sed una est virtus divina, et una est Christi passio: una enim oblatione consummavit sanctificatos in sempiternum, ut dicitur Heb. x\*. Ergo non debuit esse nisi unum sacramentum.

\* Cf. qu. LXII, art. 5; qu. LXIV, art. 2.

\* Vers. 14.

2. PRAETEREA, sacramentum ordinatur contra defectum peccati. Hic autem est duplex: scilicet poena et culpa\*. Ergo sufficeret esse duo sacramenta.

\* Cf. I<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXXVI, art. 1; qu. LXXXVII, art. 1.

\* Eccl. Hier., cap. V.

\*\* Ibid., part. I.

3. PRAETEREA, sacramenta pertinent ad actiones ecclesiasticae hierarchiae: ut patet per Dionysium\*. Sed, sicut ipse dicit\*\*, tres sunt actiones hierarchicae: purgatio, illuminatio et perfectio. Ergo non debent esse nisi tria sacramenta.

\* Cap. XIII.

4. PRAETEREA, Augustinus dicit, XIX contra Faustum\*: Sacramenta novae legis sunt numero pauciora quam sacramenta veteris legis. Sed in veteri lege non erat aliquod sacramentum quod responderet confirmationi et extremae unctioni. Ergo neque debent numerari inter sacramenta novae legis.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXIV, art. 5; II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CLIV, art. 3.

5. PRAETEREA, luxuria non est gravius inter cetera peccata: ut patet ex his quae in Secunda Parte\* dicta sunt. Sed contra alia peccata non instituitur aliquod sacramentum. Ergo neque contra luxuriam debuit institui sacramentum matrimonii.

\* Cf. qu. LX, art. 1.

SED CONTRA, videtur quod sint plura sacramenta. Sacramenta enim dicuntur quaedam sacra signa\*. Sed multae aliae sanctificationes fiunt in Ecclesia secundum sensibilia signa: sicut aqua benedicta, consecratio altaris, et alia huiusmodi. Ergo sunt plura sacramenta quam septem.

\* De Sacram. lib. I, part. XI, cap. 2; part. XII, cap. 4.

2. PRAETEREA, Hugo de Sancto Victore dicit\* quod sacramenta veteris legis fuerunt oblationes,

decimae et sacrificia. Sed sacrificium Ecclesiae est unum sacramentum, quod dicitur Eucharistia. Ergo etiam oblationes et decimae debent dici sacramenta.

3. PRAETEREA, tria sunt genera peccatorum: originale, mortale et veniale. Sed contra originale peccatum ordinatur baptismus; contra mortale autem poenitentia. Ergo deberet esse aliud, praeter septem, quod ordinetur contra veniale.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra\* dictum est, ordinantur sacramenta Ecclesiae ad duo: scilicet, ad perficiendum hominem in his quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianae vitae; et etiam in remedium contra defectum peccati. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta.

\* Qu. LXII, art. 5; qu. LXIII, art. 1.

Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem: sicut et cetera corporalia similitudinem quandam spiritualium habent. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo, quantum ad personam propriam; alio modo, per respectum ad totam communitatem societatis in qua vivit, quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter: uno modo, per se, acquirendo scilicet aliquam vitae perfectionem; alio modo, per accidens, scilicet removendo impedimenta vitae, puta aegritudines, vel aliquid huiusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primo quidem, per generationem, per quam homo incipit esse et vivere. Et loco huius in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio: secundum illud ad Tit. III\*: Per lavacrum regenerationis, etc. - Secundo, per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem. Et loco huius in spirituali vita est confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur.

\* Vers. 5.

α) hierarchicae. - P; hierarchiae. Ante purgatio tertia addit scilicet.  
β) debent. - haec debent PFGI.  
γ) quaedam. - quasi quaedam H et editiones.  
δ) sanctificationes. - PI; significationes.

ε) deberet. - deberet etiam BCE, etiam deberet ed. a.  
ζ) ordinantur. - Post sacramenta ponunt Gb, post Ecclesiae PHac, post duo I.  
η) similitudinem. - conformitatem tertia praeter I.

\* Vers. 49.

Unde dicitur discipulis iam baptizatis, Luc. ult. \*: *Sedete in civitate quousque induamini virtute ex alto.* – Tertio, per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus. Et loco huius in spiri-

\* Vers. 54.

tuali vita est *Eucharistia*. Unde dicitur Ioan. vi \*: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Et hoc quidem sufficeret homini si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem vitam: sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate <sup>0</sup>. Quae quidem est duplex. Una quidem est sanatio, quae sanitatem restituit. Et loco huius in spiri-

0

\* Ps. xl, vers. 5.

tuali vita est *poenitentia*: secundum illud Psalmi \*: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* – Alia autem est restitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam et exercitium. Et loco huius in spiri-

\* Vers. 15.

tuali vita est *extrema unctio*, quae removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam <sup>1</sup>. Unde dicitur Iac. v \*: *Et si in peccatis sit, dimittetur ei.*

\* Vers. 27.

Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Uno modo, per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem, et exercendi actus publicos. Et loco huius in spiri-

\*

tuali vita est sacramentum *ordinis*: secundum illud *Heb.* vii \*, quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo. – Secundo, quantum ad naturalem propagationem. Quod fit per *matrimonium*, tam in corporali quam in spiri-

\* Halens., *Sum. Theol.* part. IV, qu. viii, memb. 7, art. 2.

tuali vita: eo quod est non solum sacramentum, sed naturae officium. Ex his etiam patet sacramentorum numerus secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam baptismus ordinatur contra carentiam vitae spiritualis; confirmatio contra infirmitatem animi quae \* in nuper natis invenitur; Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum; poenitentia contra actuale peccatum post baptismum commissum; extrema unctio contra reliquias peccatorum, quae scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, aut ex negligentia aut ex ignorantia; ordo contra dissolutionem multitudinis; matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis qui per mortem accidit.

Quidam \* vero accipiunt numerum sacramentorum per quandam adaptationem ad virtutes, et ad defectus culparum et poenalitatum: dicentes quod fidei respondet baptismus, et ordinatur contra culpam originalem; spei extrema unctio, et ordinatur contra culpam venialem; caritati Eucharistia, et ordinatur contra poenalitatem malitiae; prudentiae ordo, et ordinatur contra ignorantiam; iustitiae poenitentia, et ordinatur contra peccatum mortale; temperantiae matrimonium,

et ordinatur contra concupiscentiam; fortitudini confirmatio, et ordinatur contra infirmitatem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod idem agens principale utitur diversis instrumentis ad diversos effectus, secundum congruentiam operum. Et similiter virtus divina et passio Christi operatur <sup>λ</sup> in nobis per diversa sacramenta quasi per diversa instrumenta.

λ

AD SECUNDUM DICENDUM quod culpa et poena diversitatem habent et secundum speciem, in quantum sunt diversae species culparum et poenarum; et secundum diversos hominum status et habitudines. Et secundum hoc oportuit multiplicari sacramenta, ut ex dictis \* patet.

\* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod in actionibus hierarchicis considerantur et agentes, et recipientes, et actiones. Agentes autem sunt ministri Ecclesiae. Ad quos pertinet ordinis sacramentum. – Recipientes autem sunt illi qui ad sacramenta accedunt. Qui producuntur per matrimonium. – Actiones autem sunt *purgatio, illuminatio et perfectio*. Sed sola purgatio non potest esse sacramentum novae legis, quod gratiam confert: sed pertinet ad quaedam sacramentalia, quae sunt catechismus et exorcismus. Purgatio autem et illuminatio simul, secundum Dionysium \*, pertinet <sup>μ</sup> ad baptismum: et, propter recidivum, secundo pertinet ad poenitentiam et extremam unctionem. Perfectio autem, quantum ad virtutem quidem, quae est quasi perfectio formalis, pertinet ad confirmationem: quantum autem ad consecutionem finis, pertinet ad Eucharistiam.

\* Loc. cit. part. I, § 3.

μ

AD QUARTUM DICENDUM quod in sacramento confirmationis datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur; in extrema autem unctione praeparatur homo ut recipiat immediate gloriam; quorum neutrum competit veteri testamento. Et ideo nihil potuit his sacramentis in veteri lege respondere. – Nihilominus tamen sacramenta veteris legis fuerunt plura numero, propter diversitatem sacrificiorum et caeremoniarum.

AD QUINTUM DICENDUM quod contra concupiscentiam venereorum oportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramentum: primo quidem, quia per huiusmodi concupiscentiam non solum vitatur persona, sed etiam natura; secundo, propter vehementiam eius, qua <sup>ν</sup> rationem absorbet.

ν

AD SEXTUM \* DICENDUM quod aqua benedicta et aliae consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiae consecutio. Sed sunt dispositiones quaedam ad sacramenta: vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias daemonum, et contra peccata venialia; vel idoneitatem quandam faciendo ad sacramenti perceptionem <sup>ξ</sup>, sicut consecratur altare et vasa propter reverentiam Eucharistiae.

\* Arg. 1 *Sed contr.*

ξ

0) ab infirmitate. – EsF et tertia; ad infirmitatem.

1) gloriam. – habendam addunt BCEa. – Pro dimittetur, dimittuntur PEF1a, dimittuntur GHbc.

x) quae. – PFlc; (animae) quae ed. a, qui ceteri.

λ) operatur. – operantur G et editiones.

μ) pertinet. – pertinent Pa. Altero loco pertinent P.

ν) qua. – quae H et editiones.

ξ) perceptionem. – perfectionem Ea, perfectionem et perceptionem H et editiones.

\* Arg. 2 Sed  
contr.

AD SEPTIMUM \* DICENDUM quod oblationes et decimae erant, tam in lege naturae quam in lege Moysi, ordinatae non solum in subsidium ministrorum et pauperum, sed etiam in figuram: et ideo erant sacramenta. Nunc autem non remanserunt in quantum sunt figuralia: et ideo non sunt sacramenta.

\* Arg. 3 Sed  
contr.

AD OCTAVUM \* DICENDUM quod ad deletionem ve-

nialis peccati non requiritur infusio gratiae. Unde, cum in quolibet sacramento novae legis gratia infundatur, nullum sacramentum novae legis instituitur directe contra veniale; quod tollitur per quaedam sacramentalia, puta per aquam benedictam, et alia huiusmodi. — Quidam \* tamen dicunt extremam unctionem contra veniale peccatum ordinari. Sed de hoc suo loco dicitur \*.

\* Cf. corp. art.,  
fin.\* Cf. Supplem.,  
qu. xxx, art. 1.

### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. — In corpore una conclusio: *Convenienter ponuntur sacramenta Ecclesiae septem*. Manifestatur haec conclusio dupliciter: primo, secundum propriam doctrinam; secundo, iuxta aliorum traditionem.

Quoad primum, distinguit duos fines sacramentorum: unus est perfectio hominis in his quae Christiani sunt cultus; alter est remedium peccatorum. Et probat sic conclusionem. Sacramenta Ecclesiae ad utrumque dictum finem convenienter ponuntur in numero septenario. Ergo, etc. —

Antecedens manifestatur, primo, respectu primi finis, discusso progressu, numerando septem perfectiones opportunas cultui Christiano, quae sunt vita, robur, conservatio, curatio, restitutio, potestas, et propagatio; et assignando singulorum rationem; ut in littera clare patet. — Deinde declaratur antecedens respectu secundi finis, assignando septem defectus: qui clare patent in littera.

Quoad secundum, clare apparet recitata positio, absque alia expositione.

## ARTICULUS SECUNDUS

### UTRUM SACRAMENTA CONVENIENTER ORDINENTUR SECUNDUM MODUM PRAEDICTUM

IV Sent., dist. II, qu. I, art. 3.

\* Cf. art. praeced.  
\* Vers. 46.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter sacramenta ordinentur secundum modum praedictum \*. Ut enim Apostolus dicit, I Cor. xv \*, *prius est quod est animale, deinde quod spirituale*. Sed per matrimonium generatur homo prima generatione, quae est animalis: per baptismum autem regeneratur homo secunda generatione, quae est spiritualis. Ergo matrimonium debet praecedere baptismum.

2. PRAETEREA, per sacramentum ordinis aliquis accipit potestatem agendi actiones sacramentales. Sed agens est prior sua actione. Ergo ordo debet praecedere baptismum et alia sacramenta.

3. PRAETEREA, Eucharistia est spirituale nutrimentum: confirmatio autem comparatur augmento. Nutrimentum autem est causa augmenti: et per consequens prius <sup>α</sup>. Ergo Eucharistia est prior confirmatione.

4. PRAETEREA, poenitentia praeparat hominem ad Eucharistiam. Sed dispositio praecedit perfectionem. Ergo poenitentia debet praecedere Eucharistiam.

5. PRAETEREA, quod est propinquius fini ultimo, est posterius. Sed extrema unctio, inter omnia sacramenta, propinquior est ultimo fini beatitudinis. Ergo debet habere ultimum locum inter sacramenta.

IN CONTRARIUM EST quod communiter ordinantur ab omnibus sacramenta \* sicut dictum <sup>β</sup> est.

RESPONDEO DICENDUM quod ratio ordinis sacramentorum apparet ex his quae supra \* dicta sunt.

\* D. 574.  
<sup>β</sup>

\* Art. praeced.

Nam sicut unum est prius quam multitudo, ita sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter praecedunt ea quae ordinantur ad perfectionem <sup>γ</sup> multitudinis. Et ideo ultimo inter sacramenta ponuntur ordo et matrimonium, quae ordinantur ad multitudinis perfectionem: matrimonium tamen post ordinem, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitae, ad quam ordinantur sacramenta.

Inter ea vero quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter sunt priora illa quae per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitae, quam illa quae ordinantur per accidens, scilicet ad removendum nocivum accidens <sup>δ</sup> superveniens: cuiusmodi sunt poenitentia et extrema unctio. Posterior tamen est naturaliter extrema unctio, quae conservat sanationem quam poenitentia inchoat <sup>ε</sup>.

Inter alia vero tria, manifestum <sup>ζ</sup> est quod baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est primum <sup>η</sup>; et deinde confirmatio, quae ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; et postmodum Eucharistia, quae ordinatur ad perfectionem <sup>θ</sup> finis.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod matrimonium, secundum quod ordinatur ad animale vitam, est naturae officium. Sed secundum quod habet aliquid spiritualitatis, est sacramentum. Et quia minimum habet de spiritualitate, ultimo ponitur inter sacramenta.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, ad hoc quod aliquid sit agens, praesupponitur quod sit in se perfectum. Et ideo priora sunt sacramenta qui-

<sup>α</sup>) prius. — Om. H, primus <sup>β</sup>, prius eo Plc.  
<sup>β</sup>) dictum. — prius dictum Pc.  
<sup>γ</sup>) unius personae... perfectionem. — FsE et tertia; om.  
<sup>δ</sup>) nocivum accidens. — accidens nocivum Pl; scilicet... accidens om. H.

<sup>ε</sup>) inchoat. — quae inchoat E et editiones.  
<sup>ζ</sup>) manifestum. — Plb; notandum.  
<sup>η</sup>) primum. — primus I, p9 H, prius editiones.  
<sup>θ</sup>) perfectionem. — Alias, consecutionem margo P.

bus aliquis in seipso perficitur, quam sacramentum ordinis, in quo aliquis constituitur perfectior aliorum.

AD TERTIUM DICENDUM quod nutrimentum et praecedit augmentum, sicut causa eius; et subsequitur augmentum, sicut conservans hominem in perfecta quantitate et virtute. Et ideo potest Eucharistia praemitti confirmationi, ut Dionysius facit, in libro *Eccl. Hier.* \*: et potest postponi, sicut Magister facit, in *IV Sententiarum* \*.

AD QUARTUM DICENDUM quod ratio illa recte procederet si poenitentia ex necessitate requireretur

ut praeparatoria ad Eucharistiam. Sed hoc non est verum: nam si aliquis esset sine peccato mortali, non indigeret poenitentia ad sumptionem Eucharistiae. Et sic patet quod per accidens poenitentia praeparat ad Eucharistiam, scilicet, supposito peccato. Unde dicitur II *Paral.* ult. \*: *Tu, Domine iustorum, non posuisti poenitentiam iustis.*

AD QUINTUM DICENDUM quod extrema unctio, propter rationem inductam, est ultimum inter sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae.

\* Cap. III, IV.

\* Dist. II, cap. I; dist. VIII, cap. I.

\* In Orat. Manassae.

1) in quo. — in pH, cum sH, quo cetera tertia. — perfectior PsG et a; perf̄or BEFpG, perfectior ACI, perfectorum D, perfectio Hbc.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo, intellige per ordinem *secundum modum praedictum* ordinem quo numerata sunt sacramenta in praecedenti articulo, videlicet: baptisma, confirmatio, Eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, et matrimonium. Quaeritur enim an sic convenienter ordinentur.

In corpore prima conclusio est: *Inter sacramenta ultimo ponuntur ordo et matrimonium: matrimonium tamen post ordinem.* Probatur conclusio quoad primam partem. Quia, sicut unum est prius multitudine, ita sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae, sunt naturaliter priora his quae ordinantur ad perfectionem multitudinis. Sed reliqua sacramenta sunt unius personae: haec autem duo respiciunt multitudinem. Ergo. — Quoad secundam autem partem probatur: quia matrimonium minus participat de spirituali vita quam ordo.

Secunda conclusio est: *Poenitentia et extrema unctio posteriora sunt baptismo, confirmatione et Eucharistia: posterior tamen est extrema unctio poenitentia.* Probatur haec conclusio quoad primam partem. Quia priora sunt quae ordinantur ad spiritualem perfectionem unius, quam illa quae ordinantur per accidens. Sed, etc. — Quoad secundam autem partem: quia prior naturaliter est inchoatio sanationis, quae fit per poenitentiam, consummatione illius, quam facit extrema unctio.

Tertia conclusio est: *Inter tria prima sacramenta, baptismus primum, confirmatio secundum, Eucharistia tertium obtinet locum.* Probatur. Quia prius est spiritualis generatio; deinde formale robur; demum consecutio finis.

II. In responsione ad quartum, dubium occurrit, an iustus, id est sine peccato mortali existens, teneatur semel in anno confiteri. Et est ratio dubii, quia hinc apparet quod non: cum dicitur quod talis non indigeret poenitentia ad sacramentum Eucharistiae. — In oppositum autem est,

quia praeceptum Ecclesiae \* est ad *omnes utriusque sexus in annis discretionis constitutos.*

Ad hoc est dicendum quod homo sine peccato mortali existens non tenetur ad confitendum semel in anno: quia non comprehenditur sub his quos praeceptum illud Ecclesiae adstringit. Quoniam praeceptum Ecclesiae de confessione semel in anno non est nisi determinatio praecepti divini de confessione: ita quod Deus praecepit confessionem, Ecclesia autem determinat praeceptum illud ad tale tempus, ad toties, etc., puta semel in anno, etc. Sed praeceptum divinum non obligat ad confessionem hominem sine mortali peccato. Ergo determinatio illius praecepti per Ecclesiam non obligat talem hominem.

Et stat vis rationis in hoc, quod nullus comprehenditur sub praecepto Ecclesiae qui non comprehenditur sub praecepto divino. Quod per se notum est esse verissimum: ex eo quod praeceptum Ecclesiae se habet ad divinum praeceptum ut contractio et limitatio quaedam. Quod autem divinum praeceptum de confessione obliget solos homines in peccato mortali, probatur et ex hac littera, multa auctoritate sacrae Scripturae. Et ex calce praecedentis articuli, ubi dictum est nullum sacramentum directe ordinari contra peccatum veniale: et, quidquid sit de extrema unctio, constat hoc verum esse de sacramento poenitentiae. Et ex communi theologorum doctrina, inter condiciones confessionis ponente quod sit integra: quod non nisi de mortalibus intelligi potest.

Et confirmatur. Quia canon ipse expresse dicit quod quilibet confiteatur *peccata sua omnia*: quod est impossibile intelligi nisi de mortalibus. Ipsa ergo verba canonis testantur quod ad solos existentes in peccato mortali diriguntur.

\* Cap. Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SACRAMENTUM EUCHARISTIAE SIT POTISSIMUM INTER SACRAMENTA

IV *Sent.*, dist. VII, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; dist. VIII, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 4.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramentum Eucharistiae non sit potissimum inter sacramenta. Bonum enim commune potius est quam bonum unius, ut dicitur I *Ethic.* \* Sed matrimonium ordinatur ad bonum commune speciei humanae per viam generationis: sacramentum autem Eucharistiae ordinatur ad bonum proprium sumentis. Ergo non est potissimum sacramentorum.

2. PRAETEREA, digniora sacramenta esse videntur quae per maiorem ministrum conferuntur. Sed sacramentum confirmationis et sacramentum ordinis non conferuntur nisi per episcopum, qui est maior minister quam simplex minister, qui est <sup>a</sup> sacerdos, per quem confertur Eucharistiae sacramentum. Ergo illa sacramenta sunt potiora.

3. PRAETEREA, sacramenta tanto sunt potiora

\* Cap. II, n. 8. — S. Th. lect. II.

a) minister, qui est. — Om. Pl.

quanto maiorem virtutem habent. Sed quaedam sacramenta imprimunt characterem, scilicet baptismus, confirmatio et ordo: quod non facit Eucharistia. Ergo illa sacramenta sunt potiora.

4. PRAETEREA, illud videtur esse potius ex quo alia dependent et non e converso. Sed ex baptismo dependet Eucharistia: non enim potest aliquis Eucharistiam accipere nisi fuerit baptizatus. Ergo baptismus est potior Eucharistia.

SED CONTRA EST quod Dionysius dicit, III cap. *Eccles. Hier. \**, quod *non contingit aliquem perfici perfectione hierarchica nisi per divinissimam Eucharistiam*. Ergo hoc sacramentum potissimum et perfectivum <sup>β</sup> est omnium aliorum.

RESPONDEO DICENDUM quod, simpliciter loquendo, sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta. Quod quidem tripliciter apparet. Primo quidem, ex eo quod in eo continetur <sup>γ</sup> ipse Christus substantialiter: in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentalis participata a Christo, ut ex supra <sup>\*</sup> dictis patet. Semper autem quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem <sup>\*</sup>.

Secundo hoc apparet ex ordine sacramentorum ad invicem: nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum sicut ad finem. Manifestum est enim quod sacramentum ordinis ordinatur ad Eucharistiae consecrationem. Sacramentum vero baptismi ordinatur ad Eucharistiae receptionem. In quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non <sup>δ</sup> vereatur se subtrahere a tali sacramento. Per poenitentiam etiam et extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi. Matrimonium autem saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi et Ecclesiae, cuius unitas per sacramentum Eucharistiae figuratur: unde et Apostolus dicit, *Ephes. v \**: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia*.

Tertio hoc apparet ex ritu sacramentorum. Nam fere omnia sacramenta in Eucharistia consummantur, ut dicit Dionysius, III cap. *Eccles.*

β) et perfectivum. — et perfectissimum BDFGHabc, et perfēm E, om. P. — aliorum om. G.

γ) in eo continetur. — continetur in sacramentis: nam in sacramento Eucharistiae continetur PlsG.

*Hier. \**: sicut patet quod ordinati communicant, et etiam baptizati si sint adulti.

Aliorum autem sacramentorum comparatio ad invicem potest esse multipliciter <sup>ε</sup>. Nam in via necessitatis, baptismus est potissimum sacramentorum; in via autem perfectionis, sacramentum ordinis; medio autem modo se habet sacramentum confirmationis. Sacramentum vero poenitentiae et extremae unctionis sunt inferioris gradus a praedictis sacramentis: quia, sicut dictum est <sup>\*</sup>, ordinantur ad vitam Christianam non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium supervenientis defectus. Inter quae <sup>ζ</sup> tamen extrema unctio comparatur ad poenitentiam sicut confirmatio ad baptismum: ita scilicet quod poenitentia est maioris necessitatis, sed extrema unctio est maioris perfectionis.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod matrimonium ordinatur ad bonum commune corporaliter. Sed bonum commune spirituale totius Ecclesiae continetur substantialiter in ipso Eucharistiae sacramento.

AD SECUNDUM DICENDUM quod per ordinem et confirmationem deputantur fideles Christi ad aliqua specialia officia: quod pertinet <sup>η</sup> ad officium principis. Et ideo tradere huiusmodi sacramenta pertinet ad solum episcopum, qui est quasi princeps in Ecclesia. Per sacramentum vero Eucharistiae non deputatur homo ad aliquod officium: sed magis hoc sacramentum est finis omnium officiorum, ut dictum est <sup>\*</sup>.

AD TERTIUM DICENDUM quod character sacramentalis, sicut supra <sup>\*</sup> dictum est, quaedam participatio est sacerdotii Christi. Unde sacramentum quod ipsum Christum coniungit homini, est dignius sacramento quod imprimit Christi characterem.

AD QUARTUM DICENDUM quod ratio illa procedit ex parte necessitatis. Sic enim baptismus, cum sit maximae necessitatis, est potissimum sacramentorum. Sicut ordo et confirmatio habent quandam excellentiam ratione ministerii; et matrimonium ratione significationis. Nihil enim prohibet aliquid esse secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter.

δ) ut non. — ELa et editiones; et ne sF, et non ceteri.

ε) multipliciter. — multiplex Pc.

ζ) Inter quae. — quae Pa.

η) quod pertinet. — quae pertinet FH, quae pertinent I et editiones.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore duo fiunt. Primo, respondetur quaesito una conclusione: *Sacramentum Eucharistiae est potissimum inter omnia sacramenta*. Probatur tripliciter, ut patet in littera.

Secundo, comparantur reliqua sacramenta inter se. Et multa dicuntur satis clare.

II. Dubium tamen unum restat in hac littera circa id quod dicitur, quod extrema unctio praeparat ad Eucharistiam. Oppositum enim apparet ex eo quod extrema unctio datur post viaticum.

Ad hoc dicitur quod Auctor loquitur de effectu extremae unctionis secundum se. Cum sit enim sanatio quaedam, secundum se ordinatur ad perfectam cum Christo coniunctionem animae, quae per Eucharistiam fit. Usus autem postponendi extremam unctionem aliunde sumitur: de quo infra.

III. In responsione ad secundum, dubium quoque occurrit, quomodo fideles per confirmationem deputentur ad speciale officium spectans ad officium principis <sup>\*</sup>: cum dictum sit <sup>\*</sup> confirmationem conferre robur, quod constat non esse officium spectans ad principem.

Ad hoc dicitur quod, quia confirmatio datur in robur confitendi fidem Christi crucifixi, qui est *gentibus stultitia et Iudaeis scandalum \**, confirmatio est velut constitutio militis: nam militares actus *pugilum fidei* in robusta confessione consistunt. Unde, quia officium militare est officium spectans ad principem, eius est enim condere milites atque ipsos ducere; ideo in littera dicitur quod confirmatio est in officium spectans ad principem.

\* Part. 1.

β

γ

\* Qu. LXII, art. 4, ad 3; art. 5.

\* Aristot. *Physic.* lib. VIII, cap. v, n. 7. — S. Th. lect. IX.

δ

\* Vers. 32.

\* Part. 1.

\* Art. 2.

ζ

η

\* In corpore.

\* Qu. LXIII, art. 3.

\* Cf. not. η.

\* Art. 1.

\* I ad Cor., cap. 1, vers. 23.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM OMNIA SACRAMENTA SINT DE NECESSITATE SALUTIS

IV Sent., dist. vii, qu. i, art. 1, qu<sup>a</sup> 2; dist. viii, qu. i, art. 2, qu<sup>a</sup> 1; dist. xxiii, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 3, ad 1; De Eccles. Sacram.

**A**D QUARTUM SIC PROCEEDITUR. Videtur quod omnia sacramenta sunt de necessitate salutis. Id enim quod non est necessarium, videtur esse superfluum. Sed nullum sacramentum est superfluum: quia *Deus nihil facit frustra* \*. Ergo omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

\* Aristot. de Caelo et Mundo, lib. I, cap. iv, n. 8. - S. Th. lect. viii.  
\* Ioan. cap. iii, vers. 5.  
α

\* Vers. 54.

2. PRAETEREA, sicut de baptismo dicitur \*, *Nisi quis renatus α fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, ita de Eucharistia dicitur, Ioan. vi \*: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ergo, sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et Eucharistia.

\* Qu. LXVIII, art. 2.

3. PRAETEREA, sine sacramento baptismi potest aliquis salvus fieri, dummodo non contemptus religionis, sed necessitas sacramentum excludat, ut infra \* dicitur. Sed in quolibet sacramento contemptus religionis impedit hominis salutem. Ergo, pari ratione, omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

\* Cf. qu. LXVIII, art. 2, ad 2; art. 3, 9. - D. 269.

SED CONTRA EST quod pueri salvantur per solum baptismum, sine aliis sacramentis \*.

β

RESPONDEO DICENDUM quod necessarium respectu finis, de quo nunc loquimur, dicitur aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest esse β finis: sicut cibus est necessarius vitae humanae. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem. - Alio modo dicitur esse necessarium id sine quo non habetur finis ita convenienter: sicut equus

α) renatus. - Efa et tertia; regeneratus.  
β) esse. - haberi P.  
γ) necessarium. - quod sit necessarium P.

necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem.

Primo igitur modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria. Duo quidem personae singulari: baptismus quidem simpliciter et absolute; poenitentia autem, supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem ordinis est necessarium Ecclesiae: quia, *ubi non est gubernator, populus corrueat*, ut dicitur *Proverb. xi* \*.

\* Vers. 14.

Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta. Nam confirmatio perficit baptismum quodammodo; extrema unctio poenitentiam; matrimonium vero Ecclesiae multitudinem per propagationem conservat.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ad hoc quod aliquid non sit superfluum, sufficit necessarium γ primo vel secundo modo. Et sic sunt necessaria sacramenta δ, ut dictum est \*.

δ In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illud verbum Domini est intelligendum de spirituali manducatione, et non de sola sacramentali: ut Augustinus exponit, *super Ioannem* \*.

\* Tract. XXVI, XXVII.

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet omnium sacramentorum contemptus sit saluti contrarius, non tamen est contemptus sacramenti ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum quod non est de necessitate salutis. Alioquin qui ε non accipiunt ordinem, et qui non contrahunt matrimonium, contemnerent huiusmodi sacramenta.

δ) sacramenta. - omnia sacramenta PlsG et c.  
ε) qui. - omnes qui E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. - In corpore ponitur una distinctio bimembris de necessario ad finem, cum singulis conclusionibus. Distinctio est. Necessarium ad finem est vel simpliciter; vel ut commodius.

Prima conclusio est: *Primo modo necessitatis, tria sacramenta sunt necessaria ad salutem: scilicet baptismus absolute, poenitentia supposito peccato mortali post baptismum, et ordo respectu Ecclesiae.*

Secunda conclusio est: *Reliqua sacramenta sunt necessaria secundo modo.*

II. Adverte hic quod, cum ordo ponitur necessarius simpliciter ad salutem Ecclesiae, est sermo de Ecclesia simpliciter et absolute: et non de parte aliqua Ecclesiae, quae ecclesiae nomen et rationem non nisi defectively haberet; puta de collegio monialium, aut monachorum seu eremitarum sine clericis. Haec enim sui defectum manifestant eo ipso quod sine sacramentorum ministro sunt.





## QUAESTIO SEXAGESIMASEXTA

## DE SACRAMENTO BAPTISMI

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LX, In-  
trod.  
\* Qu. LXXII.  
\* Qu. LXXIII.  
\*\* Qu. LXXXIV.  
\* Supplem. qu.  
XXXIX.  
\*\* Ibid. qu. XXXIV.  
\* Ibid. qu. XLI.

DEINDE considerandum est de singulis sacra-  
mentis in speciali \*. Et primo, de baptismo;  
secundo, de confirmatione \*; tertio, de Eucha-  
ristia \*; quarto, de poenitentia \*\*; quinto, de ex-  
trema unctione \*; sexto, de ordine \*\*; septimo,  
de matrimonio \*.

Circa primum occurrit duplex consideratio:  
prima, de ipso baptismo; secunda, de praepara-  
toriis baptismi <sup>α</sup> \*.

\* Qu. LXX.

Circa primum quatuor consideranda occur-  
runt: primo, de his quae pertinent ad sacramen-  
tum baptismi; secundo, de ministro huius sa-  
cramenti \*; tertio, de recipientibus hoc sacra-  
mentum \*; quarto, de effectu huius sacramenti \*\*.  
Circa primum quaeruntur duodecim.

\* Qu. LXVII.  
\*\* Qu. LXVIII.  
\* Qu. LXIX.

β

Primo: quid sit baptismus, utrum β sit ablutio.

Secundo: de institutione huius sacramenti.  
Tertio: utrum aqua sit propria materia huius  
sacramenti.

Quarto: utrum requiratur aqua simplex.

Quinto: utrum haec sit conveniens forma hu-  
ius sacramenti: *Ego te baptizo in nomine  
Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Sexto: utrum sub hac forma possit aliquis  
baptizari: *Ego te baptizo in nomine Christi.*

Septimo: utrum immersio sit de necessitate  
baptismi.

Octavo: utrum requiratur trina immersio.

Nono: utrum baptismus possit iterari.

Decimo: de ritu baptismi.

Undecimo: de distinctione baptismatum.

Duodecimo: de comparatione baptismatum.

## ARTICULUS PRIMUS

## UTRUM BAPTISMUS SIT IPSA ABLUTIO

IV Sent., dist. III, art. 1; Expos. litt.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod  
baptismus non sit ipsa ablutio. Ablutio  
enim corporalis transit. Baptismus au-  
tem permanet. Ergo baptismus non est  
ipsa ablutio: sed potius *regeneratio et sigillum  
et custodia et illuminatio*, ut Damascenus dicit,  
in IV libro \*.

\* De Fide Orth.  
lib. IV, cap. IX.  
\* De Sacram. lib.  
II, part. VI, cap. 2.

2. PRAETEREA, Hugo de sancto Victore dicit \*  
quod *baptismus est aqua diluendis criminibus san-  
ctificata per verbum Dei*. Aqua autem non est  
ipsa ablutio, sed ablutio est quidam usus aquae γ.

γ  
δ  
\* Tract. LXXX,  
n. 3.

3. PRAETEREA, Augustinus dicit δ, *super Ioan.* \*:  
*Accedit verbum ad elementum et fit sacramen-  
tum*. Elementum autem est ipsa aqua ε. Ergo  
baptismus est ipsa aqua, non autem ablutio.

\* Vers. 30.

SED CONTRA EST quod dicitur *Eccli. xxxiv* \*: *Qui  
baptizatur a mortuo et iterum tangit mortuum,  
quid proficit lotio ζ eius?* Videtur ergo quod ba-  
ptismus sit ipsa ablutio, sive lotio.

ζ

RESPONDEO DICENDUM quod in sacramento ba-  
ptismi est tria considerare: aliquid scilicet quod  
est *sacramentum tantum*; aliquid autem quod est  
*res et sacramentum*; aliquid autem η quod est  
*res tantum*. Sacramentum autem θ tantum est ali-  
quid visibile exterius existens, quod scilicet est  
signum interioris effectus: hoc enim pertinet ad

η

θ

α) baptismi. — ad baptismum Pa.  
β) utrum. — scilicet addunt PI. Pro ablutio, absolutio bc.  
γ) aquae. — ergo etc. addit P.  
δ) dicit. — Tertia; post Ioan. ponit a, om. ceteri.  
ε) aqua. — in sacramento baptismi addunt PI.

rationem sacramenti. Exterius autem suppositum  
sensui est et ipsa aqua, et usus eius, qui est ablu-  
tio. Quidam ergo existimaverunt quod ipsa aqua  
sit sacramentum. Quod quidem sonare videntur  
verba Hugonis de Sancto Victore. Nam ipse in  
communi definitione sacramenti \* dicit quod est  
*materiale elementum*: et in definitione baptismi \*  
dicit quod est *aqua*.

\* De Sacram. lib.  
I, part. IX, cap. 2.  
\* Loc. cit. in arg.  
2.

Sed hoc non est verum. Cum enim sacra-  
menta novae legis sanctificationem quandam ope-  
rentur, ibi perficitur sacramentum ubi perficitur  
sanctificatio. In aqua autem non perficitur sancti-  
ficatio: sed est ibi quaedam sanctificationis virtus  
instrumentalis, non permanens, sed fluens in ho-  
minem, qui est verae sanctificationis subiectum.  
Et ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua,  
sed in applicatione aquae ad hominem, quae est  
ablutio. Et ideo Magister, in III dist. IV Sent. \*,  
dicit quod *baptismus est ablutio corporis exterior  
facta sub forma praescripta verborum*.

\* Cap. Post haec.

Res autem et sacramentum est character ba-  
ptismalis: qui est res significata per exteriorem  
ablutionem, et est signum sacramentale interio-  
ris iustificationis. Quae est res tantum huius sa-  
cramenti: scilicet, significata et non significans.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod id quod est sa-

ζ) lotio. — lavatio tertia praeter sH, locutio DpF. — Pro sive lotio,  
sive lavatio PGI, sive locutio pE, om. Dbc. pH om. baptismus... lotio.  
η) aliquid autem. — aliquid BCE, et aliud F, aliquid vero tertia  
praeter I.  
θ) autem. — Om. D et editiones.  
ι) est. — videtur esse PI.

\* cramentum \* et res, scilicet character, et id quod est res tantum, scilicet interior iustificatio, permanent: sed character permanet indelebiter, ut supra \* dictum est; iustificatio autem permanet, sed amissibiliter. Damascenus ergo baptismum definivit, non quantum ad id quod exterius agitur, quod est sacramentum tantum: sed quantum ad id quod est interius. Unde posuit duo pertinentia ad characterem, scilicet *sigillum* et *custodiam*: in quantum ipse character, qui sigillum dicitur, quantum est de se, custodit animam in bono. Duo etiam ponit pertinentia ad ultimam rem sacramenti: scilicet *regenerationem*, quae ad hoc pertinet quod per baptismum homo inchoat novam vitam iustitiae; et *illuminationem*, quae pertinet specialiter ad fidem, per quam homo spiritualem vitam accipit, secundum illud Habacuc II \*: *Iustus autem ex fide vivit*; baptismus autem est quaedam fidei protestatio. Unde dicitur *fidei sacramentum* \*.

Et similiter Dionysius baptismum definivit per ordinem ad alia <sup>λ</sup> sacramenta, dicens, II cap. *Eccles.*

\* Vers. 4; ad Rom. cap. I, vers. 17; ad Heb. cap. x, vers. 38.  
\* Cf. Ambros. de Spir. Sanct. lib. I, cap. III, n. 42; Aug. Ep. XCIII, al. XLIII, ad Bonifac.

λ

*Hier.*, quod est quoddam principium sanctissimum mandatorum sacrae actionis, ad eorum susceptivam opportunitatem formans nostros animales habitus. Et iterum in ordine ad caelestem gloriam, quae est universalis <sup>μ</sup> finis sacramentorum, cum subdit: *ad supercaelestis quietis anagogen nostrum iter faciens*. Et iterum quantum ad principium spiritualis vitae, per hoc quod subdit: *sacrae et divinissimae nostrae regenerationis traditio*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dictum est \*, <sup>\* In corpore.</sup> opinionem Hugonis de Sancto Victore in hac parte sequi non oportet. — Potest tamen verificari ut baptismus dicatur aqua esse, quia aqua est materiale baptismi principium. Et sic erit praedicatio per causam.

AD TERTIUM DICENDUM quod, accedente verbo ad elementum fit sacramentum, non quidem in ipso elemento, sed in homine, cui adhibetur elementum per usum ablutionis. Et hoc etiam significat ipsum verbum quod accedit ad elementum, cum dicitur: *Ego te baptizo*, etc.

\*) sacramentum. — tantum in baptismo, transit; permanet autem et id quod est sacramentum addunt Pl, omittentes pertinent post iustificatio.

λ) alia. — Tertia; illa.  
μ) universalis. — ultimus tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat sumendus est. — In corpore duo sunt: primo, distinguuntur tria considerabilia in baptismo; deinde singula singillatim manifestantur, aperiendo eorum quodlibet. — Et primum quidem clare patet in littera.

De secundo autem, duo ultima, scilicet *res et sacramentum* et *res tantum*, in calce corporis articuli patent.

Primum vero, scilicet *sacramentum tantum*, habet aliquid manifestum, scilicet quod est exterius quoddam sensibile signum interioris effectus. Quod etiam probatur, quia haec est ratio sacramenti. — Habet autem aliquid ambiguum: an scilicet hoc exterius sensibile sit ipsa aqua, an ablutio. Et est ratio dubii, quia ambo haec sensibilia inveniuntur materialiter concurrere et necessario exigi ad baptismum: nam neque aqua sine ablutione, neque ablutio sine aqua ad baptismum sufficeret ex parte materiae. Et propterea refert Auctor, primo, opinionem quae videtur Hugonis, quod est aqua. Et reprehendit ipsam tali ratione. Ubi perficitur sanctificatio, ibi perficitur sacramentum. Sed in aqua non perficitur sanctificatio. Ergo in aqua non perficitur sacramentum. Maior probatur: quia sacramenta novae legis sanctificationem operantur. — Deinde approbat opinionem Magistri Sententiarum: scilicet quod baptismus est ablutio. Quam sic probat. In aqua baptismali est quaedam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est verae sanctificationis subiectum. Ergo sacramentum perficitur in applicatione aquae ad hominem. Quae est ablutio.

II. Circa hanc partem dubium occurrit de vigore ac veritate huius processus seu rationis. Quia, si maior illa est vera, scilicet, *Ibi perficitur sacramentum ubi perficitur sanctificatio*, et propterea infertur, *In aqua non perficitur*

*sacramentum quia in illa non perficitur sanctificatio* (non enim aqua per baptismum sanctificatur), eadem ratione potest inferri quod ablutio non est sacramentum, quia in ea non perficitur sanctificatio. Ablutio enim non sanctificatur per baptismum; sed homo qui abluatur.

Ad hoc dicitur quod maior quidem est vera: sed diversa ratio subsumptorum, scilicet aquae et ablutionis, facit ut recte inferatur aquam non esse sacramentum, et non teneat illatio de ablutione. Aqua enim et ablutio differunt in hoc, quod aqua est res permanens, ablutio vero est res successiva. Et quia *unumquodque est in aliquo secundum modum recipientis* \*, ideo consequenter differunt in modo sanctificationis. Nam, si in aqua perficeretur sanctificatio, sequeretur quod aqua esset sancta: quia est in se quoddam permanens, ac per hoc pro seipsa sanctificaretur. Si vero ponitur quod in ablutione perficitur sanctificatio, non sequitur quod ipsa ablutio fiat ex huiusmodi sanctificatione sancta: quia ablutio non est sui ipsius, sed ablutio; nec est in seipsa, sed in abluto. Ac per hoc, non ea ratione sanctificationem sortitur ut sui ipsius sit, sed ut ablutio sit: hoc est, ut ablutus sanctificetur per ipsam deficientem sanctificationem in ablutum. Et, ut uno verbo dicatur, quia ablutio importat terminum qui abluatur, perfici sanctificationem in ablutione intelligitur secundum suum terminum, seu in incluso termino. Quod de aqua non potest intelligi: quia significat rem permanentem, et non rem transeuntem in alium, sicut est ablutio. Unde et in littera probatur ablutionem, et non aquam esse sacramentum, quia virtus instrumentalis ibi existens est quaedam sanctitas fluens in hominem qui baptizatur: fluens autem non est aqua, sed ablutio.

\* Cf. lib. de Causis, prop. XII.

## ARTICULUS SECUNDUS

## UTRUM BAPTISMUS FUERIT INSTITUTUS POST CHRISTI PASSIONEM

Infra, qu. LXXIII, art. 5, ad 4; IV *Sent.*, dist. III, art. 5, qu<sup>a</sup> 2, 3.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus fuerit institutus post Christi passionem. Causa enim praecedit effectum. Sed passio Christi operatur in sacramentis novae legis. Ergo passio Christi praecedit institutionem sacramentorum novae legis. Et praecipue institutionem baptismi: cum Apostolus dicat, *Rom. VI* \*: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*, etc.

2. PRAETEREA, sacramenta novae legis efficaciam habent ex mandato Christi. Sed Christus mandatum baptizandi dedit discipulis post passionem et resurrectionem suam, dicens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc., ut habetur *Matth. ult.* \*. Ergo videtur quod post passionem Christi baptismus fuerit institutus.

3. PRAETEREA, baptismus est sacramentum necessitatis, ut supra \* dictum est: et ita videtur quod ex quo baptismus institutus fuit, homines obligarentur ad baptismum. Sed ante passionem Christi homines non obligabantur ad baptismum: quia adhuc circumcisio suam virtutem habebat, in cuius loco successit baptismus. Ergo videtur quod baptismus non fuerit institutus ante passionem Christi.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in quodam Sermone *Epiphaniae* \*: *Ex quo Christus in aquis immergitur<sup>a</sup>, ex eo omnium peccata abluit aqua*. Sed hoc fuit ante Christi passionem. Ergo baptismus ante Christi passionem fuit institutus.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est supra \*, sacramenta ex sui institutione habent quod conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum \*. Hanc autem virtutem accepit baptismus quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum.

Sed necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem. Tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus et alia sacramenta novae legis. – Tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato et incipit novam iustitiae vitam. Et ideo oportuit Christum pati prius et resurgere quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni eius.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod etiam ante passionem Christi baptismus habebat efficaciam a Christi passione, in quantum eam praefigurabat: aliter tamen quam sacramenta veteris legis. Nam illa erant figurae tantum: baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat iustificandi, per cuius virtutem etiam ipsa passio salutifera fuit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod homines non debebant multiplicibus figuris arctari<sup>β</sup> per Christum, qui venerat sua veritate figuras impletas auferre. Et ideo ante passionem suam baptismum institutum non posuit sub praecepto: sed voluit ad eius exercitium homines assuefieri; et praecipue in populo Iudaeorum, apud quem omnia facta figuralia erant, ut Augustinus dicit, *contra Faustum* \*. Post passionem vero et resurrectionem, non solum Iudaeis, sed etiam gentilibus suo<sup>γ</sup> praecepto necessitatem baptismi imposuit, dicens: *Euntes, docete omnes gentes*.

AD TERTIUM DICENDUM quod sacramenta non sunt obligatoria nisi quando sub praecepto ponuntur. Quod quidem non fuit ante passionem, ut dictum est \*. Quod enim Dominus ante passionem Nicodemo dixit, *Ioan. III* \*, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, magis videtur ad futurum respicere quam ad praesens tempus.

\* Vers. 3.

\* Vers. 19.

\* Qu. LXV, art. 4.

\* In App. Serm. CXXXV, al. de Temp. XXXVI.

\* Qu. LXII, art. 1.

\* D. 683.

\* Lib. IV, cap. II.

\* In corp. et ad 2.

\* Vers. 5.

<sup>a</sup>) in aquis immergitur. – in aquas mergitur I, in aqua mergitur cetera tertia, in aquis mergitur ed. a.

<sup>β</sup>) arctari. – aggravari I; Al. aggravari margo P. – veritate editiones; necessitate H, virtute ceteri.  
<sup>γ</sup>) suo. – sub P.

## Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore ponitur una distinctio bimembris. Institutio baptismi potest intelligi quoad duo: vel quoad ipsum sacramentum; vel quoad obligationem accipiendi ipsum sacramentum.

Et ponuntur singulae conclusiones iuxta singula membra. Prima conclusio est: *Baptismus institutus est, quoad*

*ipsum sacramentum, quando Christus est baptizatus*. Probat. Quia tunc habuit vim regenerativam.

Secunda conclusio est: *Baptismus institutus fuit, quoad necessitatem utendi illo, post Christi passionem et resurrectionem*. Probat. dupliciter, ut clare patet in littera.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM AQUA SIT PROPRIA MATERIA BAPTISMI

Infra, qu. LXVII, art. 3; qu. LXXIV, art. 1; IV *Sent.*, dist. III, art. 3, qu<sup>a</sup> 1; Expos. litt.; dist. V, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, 3; dist. XVII, qu. III, art. 4, qu<sup>a</sup> 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LX; *Quodl.* I, qu. VI, art. 1; *In Ioan.*, cap. III, lect. 1.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod aqua non sit propria materia baptismi. Baptismus enim, secundum Dionysium\* et Damascenum\*, habet vim illuminativam. Sed illuminatio maxime competit igni. Ergo baptismus magis debet fieri in igne quam in aqua: praesertim cum Ioannes Baptista, praenuntians Christi baptismum, dicat\*: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni* <sup>α</sup>.

2. PRAETEREA, in baptismo significatur ablutio peccatorum. Sed multa alia sunt ablutiva quam aqua: sicut vinum et oleum et alia huiusmodi. Ergo etiam in his potest fieri baptismus. Non ergo aqua est propria materia baptismi.

3. PRAETEREA, sacramenta Ecclesiae fluxerunt de latere Christi pendens in cruce, ut supra\* dictum est. Sed inde fluxit non solum aqua, sed etiam sanguis. Ergo videtur quod etiam in sanguine possit fieri baptismus. Quod <sup>β</sup> etiam magis videtur convenire cum effectu <sup>γ</sup> baptismi: quia dicitur *Apoc. I*\*: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*.

4. PRAETEREA, sicut Augustinus et Beda\* dicunt, *Christus tactu suae mundissimae carnis vim regenerativam et purgativam contulit aquis*. Sed non omnis aqua continuatur cum aqua Iordanis, quam Christus tetigit sua carne. Ergo videtur quod non in omni aqua possit fieri baptismus. Et ita aqua, in quantum huiusmodi, non est propria materia baptismi.

5. PRAETEREA, si aqua secundum se esset propria baptismi materia, non oporteret aliquid aliud fieri circa aquam, ad hoc quod in ea baptismus fieret. Sed in solemnibus baptismis aqua in qua debet celebrari baptismus, exorcizatur et benedicatur. Ergo videtur quod aqua secundum se non sit propria materia baptismi.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, *Ioan. III*\*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*.

RESPONDEO DICENDUM quod ex institutione divina aqua est propria materia baptismi. Et hoc convenienter. Primo quidem, quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam: quod maxime congruit aquae. Unde et semina, ex quibus generantur omnia vivencia, scilicet plantae et animalia, humida sunt, et ad aquam pertinent. Propter quod quidam philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium\*.

Secundo, quantum ad effectus baptismi, qui-

bus competunt aquae proprietates. Quae sua humiditate lavat: ex quo conveniens est ad significandum et causandum ablutionem peccatorum. Sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris: et ex hoc competit ad mitigandum concupiscentiam fomitis. Sua diaphanitate est luminis susceptiva: unde competit baptismis in quantum est *fidei sacramentum*\*.

Tertio, quia convenit ad repraesentandum mysteria Christi, quibus iustificamur. Ut enim dicit Chrysostomus\*, super illud *Ioan. II*\*, *Nisi quis renatus fuerit etc.: Sicut in quodam sepulcro, in aqua, submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rursus ascendit*.

Quarto, quia ratione suae communitatis et abundantiae est conveniens materia necessitati huius sacramenti: potest enim ubique de facili haberi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illuminatio pertinet ad ignem active. Ille autem qui baptizatur, non efficitur illuminans, sed illuminatus per fidem, quae est *ex auditu*, ut dicitur *Rom. X*\*. Et ideo magis competit aqua baptismis quam ignis.

Quod autem dicitur, *Baptizabit vos in Spiritu Sancto et igni*: potest per ignem, ut Hieronymus dicit\*, intelligi Spiritus Sanctus, qui super discipulos in igneis linguis apparuit, ut dicitur *Act. II*\*. — Vel per ignem potest intelligi tribulatio, ut Chrysostomus dicit, *super Matth.*\*: quia tribulatio peccata purgat, et concupiscentiam diminuit. — Vel quia, ut Hilarius dicit, *super Matth.*\*, *baptizatis in Spiritu Sancto reliquum est consummari <sup>δ</sup> igne iudicii*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod vinum et oleum communiter non <sup>e</sup> sumuntur ad usum ablutionis, sicut aqua. Nec etiam ita perfecte abluunt <sup>ζ</sup>: quia ex illorum ablutione remanet aliqua infectio quantum ad odorem, quod non contingit de aqua. Illa etiam non ita communiter et abundanter habentur sicut aqua.

AD TERTIUM DICENDUM quod ex latere Christi fluxit aqua ad abluendum, sanguis autem ad redimendum\*. Et ideo sanguis competit sacramento Eucharistiae: aqua autem sacramento baptismi. Qui tamen habet vim ablutivam ex virtute sanguinis Christi.

AD QUARTUM DICENDUM quod virtus Christi derivata est ad omnem aquam, non propter continuitatem loci, sed propter similitudinem speciei: ut <sup>η</sup> dicit Augustinus, in quodam Sermone *Epi-*

\* *Eocl. Hier. cap. V, part. I, § 3.* - Cf. cap. II, part. III.  
\* *De Fide Orth.* lib. IV, cap. IX.

\* *Matth. cap. III, vers. 11.*  
α

\* *Qu. LXII, art. 5, arg. Sed cont.*

β

γ

\* *Vers. 5.*

\* *Mag. IV Sent., dist. III, cap. Si vero.* - Cf. *Bed. Expos. in Luc.* lib. I, ad cap. III, vers. 21.

\* *Vers. 5.*

\* *Thales.* - Cf. *Arist. Metaphys.* lib. I, cap. III, n. 4, 5; *S. Th.* lect. IV.

α) igni. — PIsG; in igne DF, igne ceteri; in *Solutione igne Dabc.*  
β) Quod. — Qui PFI.  
γ) effectu. — causa et effectu tertia.  
δ) consummari. — EF et tertia praeter H; consumi.

ε) communiter non. — non communiter PBI, non F. — Pro sumuntur, assumitur I, assumuntur P.  
ζ) abluunt. — PIsG et editiones; abluunt.  
η) ut. — unde EG et editiones.

\* In Append.  
Opp. Aug. Sermon.  
CXXXV, al. de  
Temp. XXXVI.

*phaniae* \*: *Quae de Salvatoris baptis-  
mate benedi-  
ctio fluxit, tanquam fluvius spiritalis, omnium gur-  
gitum tractus, universorum fontium venas implevit.*

AD QUINTUM DICENDUM quod illa benedictio quae

adhibetur aquae, non est de necessitate bap-  
tismi, sed pertinet ad quandam solemnitatem, per  
quam excitatur devotio fidelium, et impeditur  
astutia daemonis, ne impediatur baptismi effectum.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. — In corpore una conclusio: *Aqua*  
*est propria materia baptismi.* Quae conclusio absolute

probatur ex institutione divina. Quoad congruentiam vero,  
probatur in littera quadrupliciter. In qua omnia clara sunt.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM AD BAPTISMUM REQUIRATUR AQUA SIMPLEX

IV Sent., dist. III, art. 3, qu<sup>a</sup> 2, 3.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod  
ad baptismum non requiratur aqua  
simplex. Aqua enim quae apud nos  
est, non est aqua pura: quod praeci-  
pue apparet de aqua maris, in qua plurimum  
admiscetur de terrestri, ut patet per Philosophum,  
in libro *Meteorol.* \* Et tamen in tali aqua potest  
fieri baptismus. Ergo non requiritur aqua sim-  
plex et pura ad baptismum.

2. PRAETEREA, in solempni celebratione bap-  
tismi aquae infunditur chrisma. Sed hoc videtur  
impedire puritatem et simplicitatem aquae. Ergo  
aqua pura et simplex non requiritur ad bap-  
tismum.

3. PRAETEREA, aqua fluens de latere Christi  
pendentis in cruce fuit significativa <sup>α</sup> baptismi,  
ut dictum est \*. Sed aqua illa non videtur fuisse  
aqua pura: eo quod in corpore mixto, cuius-  
modi fuit corpus Christi, non sunt elementa in  
actu. Ergo videtur quod non requiratur aqua  
pura vel simplex ad baptismum.

4. PRAETEREA, lixivium non videtur esse aqua  
pura: habet enim contrarias proprietates aquae,  
scilicet calefaciendi et desiccandi. Et tamen in  
lixivio videtur posse fieri baptismus: sicut et in  
aquis balneorum, quae transeunt per venas sul-  
phureas, sicut et lixivium colatur per cineres.  
Ergo videtur quod aqua simplex non requiratur  
ad baptismum.

5. PRAETEREA, aqua rosacea generatur <sup>β</sup> per su-  
blimationem a rosis: sicut etiam aquae alchimi-  
cae generantur per sublimationem ab aliquibus  
corporibus. Sed in his aquis, ut videtur, potest  
fieri baptismus: sicut et in aquis pluvialibus, quae  
per sublimationem vaporum generantur. Cum  
igitur huiusmodi aquae non sint purae et simpli-  
ces, videtur quod aqua pura et simplex non re-  
quiratur ad baptismum.

SED CONTRA EST quod propria materia bap-  
tismi est aqua, ut dictum est \*. Sed speciem aquae  
non habet nisi aqua simplex. Ergo aqua pura et  
simplex ex necessitate requiritur ad baptismum.

RESPONDEO DICENDUM quod aqua suam purita-  
tem et simplicitatem potest amittere dupliciter:  
uno modo, per mixtionem alterius corporis; alio  
modo, per alterationem. Utrumque autem horum  
contingit fieri dupliciter: scilicet per artem, et  
per naturam. Ars autem deficit ab operatione  
naturae: quia natura dat formam substantialem,  
quod ars facere non potest, sed omnes formae  
artificiales sunt accidentales; nisi forte apponendo  
proprium agens ad propriam materiam, sicut  
ignem combustibili \*, per quem modum a qui-  
busdam quaedam animalia per putrefactionem  
generantur.

Quaecumque igitur transmutatio circa aquam  
facta est per artem, sive commiscendo sive alte-  
rando, non transmutatur species aquae. Unde in  
tali aqua potest fieri baptismus: nisi forte aqua  
admisceatur per artem in tam parva quantitate  
alicui corpori quod compositum magis sit aliud  
quam aqua; sicut lutum magis est terra quam  
aqua, et vinum lymphatum magis est vinum  
quam aqua.

Sed transmutatio quae fit a natura, quandoque  
quidem speciem aquae solvit: et hoc fit quando  
aqua efficitur <sup>γ</sup> per naturam de substantia ali-  
cuius corporis mixti; sicut aqua conversa in li-  
quorem uvae est vinum, unde non habet spe-  
ciem aquae. Aliquando autem fit per naturam  
transmutatio aquae sine solutione speciei: et hoc  
tam per alterationem, sicut patet de aqua cale-  
facta a sole; quam etiam per mixtionem, sicut  
patet de aqua fluminis turbida ex permixtione  
terrestrium partium. Sic igitur dicendum est quod  
in qualibet aqua, qualitercumque transmutata,  
dummodo non solvatur species aquae, potest  
fieri baptismus. Si autem solvatur species aquae,  
non potest fieri baptismus.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod transmutatio  
facta in aqua maris, et in aliis aquis quae penes  
nos sunt <sup>δ</sup>, non est tanta quae solvat speciem  
aquae. Et ideo in huiusmodi aquis potest fieri  
baptismus.

\* Lib. II, cap. III,  
n. 24 sqq.; s. Th.  
lect. VI. — Cf. de  
Animal. Gene-  
rat. lib. III, cap.  
XI.

\* Art. 3, ad 3.

\* Art. 3.

<sup>α</sup>) significativa. — firmativa F, signum editiones.  
<sup>β</sup>) generatur. — Om. EH, fit editiones. — Pro sublimationem, sub-  
liationem tertia praeter I.  
<sup>γ</sup>) efficitur. — Fa et tertia praeter H; conficitur D, fit H, perfi-  
citur ceteri.

<sup>δ</sup>) penes nos sunt. — FsG et editiones (cf. in argumento quae apud  
nos est); sunt species aquae ed. a, species sunt ceteri. — Pro quae  
solvat, quod solvat tertia et a.

AD SECUNDUM DICENDUM quod admixtio chris-  
tis non solvit speciem aquae. Sicut nec etiam  
aqua decoctionis carniū, aut aliorum huius-  
modi: nisi forte sit facta tanta resolutio corpo-  
rum lixatorum in aqua quod liquor plus habeat  
de aliena substantia quam de aqua; quod <sup>ε</sup> ex  
spissitudine perspici potest. Si tamen ex liquore  
sic inspissato exprimat aqua subtilis, potest in  
ea fieri baptismus: sicut et in aqua quae exprimitur  
ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit.

AD TERTIUM DICENDUM quod aqua fluens de la-  
tere Christi pendentis in cruce non fuit humor  
phlegmaticus, ut quidam dixerunt\*. In tali enim  
humore non posset fieri baptismus: sicut nec in  
sanguine animalis, aut in vino, aut in quocum-  
que liquore alicuius plantae. Fuit autem aqua  
pura\* miraculose egrediens a corpore mortuo,  
sicut et sanguis, ad comprobendam veritatem  
Dominici corporis, contra Manichaeorum erro-  
rem: ut scilicet per aquam, quae est unum qua-  
tuor elementorum, ostenderetur corpus Christi  
vere fuisse compositum ex quatuor elementis;

per sanguinem vero ostenderetur esse composi-  
tum ex quatuor humoribus.

AD QUARTUM DICENDUM quod in lixivio, et in  
aquis sulphureorum balneorum, potest fieri ba-  
ptismus: quia tales aquae non incorporantur per  
artem vel naturam aliquibus corporibus mixtis,  
sed solum alterationem quandam recipiunt ex  
hoc quod transeunt per aliqua corpora.

AD QUINTUM DICENDUM quod aqua rosacea est  
liquor rosae resolutus. Unde in ea non potest  
fieri baptismus. Et, eadem ratione, nec in aquis  
alchimicis: sicut in <sup>ζ</sup> vino. Nec est eadem ratio  
de aquis pluvialibus, quae generantur ex maiori  
parte ex subtiliatione <sup>η</sup> vaporum resolutorum ex  
aquis, minimum autem ibi est de liquoribus cor-  
porum mixtorum: qui tamen per huiusmodi su-  
blimationem, virtute naturae, quae est fortior  
arte, resolvuntur in veram aquam, quod ars fa-  
cere non potest. Unde aqua pluvialis nullam pro-  
prietatem retinet alicuius corporis mixti: quod  
de aquis rosaceis et de aquis alchimicis dici non  
potest.

\* Cf. cap. *In qua-*  
*dam, de Celebr.*  
*Miss.*

\* D. 235.

ε) quod. — Tertia; quae.  
ζ) in. — nec in PE.

η) subtiliatione. — sublimatione F et tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo *simplex* sumitur ut distinguitur contra admixtum,  
I compositum, et quomodolibet adiunctum.

In corpore tria fiunt. Primo, distinguuntur modi quibus  
aqua amittere potest simplicitatem; secundo, respondetur

quaesito de aqua transmutata per artem; et tertio, respon-  
detur quaesito de aqua transmutata per naturam. Et clare  
patent omnia in littera.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA BAPTISMI:  
*EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI*

Supra, qu. LX, art. 8; infra, qu. LXXXIV, art. 3; IV *Sent.*, dist. III, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2; I *ad Cor.*, cap. 1, lect. II.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod  
haec non sit conveniens forma bapti-  
smi: *Ego te baptizo in nomine Patris  
et Filii et Spiritus Sancti*. Actus enim  
magis debet attribui principali agenti quam mi-  
nistro. Sed in sacramento minister agit ut instru-  
mentum, ut supra\* dictum est: principale autem  
agens in baptismo est Christus, secundum illud  
Ioan. I\*: *Super quem videris Spiritum descenden-  
tem et manentem, hic est qui baptizat*. Inconve-  
nienter ergo minister dicit, *Ego te baptizo*: prae-  
sertim quia in hoc quod dicitur *baptizo*, intelli-  
gitur *ego*, et sic videtur superflue apponi.

2. PRAETEREA, non oportet quod ille qui ali-  
quem actum exercet, de actu exercito faciat men-  
tionem: sicut ille qui docet, non oportet quod di-  
cat, *Ego vos doceo*. Dominus autem simul tradi-  
dit praeceptum baptizandi et docendi, dicens <sup>α</sup>\*:  
*Euntes, docete omnes gentes*, etc. Ergo non oportet  
quod in forma baptismi fiat mentio de actu ba-  
ptismi.

3. PRAETEREA, ille qui baptizatur, quandoque  
non intelligit verba: puta si sit surdus aut puer.

Frustra autem ad talem sermo dirigitur: secun-  
dum illud *Eccli.* \*: *Ubi non est auditus, non ef-  
fundas sermonem*. Ergo inconvenienter dicitur,  
*Ego te baptizo*, sermone directo ad eum qui ba-  
ptizatur.

4. PRAETEREA, contingit simul plures baptizari  
a <sup>β</sup> pluribus: sicut Apostoli baptizaverunt una die  
tria millia, et alia die quinque millia, ut dicitur  
*Act.* II\* et IV\*\*. Non ergo debet forma baptismi  
determinari in singulari numero, ut dicatur, *Ego  
te baptizo*: sed potest dici, *Nos vos baptizamus*.

5. PRAETEREA, baptismus virtutem habet a pas-  
sione Christi. Sed per formam baptismus sanctifi-  
catur. Ergo videtur quod in forma baptismi  
debeat fieri mentio de passione Christi.

6. PRAETEREA, nomen designat proprietatem  
rei\*. Sed tres sunt proprietates personales divi-  
narum personarum, ut in Prima Parte\* dictum  
est. Non ergo debet dici, *in nomine Patris et  
Filii et Spiritus Sancti*, sed, *in nominibus*.

7. PRAETEREA, persona Patris non solum si-  
gnificatur nomine Patris, sed etiam nomine *In-  
nascibilis* et *Genitoris*; Filius etiam significatur

\* Qu. LXIV, art. 1.

\* Vers. 33.

<sup>α</sup> \* Matth. cap.  
xxviii, vers. 19.

\* Cap. xxxii,  
vers. 6.

\* Vers. 41.  
\*\* Vers. 4.

\* Cf. Aristot. *Me-  
taphys.* lib. III,  
cap. vii, n. 9;  
s. Th. lib. IV,  
lect. xvi. — Vide  
supra, qu. xxxvii,  
art. 2.

\* Qu. xxxii, art.  
3.

α) dicens. — Addunt *Matth. ult.* PlsG, *Marci ult. bc.*

β) a. — et a Pl.

nomine *Verbi* et *Imaginis* et *Geniti*; Spiritus etiam Sanctus potest significari nomine *Doni* et *Amoris*, et nomine  $\gamma$  *Procedentis*. Ergo videtur quod etiam his nominibus utendo perficitur baptismus.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Matth. ult. \*: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*.

RESPONDEO DICENDUM quod baptismus per suam formam consecratur: secundum illud *Ephes. v* \*: *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*; et Augustinus dicit, in libro *de Unico Baptismo* \*, quod *baptismus verbis evangelicis consecratur*. Et ideo oportet quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem eius duplex causa: una quidem principalis, a qua virtutem habet, quae est sancta Trinitas; alia autem est instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius sacramentum. Et ideo debet in forma baptismi de utraque fieri mentio  $\delta$ . Minister autem tangitur cum dicitur, *Ego te baptizo*: causa autem principalis, cum dicitur  $\epsilon$ , *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Unde haec est conveniens forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod actio attribuitur instrumento sicut immediate agenti: attribuitur autem  $\zeta$  principali agenti sicut in cuius virtute instrumentum agit. Et ideo in forma baptismi convenienter significatur minister ut exercens actum baptismi, per hoc quod dicitur, *Ego te baptizo*: et  $\eta$  ipse Dominus baptizandi actum attribuit ministris, dicens \*, *Baptizantes eos*, etc. Causa autem principalis significatur ut in cuius virtute sacramentum agitur, per hoc quod dicitur, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*: non enim Christus baptizat sine Patre et Spiritu Sancto.

Graeci autem non attribuunt actum baptismi ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi baptistis  $\theta$  attribuebant, dicentes, *Ego sum Pauli, et ego Cephae* \*. Et ideo dicunt: *Baptizetur  $\iota$  servus Christi talis in nomine Patris*, etc. \* Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum.

Quod autem additur *Ego* in forma nostra, non est de substantia formae, sed ponitur ad maiorem expressionem intentionis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formae ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*: quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habe-

tur *Coloss. iii* \*. Et ideo, si non exprimatur actus baptismi, vel per modum nostrum vel per modum Graecorum, non perficitur sacramentum: secundum illam decretalem Alexandri III \*: *Si quis puerum ter in aquam merserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen, et non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen, non est puer baptizatus*.

AD TERTIUM DICENDUM quod verba quae profertur in formis sacramentorum, non pronuntiantur solum causa significandi, sed etiam causa efficiendi, in quantum habent efficaciam ab illo Verbo *per quod facta sunt omnia* \*. Et ideo convenienter diriguntur non solum ad homines  $\kappa$ , sed etiam ad creaturas insensibiles: ut cum dicitur, *Exorcizo te, creatura salis* \*.

AD QUARTUM DICENDUM quod plures simul non possunt unum baptizare: quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Et sic, si convenirent duo quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, et alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba et alio exercente actum.

Possunt autem, si necessitas exigit, plures simul baptizari: quia nullus eorum recipiet  $\lambda$  nisi unum baptismum. Sed tunc oportebit dicere, *Ego baptizo vos*. Nec erit mutatio formae: quia *vos* nihil aliud est quam *te et te*. — Quod autem dicitur *nos*, non est idem  $\mu$  quod *ego et ego*, sed, *ego et tu* \*: et sic iam mutaretur forma.

Similiter autem mutaretur forma  $\nu$  si diceretur, *Ego baptizo me*. Et ideo nullus potest baptizare seipsum. Propter quod etiam Christus a Ioanne voluit baptizari: ut dicitur Extra, *de Baptismo et eius effectu*, cap. *Debitum*.

AD QUINTUM DICENDUM quod passio Christi, etsi sit principalis causa respectu ministri, est tamen causa instrumentalis respectu sanctae Trinitatis. Et ideo potius commemoratur Trinitas quam passio Christi.

AD SEXTUM DICENDUM quod, etsi sint tria nomina personalia trium Personarum, est tamen unum nomen essenziale. Virtus autem divina, quae operatur in baptismo, ad essentialiam pertinet. Et ideo dicitur *in nomine*, et non *in nominibus*.

AD SEPTIMUM DICENDUM quod, sicut aqua sumitur ad baptismum quia eius usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres Personas in forma baptismi assumuntur illa nomina quibus communius consueverunt nominari Personae in illa lingua. Nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.

$\gamma$ ) *Amoris, et nomine*. — Ea; *Amoris nomine* ABCDH, *nomine Amoris I, Amoris* FsG et editiones; *Doni... nomine* om. pG.

$\delta$ ) *debet... mentio*. — oportet... mentionem Fa et tertia; oportet... mentio ceteri.

$\epsilon$ ) *cum dicitur*. — F et tertia praeter pG; om. — Unde haec... *Spiritus Sancti* om. E.

$\zeta$ ) *autem*. — et bc, *autem huiusmodi actio* P.

$\eta$ ) *et*. — sicut et ElsG et editiones.

$\theta$ ) *baptistis*. — *baptizatis* HpB vel *baptismatis* H, *baptizantis* F, om. G, *baptizanti* ed. a, *baptizantibus* editiones.

$\iota$ ) *Baptizetur*. — *Baptizatur* DFHsG et bc, *Baptitur* (idest *Baptizatur*) I; cf. qq. lx. art. 8.  $\delta$ , et lxviii. art. 6.  $\delta$ .

$\kappa$ ) *homines*. — Addunt non intelligentes PEIsG, intelligentes bc.

$\lambda$ ) *recipiet*. — recipiat H, recipit bc, reciperet P.

$\mu$ ) *idem*. — dicere addit P.

$\nu$ ) *Similiter autem mutaretur forma*. — Om. ABCHb, ut D, sicut ed. a, *Similiter autem* (etiam I) *mutaretur* PEFic, *Similiter* (etiam addit sG) *immutaretur* G. — si diceretur om. FpG.

\* Vers. 17.

\* Cap. *Si quis, de Baptism. et eius effect.*

\* Ioan. cap. 1, vers. 3. x

\* Vide Missal. Rom. in Benedict. Aquae.

\* Priscian. *de Octo Partib. Orat.* lib. XII, cap. *De Personis*. — Cf. Halens. *Summ. Theol.* part. IV, qu. viii, memb. vi, art. 7. v

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore una conclusio: *Haec est conveniens forma baptismi: Ego te baptizo, etc.* Probat. Baptismus per suam formam consecratur. Ergo oportet quod in forma baptismi exprimat illius causa. Ergo oportet in forma baptismi de duplici, scilicet principali et instrumentali causa, fieri mentionem. Ergo haec est conveniens forma: *Ego te baptizo, etc.*

\* Qu. LX, art. 6, ad 2.

Antecedens probatur auctoritatibus Apostoli et Augustini, praesupponendo supra \* dicta, scilicet quod verba sint formae sacramentorum. — Prima consequentia non aliter probatur in littera: ea forte ratione, quia consecratio per formam, hoc est verba, manifeste dependet a causa efficaciam sanctificativam dante verbis. — Secunda vero consequentia probatur. Quia baptismus duplicem habet causam. Et nota quod haec consequentia, cum sua probatione, quoad causam instrumentalem non nisi de congruo tenet: quoniam efficacia verborum non est a ministro, sed a sancta Trinitate, quae est causa principalis. Unde et Graeci in forma baptismi non expriment causam instrumentalem, hoc est ministrum.

II. In responsione ad quartum, tractanda esset quaestio de pluralitate baptizantium, nisi ad sextum articulum sequentis quaestionis reservaretur, ubi ex proposito Auctor articulum hunc movebit. Hic enim incidenter tractatur, propter illa verba formae, *Ego te*.

\* Cf. num. viii.

\* In resp. ad 3.

III. In responsione ad septimum, dubium magnum occurrit circa ultima verba, *Nec in aliis nominibus perficitur sacramentum*, an vera sint ut sonant \*. Et est ratio dubii, quoniam superius, in articulo septimo quaestionis sexagesimae, diximus oppositum; et Auctor dixit \* quod, *licet verba corrupte prolata nihil significant ex virtute impositionis, accipiuntur tamen [ut] significantia ex accommodatione usus*, et ideo non tollitur veritas sacramenti.

\* Scot. qu. II; Durand. qu. II, n. 5.

Ad hoc dicitur quod, licet haec verba Auctoris sonent non esse verum baptisma si dicatur, *Ego te baptizo in nomine Genitoris et Geniti et Procedentis ab utroque*, et hoc idem sentiant Scotus et Durandus, in III dist. IV *Sent.* \*: quia tamen hoc ex sacrae Scripturae auctoritate dependet, et durum videtur, ideo rationes eorum discutiendae sunt.

\* Vers. 19.

Maxima igitur ratio eorum est, quia Christus sic instituit, Matth. ult. \*: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Ex hoc enim infertur uti in qualibet lingua nominibus significantibus *Patrem, Filium et Spiritum Sanctum*. Et notanter dicitur, *significantibus*: et non, *connotantibus*, aut, *implicite insinuantibus*. Et ratio specialis horum nominum assignatur, quia significant ipsas Personas divinas: alia vero nomina significant proprietates aut actus aliquos earum. — Reliqua vero omnia, quia ut probabilia videntur afferre, omittimus, ubi necessaria perscrutamur.

IV. Ad evidentiam difficultatis huius, sciendum est quod propositio illa maxima, *Mutatio nominum quoad significatum tollit veritatem sacramenti*, potest, quantum ad propositum spectat, intelligi dupliciter: vel quoad significatum ex vi nominis; vel quoad significatum ex accommodatione usus. Et si primo modo fiat mutatio, potest fieri vel quoad significatum formale; vel quoad significatum materiale; vel quoad utrumque. Verbi gratia, *pater* puram paternitatem significat formaliter, ut docet Aristoteles \*: materialiter vero significat subiectum habens paternitatem (quod tamen secundum Avicennam \* principaliter dicitur significari *patris* nomine); et, comprehendendo utrumque, *pater* significat *habentem paternitatem*. Unde, si loco *patris* ponatur *genitor*, erit mutatio quoad formale significatum, quia *genitor* significat actum generandi, *pater* autem relationem: sed non erit mutatio quoad significatum materiale, quia unus atque idem est generans et pater. Si vero loco *patris* poneretur *paternitas*, non mutaretur significatum formale, sed abstraheretur a materiali. Si autem loco *patris* poneretur *mater*, esset mutatio quoad utrumque significatum.

\* *Metaphys.* lib. IV, cap. vii, n. 4; s. Th. lib. V, lect. ix. — Cf. *Averr. V Metaphys.*, text. xiv. \* Cf. *Averr. loc. cit.* (cont. *Avicenn.*).

Dicitur itaque, secundum dictorum opinionem docto-

rum, quod mutatio nominum quoad significatum ex vi nominis, sive formale tantum, sive materiale tantum, sive utrumque, tollit veritatem baptismi.

V. Ego autem, considerans priscorum Patrum dicta, ab his dissentio, motus ea ratione, quod identitas nominum quoad significatum secundo modo accipienda est in proposito: ut scilicet tunc solum sit variatio nominum quoad significatum, quando variatur significatum ad quod ex accommodatione usus in forma sacramenti applicantur. Exempli causa: cum dicitur in forma baptismi, « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti », *Pater* ex accommodatione usus applicatur ad significandum primam Personam Trinitatis, et similiter *Filius* ad significandum Personam quae secunda est in Trinitate, et simile est de nomine *Spiritus Sancti*. Nam, ex vi nominum, nec omnia simul significant illas tres Personas divinas, nec aliquod eorum significat aliquam Personam divinam: quodlibet enim eorum, ex vi nominis, commune est multis, ut de se patet. Ex hoc itaque et in hoc pendet tota quaestio: penes quid attendatur unitas vel diversitas significati per nomen sacramentale. Attendentes enim ad communem rationem eiusdem vel diversae significationis nominum, oportet consequenter dicere diversum esse significatum quando formale seu principale significatum ex vi nominis est diversum. Perspicentes vero ad specialem usum nominum sacramentalium, consequenter dicimus tunc solum variari significatum, quando non significatur illud ad quod ex accommodatione usus significandum applicatum est. Et propterea, si loco *Patris* ponatur *Genitor*, et loco *Filii* ponatur *Genitus*, quia eadem Personae significantur, non variatur significatio: quantumcumque sub alia et alia ratione significantur Personae per haec et illa nomina.

VI. Probat autem sic debere accipi in proposito idem vel diversum significatum, primo, auctoritate Sedis Apostolicae, de *Consecr.*, dist. iv, cap. *A quodam*, ubi Nicolaus Papa \*, reddens rationem quare baptismus praeceptus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, valet in nomine Christi, dicit, quia unum et idem est procul dubio significatum. Ex quo loco manifeste patet identitatem significati per formam baptismi non attendi secundum communem nominum significationem, sed secundum id ad quod significandum accommodata sunt nomina. Ad hoc enim aspiciendo, idem significatur per *Christum* implicite, quod per *Patrem et Filium et Spiritum Sanctum* explicite.

\* Primus.

Secundo, auctoritate Ambrosii, in I lib. de *Spiritu Sancto*, cap. III, ubi, de forma baptismi loquens, loco *Filii* ponit *Christum*, loco *Patris* ponit *a quo unctus est Christus*, et loco *Spiritus Sancti* ponit *quo unctus est Christus*. Ex qua doctrina clare habes quod sufficit Personas divinas significare, secundum Ambrosium, ex actione, puta unctione. Multo ergo magis sufficiet significare illas ex generatione.

Tertio, ex auctoritate generalis Concilii Florentini sub Eugenio IV \*, ubi institutionem Domini de forma baptismi interpretati sunt patres *invocationem Trinitatis*: et non limitaverunt se ad invocationem Trinitatis per haec praecise nomina, *Pater et Filius et Spiritus Sanctus*. Legimus enim ibi sic de forma baptismi: *Si exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum*.

\* Decret. pro Armen.

Quarto, ex communi Ecclesiae confessione. Fatemur enim omnes sanctam Trinitatem nos invocare, laudare, confiteri, etiam in iudicio, non solum dictis nominibus utendo, sed etiam utendo aequipollentibus, puta *Genitore, Omnipotente, Genitoque ab ipso, et Procedente ab utroque, Dono*, aut similibus.

Quinto, ex acceptatis casibus. Nam si quis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris et Iesu Christi et Spiritus Sancti*, procul dubio, omnium sapientum iudicio, perfectum esset sacramentum, ita quod non esset locus reiterationi: et tamen constat quod variatur significatum ex vi nominis. Similiter, si quis diceret, *in nomine Patris et Filii et Spi-*



ritus *Paracliti*, procul dubio, eorundem iudicio, verum esset baptisma: et tamen constat variari ex vi nominis significatum.

Unde Salvator, instituens formam baptismi, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, non est intelligendus arctasse virtutem formae ad formalia significata ex vi nominum per haec nomina: sed ad significata illa ad quae significanda haec nomina accommodata sunt.

VII. Ad rationem autem allatam in oppositum \*, quia *Pater* significat Personam, *Genitor* vero actum notionalem: facile respondetur satisfaciendo, primo, falsum esse quod *Pater* ex vi nominis significet Personam plus quam *Genitor*. Quoniam *Pater* significat puram paternitatem in concreto; et similiter *Genitor* puram generationem active in concreto; concretum autem utrobique est persona Patris, de Trinitate loquendo, quae realiter et formaliter ex parte rei identificatur et relationi paternitatis et generationi activae.

Dicitur secundo, quod manifeste constat *Spiritus Sancti* nomen nec proprietatem personalem, nec actum notionalem, nec Personam ex vi nominis significare: ut patet ex eo quod tam *spiritus* quam *sanctus*, quam totum coniunctum, ex vi nominis dicitur de essentia divina; *Spiritus enim est Deus*, etc. \*

VIII. Auctoris ergo verba \*, ut ad litteram redeamus, quantum ex ratione litterae apparet, intelligenda sunt quoad perfectionem praecepti, et non quoad perfectionem sacramenti absolute: ut sit sensus quod in solis nominibus quae sunt in communiore usu, perficere tenemur sacramenta; ita quod in aliis sacramentum est imperfectum, non per defectum alicuius necessarii ad sacramentum, sed necessarii ad praeceptum sacramenti. Hoc enim insinuat ratio litterae de communiore usu: communiore enim et minus communis usus non variat significationem nominis, ut de se patet.

Si quis autem putat intelligenda haec verba ut sonant, dicat ut sibi placet.

\* Ioan. cap. iv, vers. 24.  
\* Cf. num. iii, init.

## ARTICULUS SEXTUS

### UTRUM IN NOMINE CHRISTI POSSIT DARI BAPTISMUS

IV Sent., dist. iii, art. 2, qu<sup>a</sup> 2, ad 3; Expos. litt.; In *Matth.*, cap. xxviii; I *ad Cor.*, cap. i, lect. ii.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in nomine Christi possit dari baptismus. Sicut enim *una est fides, et unum<sup>a</sup> baptisma*, ut dicitur *Ephes. iv* \*. Sed *Act. viii* \* dicitur quod *in nomine Iesu Christi baptizabantur viri et mulieres*. Ergo etiam nunc potest dari baptismus in nomine Christi.

2. PRAETEREA, Ambrosius dicit \*: *Si Christum dicas, et Patrem, a quo unctus est, et ipsum qui unctus est, Filium, et Spiritum, quo unctus est, designasti*. Sed in nomine Trinitatis potest fieri baptismus. Ergo et in nomine Christi.

3. PRAETEREA, Nicolaus Papa \*, *ad consulta Bulgarorum* respondens \*, dicit: *Qui in nomine sanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, unum quippe idemque est, ut sanctus ait Ambrosius, rebaptizari non debent*. Rebaptizarentur autem si in hac forma baptizati sacramentum baptismi non reciperent. Ergo potest consecrari<sup>β</sup> baptismus in nomine Christi sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*.

SED CONTRA EST quod Pelagius Papa \* scribit Gaudentio γ Episcopo \*: *Si hi qui in locis Dilectionis tuae vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo, eos ad fidem Catholicam venientes in sanctae Trinitatis nomine baptizabis*. — Didymus etiam dicit, in libro *de Spiritu Sancto* \*: *Licet quis possit existere mentis alienae qui ita baptizaret<sup>δ</sup> ut unum de praedictis nominibus, scilicet trium Personarum, praetermittat, sine perfectione baptizabit*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi. Et ideo, si praetermittatur aliquid

eorum quae Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret: nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam sacramentis non alligavit. Christus autem instituit sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis \*. Et ideo quidquid desit ad invocationem plenam Trinitatis, tollit integritatem baptismi.

Nec obstat quod in nomine unius Personae intelligitur alia, sicut in nomine Patris intelligitur Filius; aut quod ille qui nominat unam solam Personam, potest habere rectam fidem de tribus. Quia ad sacramentum, sicut<sup>ε</sup> requiritur materia sensibilis, ita et forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimat. Unde et in baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi, affuit Trinitas sensibilibus ζ: scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant: ut nomen Christi, quod erat odiosum Iudaeis et gentibus \*, honorabile redderetur, per hoc quod ad eius invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Ambrosius assignat rationem quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in primitiva Ecclesia: quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur; et ideo servabatur ad minus integritate intelligibili forma quam Christus tradidit in Evangelio.

AD TERTIUM DICENDUM quod Nicolaus Papa dictum suum confirmat ex duobus praemissis. Et ideo eius responsio patet ex primis duabus solutionibus.

\* Num. iii, *Maxima*.

α  
\* Vers. 5.  
\* Vers. 12.

\* *De Spir. Sanct.* lib. i, cap. iii, n. 44.

\* Primus.  
\* *Can. A quodam, de Consecr.*, dist. iv.

β  
\* Secundus.  
\* *Can. S. revera, de Consecr.*, dist. iv.

γ  
\* Lib. II, - *Inter Opp. Hieron.*

δ  
\* Qu. LXIV, art. 3.

α) et unum. — ita et unum CGH, ita enim est unum I, ita et unus est (baptismus) bc, ita est unum P.  
β) consecrari. — conferrī PF.  
γ) Gaudentio. — Tertia praeter pG; Gaudentino. Cf. art. 8. α.

δ) baptizaret. — baptizarent ABC, baptizare conetur P. Cf. qu. LX, art. 8, η.  
ε) ad sacramentum, sicut. — sicut ad sacramentum H et editiones.  
ζ) sensibilibus. — (in P) sensibilibus signis EFa et tertia.

\* *Matth.* cap. xxviii, vers. 19.

\* *Matth.* cap. iii, vers. 16, 17; *Marc.* cap. i, vers. 10, 11; *Luc.* cap. iii, vers. 21, 22.

\* I *ad Cor.*, cap. i, vers. 23.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore unica est conclusio: *Quidquid deest ad invocationem plenam Trinitatis, tollit integritatem baptismi*. Probat. Sacramentum habet efficaciam ab institutione Christi. Ergo, si praetermittatur aliquid eorum quae Christus instituit circa sacramentum, tollitur efficacia eius. Ergo, si praetermittatur plena invocatio Trinitatis in baptismo, tollitur integritas baptismi. — Et probatur haec ultima consequentia. Quia Christus instituit baptismum *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*.

II. Deinde excludit Auctor responsionem dicentem quod sufficit invocare Trinitatem implicite: vel quia in invocatione unius Personae includitur alia; vel quia recta fide interiori invocantur omnes Personae, quamvis vocaliter non explicentur omnes. Contra hanc responsionem arguit Auctor, quia sacramentum, sicut constat ex materia sensibili, ita debet constare ex forma sensibili. Ac per hoc, nec intellectus cointelligens in una Persona aliam, nec fides recta de omnibus Personis, supplet defectum formae sensibilis. — Et confirmatur ex baptismo Christi. Quoniam ibi tres Personae in forma sensibili apparuerunt.

III. Adverte hic haec Auctoris verba directe excludere responsiones sumptas ex III cap. lib. I Ambrosii de *Spiritu Sancto* \*, relatas etiam a Magistro Sententiarum, in III dist. Quarti.

Adverte secundo, tractari hic duas quaestiones tanquam unam. Altera siquidem quaestio est, an baptismus in quo omittitur invocatio alicuius personae Trinitatis, sit verus: altera vero quaestio est, an baptismus celebratus in nomine Christi sit verus. Et Magister siquidem Sententiarum separatim eas tractat: Auctor vero coniunctim, ut hic patet. Ille non idem de utraque quaestione iudicium habet. Iste idem sentit de utraque, eadem ratione: puta quia Christus nomen unius Personae est. Et propterea non directe in littera respondit quaesito, puta, *Baptismus in nomine Christi non potest dari*: sed universalem negativam pro responsione dedit, scilicet: *Non potest baptismus dari omisso quocumque ad plenam invocationem Trinitatis requisito*.

IV \*. Circa has quaestiones dubia adhuc sententia pendere videtur, si rationem sequimur. Si autem auctoritati innititur, altera pro determinata ab Ecclesia habetur, altera autem tanquam dubia tenetur. Quaestio siquidem illa, an omisso alicuius nominis trium Personarum tollat veritatem baptismi, determinata invenitur a Zacharia Papa, de *Consecr.*, dist. IV, cap. *In Synodo*, pro parte affirmativa, scilicet quod ommissio talis tollit veritatem baptismi. Quamvis forte glossari posset a defensoribus doctrinae quae videtur insinuare Ambrosius, propter rationem subiunctam ibidem ab ipso Papa.

Altera autem quaestio, de baptismo in nomine Christi an valeat, determinata invenitur a Nicolao Papa, in cap. *A quodam, de Consecr.*, dist. IV, pro parte affirmativa, scilicet quod valet. Verum, non obstante hac determinatione, doctores multi tenent partem negativam: de quorum numero sunt Auctor, Durandus \*, et Petrus de Palude \*\*. Multi autem dubiam quaestionem relinquunt: de quorum numero sunt Scotus \* et Richardus \*\*. V. Videtur autem non incongruens fore si fundamenta partium discutiantur \*, ut veritas elucescat. Quod enim baptismus in nomine Christi non valeat, probatur primo \*, ratione in littera posita: scilicet, quia forma debet esse sensibilis.

Probatur deinde. Prima professio fidei debet esse integra, sicut actu interiori, ita actu exteriori. Et haec ratio sumpta videtur ex Zacharia Papa, ubi supra \*.

Probatur demum auctoritatibus. Quarum prima est Pelagii Papae, de *Consecr.*, dist. IV, cap. *Si revera*, dicentis ut habes in littera \*. — Altera est eiusdem Pelagii, in eadem distinctione, in cap. *Multi*, dicentis: *Multi sunt qui in nomine solummodo Christi se asserunt baptizare. Evangelicum vero praeceptum, ipso Deo et Domino Salvatore nostro Iesu Christo dicente et tradente, nos admonet in*

*nomine Trinitatis baptismum unicuique tribuere*. — Tertia demum est omnium dicentium nomen unius Personae tantum non sufficere ad baptismum. *Christus enim Filius tantum personam significat*.

VI. Apparet autem nec auctoritates nec rationes has convincere intellectum. Institutio siquidem Christi, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, non intelligitur quoad has voces, sed quoad significata illarum. Et cum dupliciter possit earum significatum inveniri, scilicet implicite vel explicite; et Christus neutrum refutaverit modum: satis institutio eius salvatur si omnes Personae divinae invocantur per nomen seu nomina implicite vel explicite.

Et si respondeatur quod Christus determinavit formam baptismi ad unum modum, scilicet ad explicite divinas Personas significantia nomina, dicendo *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, quoniam haec illas Personas explicite significant: — responsio haec falsum dicit. Quoniam manifeste constat quod nec *pater* significat divinum Patrem, sed patrem absolute; nec *filius* significat divinum Filium, sed filium absolute. Unde, nisi ad implicitum significatum recurratur, forma ipsa instituta a Christo non significat ex vi nominum divinas Personas.

Propter quod potest hinc sumi confirmatio propositi, assumendo quod, iuxta Salvatoris institutionem, forma baptismi significat Personas divinas implicite et in confuso et in potentia: sicut *animal* significat hominem in confuso, implicite et in potentia. Ergo non minus salvatur integra baptismi forma si per unum quam per multa nomina significantur implicite divinae Personae: per accidens enim est unitas vel pluralitas vocum. Quod ex eo patet quod, si unum nomen significaret explicite omnes divinas Personas, omnes faterentur illud sufficere ad formam baptismi. Ex quo enim Salvator non alligavit formam baptismi ad determinatas voces, sed ad determinata significata per voces; et modum significanti implicite sufficere docuit exprimendo nomina quae non nisi implicite divinas significant Personas: satis nobis persuasum esse debet non exigi ad formam baptismi quod divinae Personae explicite significantur.

At si quis dixerit nomina haec, scilicet, *Pater et Filius et Spiritus Sanctus*, ex vi nominum non nisi implicite significantur divinas Personas, ut arguendo dictum est; ex accommodatione tamen Christiani usus explicite et actu significant divinas Personas: — advertat diligenter sic dicens Christum Dominum instituisse baptismi formam sub dictis nominibus ante huiusmodi Christiani usus accommodationem; et perspiciat hinc quod, stando in auctoritate formae institutae a Christo, prout ab ipso instituta est, Personae divinae non significantur per formam baptismi nisi implicite et in potentia et in confuso. Quod est intentum.

Apparet enim Salvatore reliquisse applicationem horum nominum ad divinas Personas fidei et intentioni Ecclesiae: quae in quolibet ministro salvatur, dum intendit dicere et facere quod credit et facit Ecclesia. Par autem ratio est de intentione et fide Ecclesiae, si per aequipollentia nomina, aut per aequipollens nomen divinae Personae implicite significantur: ut accidit in proposito in hoc nomine *Christus*; significat enim implicite totam Trinitatem, ut Ambrosius declaravit \*.

VII. Ad rationem autem primam \*, sumptam ex littera, dicitur concedendo formam baptismi debere esse sensibilem: nec a sensibilitate formae declinare baptismum in nomine Christi; nam *Christus* sensibilis vox est. Sed ex sensibilitate formae non sequitur debere esse tot voces distinctas quot sunt Personae divinae, aut tot explicitas significationes. Integritas enim sensibilis formae non plus exigit quam quod sensibili voce significantur tres Personae divinae. Utrum autem implicite vel explicite, hoc magis spectare videtur ad intellectum quam ad sensum. Quod ex eo patet quod distinctio inter definitionem et definitum ad intellectum spectat; et constat differre ea penes impli-

\* Cf. arg. 2, 3.

\* P. om. integros numeros IV-X.

\* IV Sent., dist. III, qu. 1, n. 8, 9.  
\*\* IV Sent., dist. III, qu. 1, art. 2.  
\* IV Sent., dist. III, qu. II.  
\*\* IV Sent., dist. III, art. 2, qu. 3, ad 10.  
\* Cf. num. VIII.  
\* Cl. num. VII.

\* Num. praeced.

\* Arg. Sed contra.

\* De Spiritu Sancto lib. I, cap. III, n. 44; cf. arg. 2.  
\* Num. V.

cite vel explicite idem significare. Unde, sicut loco definitionis licet ponere definitum, et e contra, absque mutatione significati, ita loco nominum explicite significantium divinas Personas, licet ponere nomen implicite significans easdem.

Ad secundam vero rationem, sumptam ex Zacharia, dicitur concedendo congruum quidem esse ut in prima professione fidei explicite fiat Trinitatis professio intus et extra: sed nulla apparet ratio cogens ad huiusmodi explicitam professionem vocalem. Quod ex eo cognosci potest quod, si in prima professione fidei exigeretur vocalis professio principaliter creditorum explicite, exigeretur quoque, ultra professionem Trinitatis, professio incarnationis: quoniam Christianus non est qui mysterium incarnationis non profitetur; nec hoc est de secundario, sed de principalissimis creditis. Quamobrem ex huiusmodi protestationibus seu professionibus non trahitur necessarium argumentum. Et propterea verba Zachariae Papae de non confitente integre Trinitatem, intelligenda sunt absolute, hoc est, implicite vel explicite, quoad voces: ut ex eo patet quod *vacuum a divina gratia* talem dicit.

Ad auctoritatem autem Pelagii dicitur quod non est contra baptismum in nomine Christi, sed contra baptismum *in nomine Domini*. Aliud enim est baptizare in nomine Christi, et aliud baptizare in nomine Domini. Nam in nomine Christi significantur omnes Personae divinae: in nomine autem Domini nequaquam.

Ad secundam eiusdem auctoritatem dicitur, ut etiam Glossa ibidem notat, quod Pelagius irritavit baptismum *in nomine Domini*\*, et non irritavit baptismum *in nomine Christi*\*: quamvis baptismum *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* illi praetulerit, evangelica auctoritate.

\* Gloss. ad can. Si revera.  
\* Gloss. ad can. Multi sunt.

Ad auctoritates demum contra omittentes unius Personae nomen, respondetur quod non est eadem ratio de nomine Christi: quoniam in Christi nomine omnes Personae importantur, nullaque omittitur.

Haec dixerim pro discussione opinionis dicentis baptismum in nomine Christi dati verum non esse.

VIII. Nunc oppositae opinionis fundamenta discutiamus. Fundatur itaque opinio haec in primis super gestis Apostolorum: quoniam ipsi baptizabant *in nomine Iesu Christi*, ut patet in *Actibus Apostolorum*\*.

\* Cap. viii, vers. 12; cap. x, vers. 48; cap. xix, vers. 5.

\* Can. Multi; cf. num. v.

Deinde super usu alicuius partis Ecclesiae. Multi enim tempore Pelagii Papae baptizabant in nomine Christi, ut patet in allegato capitulo\*: et tamen non fuit irritatus talis baptismus, sicut baptismus *in nomine Domini*. Ita quod bene hic est notandum quod Pelagius, scribens ad Gaudentium Episcopum, meminit duorum baptismatum, scilicet

*in nomine Domini*\*, et *in nomine Christi*\*\* : et primum irritum dicit, secundum non. Nec ex incuria hoc processit. Quoniam tam cautus Pontifex fuit circa hoc ut primum irritaverit etiam incertus de facto: secundum autem affirmat fieri a multis, et propterea illum irritare magis debuit, si verus non fuisset.

\* Can. Si revera.  
\*\* Can. Multi.

Tertio, auctoritate Nicolai Papae, hoc expresse docentis in prius allegato\* capitulo.

\* Num. iv.

Quarto, super auctoritate beati Ambrosii, in loco allegato\*.

\* Num. vi, fin.

Nec obstat glossa quae datur ad *Actus Apostolorum*, de speciali dispensatione Spiritus Sancti\*. Quoniam glossa haec nec ex sacra Scriptura nec ab Apostolica Sede auctoritatem habet. Immo contra determinationem factam a Nicolao Papa tendit, dum Nicolaus baptizatos tempore suo in nomine Christi vere baptizatos iudicavit, auctoritate usus Apostolorum et beati Ambrosii. Cum enim Nicolaus I fuerit plus quam octingentis annis post Christum, dispensatio facta Apostolis iam cessasset: et Pontifex proinde errasset. Intellexit ergo sanctus Pontifex Apostolos non ex dispensatione, sed ex auctoritate ordinaria baptizasse in nomine Christi. Unde et rationem assignat ex identitate significati per Christi nomen et per formam evangelicam. — Quam eandem rationem quia sanctus praedixit Ambrosius, manifeste excluduntur Glossae quae dantur ad Ambrosium. Nam Ambrosius absolute loquitur, ut patet intuenti capitulum illud.

\* In litt., ad t.

IX. Concludendo igitur, et, cum Magistro Sententiarum\*, Apostolica gesta, auctoritatemque Ambrosii ac Apostolicae Sedis, cum usu praedicto multorum, praeferendo posterioribus doctoribus, qui contra torrentem sui temporis non ausi sunt se opponere: dicimus quod baptismus in nomine Christi si fiat, verus est baptismus. Suffragaturque ad hoc superior\* deducta ratio de sufficientia implicitae significationis.

\* IV Sent., dist. III.

Et confirmaretur hoc, credo, nova auctoritate Sedis Apostolicae, si casus accideret. Quoniam praedecessorum suorum vestigiis inhaerendo Romanus Pontifex iudicaret de ecclesiasticis sacramentis. Et eo amplius quod Nicolaus I magnae existit sanctitatis.

\* Num. vi.

X. Et quoniam ratio de implicita significatione ad similia ducit, ideo nullam ego video ambiguitatis rationem si quis aliquem baptizaret in hac forma, videlicet, *Ego te baptizo in nomine sanctae Trinitatis*. Perfectum enim esset baptisma, non minus quam in nomine Christi: significatque implicite omnes divinas Personas, quamvis earum numerum solummodo explicet; numerus enim ibi est idem quod res numeratae.

## ARTICULUS SEPTIMUS

### UTRUM IMMERSIO IN AQUA SIT DE NECESSITATE BAPTISMI

IV Sent., dist. III, art. 4, qu<sup>a</sup> 1.

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod immersio in aqua sit de necessitate baptismi. Ut enim dicitur *Ephes. iv*\*, *una fides, unum baptisma*. Sed apud multos communis modus baptizandi est per immersionem. Ergo videtur quod non possit esse baptismus sine immersione.

\* Vers. 5.

2. PRAETEREA, Apostolus dicit, *Rom. vi*\*: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte*. Sed hoc fit per immersionem: dicit enim Chrysostomus\*, super illud Ioan. III\*, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, etc.: Sicut in quodam sepulcro, in aqua, submergentibus nobis capita, vetus homo*

\* Vers. 3, 4.

\* Homil. XXV, aliter XXIV, in Ioan.  
\* Vers. 5.

*sepelitur, et submersus deorsum occultatur, deinde novus rursus ascendit*. Ergo videtur quod immersio sit de necessitate baptismi.

3. PRAETEREA, si sine immersione totius corporis posset fieri baptismus, sequeretur quod pari ratione sufficeret quamlibet partem aqua perfundi. Sed hoc videtur inconveniens: quia originale peccatum, contra quod praecipue datur baptismus, non est in una tantum corporis parte. Ergo videtur quod requiratur immersio ad baptismum, et non sufficiat sola aspersio.

SED CONTRA EST quod *Heb. x*\* dicitur: *Accedamus ad eum<sup>a</sup> vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia<sup>b</sup> mala, et abluti corpus aqua munda*.

\* Vers. 22.

α

β

α) ad eum. — ad eum cum ElsG, ad cum b, cum PHc.

β) a conscientia. — Ed. a et tertia praeter I; conscientia.

RESPONDEO DICENDUM quod aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. Et ideo, quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus; potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis; vel etiam per modum effusionis, secundum illud Ezech. xxxvi \*, *Effundam super vos aquam mundam*, sicut et beatus Laurentius legitur baptizasse \*. Et hoc praecipue propter necessitatem. Vel quia est magna multitudo baptizandorum: sicut patet *Act. ii \** et *iv \*\**, ubi dicitur quod crederunt una die tria millia, et alia quinque millia. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquae; vel propter debilitatem ministri, qui non potest sustentare baptizandum; vel propter debilitatem baptizandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum est quod immersio non est de necessitate baptismi.

\* Vers. 25.

\* Hom. XCI inter Opp. Bedae.

\* Vers. 41.  
\*\* Vers. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ea quae sunt per accidens, non variant substantiam rei. Per se autem requiritur ad baptismum corporalis ablutio per aquam: unde et baptismus *lavacrum* nominatur, secundum illud *Ephes. v \**: *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*. Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit baptismi. Et ideo talis diversitas non tollit unitatem baptismi.

\* Vers. 26.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in immersione expressius repraesentatur figura sepulturae Christi: et ideo hic modus baptizandi est communior et laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi repraesentatur aliquo modo, licet non ita expresse: nam, quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars eius, aquae supponitur, sicut corpus Christi fuit positum sub terra.

AD TERTIUM DICENDUM quod principalis pars corporis, praecipue quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus et interiores et exteriores. Et ideo, si totum corpus aqua non possit perfundi, propter aquae paucitatem vel propter aliquam aliam causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitae.

Et licet per membra quae generationi deseruiunt peccatum originale traducatur, non tamen sunt membra illa potius aspergenda quam caput, quia per baptismum non tollitur transmissio originalis in prolem per actum generationis, sed liberatur anima a macula et reatu peccati quod incurrit. Et ideo debet praecipue lavari illa pars corporis in qua manifestantur opera animae.

In veteri tamen lege remedium contra originale peccatum institutum erat in membro generationis: quia adhuc ille per quem originale erat amovendum, nasciturus erat ex semine Abrahae, cuius fidem circumcisio significabat, ut dicitur *Rom. iv \**.

\* Vers. 11.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo sumitur *immersio* ut distinguitur contra *aspersionem* et *effusionem*.

In corpore una conclusio est: *Immersio non est de necessitate baptismi*. Probatur. Ablutio corporis fieri potest per aquam non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. Ergo immersio non

est de necessitate baptismi. — Probatur consequentia. Quia in baptismo assumitur aqua ad abluendum corpus. Quod probatur: quia significat sic ablutionem interioriorem a peccatis. — Processum, cum multis auctoritatibus et adiunctis ad bonitatem doctrinae, quia satis patet in littera, pertranseo.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM TRINA IMMERSIO SIT DE NECESSITATE BAPTISMI

IV *Sent.*, dist. III, art. 4, qu<sup>a</sup> 2, 3; dist. XXIII, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 2.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod trina immersio sit de necessitate baptismi. Dicit enim Augustinus, in quodam sermone *de Symbolo ad Baptizatos \**: *Recte tertio mersi estis: quia accepistis baptismum in nomine Trinitatis. Recte tertio mersi estis: quia accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui tertia die resurrexit a mortuis. Illa enim tertio repetita immersio typum Dominicae exprimit sepulturae, per quam Christo consepulti estis in baptismo*. Sed utrumque videtur ad necessitatem baptismi pertinere: scilicet et quod significetur in baptismo trinitas Personarum; et quod fiat configuratio ad sepulturam Christi. Ergo

\* Al. ad Neophyti, de Myster. Bapt. serm. III (inter Opp. Aug.). — Cf. can. Postquam vos credere, de Consecr., dist. IV.

videtur quod trina immersio sit de necessitate baptismi.

2. PRAETEREA, sacramenta ex mandato Christi efficaciam habent. Sed trina immersio est ex mandato Christi: scripsit <sup>α</sup> enim Pelagius \* Papa Gaudentio Episcopo \*: *Evangelicum praeceptum, ipso Domino Deo et Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam <sup>β</sup> immersione, sanctum baptismum unicuique tribuere*. Ergo, sicut baptizare in nomine Trinitatis est de necessitate baptismi, ita baptizare trina immersione videtur esse de necessitate baptismi.

\* Secundus. \* Can. Multi sunt, de Consecr., dist. IV.

3. PRAETEREA, si trina immersio non sit de ne-

α) scripsit. — scribit Pl. — Gaudentio tertia praeter G; Gaudentino. Cf. art. 6. γ.

β) etiam. — et D, autem EI, om. Ha et editiones. — tribuere om. AB.

cessitate baptismi, ergo ad primam immersionem aliquis  $\gamma$  baptismi consequitur sacramentum. Si vero  $\delta$  addatur secunda et tertia, videtur quod secundo vel tertio baptizetur: quod est inconveniens. Non ergo una immersio sufficit ad sacramentum baptismi, sed trina videtur esse de necessitate ipsius.

SED CONTRA EST quod Gregorius \* scribit  $\epsilon$  Leandro Episcopo \*: *Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptisate vel tertio vel semel immergere: quoniam et in tribus immersionibus Personarum trinitas, et una potest divinitatis singularitas designari.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut prius \* dictum est, ad baptismum per se requiritur ablutio aquae, quae est de necessitate sacramenti: modus autem ablutionis per accidens se habet ad sacramentum. Et ideo, sicut ex praedicta \* auctoritate Gregorii patet, quantum est de se, utrumque licite fieri potest, scilicet et semel et ter immergere: quia unica immersione significatur unitas mortis Christi, et unitas deitatis; per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturae Christi, et etiam trinitas Personarum.

Sed diversis ex causis, secundum ordinationem Ecclesiae, quandoque institutus est unus modus, quandoque alius. Quia enim a principio nascentis Ecclesiae quidam de Trinitate male sentiebant, Christum purum hominem aestimantes, nec dici Filium Dei et Deum nisi per meritum eius, quod praecipue fuit in morte, ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemorationem mortis Christi, et una immersione. Quod reprobatur in primitiva Ecclesia. Unde in *Canonibus Apostolorum* \* legitur: *Si quis presbyter aut episcopus non trinam immersionem unius ministerii, sed semel mergat in baptisate, quod dari a quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur: non enim nobis dixit Dominus, « In morte mea baptizate », sed, « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».*

Postmodum vero inolevit quorundam schismaticorum et haeticorum error homines rebaptizantium  $\zeta$ : sicut de Donatistis Augustinus narrat, *super Ioan.* \* Et ideo, in detestationem erroris eorum, fuit statutum in Concilio To-

tano \* quod fieret una sola immersio, ubi sic legitur: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi immersionem.*

Sed, cessante tali causa, communiter observatur in baptismo trina immersio. Et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiae non observans. Nihilominus tamen esset baptismus.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Trinitas est sicut agens principale in baptismo. Similitudo autem agentis pervenit ad effectum secundum formam, et non secundum materiam. Et ideo significatio Trinitatis fit in baptismo per verba formae. Nec est de necessitate quod significetur Trinitas per usum materiae: sed hoc fit ad maiorem expressionem.

Similiter etiam mors Christi figuratur sufficienter in unica immersione. Triduum autem sepulturae non est de necessitate nostrae salutis: quia etiam si una die fuisset sepultus vel mortuus, suffecisset ad perficiendam nostram redemptionem; sed triduum illud ordinatur ad manifestandam veritatem mortis, ut supra \* dictum est.

Et ideo patet quod trina immersio nec ex parte Trinitatis, nec ex parte passionis Christi, est de necessitate sacramenti.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Pelagius Papa intelligit trinam immersionem esse ex mandato Christi in suo simili: in hoc scilicet quod Christus praecipit baptizari *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* \*. Non tamen est similis ratio de forma et de usu materiae, ut dictum est \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, intentio requiritur ad baptismum. Et ideo ex intentione ministri Ecclesiae, qui intendit unum baptismum dare trina immersione, efficitur unum baptisma. Unde Hieronymus dicit, *super Epistolam ad Philipp.* \*: *Licet ter baptizetur, id est immergatur, propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputatur.*

Si vero intenderet ad unamquamque immersionem unum baptisma dare, ad singulas immersiones repetens verba formae, peccaret, quantum in se est, pluries baptizans.

\* Magnus.

$\epsilon$   
\* Regist. lib. I, Epist. XLIII, al. XLI.

\* Art. 7, ad 1.

\* Arg. Sed cont.

\* Can. XLIX. - Cf. can. Si quis presb. aut episc., de Consecr., dist. IV.

$\zeta$   
\* De Haeres., cap. LXIX.

$\gamma$ ) aliquis. - PEFI; om. - baptismi om. a.  
 $\delta$ ) vero. - ergo PI. - Pro et tertia, vel tertia editiones.

$\epsilon$ ) scribit. - scripsit FH, dicit scribens editiones.  
 $\zeta$ ) rebaptizantium. - PGsB; baptizantium.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. - In corpore articuli duo fiunt: primo, respondet quaesito quantum ad necessitatem sacramenti; secundo, respondet quaesito quantum ad necessitatem mandati ecclesiastici.

Quoad primum, unica conclusio est: *Utrumque licite fieri potest: scilicet et semel, et ter immergere.* Probatur tripliciter. Primo, ratione. Ad baptismum per se requiritur ablutio; per accidens autem modus ablutionis. Ergo. - Secundo, auctoritate Gregorii. - Tertio, ex significatione tam unice quam trinae immersionis.

Quoad secundum, variata ponitur et mutata Ecclesiae institutio diversis temporibus diversis ex causis. Et tandem infert gravius peccare qui nunc non servant trinam immersionem.

Ubi scito quod, licet hodie qui baptizantur in fontibus

immergantur, et forte ter; hi tamen qui baptizantur in domibus, per modum effusionis baptizantur. Et propterea nullum peccatum committere videntur quia ter non immergunt: cum nec semel immergant absque peccato.

II. In responsione ad tertium, dubium occurrit, an, trina immersione intenta a ministro, si aliqua omittatur, sit verus baptismus. Et est ratio dubii, quoniam, si trina immersio intendatur, baptismus non perficitur in prima immersione: ut Auctor explicat in art. 4 m dist. IV *Sent.* \* - Huius autem oppositum videtur ex eo quod huiusmodi intentio ministri non addit necessitatem novae immersionis post primam.

Ad hoc dicitur quod, quia intentio ministri fundatur super ritu Ecclesiae, eadem est intentio ministri intendentis exercere trinam immersionem, et Ecclesiae instituentis

\* Quarto. - Cf. can. Propter vitandum schismatis scandalum, de Consecr., dist. IV.

\* Qu. LIII, art. 2.

\* Matth. cap. xxviii, vers. 19.  
\* Ad 1.

\* Qu. LXIV, art. 8.

\* Super Epist. ad Ephes., cap. iv, vers. 5, 6. - Cf. can. Eodem modo, de Consecr., dist. IV.

\* Qu. 3, ad 3.

illam. Constat autem quod Ecclesia instituit trinam immersionem, non ut substantiale sacramenti, sed ut caeremoniale eiusdem: quoniam non nisi ad significandum vel trinitatem Personarum, vel triduum sepulturae, illam instituit. Intentio ergo ministri ad trinam immersionem fertur, non ut ad rem necessariam sacramento, sed ut ad caeremoniam eiusdem. Omissio autem caeremoniae non tollit veritatem baptismi. Et propterea, si ex incuria aut casu alio minister, intendens trinam immersionem, perficiat proferre verba formae ante secundam aut tertiam immersionem, baptismus perfectus est: et quae non est facta immersio durantibus verbis, superflue post verba adderetur, quoniam non esset amplius baptismi pars.

III. Ad obiectionem autem inductam dicitur quod intelliguntur verba Auctoris de unica immersione sub ratione partis. In casu autem nostro, scilicet quo verba praevenerent secundam immersionem, unica immersio, ex ipsa separatione ab aliis immersionibus, haberet rationem totius. Quod ut melius intelligas, adverte abluitionem esse quodam totum successivum, et integrari ex partibus successivis et continuis: successivis quidem omnibus; continuis vero quandoque omnibus, quandoque quibusdam. Nam

quaelibet ablutio per immersionem in tempore fit, et per partes successivas ac continuas immersiones: et rursus quaelibet trium immersionum inter se discretarum pars est unius abluitionis, quam baptismum vocamus. Quo fit ut, quia totum successivum ex qualibet sui parte infertur: est enim dies quaecumque hora diei sit; et similiter movetur aliquis in quacumque motus parte inveniatur, — ex quacumque immersione, immo ex quacumque immersionis parte sufficiente ad abluendum, ablutio infertur, ac per hoc, baptismus, si in totius rationem transeat. Habent enim unius immersionis partes, et singulae immersiones, partium rationem dum in suo toto sumuntur: et sola separatio ab aliis partibus illi vel illis rationem totius largitur, ut accidit in divisione continui permanentis. Ministro ergo intendente trinam immersionem, quandiu immersiones, seu earum partes, habent rationem partium baptismi ex parte materiae, hoc est abluitionis, non perficitur baptismus. Sed si pars aliqua sortiretur rationem totius ex hoc quod in ea finiretur prolatio formae, undecumque hoc accidat, ablutio baptismalis perfecta est. Peccat tamen minister praeveniens secundam aut tertiam immersionem prolatione verborum integra, tanquam omittens aliquam immersionem.

## ARTICULUS NONUS

### UTRUM BAPTISMUS POSSIT ITERARI

Supra, qu. XLIX, art. 3, ad 2; infra, qu. LXXX, art. 10, ad 1; qu. LXXXIV, art. 10, ad 1, 5; IV *Sent.*, dist. II, qu. 1, art. 2, ad 2; dist. VI, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; dist. XII, qu. III, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 2; dist. XIV, qu. 1, art. 4, qu<sup>a</sup> 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LIX LXXI; *In Ioan.*, cap. III, lect. 1; *Ad Ephes.*, cap. IV, lect. II; *Ad Heb.*, cap. VI, lect. 1.

**A**D NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus possit iterari. Baptismus enim videtur institutus ad abluitionem peccatorum. Sed peccata iterantur. Ergo multo magis baptismus debet iterari: quia misericordia Christi transcendit hominis culpam.

2. PRAETEREA, Ioannes Baptista praecipue fuit a Christo commendatus: cum de eo dictum sit, Matth. XI \*: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Sed baptizati a Ioanne iterum rebaptizantur <sup>α</sup>: ut habetur Act. XIX \*, ubi dicitur quod Paulus baptizavit eos qui erant baptizati baptismo Ioannis. Ergo multo fortius illi qui sunt baptizati ab haereticis vel peccatoribus, sunt rebaptizandi.

3. PRAETEREA, in Nicaeno Concilio \* statutum est, si quis confugeret <sup>β</sup> ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis et Cataphrygis, baptizari eos debere. Videtur autem esse eadem ratio de haereticis aliis. Ergo baptizati ab haereticis debent esse rebaptizati <sup>γ</sup>.

4. PRAETEREA, baptismus est necessarius ad salutem. Sed de quibusdam baptizatis aliquando dubitatur an sint baptizati. Ergo videtur quod debeant iterum rebaptizari <sup>δ</sup>.

5. PRAETEREA, Eucharistia est perfectius sacramentum quam baptismus, ut supra \* dictum est. Sed sacramentum Eucharistiae iteratur. Ergo multo magis baptismus potest iterari.

SED CONTRA EST quod dicitur Ephes. IV \*: *Una fides, unum baptisma.*

RESPONDEO DICENDUM quod baptismus iterari non potest. Primo quidem, quia baptismus est quaedam spiritualis regeneratio: prout scilicet aliquis moritur veteri vitae, et incipit novam vitam agere. Unde dicitur Ioan. III \*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest videre <sup>ε</sup> regnum Dei.* Unius autem non est nisi una generatio <sup>ζ</sup>. Et ideo non potest baptismus iterari: sicut nec carnalis generatio. Unde Augustinus dicit \*, super illud Ioan. III \*\*, *Nunquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci: Sic tu, inquit, intellige nativitatem spiritus, quo modo intellexit Nicodemus nativitatem carnis. Quo modo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus.*

Secundo, quia *in morte Christi baptizamur \**, per quam morimur peccato et resurgimus in novitatem vitae. Christus autem *semel tantum mortuus est \**. Et ideo nec baptismus iterari debet. Propter quod, *Heb. VI \**, contra quosdam rebaptizari volentes dicitur: *Rursus crucifigentes sibi-metipsis Filium Dei: ubi Glossa \* dicit: Una Christi mors unum baptisma consecravit.*

Tertio, quia baptismus imprimat characterem, qui est indelebilis, et cum quadam consecratione datur. Unde, sicut aliae consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus. Et hoc est quod Augustinus dicit, in II *contra Epistolam Parmeniani \**, quod *character militaris non repetitur; et quod non minus haeret <sup>η</sup> sacramentum Christi quam corporalis haec nota, cum videamus*

\* Vers. 11.

\* Vers. 1-7.

\*Primo: can. XIX.  
- Cf. can. 52.  
quibus confugerit,  
Caus. I, qu. 1.  
β

γ

δ

\* Qu. LXV, art. 3.

\* Vers. 5.

\* Vers. 5.

ε

ζ

\* In Ioan. Evang.,  
tract. XI, n. 6.  
\*\* Vers. 4.

\* Ad Rom., cap.  
VI, vers. 3.

\* Ibid., vers. 10.

\* Vers. 6.

\* Ord. et Lomb.

\* Cap. XIII.

η

α) rebaptizantur. — baptizantur H, baptizabantur F et cetera tertia; cf. qu. xxxviii art. 6. α.  
β) confugeret. — confugerit I et editiones, confugerat ed. a. Pro baptizari, rebaptizari Plc. — Addunt omnino post eos PlsG, post debere bc.

γ) esse rebaptizati. — rebaptizari tertia et a.  
δ) rebaptizari. — baptizari Fa et tertia praeter G.  
ε) videre. — introire in PF.  
ζ) generatio. — regeneratio PE.  
η) haeret. — P; habet; cf. qu. LXIII, art. 1, ε.

nec apostatas carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur.

\* Vers. 18.

Quarto, quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum. Et ideo, sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptismus iteratur: quia, ut dicitur Rom. v \*, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.

\* Art. 2, ad 1. Cf. qu. LXII, art. 5.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod baptismus operatur in virtute passionis Christi, sicut supra dictum est. Et ideo, sicut peccata sequentia virtutem passionis Christi non auferunt, ita etiam non auferunt baptismum, ut necesse sit ipsum iterari: sed, poenitentia superveniente, tollitur peccatum, quod impediabat effectum baptismi.

\* In Ioan. Evang., tract. V, n. 19. \*\* Vers. 33.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit \*, super illud Ioan. I \*\*, Sed ego nesciebam eum: Ecce, post Ioannem baptizatum est, post homicidam non est baptizatum: quia Ioannes dedit baptismum suum, homicida dedit baptismum Christi; quia sacramentum tam sanctum est ut nec homicida ministrante polluitur.

\* Magnus.

\* Regist. lib. XI, Epist. LXVII, al. LXI. - Cf. can. Hi vero haeret., de Consecr., dist. IV.

AD TERTIUM DICENDUM quod Pauliani et Cataphrygae non baptizabant in nomine Trinitatis. Unde Gregorius \* dicit, scribens Quirico <sup>θ</sup> Episcopo \*: Hi haeretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur <sup>ι</sup>, sicut sunt Bonosiani et Cataphrygae, qui scilicet idem sentiebant cum Paulianis, quia et isti Christum Deum non credunt,

<sup>θ</sup>) Quirico. - Quidino codices, Guidino ed. a, Quidmo bc, Quirino P; Alias Quidino seu Quirito margo P; cf. qu. LXVIII, art. 8. β.  
<sup>ι</sup>) baptizantur. - baptizabant tertia praeter I. - qui tertia; quasi.  
<sup>κ</sup>) purum. - parvum I pro pravum. - Pro qui... baptizantur, tales... baptizantur P. - quod PlsG; quia. - Pro nomine, nomen bc.

existimantes scilicet ipsum esse purum hominem, et isti, scilicet Cataphrygae, Spiritum Sanctum per-verso sensu esse purum \* hominem, Montanum scilicet, credunt: - qui cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptismus non fuit quod, in errore positi, sanctae Trinitatis nomine minime perceperunt. Sed, sicut in Regulis Ecclesiasticis \* dicitur: Si qui apud illos haereticos baptizati sunt qui in sanctae Trinitatis confessione baptizant, et veniunt ad Catholicam fidem, recipiantur ut baptizati.

\* De Ecclesiast. Dogmat., cap. XXII, al. LI. - Inter Opp. Aug.

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut dicit Decretalis Alexandri III \*: De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis, « Si baptizatus es, non te rebaptizo <sup>λ</sup>: sed si non baptizatus es, ego te baptizo, etc. \* » Non enim videtur iterari quod nescitur esse factum.

\* Cap. De quibus, de Baptism. et eius effect.

\* D. 265, 583.

AD QUINTUM DICENDUM quod utrumque sacramentum, scilicet baptismi et Eucharistiae, est repraesentativum Dominicæ mortis et passionis: aliter tamen et aliter. Nam in baptismo commemoratur mors Christi in quantum homo Christo commoritur ut in novam vitam regeneretur <sup>μ</sup>. Sed in sacramento Eucharistiae commemoratur mors Christi in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis quasi paschale convivium: secundum illud I Cor. v v \*: Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur. Et quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur, semel tantum datur baptismus, multoties autem Eucharistia.

\* Vers. 7, 8.

<sup>λ</sup>) non te rebaptizo. - (ego editiones) non te baptizo EI et editiones, ego te non baptizo ed. a. Pro sed si non, sed si nondum PCGI, si nondum Hac; sed... baptizo om. b.  
<sup>μ</sup>) ut... regeneretur. - et... regeneratur editiones, om. pG.  
<sup>ν</sup>) I Cor. - Pa; II Cor. F, Ephes. ceteri.

### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Qu. VII.

IN titulo tam huius quam trium sequentium articulorum, et similiter in omnibus his quae in illis continentur, nihil aliud scribendum occurrit, nisi quod Scotus, in IV Sent., dist. vi \*, duas rationes in littera noni articuli, scilicet secundam et tertiam, arguit. Secundam quidem, quia in morte Christi baptizati sumus, dicit non concludere: quia poenitentia virtutem quoque habet a passione Christi, et tamen est iterabilis. - Tertiam vero, quia imprimat characterem indelebilem, dicit probare per immanifestum: quoniam a principio institutionis baptismi manifestum fuit quod non licuit iterare ipsum; et character erat occultus.

II. Ad primum horum dicitur quod vis rationis consistit in repraesentatione, quia scilicet in baptismo reprae-

sentatur mors Christi: et non in efficacia virtutis a passione Christi, ut arguens refert. Unde argumentum nihil obstat. Quoniam poenitentia non assimilatur hominem Christo mortuo, sed baptismus, conspiciens Christo mortuo hominem qui baptizatur.

Ad secundum dicitur quod, si Auctor reprehendendus est, oportet quoque reprehendere Synodum Florentinam, sub Eugenio IV \*, dicentem: Tria sunt, baptismus, confirmatio et ordo, quae characterem, idest spirituale signum, imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur. Licet ergo ex posterius manifestis rationem reddere eorum quae prius tempore nota fuerint. De multis enim conclusionibus notis apud priscos, posteriores adinvenimus propter quid.

\* Decret. pro Armen.

## ARTICULUS DECIMUS

### UTRUM SIT CONVENIENS RITUS QUO ECCLESIA UTITUR IN BAPTIZANDO

IV Sent., dist. vi, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 2, 3.

\* Chromatius, In Matth., cap. III, vers. 15. - Cf. can. Nunquam aquae, de Consecr., dist. IV.

AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sit conveniens ritus quo Ecclesia utitur in baptizando. Ut enim dicit Chrysostomus \*, nunquam aquae baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Do-

minici corporis sanctificatae fuissent. Hoc autem factum fuit in baptismo Christi, qui celebratur in festo Epiphaniae. Ergo magis deberet celebrari solemniter baptismus in festo Epiphaniae quam in vigilia Paschae et in vigilia Pentecostes.

2. PRAETEREA, ad idem sacramentum non videtur pertinere diversarum materierum <sup>α</sup> usus. Sed ab baptismum pertinet ablutio aquae. Inconvenienter igitur ille qui baptizatur bis inungitur oleo sancto, primum in pectore, deinde inter scapulas, tertio, chrismate in vertice.

\* Ad Galat., cap. III, vers. 28; ad Coloss., cap. III, vers. 11.

3. PRAETEREA, in Christo Iesu non est masculus neque femina, barbarus et Scytha \*: et eadem ratione nec aliqua aliae huiusmodi differentiae. Multo igitur minus diversitas vestium aliquid operatur in fide Christi. Inconvenienter ergo baptizatis traditur candida vestis.

4. PRAETEREA, sine huiusmodi observantiis potest baptismus celebrari. Haec igitur quae dicta sunt, videntur esse superflua: et ita inconvenienter ab Ecclesia instituta esse in ritu baptismi.

SED CONTRA EST quod Ecclesia regitur Spiritu Sancto, qui nihil inordinatum operatur.

RESPONDEO DICENDUM quod in sacramento baptismi aliquid agitur quod est de necessitate sacramenti, et aliquid est quod ad quandam solemnitatem sacramenti pertinet. De necessitate quidem sacramenti est et forma, quae designat principalem causam sacramenti; et minister, qui est causa instrumentalis; et usus materiae, scilicet ablutio in aqua, quae designat principalem sacramenti effectum. Cetera vero omnia quae in ritu baptizandi observat Ecclesia, magis pertinent ad quandam solemnitatem sacramenti.

Quae quidem adhibentur sacramento propter tria. Primo quidem, ad excitandam devotionem fidelium, et reverentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua, absque solemnitate, de facili ab aliquibus aestimaretur quasi quaedam communis ablutio.

Secundo, ad fidelium instructionem. Simples enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas, et aliqua huiusmodi. Et per hunc modum per ea quae in sacramentis aguntur, vel instruuntur, vel sollicitantur ad quaerendum de his quae per huiusmodi sensibilia signa significantur. Et ideo, quia, praeter principalem sacramenti effectum, oportet quaedam alia scire circa baptismum, conveniens fuit ut etiam quibusdam exterioribus signis repraesentarentur.

Tertio, quia per orationes et benedictiones et alia huiusmodi cohibetur vis daemonis ab impedimento sacramentalis effectus.

\* Qu. xxxix, art. 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus in Epiphania baptizatus est baptismo Ioannis, ut supra \* dictum est: quo quidem baptismo non baptizantur fideles, sed potius baptismo Christi.

Qui quidem habet efficaciam ex passione Christi, secundum illud Rom. VI \*, *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*; et ex Spiritu Sancto, secundum illud Ioan. III \*, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*. Et ideo sollemnis baptismus agitur in Ecclesia et in vigilia Paschae, quando fit commemoratio Dominicae sepulturae, et resurrectionis eiusdem; propter quod et Dominus post resurrectionem praeceptum de baptismo discipulis dedit, ut habetur Matth. ult. \*: – et in vigilia Pentecostes, quando incipit celebrari sollemnitas Spiritus Sancti; unde et Apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum Sanctum receperant, tria millia <sup>β</sup> baptizasse \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod usus aquae adhibetur in baptismo quasi pertinens ad substantiam sacramenti: sed usus olei vel chrismatis adhibetur ad quandam solemnitatem. Nam primo, baptizandus inungitur oleo sancto et in pectore et in scapulis, *quasi athleta Dei*, ut Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* \*: sicut pugiles inungi consueverunt. – Vel, sicut Innocentius \* dicit, in quadam Decretali *de sacra Unctione* \*, *baptizandus in pectore inungitur, ut Spiritus Sancti donum recipiat* γ, *errorem abiiciat et ignorantiam, et fidem rectam suscipiat, quia iustus ex fide vivit; inter scapulas autem inungitur, ut Spiritus Sancti gratiam induat, exuat δ negligentiam et torporem, et bonam operationem exercent; ut per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, et fortitudo laborum in scapulis*.

Post baptismum vero, ut Rabanus dicit \*, *statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate, sequente simul et oratione, ut Christi regni particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari*. – Vel, sicut Ambrosius dicit \*, unguentum super caput effunditur, quia *sapientis sensus in capite* ε eius \*: ut scilicet \*\* *sit paratus omni peccanti de fide reddere rationem*.

AD TERTIUM DICENDUM quod vestis illa candida traditur baptizato, non quidem ea ratione quod non liceat ei aliis vestibus uti: sed in signum gloriosae ζ resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur; et ad designandam puritatem vitae, quam debent post baptismum observare, secundum illud Rom. VI \*: *In novitate vitae ambulemus*.

AD QUARTUM DICENDUM quod ea quae pertinent ad solemnitatem sacramenti, etsi non sint de necessitate sacramenti, non tamen sunt superflua, quia sunt ad bene esse sacramenti, ut supra \* dictum est.

α) materierum. – materiarum PEF.

β) millia. – hominum addunt I et editiones.

γ) Spiritus Sancti donum recipiat. – per Spiritus Sancti donum PI.

δ) inungitur... exuat. – inungitur (inunguntur P) ut per Spiritus

Sancti gratiam exuat (excutiant P) PI. Post exercent P addit quia fides sine operibus mortua est.

ε) in capite. – PI; sunt caput D, super caput ceteri. – omni peccanti ClsFG a et editiones; omnipotenti H, omnipotenti ceteri.

ζ) gloriosae. – gloriae PI; Alias gloriosae margo P.

\* Vers. 3.

\* Vers. 5.

\* Vers. 19.

\* Act. β cap. II, vers. 41.

\* Lib. I, cap. II.

\* Tertius.

\* Cap. Quum venisset.

γ

δ

\* De Cleric. Instit. lib. I, cap. xxviii.

\* De Sacram. lib. III, cap. I. – Cf. can. Accipisti myst., de Consecr., dist. IV.

ε

\* Eccle. cap. II, vers. 14.

\*\* Innoc. III, cap. cit. – Cf. I Pet. cap. III, vers. 1.

ζ

\* Vers. 4.

\* In corpore.



## ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM CONVENIENTER DESCRIBANTUR TRIA BAPTISMATA, SCILICET AQUAE, SANGUINIS ET FLAMINIS

IV Sent., dist. iv, qu. iii, art. 3, qu<sup>a</sup> 1, 2, 3; Quodl. VI, qu. iii, art. 1; In Ioan., cap. iii, lect. i.

**A**D UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter describantur tria baptismata, scilicet aquae, sanguinis et flaminis, scilicet Spiritus Sancti. Quia Apostolus dicit, *Ephes. iv* \*: *Una fides, unum baptismata*. Sed non est nisi una fides. Ergo non debent tria baptismata esse <sup>α</sup>.

\* Vers. 5.

α

\* Qu. LXV, art. 1.

β

\* De Fide Orth., lib. IV, cap. ix.

\* Vers. 2.

\* Lomb. et Ord.

\* Art. 2, ad 1; art. 9, ad 1; qu. LXII, art. 5.

\* Vers. 14.

\* Vers. 4.

2. PRAETEREA, baptismus est quoddam sacramentum, ut ex supra \* dictis patet. Sed solum baptismus aquae est sacramentum. Ergo non debent poni alii duo baptismi <sup>β</sup>.

3. PRAETEREA, Damascenus, in IV libro \*, determinat plura alia genera baptismatum. Non ergo solum debent poni tria baptismata.

SED CONTRA EST quod, super illud *Heb. vi* \*, *baptismatum doctrinae*, dicit Glossa \*: *Pluraliter dicit: quia est baptismus aquae, poenitentiae, et sanguinis*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, baptismus aquae efficaciam habet a passione Christi, cui aliquis configuratur per baptismum; et ulterius, sicut a prima causa, a Spiritu Sancto. Licet autem effectus dependeat a prima causa, causa tamen superexcedit effectum, nec dependet ab effectu. Et ideo, praeter baptismum aquae, potest aliquis consequi sacramenti effectum ex passione Christi, in quantum quis ei conformatur pro Christo patiendo. Unde dicitur *Apoc. vii* \*: *Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni*.

Eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum baptismi, non solum sine baptismo aquae, sed etiam sine baptismo sanguinis: in quantum scilicet alicuius cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum et diligendum Deum, et poenitendum de peccatis; unde etiam dicitur *baptismus poenitentiae*. Et de hoc dicitur *Isaiae iv* \*: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Ierusalem*

*laverit de medio eius, in spiritu iudicii et spiritu ardoris*.

Sic igitur utrumque aliorum baptismatum nominatur baptismus, in quantum supplet vicem baptismi <sup>γ</sup>. Unde dicit Augustinus, in IV libro de *Unico Baptismo Parvulorum* \*: *Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, « Hodie mecum eris in paradiso », beatus Cyprianus non leve documentum assumit. Quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id <sup>δ</sup> quod ex baptismo deerat posse supplere: sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod alia duo baptismata includuntur in baptismo aquae, qui efficaciam habet et ex passione Christi et ex Spiritu Sancto. Et ideo per hoc non tollitur unitas baptismatis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, sacramentum habet rationem signi. Alia vero duo conveniunt cum baptismo aquae, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum baptismatis. Et ideo non sunt sacramenta.

AD TERTIUM DICENDUM quod Damascenus ponit quaedam baptismata figuralia. Sicut *diluvium*, quod fuit signum nostri baptismi quantum ad salvationem fidelium in Ecclesia, sicut *tunc paucae animae salvae factae sunt in arca*, ut dicitur *I Petr. iii* \*. — Ponit etiam *transitum maris Rubri*: qui significat nostrum baptismata quantum ad liberationem a servitute peccati; unde Apostolus dicit, *I Cor. x* \*, quod *omnes baptizati sunt in nube et in mari*. — Ponit etiam *ablutiones diversas quae fiebant in veteri lege*, praefigurantes nostrum baptismata quantum ad purgationem peccatorum. — Ponit etiam *baptismum Ioannis*, qui fuit praeparatorius ad nostrum baptismata.

α) esse. — Ante tria ponunt FHpG et abc, poni ante tria PlsG.  
β) alii duo baptismi. — alia duo baptismata PF.  
γ) baptismi. — aquae addunt IsG et editiones.

δ) id. — FI et editiones; illud EG, idem ceteri. Pro ex baptismo, bap<sup>o</sup> I, baptismo P, baptizato ceteri. Pro conversionemque, conversationemque BC, conversationem (corde) FpG, confessionemque P.

## ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM BAPTISMUS SANGUINIS SIT POTISSIMUS INTER TRIA BAPTISMATA

IV Sent., dist. iv, qu. iii, art. 3, qu<sup>a</sup> 4; Ad Heb., cap. vi, lect. i.

**A**D DUODECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus sanguinis non sit potissimus inter tria baptismata <sup>α</sup>. Baptismus enim aquae imprimi caracte-

rem. Quod quidem baptismus sanguinis non facit. Ergo baptismus sanguinis non est potior quam baptismus aquae.

2. PRAETEREA, baptismus sanguinis non valet

α) baptismata. — baptismata praedicta CE, praedicta baptismata Ha et editiones.

γ  
\* De Baptism. cont. Donatist., lib. IV, cap. xxii. — Cf. can. Baptismi vicem, de Consecr., dist. IV.

δ

\* Qu. LX, art. 1.

\* Vers. 20.

\* Vers. 2.

\* Vers. 3. sine baptismo flaminis, qui est per caritatem: dicitur enim I Cor. XIII \*: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sed baptismus flaminis valet sine baptismo sanguinis: non enim soli martyres salvantur. Ergo baptismus sanguinis non est potissimus.

\* Art. praeced. 3. PRAETEREA, sicut baptismus aquae habet efficaciam a passione Christi, cui, secundum praedicta \*, respondet baptismus sanguinis, ita passio Christi efficaciam habet a Spiritu Sancto: secundum illud Heb. IX \*: *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum obtulit semetipsum pro nobis, emundabit* <sup>β</sup> *conscientias nostras ab operibus mortuis*, etc. Ergo baptismus flaminis potior est quam baptismus sanguinis. Non ergo baptismus sanguinis est potissimus.

\* De Eccles. Dogmat., cap. XI, al. LXXIV. - Inter Opp. Aug. SED CONTRA EST quod Augustinus, *ad Fortunatum* \*, loquens de comparatione baptismatum, dicit: *Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote: martyr coram persecutore. Ille post confessionem suam* <sup>γ</sup> *aspergitur aqua: hic sanguine. Ille per impositionem manus pontificis recipit Spiritum Sanctum: hic templum efficitur Spiritus Sancti.*

\* Art. praeced. RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, effusio sanguinis pro Christo, et operatio interior Spiritus Sancti, dicuntur baptismata in quantum efficiunt effectum baptismi aquae. Baptismus autem aquae efficaciam habet a passione Christi

et a Spiritu Sancto, ut dictum est \*. Quae quidem duae causae operantur in quolibet horum trium baptismatum: excellentissime autem in baptismo sanguinis. Nam passio Christi operatur quidem in baptismo aquae per quandam figuralem repraesentationem; in baptismo autem flaminis vel poenitentiae per quandam affectionem; sed in baptismo sanguinis per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in baptismo aquae per quandam virtutem latentem; in baptismo autem poenitentiae per cordis commotionem; sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis et affectionis fervorem, secundum illud Ioan. XV \*: *Maiorem hac* <sup>δ</sup> *dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod character est res et sacramentum \*. Non autem dicimus quod baptismus sanguinis praeeminentiam habeat secundum rationem sacramenti: sed quantum ad sacramenti effectum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod effusio sanguinis non habet rationem baptismi si sit sine caritate. Ex quo patet quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis, et non e converso. Unde ex hoc <sup>ε</sup> probatur perfectior.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus sanguinis praeeminentiam habet non solum ex parte passionis Christi, sed etiam ex parte Spiritus Sancti, ut dictum est \*. <sup>ε</sup>

<sup>β</sup>) emundabit. - PFI; emundavit bc, et emundavit ceteri.  
<sup>γ</sup>) confessionem suam. - CEGa; professionem I, confessionem P, professionem suam ceteri.

<sup>δ</sup>) hac. - Om. I; pro ut, quam ut PI.  
<sup>ε</sup>) hoc. - hoc ipso I et editiones.



## QUAESTIO SEXAGESIMASEPTIMA

### DE MINISTRIS PER QUOS TRADITUR BAPTISMI SACRAMENTUM

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXVI, Introd.  
**D**EINDE considerandum est de ministris per quos traditur sacramentum baptismi\*. Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum ad diaconum pertineat baptizare.

Secundo: utrum pertineat ad presbyterum, vel solum ad episcopum.

Tertio: utrum laicus possit sacramentum baptismi conferre.

Quarto: utrum hoc possit facere mulier.

Quinto: utrum non baptizatus possit baptizare.

Sexto: utrum plures possint simul baptizare unum et eundem.

Septimo: utrum necesse sit esse aliquem qui baptizatum de sacro fonte recipiat.

Octavo: utrum suscipiens aliquem de sacro fonte obligetur ad eius instructionem.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM AD OFFICIUM DIACONI PERTINEAT BAPTIZARE

IV Sent., dist. v, qu. II, art. 1, qu. 2.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ad officium diaconi pertineat baptizare. Simul enim iniungitur a Domino officium praedicandi<sup>α</sup> et baptizandi: secundum illud Matth. ult. \*: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Sed ad officium diaconi pertinet evangelizare\*. Ergo videtur quod etiam ad officium diaconi pertineat baptizare.

2. PRAETEREA, secundum Dionysium, v cap. *Eccl. Hier.* \*, *purgare* pertinet ad officium diaconi. Sed purgatio a peccatis maxime fit per baptismum: secundum illud *Ephes.* v \*: *Mundans eam lavacro aquae<sup>β</sup> in verbo vitae*. Ergo videtur quod baptizare pertineat ad diaconem.

3. PRAETEREA, de beato Laurentio legitur\* quod, cum ipse esset diaconus, plurimos baptizabat. Ergo videtur quod ad diacones pertinet baptizare.

SED CONTRA EST quod Gelasius\* Papa dicit, et habetur in Decretis, XCIII dist. \*: *Diacones propriam constituimus observare mensuram*. Et infra: *Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi, praedictis ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut caelestium ordinum proprietates et eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, ut dicit Dionysius, vii cap. *Cael. Hier.* \*; ita etiam ex nominibus ecclesiasticorum ordinum accipi potest quid ad unumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem *diacones* quasi *ministri*: quia videlicet ad diacones non pertinet aliquod sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio praebere, sed mini-

sterium adhibere aliis maioribus in sacramentorum exhibitione. Et sic ad diaconem non pertinet quasi ex proprio officio tradere sacramentum baptismi: sed in collatione huius sacramenti et aliorum assistere et ministrare maioribus. Unde Isidorus dicit\*: *Ad diaconum pertinet assistere et ministrare sacerdotibus<sup>γ</sup> in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena et calice*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ad diaconum pertinet recitare evangelium in ecclesia, et praedicare ipsum per modum catechizantis<sup>δ</sup>: unde et Dionysius dicit\* quod diaconi habent officium super immundos, inter quos ponit catechumenos\*. Sed docere, id est exponere evangelium, pertinet proprie ad episcopum, cuius actus est *perficere*, secundum Dionysium, v cap. *Eccl. Hier.* \*; *perficere* autem idem est quod docere. Unde non sequitur quod ad diacones pertineat officium baptizandi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Dionysius dicit, II cap. *Eccl. Hier.* \*, baptismus non solum habet vim *purgativam*, sed etiam *illuminativam* virtutem. Et ideo excedit officium diaconi, ad quem pertinet solum purgare: scilicet vel repellendo immundos, vel disponendo eos ad sacramenti susceptionem.

AD TERTIUM DICENDUM quod, quia baptismus est sacramentum necessitatis, permittitur diaconibus, necessitate urgente in absentia maiorum, baptizare: sicut patet ex auctoritate Gelasii super\* inducta. Et hoc modo beatus Laurentius, diaconus existens, baptizavit.

α) praedicandi. - Evangelium addunt PIsG.  
 β) aquae. - EIsGH a et editiones; om.  
 γ) sacerdotibus. - PH et post assistere IsG; Unde... ministrare

(vel potius homoteleton ceterorum Unde... ministrare maioribus) om. EpG, maioribus sacerdotibus ceteri.  
 δ) per modum catechizantis. - PIsGH; per modum catechizandis PH, postmodum catechizandis ceteri.

\* Epist. ad Ludifred. - Cf. can. Perfectis, dist. XXV.

\* Eccl. Hier. cap. v, part. I, § 6.

\* Ibid., cap. III, part. III, § 6.

\* Part. I, § 6, 7.

\* Cap. v, part. I, § 3.

\* Arg. Sed cont.

Commentaria Cardinalis Caietani

**T**ITULUS est clarus. — In corpore omnia clara sunt. Dubium tamen unum restat, quo pacto verum sit diaconis non convenire praedicandi et baptizandi officium: cum in diaconorum ordinatione expresse dicatur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare*. Ex quo loco habetur argumentum et contra rationem Auctoris, et contra conclusionem. Contra rationem quidem, quia, dum hic exponitur ministerium diaconi respicere altare, apparet diaconos non nisi ut ministros se habere ad altare: sed respectu aliorum actuum, puta praedicandi et baptizandi, non potest inferri quod ministerialiter tantum deserviant. — Contra conclusionem autem, quia expresse attribuitur sibi et baptizare et praedicare.

II. Ad hoc dicitur quod utrumque verum est diversimode intelligendo. Nam ad diaconos spectat et baptizare

et praedicare *ex impositione*: hoc est, si ab episcopo seu presbytero sibi imponatur, ut Pelagius \* dicit, *de Consecr.*, dist. IV, cap. *Diacones* \*. Non spectat autem ad diaconos praedicare aut baptizare ex officio: ut in cap. *Constat*, *de Consecr.*, dist. IV, dicitur.

Ratio quoque litterae solida consistit, fundata super officio diaconi absolute. Ex quo enim officium eius est ministrare, infertur rationabiliter quod, si actibus superiorum se immiscet, non nisi ministerialiter ad eos se habet. Et propterea recte infertur non competere sibi ex officio praedicare aut baptizare. Cum quo tamen stat, ut dictum est, quod utrumque potest ei competere ex impositione: hoc enim ostendit ministrum ipsum esse officialium eorum qui ex officio haec possunt.

\* Gelasius.  
\* Cf. cap. *Constat* in *lin.*; et *Can. Diaconos propriam*, dist. XCIII.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM BAPTIZARE PERTINEAT AD OFFICIUM PRESBYTERORUM, VEL SOLUM EPISCOPORUM

Infra, art. 3, ad 1, 2; IV *Sent.*, dist. xvii, qu. iii, art. 3, qu<sup>a</sup> 2; dist. xxiv, qu. ii, art. 2, ad 1.



AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptizare non pertineat ad officium presbyterorum, sed solum episcoporum.

Quia, sicut dictum est \*, sub eodem praeepto iniungitur, Matth. ult. \*, officium docendi et baptizandi <sup>α</sup>. Sed docere, quod est *perficere*, pertinet ad officium episcopi: ut patet per Dionysium, v \* et vi \*\* cap. *Eccl. Hier.* Ergo et baptizare pertinet tantum ad officium episcopi.

\* Art. praeced., arg. 1; qu. LXVI, art. 5, arg. 2.  
\* Vers. 19.  
α

\* Part. I, § 6, 7.  
\*\* Part. I, § 3.

2. PRAETEREA, per baptismum annumeratur aliquis populo Christiano: quod quidem videtur ad officium solius principis pertinere. Sed principatum in Ecclesia tenent episcopi, ut dicitur in Glossa \* Luc. x \*\*: qui etiam <sup>β</sup> tenent locum Apostolorum, de quibus dicitur in Psalmo \*: *Constitues eos principes super omnem terram*. Ergo videtur quod baptizare pertineat solum ad officium episcopi.

\* Ord. Bedae.  
\*\* Vers. 1.  
β

\* Ps. XLIV, vers. 17.

\* Epist. ad Ludifred. - Cf. can. *Perlectis*, dist. XXV.

3. PRAETEREA, Isidorus dicit \* quod *ad episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris, et confectio chrismatis: ipse ordines ecclesiasticos distribuit, et sacras virgines benedicit*. Sed his omnibus maius est sacramentum baptismi. Ergo videtur quod multo magis ad officium solius episcopi pertinet baptizare.

\* Lib. II, cap. xxv, n. 9.

SED CONTRA EST quod Isidorus dicit, in libro *de Officiis* \*: *Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum*.

RESPONDEO DICENDUM quod sacerdotes ad hoc consecrantur ut sacramentum Corporis Christi conficiant, sicut supra \* dictum est. Illud autem est sacramentum ecclesiasticae unitatis: secundum illud Apostoli, I Cor. x \*: *Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus* \*. Per baptismum autem aliquis fit particeps ecclesiasticae <sup>γ</sup> unitatis: unde

\* Qu. Lxv, art. 3.

\* Vers. 17.

\* Cf. Aug. in Ioan. Evang., tract. XXVI, n. 13.  
γ

et accipit ius accedendi ad mensam Domini. Et ideo, sicut ad sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam, ad quod principaliter ordinatur sacerdotium, ita ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare: eiusdem enim videtur esse operari totum, et partem in toto disponere.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod utrumque officium, scilicet docendi et baptizandi, Dominus Apostolis iniunxit, quorum vicem gerunt episcopi: aliter tamen et aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus ut ipsi per se illud exercerent, tanquam principalissimum: unde et ipsi Apostoli dixerunt, *Act. vi* \*: *Non est aequum nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis*. Officium autem baptizandi commisit Apostolis ut per alios exercendum: unde et Apostolus dicit, I Cor. I \*: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Et hoc ideo quia in baptizando nihil operatur meritum et sapientia ministri, sicut in docendo, ut patet ex supra \* dictis. In cuius etiam signum, nec ipse Dominus baptizavit, sed *discipuli eius*, ut dicitur Ioan. iv \*. — Nec tamen per hoc excluditur quin episcopi possint baptizare: quia quod potest potestas inferior, potest et superior. Unde et Apostolus ibidem \* dicit se quosdam baptizasse.

\* Vers. 2.

\* Vers. 17.

\* Qu. LXIV, art. 1, ad 2; art. 5, 9.

\* Vers. 2.

\* I ad Cor., cap. I, vers. 14, 16.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in qualibet republica ea quae sunt minora, pertinent ad minora officia, maiora vero maioribus reservantur: secundum illud *Exod. xviii* \*: *Quidquid maius fuerit, referent <sup>δ</sup> ad te, et ipsi tantummodo minora iudicent*. Et ideo ad minores principes civitatis pertinet disponere de infimo populo: ad summos autem pertinet disponere ea quae pertinent ad maiores civitatis. Per baptismum autem non adipiscitur aliquis nisi infimum gradum in populo Christiano. Et ideo baptizare pertinet ad minores

\* Vers. 22.

δ

α) docendi et baptizandi. — PI; baptizandi et docendi ed. a, docendi et praedicandi ceteri.

β) qui etiam. — qui ante ut dicitur PI.

SUMMAE THEOL. D. THOMAE T. IX.

γ) ecclesiasticae. — PEFA; ecclesiae.

δ) referent. — referatur ed. a, referetur H, referant I et editiones.

principes Ecclesiae, idest presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi, ut dicit Glossa Luc. x \*.

\* Cit. in arg.

\* Qu. LXV, art. 3.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra \* di-

ctum est, sacramentum baptismi est potissimum necessitate: sed quantum ad perfectionem, sunt quaedam alia potiora, quae episcopis reservantur.

### ARTICULUS TERTIUS

#### UTRUM LAICUS BAPTIZARE POSSIT

II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. c, art. 2, ad 1; IV *Sent.*, dist. v, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; dist. XVII, qu. III, art. 3, qu<sup>a</sup> 2, ad 3; dist. XX, art. 1, qu<sup>a</sup> 2, ad 3; dist. XXIII, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 5.

\* Art. 2.

**A**D TERTIUM SIC PROCEditur \*. Videtur quod laicus baptizare non possit. Baptizare enim, sicut dictum est \*, proprie pertinet ad ordinem sacerdotalem. Sed ea quae sunt ordinis, non possunt committi non habenti ordinem. Ergo videtur quod laicus, qui non habet ordinem, baptizare non possit.

2. PRAETEREA, maius est baptizare quam alia sacramentalia baptismi perficere: sicut catechizare et exorcizare et aquam baptismalem benedicere. Sed haec non possunt fieri a laicis, sed solum a sacerdotibus \*. Ergo videtur quod multo minus laici possint baptizare.

\* D. 320, 591.

3. PRAETEREA, sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et poenitentia. Sed laicus non potest absolvere in foro poenitentiali. Ergo neque potest baptizare.

\* Primus. - Cf. can. *Diaconos propriam*, dist. XCIII.  
\* *De Ecclesiast. Offic.* lib. II, cap. XXV, n. 9. - Cf. can. *Constat baptismi*, de *Consecr.*, dist. IV.  
\* *I ad Tim.*, cap. II, vers. 4.

SED CONTRA EST quod Gelasius Papa \* et Isidorus \* dicunt, quod *baptizare, necessitate imminente, laicis Christianis plerumque conceditur.*

RESPONDEO DICENDUM quod ad misericordiam eius qui *vult omnes homines salvos fieri* \*, pertinet ut in his quae sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem alia <sup>α</sup> sacramenta maximae necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem: quia pueris aliter <sup>β</sup> subveniri non potest; et adulti non possunt aliter quam per

α

β

α) *alia*. - Om. PsI.  
β) *aliter*. - omnino addunt P hic et sG post *potest*.  
γ) *communis*. - *Alias, communissima* margo P. - Ante *haberi* I et editiones addunt *de facili*.

δ) *etiam*. - Om. Pc.  
ε) *per nihil*. - Tertia; *principalis per nihil* EF, *principalis ceteri*; a prosequitur: *per aliud suppleri non potest*.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulis secundo et tertio hoc solum pro novitiis notandum est, quod, cum in calce secundi articuli dicitur, *Effectus baptismi per nihil aliud suppleri potest*, intelligendum est de integro effectu baptismi. Integer siquidem effectus baptismi claudit in se characterem. Et propterea,

licet gratia, cum remissione totius culpae et poenae, possit sine baptismo suppleri, ut patet in Latrone \*, character tamen suppleri non potest: - et hoc, loquendo de potentia ordinata sub divinae dispositionis providentia.

\* Luc. cap. XXIII, vers. 43.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM MULIER POSSIT BAPTIZARE

\* Vide Comm. Caiet. post art. 5.

\* Quarto, can. xcix, c.

α

\* Vers. 35.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR\*. Videtur quod mulier non possit baptizare. Legitur enim in Carthaginensi Concilio\*: *Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere, vel alios<sup>α</sup> baptizare non praesumat.* Sed nullo modo licet mulieri docere in conventu: secundum illud I Cor. xiv\*: *Turpe est mulieri in ecclesia loqui.* Ergo videtur quod nec etiam aliquo modo liceat mulieri baptizare.

2. PRAETEREA, baptizare pertinet ad officium praelationis: unde a sacerdotibus habentibus curam animarum debet accipi baptismus. Sed hoc non potest competere feminae<sup>β</sup>: secundum illud I Tim. ii\*: *Docere mulieri non permitto, nec dominari in viros<sup>γ</sup>, sed subditam esse.* Ergo mulier baptizare non potest.

β

\* Vers. 12.

γ

\* In Ioan. Evang. tract. XI, n. 6.

\*\* Vers. 4.

3. PRAETEREA, in spiritali regeneratione videtur aqua habere locum materni uteri: ut Augustinus dicit\*, super illud Ioan. iii\*\*, *Nunquid homo potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci?* Ille autem qui baptizatur, videtur magis habere patris officium. Sed hoc non competit mulieri. Ergo mulier baptizare non potest.

\* Secundus.

\* Can. Super quibus.

SED CONTRA EST quod Urbanus Papa\* dicit, et habetur in Decretis, XXX, qu. iii\*: *Super quibus consuluit nos tua Dilectio, hoc videtur nobis hac sententia respondendum: ut baptismus sit si, necessitate instante, femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.*

\* Vers. 33.

\* Ad Galat., cap. iii, vers. 28. - Cf. ad Coloss., cap. iii, vers. 11.

RESPONDEO DICENDUM quod Christus est qui principaliter baptizat: secundum illud Ioan. i\*, *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat.* Dicitur autem Coloss. iii\* quod *in Christo non est masculus neque femina.*

α) alios. - aliquos PI.  
β) feminae. - mulieri editiones.  
γ) viros. - virum P.

Et ideo, sicut masculus laicus potest baptizare, quasi minister Christi, ita etiam et femina.

Quia tamen *caput mulieris est vir, et caput viri Christus*, ut dicitur I Cor. xi\*; non debet mulier baptizare si adsit copia viri. Sicut nec laicus praesente clerico, nec clericus praesente sacerdote. Qui tamen potest baptizare praesente episcopo: eo quod hoc pertinet ad officium sacerdotis.

\* Vers. 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut mulieri non permittitur publice docere, potest tamen privata doctrina vel monitione aliquem instruere; ita non permittitur publice et solemniter baptizare, sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quando baptismus solemniter et ordinate<sup>δ</sup> celebratur, debet aliquis sacramentum baptismi suscipere a presbytero<sup>ε</sup> curam animarum habente, vel ab aliquo vice eius. Hoc tamen non requiritur in articulo necessitatis, in quo potest mulier baptizare.

δ

ε

AD TERTIUM DICENDUM quod in generatione carnali masculus et femina operantur secundum virtutem propriae naturae: et ideo femina non potest esse principium generationis activum, sed passivum tantum\*. Sed in generatione spiritali neuter operatur virtute propria, sed instrumentaliter tantum per virtutem Christi. Et ideo eodem modo potest et vir et mulier in casu necessitatis baptizare.

\* D. 661.

Si tamen mulier extra casum necessitatis baptizaret, non esset rebaptizandus: sicut et de laico dictum est\*. Peccaret tamen ipsa baptizans, et alii qui ad hoc cooperarentur, vel baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquem offerendo.

\* Art. 3, ad 1.

δ) ordinate. - ordinarie PEGHI.  
ε) a presbytero. - E et tertia; a sacerdote F, om. ceteri.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM ILLE QUI NON EST BAPTIZATUS, POSSIT SACRAMENTUM BAPTISMI CONFERRE

IV Sent., dist. v, qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup> 3.

\* Cf. qu. LXIV, art. 5, arg. 1.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ille qui non est baptizatus, non possit sacramentum baptismi conferre. *Nullus enim dat quod non habet\**. Sed non-baptizatus non habet sacramentum baptismi. Ergo non potest ipsum conferre.

2. PRAETEREA, sacramentum baptismi confert aliquis in quantum est minister Ecclesiae. Sed ille qui non est baptizatus, nullo modo pertinet ad Ecclesiam, scilicet nec re nec sacramento. Ergo non potest sacramentum baptismi conferre.

3. PRAETEREA, maius est sacramentum conferre quam suscipere. Sed non-baptizatus non potest alia sacramenta suscipere. Ergo multo minus potest aliquod sacramentum conferre.

SED CONTRA EST quod Isidorus dicit\*: *Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat.* Sed ille qui est baptizatus, non dicitur paganus. Ergo non<sup>α</sup> baptizatus potest conferre sacramentum baptismi.

\* Cf. can. Si quis per ignorant., caus. I, qu. 1; can. Romanus Pontifex, de Consecr., dist. IV.

α

α) non. - Ea; etiam nec pG, etiam non F et cetera tertia, om. ceteri.

RESPONDEO DICENDUM quod hanc quaestionem Augustinus indeterminatam reliquit. Dicit enim, in II *contra Epistolam Parmeniani* \*: *Haec quidem alia quaestio est, utrum et <sup>β</sup> ab his qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid hinc temere affirmandum est, sine auctoritate tanti sacri concilii quantum tantae rei sufficit.* Postmodum vero per Ecclesiam determinatum est quod non-baptizati, sive sint Iudaei sive pagani, possunt sacramentum baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesiae baptizent <sup>γ</sup>. Unde Nicolaus Papa \* respondet *ad Consulta Bulgarorum* \*: *A quodam nescitis Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis. Hi si <sup>δ</sup> in nomine Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent.* Si autem forma Ecclesiae non fuerit observata, sacramentum baptismi non confertur. Et sic intelligendum est quod Gregorius II \* \* scribit Bonifacio Episcopo \*: *Quos a paganis baptizatos asseruisti, scilicet Ecclesiae forma non servata, ut de novo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.*

Et huius ratio est quia, sicut ex parte materiae, quantum ad necessitatem sacramenti, sufficit quaecumque aqua, ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo. Et ideo etiam non-baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest. Ut sic duo non-baptizati se invicem baptizent,

dum prius unus baptizaret alium, et postea baptizaretur ab eodem: et consequeretur uterque non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti. Si vero extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, scilicet baptizans et baptizatus, et per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod homo baptizans adhibet tantum exterius ministerium: sed Christus est qui interius baptizat, qui potest uti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit. Et ideo non-baptizati possunt baptizare: quia, ut Nicolaus Papa \* dicit, *baptismus non est illorum, scilicet baptizantium, sed eius, scilicet Christi.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod ille qui non est baptizatus, quamvis non pertineat ad Ecclesiam re vel sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione et similitudine actus, in quantum scilicet intendit facere quod facit Ecclesia, et formam Ecclesiae servat in baptizando, et sic operatur ut minister Christi, qui virtutem suam non alligavit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.

AD TERTIUM DICENDUM quod alia sacramenta non sunt tantae necessitatis sicut baptismus. Et ideo magis conceditur quod non-baptizatus possit baptizare, quam quod possit alia sacramenta suscipere.

\* Cap. XIII.

β

γ

\* Primus.

\* Can. A quodam, de Consecr., dist. IV.

\* Greg. III. Vide not. Sirmondi ad hanc ep. (Lab. Concil. VI, 1409). \* Can. Quos a paganis, de Consecr., dist. IV.

β) et. — Tertia praeter H; etiam H, quidem ed. a, autem et ceteri. — Pro hinc temere, temere inde P. — Pro tanti sacri, tanti sacramenti F, sacri EGHbc, tanti PL. — Pro concilii, consilii EI; Alias, consilii margo P.

γ) baptizent. — Tertia praeter I; baptizetur I, baptizarent ceteri. δ) respondet... Hi si. — respondet de Consecr. dist. IV c. a. (c. a.

om. P) ad consultationem (consulta Pc) Bulgatorum (Vulgatorum c, Bulgar. c. 3. P): A quodam Iudaeo, nescitis utrum... asseritis baptizatos, et quid inde sit agendum consilii. Hi profecto si editiones; etiam Ea addunt utrum post nescitis.

ε) II — servus E, papa II F, om. Ia, secundo P. — Post baptizatos IsG et editiones addunt esse.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulis quarto et quinto dubium occurrit commune multis articulis: An baptizare extra necessitatis casum eo modo quo in necessitatis casu licet, sit peccatum mortale; verbi gratia, si laicus extra casum necessitatis baptizaret; aut si unus baptizaret duo simul dicendo, *Ego baptizo vos*, quod in casu necessitatis licitum dicitur \*; et sic de aliis similibus Ecclesiae ordinationibus erga baptismum non servatis. Et est ratio dubii quia Auctor, hoc tractans, in calce corporis articuli quinti dicit quod *graviter peccaret uterque, scilicet baptizans et baptizatus, et per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur sacramentum.* Ubi apparet ipsum sentire quod est peccatum mortale: quoniam baptismi effectus non impeditur nisi per peccatum mortale.

II. Ad huius evidentiam, scito Scotum, in IV *Sent.*, dist. VI \*, sonare quod baptizans plures simul extra articulum necessitatis, dicendo, *Ego baptizo vos*, peccat mortaliter, quia non servat formam impositam sibi ab Ecclesia.

Si tamen diligenter perspectum fuerit, et distinctum peccatum mortale dupliciter hic inveniri posse, aut secundum se, hoc est ex suo genere, aut ex Ecclesiae praecepto: cum mutationes aut omissiones huiusmodi non constituent actum sacrilegum secundum se (quod ex eo patet quod, si actus esset secundum se sacrilegus, in nulla necessitate esset licitus), restat ut aliunde peccatum hoc sit mortale, si mortale est. Ex triplici autem capite hoc dici posset: vel ex inobedientia, et sic ad hoc quod esset mortale, exigeretur contemptus; vel ex praesumptione, puta quia laicus praesumit actum sacerdotis; vel ex modo institutionis ecclesiasticae, puta quia ritus talis servatur ut quasi necessarius, sicut sacrae vestes exiguntur in consecratione Eucharistiae.

Ex quibus apparet quod solemniter baptizans tenetur sub peccato mortali servare ritum Ecclesiae. — Quod non ita intelligas ut cuiuslibet caeremoniae ommissio sit peccatum mortale.

Similiter, si laicus solemniter baptizare praesumeret, a mortali non excusaretur.

Sed ubi absque solemnitate baptizaret, et contemptus atque praesumptio deessent, extra necessitatis articulum, puta quia credunt se bene facere, mortale peccatum non video. Immo Innocentius III a veniali etiam peccato excusat eum qui, credens se bene facere, baptizavit seipsum. Dicit enim in cap. *Debitum*, Extra, de *Baptismo et eius effectu*, de Iudaeo in mortis articulo baptizante seipsum: *Si talis continuo decessisset, ad patriam protinus evolasset.* Ex quo loco argumentum sumitur magnum quod, si error commissus circa baptismum tantus ac talis ut tollat baptismum, qualis est error baptizantis seipsum, excusatur non solum a mortali, sed etiam a veniali, propter conditionem personae (alioquin non esset verum quod statim ad patriam evolasset): multo magis opinio ignorantis se bene facere excusabit a mortali baptizantem servatis substantialibus, et errantem solum in hoc quod necessitatis articulo non arctatur.

Nec verba Auctoris hic docent oppositum: quoniam baptismi effectus plenus impeditur ex peccato veniali. Peccans enim venialiter dum baptizatur, nec omnis poenae nec omnis culpae remissionem adipiscitur, quamvis gratiam consequatur.

Posset quoque dici quod Auctor de praesumentibus, et non de simpliciter facientibus intelligitur.

\* Art. 6, ad 2.

\* Qu. II.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PLURES POSSINT SIMUL BAPTIZARE

Supra, qu. LXVI, art. 5, ad 4; IV *Sent.*, dist. III, art. 2, qu<sup>a</sup> 2, ad 2; dist. VI, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 3.

\* Vide Comm. Caiet. post art. 5.  
α

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod plures possint simul <sup>α</sup> baptizare. In multitudine enim continetur unum, sed non convertitur. Unde videtur quod quidquid potest facere unus, possint facere multi, et non e converso: sicut multi trahunt navem quam unus trahere non posset. Sed unus homo potest baptizare. Ergo et plures possunt simul unum baptizare.

β 2. PRAETEREA, difficilius est quod unum <sup>β</sup> agens agat in plura quam quod plures agentes agant simul in unum. Sed unus homo potest simul baptizare plures. Ergo multo magis plures possunt simul unum baptizare.

γ 3. PRAETEREA, baptismus est sacramentum maximae necessitatis. Sed in aliquo casu videtur esse necessarium quod plures simul unum baptizarent: puta si aliquis parvulus esset in articulo mortis, et adessent duo quorum alter esset mutus, et alter manibus et brachiis careret; tunc enim oporteret quod mutilatus verba proferret, et mutus baptismum <sup>γ</sup> exerceret. Ergo videtur quod plures possint simul unum baptizare.

SED CONTRA EST quod unius agentis una est actio. Si ergo plures unum baptizarent, videretur sequi quod essent plures baptismi. Quod est contra id quod dicitur *Ephes. IV* \*: *Una fides, unum baptisma.*

\* Vers. 5.  
RESPONDEO DICENDUM quod sacramentum baptismi praecipue habet virtutem ex forma, quam Apostolus nominat *verbum vitae*, *Ephes. V* \*. Et ideo considerare oportet, si plures unum simul baptizarent, qua forma uterentur. Si enim dicerent, *Nos te baptizamus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, dicunt quidam \* quod non conferretur sacramentum baptismi eo quod non servaretur forma Ecclesiae, quae sic habet, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. — Sed hoc excluditur per formam baptizandi qua utitur Ecclesia Graecorum. Possent enim dicere, *Baptizatur* <sup>δ</sup> *servus Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, sub qua forma Graeci baptismum suscipiunt: quae tamen forma multo magis dissimilis est formae qua nos utimur, quam si diceretur, *Nos te baptizamus*.

δ Sed considerandum est quod ex tali forma, *Nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio quod plures conveniunt ad unum baptismum conferendum. Quod quidem videtur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat nisi

ut minister Christi et vicem eius gerens; unde, sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum qui Christum repraesentet. Propter quod signanter Apostolus dicit, *Ephes. IV* \*: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum.

\* Vers. 5.  
Si vero uterque diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, uterque exprimeret suam intentionem quasi ipse singulariter baptismum conferret. Quod posset contingere in eo casu in quo contentiose uterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est quod ille qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum. Alius vero, quantumcumque ius <sup>ε</sup> baptizandi haberet, etsi verba pronuntiare praesumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator. Si autem omnino simul <sup>ζ</sup> verba proferrent et hominem immergerent aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, et non de iteratione baptismi: quia uterque intenderet non-baptizatum baptizare, et uterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderent aliud et aliud sacramentum: sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret.

ε AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa locum habet in his quae agunt propria virtute. Sed homines non baptizant propria virtute, sed virtute Christi, qui, cum sit unus, per unum ministrum perficit suum opus.

ζ AD SECUNDUM DICENDUM quod in casu necessitatis unus posset simul plures baptizare sub hac forma, *Ego vos baptizo*: puta si immineret ruina aut gladius aut aliquid huiusmodi, quod moram omnino non <sup>η</sup> pateretur, si singillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiae, quia plurale non est nisi singulare geminatum: praesertim cum pluraliter dicatur, *Matth. ult.* \*, *Baptizantes eos*, etc. — Nec est simile de baptizante et baptizato. Quia Christus, qui principaliter baptizat, est unus: sed multi per baptismum efficiuntur unum in Christo.

\* Vers. 19.  
AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, integritas baptismi consistit in forma verborum et in usu materiae. Et ideo neque ille qui tantum verba profert baptizat, neque ille qui immergit. Et ideo, si unus verba proferat et alius immergit <sup>θ</sup>, nulla forma verborum poterit esse conveniens. Neque enim poterit dici <sup>ι</sup>, *Ego te baptizo*: cum ipse non immergat, et per conse-

\* Halens. *Sum. Theol.* part. IV, qu. VIII, memb. 6, art. 7.

α) simul. — unum addunt PEa.  
β) unum. — unus ed. a.  
γ) baptismum. — actum (actus bc) baptismi I et editiones.  
δ) Baptizatur. — Baptizetur Pa; cf. qq. LX. art. 8. δ, LXVI. art. 5. t.  
ε) ius. — vis E, intentionem bc et per Alias margo P. Post haberet tertia addit nihil faceret.

ζ) simul. — ambo addunt E et tertia praeter H. — et hominem tertia; aut hominem.  
η) moram omnino non. — EFGIsB et a; moram omnino ACDpB, omnino moram non PHbc. Pro si, ut PEGI.  
θ) immergit. — immergat tertia.  
ι) dici. — dicere ed. a. Mox pro dicere, dici P.



quens non baptizet. Neque etiam poterit dicere, *Nos te baptizamus*: cum neuter baptizet. Si enim duo sint quorum unus unam partem libri scribat

et alius aliam, non est propria locutio, *Nos scripsimus librum istum*, sed synecdochica, in quantum totum ponitur pro parte.

Commentaria Cardinalis Caietani

**T**ITULUS ut sonat. — In corpore articuli est una distinctio de forma qua plures simul baptizantes possent uti. Altera est: *Nos te baptizamus*. Altera est ut uterque diceret: *Ego te baptizo*. Et primo, examinatur et respondetur quaesito iuxta primam formam; secundo, iuxta secundam.

Quoad *primum*, recitatur opinio una dicentium non valere baptismum si plures dicant, *Nos te baptizamus*, quia non servatur forma Ecclesiae, quae habet quod in singulari persona ministri exprimat, dicendo, *Ego te baptizo*.

Deinde contra hanc rationem Auctor arguit, immo eam excludit, ex multo maiori recessu formae Graecorum a forma nostra. Et stat ratio in hoc, quod ad tollendam veritatem baptismi non sufficit recessus ab ista forma, *Ego te baptizo*, quia, si recessus sufficeret, apud Graecos non esset baptismus. Quoniam forma eorum multo magis recedit ab hac nostra quam recedat ista, *Nos te baptizamus*: cum hic non mutetur nisi singulare in plurale; ibi vero omnino omittitur persona ministri, et in tertia persona exprimitur actus, dicendo, *Baptizetur* etc.

Demum aliam rationem reddit Auctor ex parte intentionis explicitae: scilicet quia hac forma, *Nos te baptizamus*, explicatur intentio ministrorum quoad hoc quod plures conveniunt ad unum baptismum conferendum. Ex quo formatur talis ratio. Homo non baptizat nisi ut minister Christi. Ergo oportet ministrum esse unum, ut Christi unitatem repraesentet. Sed in dicta forma explicatur contrarium: quia explicatur pluralitas ministrorum. Ergo dicta forma videtur tollere baptismum. — Et confirmatur huiusmodi unitas auctoritate Apostoli Pauli.

Quoad *secundum*, ponuntur duo modi quibus hoc contingere posset. Scilicet, vel altero praeviente reliquum. Et sic dicitur quod solus praeviens baptizaret. — Vel utroque simul concurrente. Et sic dicitur quod Christus per utrumque unum baptismum conferret.

II. Circa ea quae hic dicuntur, advertet primo, dupliciter contingere duos simul baptizare: vel utroque totum faciente et dicente; vel altero dicente et altero faciente. Auctor secundum modum reservat tractandum hic in responsione ad ultimum. De primo autem modo tantum loquitur in hoc corpore articuli.

Advertet secundo, rationem litterae ad concludendum irritam esse formam illam, *Nos te baptizamus*, non afferri ab Auctore assertive, sed opinative: ut sua monstrant verba, etiam replicata, dum dicit, *Quod quidem videtur esse contra rationem ministri*, et postea subdit, *Ideo contraria intentio videtur excludere sacramentum*.

Advertet tertio, Auctorem superius, qu. LXVI, art. 5, ad 4, afferre duas alias rationes ad excludendam eandem formam, scilicet, *Nos te baptizamus*. Prima ratio est, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Sed baptismus est actus ab unoquoque baptizante perfectus. Ergo unus baptismus non est a duobus. — Secunda ratio est, quia mutaretur forma baptismi dicendo, *Nos baptizamus*: quia dicere *nos* non est idem dicere quod *ego et ego*, sed, *ego et iste*. — Quae ideo repetita hic sunt a me, quia superius \* ad hunc locum me remisit.

III. Circa hanc doctrinam dubium primo occurrit ex Durando, in IV *Sent.*, dist. III, qu. III, art. 2 \*. Primo enim, contra omnes dictas rationes Auctoris procedit. Et primam quidem rationem, *Actus multiplicatur* etc. \*, dicit non concludere in agentibus per voluntatem: et eam militare contra Auctorem ponentem \* plures sacerdotes posse simul consecrare eandem hostiam. Par enim est utrobique iudicium quoad multiplicationem actus ab agente.

Secundam vero rationem, de mutatione formae \*, dicit

non cogere \*: quia mutatio formae quantum ad illud quod non est de necessitate formae, non tollit sacramentum. Sic autem est in proposito. Tum quia expressio ministri non est de necessitate formae baptismalis: ut patet de forma Graecorum. Ergo multo minus est de necessitate eius expressio ministri in singulari numero. — Tum quia haec forma, *Nos te baptizamus*, prolata ab utroque, ex parte cuiuslibet dicentis resolvitur in istam, *Ego baptizo te*: ubi nulla apparet mutatio secundum sensum a forma Romanae Ecclesiae. — Et Petrus de Palude, in IV *Sent.*, dist. III, qu. II, art. 3, approbans haec Durandi, adiungit quod, sicut forma illa, ut profertur ab isto, resolvitur in hanc, *Ego te baptizo et hic baptizat*, sic e converso, ut profertur ab altero, resolvitur in hanc, *Ego baptizo et hic baptizat*. Ac per hoc, servatur forma Ecclesiae Romanae quoad sensum: quia uterque dicit, secundum sensum, *Ego baptizo te* etc.

Contra tertiam autem rationem, de expressione plurium ministrorum \*, arguit Durandus tripliciter \*\*. Primo. Unitas ministri vel exigitur ad baptismum secundum rem: aut secundum expressionem, puta quod quilibet minister exprimat se ut unum. Non potest dici primum: quia tumet dicis quod duo simul possunt baptizare eundem, si uterque dicat, *Ego te baptizo*. — Secundum autem non est rationale. Tum quia expressio ministri non est de necessitate sacramenti. — Tum quia, si oportet ministrum exprimi secundum congruentiam ad principale agens, ut tu assumis, cum principale agens sit Trinitas, congruentius exprimi deberet minister in numero plurali. — Tum quia modus exprimendi ministrum nihil videtur facere ad sacramentum: sufficit enim principale agens et actum exprimere.

IV. Contra conclusionem dictam \*, scilicet, *Si baptismus a pluribus datur dicentibus, Nos te baptizamus, non valet baptismus*, arguit Petrus de Palude, ibidem \*. Tum quia, quando plures uxores poterant simul nubere uni viro, non referebat an quaelibet diceret, *Accipio te in virum*, an, *Nos accipimus te in virum*: secundum illud Isaiae IV \*: *Invocetur nomen tuum super nos*, etc.

Tum quia, dicendo *Baptizamus te*, magis exprimitur unitas baptismi quam utroque dicente uni, *Ego te baptizo*: apparet enim singulos seorsum baptizare, ac per hoc distinctos duos baptismos conferre. Dicendo autem, *Baptizamus*, apparet convenire in unum baptismum. — Et confirmatur. Quia, sicut de essentia est expressio actus, ita saltem de congruentia est expressio unitatis vel pluralitatis actus.

Tum quia, duobus existentibus officialibus in solidum, et ambobus volentibus idem facere simul, congruentius est ut dicant *Mandamus*, aut *Pronuntiamus*, quam ut quilibet per se dicat *Mando*, aut *Pronuntio*.

Tum quia plurale non est nisi geminatum singulare: idem enim sensus est dicere, *Socrates et Plato currunt*, et dicere, *Socrates currit et Plato currit*. Et pari ratione idem est in prima persona. Et quia verba sacramentalia efficiunt quod significant, quae aequipollent in significando, aequipollent etiam in efficiendo.

Tenentque propterea Durandus et Petrus oppositam conclusionem: quamvis timor reverentialis Petrum cohibeat.

V. Circa Auctoris processum, dubium occurrit de sufficientia \*. Videtur enim insufficienter tractare quaestionem hanc, dum, discutiendo formas quibus uti possent plures simul baptizantes unum, non discurrit nisi per formas seu formam secundum ritum Romanae Ecclesiae. Debuisset enim discutere eandem quaestionem secundum formam qua utitur Ecclesia Graeca, et determinare an secundum illam formam possent multi simul baptizare unum.

\* Cf. num. XIII.

\* Num. I, *Demum*.

\*\* Cf. num. XIV.

\* Num. I, *Demum*.

\* Loc. cit. in num. III. — Cf. num. XV.

\* Vers. I.

\* Ibid., *Comm.* num. II.

\* Cf. num. XII.

\* Num. praec., *Adverte tertio*.

\* Qu. LXXXII, art. 2.

\* Num. praec., *Adverte tertio*.

\* Cf. num. XVII.

\* Num. 1, *Quoad secundum.*

\* Cf. num. xviii.

VI. Circa secundum modum \*, concessum communiter, quo plures possunt simul baptizare unum, scilicet quolibet baptizante dicente, *Ego te baptizo*, dubium restat \*, quomodo fieri aut intelligi potest duo agentia totalia, quamvis instrumentalia, eiusdem rationis, producere efficaciter simul unum effectum non intensum aut perfectum magis quam si ab uno eorum tantum produceretur; et hoc in subiecto capaci perfectioris seu intensioris effectus, quale est anima nostra; et de effectu suscipiente magis et minus, qualis est gratia. Videtur enim non intelligibile.

\* Cf. num. seq.

\* Qu. II, in fine.

\* Loc. cit. in num. III.

\*\* Loc. cit. ibid.

VII. Circa principale quaesitum dubium adhuc restat, an baptismus de necessitate sacramenti exigit unitatem ministri \*. Ex hac enim littera non habetur responsio simpliciter et absolute: sed tantum habetur quod secundum unam formam possunt plures conferre unum baptisma, et secundum aliam formam non. Scotus autem dicit, in VI dist. IV *Sent.* \*, quod unitas ministri est ab institutione Christi; Durandus vero asserit oppositum \*; Petrus autem dicit \*\* quod unitas ministri non est de substantia sacramenti, ut dicunt communiter omnes. Ex quibus apparere potest quaestionem hanc remanere dubiam.

\* Num. praec.

\* Cf. num. seq.

VIII. Ad has dubitationes sic respondendum est ut primo dicatur ad ultimam \*, tanquam eam ex cuius claritate reliquarum solutio facilius percipietur. Ad evidentiam autem quaestionis ultimae, dicendum primo est quid est hic manifestum, et quid occultum \*. Duobus igitur modis intelligi potest unitas ministri. Vel quod unitas ministri non possit integrari ex pluribus personis: ita quod non possit contingere in ministro quod unus totalis minister consurgat ex multis partialibus personis comministrantibus; puta sicut perfectus tractor navis integratur ex multis simul trahentibus, vel sicut perfectus fabricator integratur ex multis partialibus ministeriis. Et sic in hoc communiter doctores conveniunt, tenendo partem negativam, scilicet quod unitas ministri baptismi non potest consurgere ex pluribus personis partialiter concurrentibus \*. Propterea enim dicunt quod, si unus abluat et alter profert verba, baptismus nullus est: oppositum enim esset si minister baptismi ex duabus personis partialiter concurrentibus integrari posset.

\* Cf. num. x.

Alio autem modo unitas ministri potest intelligi per exclusionem plurium totalium ministrorum: puta, an baptismus ita exigit unum totalem ministrum quod, si duo totales ministri simul concurrant, baptismus nullus sit. Et in hoc quoque sensu conveniunt communiter doctores, tenentes partem negativam, scilicet quod non requirit baptismus talem unitatem ministri. Propterea enim dicunt quod, si duo simul proferant singuli verba et abluant eundem, baptismus verus est, quia neuter alterius factum irritat. — Haec duo sunt quae pro manifestis habentur.

\* Loc. cit. in num. III.

IX. Latet autem an, absolute loquendo, unitas et pluralitas ministri per accidens se habeant vel per se ad sacramentum baptismi. Durandus enim tenet \* quod per accidens. Auctor autem tenet quod per se. Et hoc est verum. Quod ex eo evidenter patet quod manifeste per accidens, etiam extraneum, contingit unum baptismum esse a duobus ministris: nulla enim ratio id requirit, quamvis permittat.

\* Num. II, *Adverte tertio.*

Amplius, quando baptismus est a pluribus ministris, non est omnino unus. Quoniam sunt tunc duae formae numero, duae materiae et actiones numero: ac per hoc, duo baptismi sacramenta active; et solus interior baptismus animae unus est. Patet autem hoc: quia sacramentum baptismi integratur ex rebus, et verbis a ministro, etc.; sed in casu proposito sunt duo numero integrata ex rebus et verbis, etc.; ergo sunt duo sacramenta active. Unum ergo numero baptismi sacramentum unum ministrum exigit. Et hoc est quod Auctoris prima ratio \* concludit: quod scilicet actus multiplicatur a multiplicatione agentium totalium; seu, quod idem est, si perfecte ab unoquoque fiat. Unde *cohibenda est lingua* dicentium accidere sacramento unitatem vel pluralitatem ministrorum. Quoniam pluralitas ministrorum partialium communiter excluditur: pluralitas vero ministrorum totalium pluralitatem numeralem exterioris sacramenti infert, et omnino per accidens invenitur ad unum numero effectum sacramenti.

Mirabile autem est non advertisse ad propriam vocem. Nam si subtiliter perspectum fuerit, apparebit quod impossibile est unum et idem sacramentum baptismi esse a duobus totalibus ministris, quamvis ponatur unum et eundem effectum esse ab utrisque. Quanta enim differentia est inter baptismum et eius effectum, tanta differentia est inter affirmationem unius vel plurium baptismatum, et unius vel plurium effectuum baptismi. Et propterea, cum baptismi sacramentum non sit nisi exterius integratum ex rebus et verbis, puta ex ablutione in aqua et forma verborum a ministro cum debita intentione; et hic sint omnia exteriora active et passive duplicata, sunt enim duo perfecti ministri cum duabus intentionibus baptizandi, sunt duae formae, sunt duae ablutiones activae et duae passivae, ut patet si aspergatur qui baptizatur secundum diversas sui partes: — breviter, nihil deest ad pluralitatem totalem nisi pluralitas baptizati. Cuius unitas unitatem effectui baptismi dare potest: pluralitatem autem exterioris sacramenti non tollit. Notanter autem dixi, *pluralitatem totalem*: quia qui baptizatur licet secundum partem abluatur, ipsum tamen suppositum est quod primo abluatur, baptizatur enim hic homo, et non caput eius; ac per hoc, licet secundum exteriores partes sint duae ablutiones passivae, secundum tamen subiectum quod abluatur, non est nisi una ablutio passiva, quia non est nisi unus ablutus. Et propterea dicitur quod non est nisi unus baptismus passive in eo qui baptizatur a duobus modo dicto.

Ex quibus omnibus habetur quod unitas per se baptismi unitatem exigit ministri perfecti.

X. Sed qua ratione aut auctoritate cogente unitas ministri excludit pluralitatem partialium comministrantium, videndum restat. Auctor siquidem ex duobus capitibus conatur hoc monstrare: scilicet ex parte formae, ut patet in secunda ratione \*; et ex parte unitatis principalis agentis, scilicet Christi, ut patet in tertia ratione \*.

Auctoritas vero duplex inducitur \*: altera ex Decretis, dist. XXIII, cap. *Quorundam*, ubi ordo sacer datus ab episcopo operante et presbytero legente irritatur; altera ex Evangelio, eo quod Dominus baptizanti commisit invocationem Trinitatis \*.

In oppositam autem partem affertur ratio, quia *omnes sumus unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra* \*; ac per hoc, multi partialiter concurrentes concurrunt ut unum; immo concurrunt ut multa instrumenta unius, scilicet Christi. Et hoc praecipue habet locum in proposito, ubi constat quod *Christus est qui baptizat* \*, et homo non nisi ministerialiter ut Christi instrumentum concurrat.

Et confirmatur. Quia si Christus utitur totalibus ministris ad unum baptisma, contra omnem rationem, multo magis credendum est quod utitur pluribus ministris partialibus ad unum baptismum, necessitate aut ratione ita exigente.

Suffragatur et Evangelii auctoritas \*. Quoniam Dominus dixit pluraliter, *baptizantes eos*, insinuans per pluralem numerum plures posse simul baptizare.

Nec deest auctoritas Apostolorum. Quoniam de Petro et Ioanne legitur \* quod *imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum*. Eadem enim ratione quae plures simul conferebant sacramentum confirmationis, partialiter procul dubio concurrentes, quia nihil inordinatum faciebant, potest et nunc a pluribus simul partialiter baptismus dari.

XI. In hac difficultate neutram audeo partem asserere. Intellectui autem meo magis apparet verum esse quod perfectus minister baptismi potest ex duabus personis partialiter concurrentibus integrari: ea ratione quia ad Christum, principaliter baptizantem, non refert pluribus partialibus instrumentis simul uti ad unum baptisma, dummodo forma, materia et intentio debita serventur.

Et ad obiecta ex rationibus Auctoris patebit in ipsarum discussione ac declaratione \*.

Ad auctoritatem autem ex Decretis \* dicitur primo, quod ibi non irritatur ordo susceptus: immo potius insinuat oppositum, dum dicitur: *Gradum sacerdotii vel levitici ordinis, quem perverse adepti sunt, amittant*. — Dicitur se-

\* Num. II, *Adverte tertio.*

\* Num. 1, *De-num.*

\* Cf. num. seq.

\* Matth. cap. xxviii, vers. 19.

\* Ad Rom., cap. xii, vers. 5.

\* Ioan. cap. I, vers. 33; Aug. in Ioan. Evang. tract. VI.

\* Loc. prox. cit.

\* Act. cap. viii, vers. 17.

\* Cf. num. xii sqq.

\* Num. praeced., *Auctoritas.*

cundo, dato quod irriteretur, quod, duobus commissis in illa ordinatione erroribus ibi recitatis, scilicet quod episcopus imponebat manus et alius benedictionem dabat seu legebat, et quod istorum duorum unus erat episcopus et alter presbyter, littera non explicat pro causa damnationis magis primum errorem quam secundum. Deberet enim minister ordinis sacri, si ex duabus integraretur personis, consurgere ex duobus episcopis, et non ex episcopo et presbytero: quoniam soli episcopo convenit sacramentum conferre.

Ad auctoritatem vero ex Evangelio dicitur quod ex Domini verbis non habetur invocationem Trinitatis proferri debere ab ablente: sed quod ablens abluat in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, *prolatis a se vel a socio*. Propter quod signanter dixit in plurali, *baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*: ex eo enim quod non exprimitur *prolatis a se*, sufficit quod proferantur super ablutione, modo salvetur veritas formae, ut in responsione ad ultimum explicabitur\*.

Scito tamen quod ad supra allatas dubitationes responditur tenendo communem viam de unitate ministri.

XII. Ad primum ergo dubium ex Durando\*, dicitur quod ratio Auctoris prima, *Actus multiplicatur a multiplicatione agentis perfecti*, est vera et solida per se loquendo. Impossibile est enim a pluribus perfectis agentibus eiusdem rationis non provenire diversos actus: in tantum quod, infra limites naturalis rationis loquendo, si duo talia agentia aequae approximarentur eidem omnino patienti, nulla omnino inferretur per se passio, quia multiplicarentur duo simul contradictoria.

Instantia autem Durandi de agentibus voluntariis, seipsam interimit, ponendo neutrum eorum concurrere ut agens perfectum. Paria enim sunt quoad propositum esse agentia imperfecta seu partialia, et concurrere ut agentia partialia.

Ad obiectionem vero contra idem ex eo quod duo sacerdotes eandem possunt hostiam consecrare, dicitur quod in tali casu essent duae consecrationes quantum in se est, sicut etiam, quando duo perfecte unum baptizarent, uterque quantum in se est conferret diversum baptismum: sed per accidens, scilicet unitatem hostiae seu hominis qui baptizatur, unum fit sacramentum, propter excellentiam principalis agentis, scilicet Christi, qui solus potest duobus totalibus instrumentis eiusdem rationis simul uti ut uno.

Habes ergo ex prima Auctoris ratione plures, ut totales ministros, non posse simul unum omnino baptismum conferre.

XIII. Ad obiecta contra secundam rationem, de mutatione formae\*, respondetur quod esset ibi mutatio formae contra substantialia. Et ad impugnationem huius dicitur quod, licet expressio ministri non sit de necessitate formae, est tamen de necessitate formae quod, si exprimitur minister, exprimitur sine contrarietate ad veritatem sacramenti: et hoc per illam universalem regulam, *In formis sacramentorum nihil debet poni contrarium*. Pluralitas autem ministri contrariatur unitati requisitae ad unitatem ministri. Et propterea, si exprimitur talis pluralitas expresse in forma, tollit veritatem sacramenti. Falsa est ergo illa conditionalis, *Si expressio ministri non est de necessitate, pluralitas ministri explicata per accidens se habet*: habet enim se contrarie.

Et cum subiungitur quod ista, *Nos te baptizamus*, resolvitur in istas, *Ego te baptizo et iste baptizat*, respondetur quod hoc potest dupliciter accipi. Primo, ut secunda exponens accidentaliter intendatur: ac si diceret, *Ego baptizo et iste currit*. Alio modo, ut per se intendatur, tanquam dicens quod *ambo simul ministramus sacramentum baptismi*. Et si in primo sensu acciperetur, idem videtur iudicium de hac forma et de forma in qua ponitur aliquid impertinens: puta si quis diceret, *Ego te baptizo, et omnes adstantes ad hoc consentiunt, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Et sensus iste, licet videatur extraneus, in proposito tamen posset accidere, duobus ex conducto volentibus simul unum baptizare, et utroque alterum volente revereri per hoc quod uterque alterius meminit: ad

huiusmodi enim reverentiam exprimendam, videretur eis quod deberet uterque uti numero plurali. Sed infra proprium sensum stando, exprimitur per has duas exponentes pluralitas contraria unitati ministri. Et propterea ambae simul destruunt veritatem primae. Significant enim quod duo simul, et non quod unus baptizet: duos autem simul esse unum sacramenti ministrum supponitur impossibile, et contrariari veritati ministri.

XIV. Ad argumenta Durandi contra tertiam rationem, scilicet, *quia minister exprimitur ut plures\**, respondendo dicitur ad utramque partem disiunctivae quod utraque sane intellecta est vera. Ad baptismum enim unum omnino, seu unum secundum formam, exigitur unitas ministri secundum rem. Nec oppositum dixit Auctor. Quoniam, duobus simul baptizantibus utroque totum dicente et faciente, non est baptismus unus secundum formam, sed secundum effectum. Quem etiam non haberet, nisi potestas Christi suppleret, utens duobus totalibus instrumentis ut uno, quemadmodum prius\* dictum est. — Altera quoque pars disiunctivae vera est negative. Oportet enim exprimi ministrum ut unum ad hunc sensum, hoc est *non exprimi ut plures*, quia pluralitas ministri expressa contrariatur veritati ministri.

Unde ad primam obiectionem, de non necessaria expressione ministri, iam patet responsio.

Ad secundam autem, de congruentia ad principale agens, respondetur quod ratio de unitate ministri propter unitatem Christi in littera allata, non ut necessaria, sed ut probabilis inducta est, ut verba litterae sonant. Rationalis autem est congruentia ministri ad Christum magis quam ad trinitatem Personarum: quia in Evangelio invenimus attributum baptismum, tanquam baptizanti, non Trinitati, sed Christo, de quo scriptum est, Ioan. 1\*: *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto*. Minister autem baptizantis personam induere se fatetur, dicendo, *Ego te baptizo*.

Ad tertiam autem, de impertinentia modi exprimendi ministri, conceditur verum esse si modus exprimendi non implicat aliquid contrarium veritati alicuius requisiti ad sacramentum. Tunc enim sufficit exprimere causam principalem et actum ministri, quando nihil contrarium veritati sacramenti exprimitur.

XV. Ad dubium contra conclusionem propter obiecta a Petro de Palude\* respondendo, dicitur ad primam obiectionem quod non est simile de sacramento matrimonii et sacramento baptismi. Quia sacramentum matrimonii fundatur super matrimonio ut est officium naturae: et propterea quaecumque sufficiunt ad efficiendum coniugium verum ut est in officium naturae, sufficienter etiam se habent ad suscipiendam sacramentalitatem coniugii. Et quoniam non refert ad coniugium ut est naturae officium, pluraliter vel singulariter dicere, immo sive verbis sive solis nutibus consensum exprimere, ideo sacramentum matrimonii vere susciperetur si pluraliter dicerent, *Accipimus te in virum nostrum*, supposita pluralitate uxorum: sicut etiam vere contrahitur sine verbis. Secus autem esse de baptismo ratio cogit: quia baptismus non potest distingui in officium naturae et in sacramentum, sed est tantummodo sacramentum. Et hinc est etiam quod non potest nominatio Trinitatis suppleri per nutus baptizando. Ex eo enim quod purum sacramentum est, oportet servare ea quae pro sacramento sunt instituta ab ipso Christo, scilicet aquam\* et voces significativas Trinitatis\*\*.

Ad secundam vero obiectionem, conceditur quod magis explicaretur unitas baptismi dicendo, *Nos te baptizamus*, nisi implicaretur pluralitas contraria veritati ministri. — Et ad confirmationem dicitur quod a duobus dicentibus, *Ego te baptizo*, exprimitur unitas actus uniuscuiusque eorum, ex hoc ipso quod quilibet diceret singulariter, *baptizo*: hoc enim unitatem actus importat.

Ad tertiam dicitur quod duo officiales in solidum in potestate sua habent quod possint ad unum actum concurrere: et ideo possunt dicere, *Nos facimus*, uno pro utroque loquente. Sed ministri sacramentorum non habent hoc in potestate sua ut possint ad unum omnino actum baptismi concurrere. Quod ex eo convincitur quod non

\* Num. xx.

\* Num. iii.

\* Ibid., Secundam vero.

\* Ibid., Contra tertiam.

\* Num. xii.

\* Vers. 33.

\* Num. iv.

\* Ioan. cap. iii, vers. 5.  
\*\* Matth. cap. xxviii, vers. 19.

possunt ad unam et eandem numero formam concurrere: sed oportet utrumque suam formam exprimere, sive dicendo, *Nos te baptizamus*, sive, *Ego te baptizo*; ut ipsi adversarii fatentur.

Ad quartam demum obiectionem dicitur quod ex hoc quod plurale non est nisi singulare geminatum, non evaditur quin, dicendo *nos*, significetur pluralitas personarum: quae, ut dictum est \*, contrariatur veritati ministri. Nam dicendo, *Nos baptizamus*, sensus est, non quod *bis ego*, sed quod *duo ego*, hoc est persona mea et persona collegae mei: ambo enim demonstramur in prima persona per *ly nos*. Et vera expositio exercens *ly nos* est demonstratio utriusque in prima persona, puta, *Ego et alter ego*, monstrato collega. Vel, ad amussim, dicendo, *Ego*: et collega subiungeret, *Et ego*: sic enim exerceremus significatum per *ly nos*. Sicut, dicendo in nominativo plurali *vos*, non significatur *bis tu*, sed significantur *duo tu*: significantur enim, demonstratis duobus, *tu et tu*. Et hoc est plurale esse singulare geminatum. Ex quibus omnibus apparet manifeste quod huiusmodi geminatio singularis in plurali ponit multitudinem personarum, quae excluditur per unitatem singularis. Et propterea in nullo adiuvat argumentum, sed Auctorem, dicentem quod per hoc variatur forma, et exprimitur pluralitas contraria veritati et unitati ministri.

XVI. Cum his omnibus tamen scito quod, si quis, propriae deferens dignitati etiam in sacramentis, volens numero plurali se suosque actus significare, dixerit, *Nos te baptizamus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, perfectum esset sacramentum baptismi. Quoniam ex accommodatione usus personae excellentes utuntur plurali pro singulari: ac per hoc, ex huiusmodi usus accommodatione huiusmodi nomina et verba in plurali numero significant singulares personas et singulares actus excellentium personarum, quamvis hoc non significant ex propriae significationis impositione.

XVII. Ad dubium de insufficientia processus litterae \*, respondetur non esse Auctorem diminutum, sed in suo processu comprehendisse etiam quid dicendum sit secundum formam Graecorum. Et hoc in suo simili. Declarando enim quod, non mutata forma, plures simul totum dicendo et faciendo possunt unum baptizare, sufficienter declaravit quod etiam secundum formam Graecorum hoc fieri potest, utroque ministro abludente et dicente, *Baptizetur servus Christi*, etc.

XVIII. Ad penultimam demum quaestionem \*, magis philosophicam quam theologicam, dicitur quod unitas effectus sequitur unitatem virtutis a qua causatur. Et propterea distinguendum est de causis eiusdem rationis simul concurrentibus: Aut agunt virtutibus propriis, aut agunt virtute tertii. Et dicendum quod, si sunt causae agentes virtutibus propriis, impossibile est a duabus eiusdem rationis totalibus causis omnino unum et eundem per se provenire effectum: quoniam effectus ille esset per se ab utraque, et a neutra. Si vero agunt virtute tertii, potest unus et idem omnino effectus ab utraque provenire: vel, rectius loquendo, *per utramque a tertio provenire*.

Et quia sacramenta non agunt virtutibus propriis, sed virtute Christi, qui per illa operatur; ideo, quotcumque instrumentales causae eiusdem rationis perfectae seu totales concurrere inveniuntur simul in unum operatum, unica virtus Christi per illa unum operatur effectum, quamvis illae instrumentales causae, quantum in se est, duos sortirentur effectus. Et propterea diximus \* et dicimus quod Christus ex suae potestatis excellentia potest simul uti duobus instrumentis totalibus ut uno: et de facto sic uteretur in casu proposito.

Nec obstat huic responsioni doctrina superius \* habita de virtute existente in sacramentis. Oportet enim esse memorem virtutem illam nihil aliud esse quam usum verborum et rerum sacramentalium ad producendum sacra-

menti effectum: usum autem dico, non cuiuscumque utentis, sed Christi, ut superius \* declaratum est.

Quomodo autem solvenda esset quaestio haec a potentibus in sacramento superadditam qualitatis virtutem, ipsi viderint. Immo hinc perpendant se a veritate procul esse, si non poterunt intellectui satisfacere in hac quaestione absque miraculis.

XIX. In responsione ad secundum, advertite quod si, baptizando plures, non intercederet alia mutatio quam dicere, *Baptizo vos*, non videretur magna ad hoc necessitas exigi: quoniam ex solo concursu multorum videmus Romanam Ecclesiam mutare formam de singulari in plurale, quando ordinantur diaconi plures simul; dicit enim tunc Episcopus, *Accipite potestatem*, etc. Sed quoniam baptizatio simul plurium non fit communiter per immersionem, sed per aspersionem, ideo ad tot mutationes faciendas magna exigitur necessitas.

XX. In responsione ad tertium, advertite tria hic ad sensum litterae. Primum est quod *baptizare* sumitur secundum plures significationes. Quandoque enim sumitur secundum propriam significationem: et tunc significat *abluere*. Quandoque vero sumitur extensa significatione pro integro sacramento, quasi idem sit baptizare quod sacramentum conferre. Et iuxta hunc sensum dicitur in hac littera quod *neuter baptizaret*.

Secundum est quod Auctor loquitur hic de baptismi forma apud Latinam Ecclesiam, cum dicit, *nulla forma verborum*, etc.

Tertium est quod locutio pluralis in prima persona potest dupliciter exponi per duas singulares: vel per modum copulativae; vel copulativam. Et quando exponitur per modum copulativae, habet utramque singularem seorsum veram. Verbi gratia, dicendo, *Nos trahimus navem*, habet ex ore cuiuslibet demonstrati per *ly nos* suam singularem veram, puta, *Ego traho navem*, *Et ego traho navem*, et sic de aliis trahentibus. Et iuxta hunc sensum procedit littera dicendo quod *neuter baptizaret*: hoc est, neuter posset vere dicere, *Ego te baptizo*. Et similiter neuter scribentium partem libri posset vere dicere, *Ego scripsi hunc librum*. — Quando vero copulativam exponitur, non exigitur quod aliqua singularis sit vera: immo stat utramque singularem fore falsam. Verbi gratia, si iudices delegati simul ita quod ambo simul et neuter sine altero possit iudicare, proferendo sententiam, vere dicerent, *Nos iudicamus*. Et verum esset quod *Ego et alter ego coniunctim iudicamus*: falsa tamen esset utraque singularis, puta, *Ego iudico*, quia in veritate ego iudicandi potestate careo. Et iuxta hunc sensum posset dici, *Nos te baptizamus*, in casu posito: quia de utroque simul coniunctim verificaretur quod conferunt sacramentum baptismi, quamvis neuter conferret illud.

Et certe, quantum est ex veritate formae, posset unus in articulo necessitatis baptizari a duobus, quorum alter esset mutus et alter esset mancus, muto abludente et manco proferente verba, ad evitandos omnes scrupulos, secundum formam Graecorum, et dicente, *Baptizetur servus Christi*, etc.: tunc enim nullum penitus apparet inconveniens ex parte formae in ministrorum pluralitate. Auctor autem, quia tenet plures personas non posse integrare ministrum baptismi unius, ideo dicto transcurso fuit contentus. Videtur autem quod in tali casu potius pro baptismo iudicandum esset \*. Quamvis difficile sit quin mancus posset etiam abluere. Posset enim super caput habere modicum aquae, quam inclinando caput effunderet super baptizandum, et simul proferret verba. Et in hoc posset mutus adiuvere, sustinendo vas in capite manci ne caderet cum ille inclinaret caput: immo et manus muti plenae aqua positae super caput manci supplere vicem vasis; ita tamen quod motus capitis manci esset effusivus aquae.

Et haec sufficiant etiam pro duobus sequentibus articulis.

\* Ibid., Comm. num. iv.

\* Num. xiii.

\* Num. v.

\* Num. vi.

\* Num. xii, xiv.

\* Qu. LXII, art. 4.

\* Cf. num. xi.

## ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM IN BAPTISMO REQUIRATUR ALIQUIS QUI BAPTIZATUM DE SACRO FONTE LEVET

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in baptismo non requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte levet. Baptismus enim noster per baptismum Christi consecratur, et ei conformatur. Sed Christus baptizatus non est ab aliquo de fonte susceptus, sed, sicut dicitur Matth. III \*, *Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua*. Ergo videtur quod nec in aliorum <sup>α</sup> baptismo requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte suscipiat.

\* Vers. 16.

α

\* Art. 3; qu. LXV, art. 1, 2.

\* Serm. CXXXV, aliter de Temp. XXXVI, inter Opp. Aug. - Cf. qu. LXVI, art. 4, arg. 3.

2. PRAETEREA, baptismus est spiritualis regeneratio, ut supra \* dictum est. Sed in carnali generatione non requiratur nisi principium activum, quod est pater, et principium passivum, quod est mater. Cum igitur in baptismo locum patris obtineat ille qui baptizat, locum autem matris ipsa aqua baptismi, ut Augustinus dicit, in quodam sermone *Epiphaniae* \*; videtur quod non requiratur aliquis alius qui baptizatum de sacro fonte levet.

3. PRAETEREA, in sacramentis Ecclesiae nihil derisorium fieri debet. Sed hoc derisorium videtur, quod adulti baptizati, qui seipsos sustentare possunt et de sacro fonte exire, ab alio suscipiantur. Ergo videtur quod non requiratur aliquis, praecipue in baptismo adultorum, qui baptizatum de sacro fonte levet.

\* Part. II, § 7.

SED CONTRA EST quod Dionysius dicit, II cap. \* *Eccl. Hier.*, quod *sacerdotes, assumentes baptizatum, tradunt adductionis susceptori et duci*.

RESPONDEO DICENDUM quod spiritualis regeneratio, quae fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali: unde dicitur I Pet. II \*: *Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite*. In generatione autem carnali par-

\* Vers. 2.

vulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo. Unde et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum qui est novitius <sup>β</sup> in fide, de his quae pertinent ad fidem et ad vitam Christianam, ad quod praelati Ecclesiae vacare non possunt, circa communem curam populi occupati: parvuli enim et novitii indigent speciali cura praeter communem. Et ideo requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte quasi in suam instructionem et tutelam. Et hoc est quod Dionysius dicit, ult. cap. \* *Eccl. Hier.*: *Divinis nostris ducibus, idest Apostolis, ad mentem venit et visum est suscipere infantes secundum istum modum <sup>γ</sup> quod parentes pueri traderent puerum cuidam docto in divinis paedagogo, et reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub divino patre et salvationis sanctae susceptore*.

β

\* § 11.

γ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus non est baptizatus ut ipse regeneraretur, sed ut alios regeneraret. Et ideo ipse post baptismum non indiguit paedagogo tanquam parvulus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater et mater: sed ad facilem partum, et <sup>δ</sup> educationem pueri convenientem, requiritur obstetrix et nutrix et paedagogus. Quorum vicem implet in baptismo ille qui puerum de sacro fonte levat. Unde non est de necessitate sacramenti, sed unus solus potest in aqua <sup>ε</sup> baptizare, necessitate imminente.

δ

ε

AD TERTIUM DICENDUM quod baptizatus non suscipitur a patrino <sup>ζ</sup> de sacro fonte propter imbecillitatem corporalem, sed propter imbecillitatem spiritualem, ut dictum est \*.

ζ

\* In corpore.

α) aliorum. - Tertia praeter pG; aliquorum.  
β) qui est novitius. - quasi novitium tertia praeter G.  
γ) modum. - sanctum modum E et tertia. Pro parentes pueri, naturales pueri parentes P. - ageret PG; agerat E, agat F, agit b, aget ceteri. - sub divino PEI; sub domino.

δ) partum, et. - EHsG et editiones; partam et I, om. Fa, pertinet et ceteri.  
ε) aqua. - F et tertia; aquam.  
ζ) patrino. - G(I?) et editiones; patrino paterno H, paterno ed. a, patrono ceteri; E om. quae sequuntur post Ad tertium dicendum usque ad eadem verba articuli sequentis.

## ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM ILLE QUI SUSCIPIT ALIQUEM DE SACRO FONTE OBLIGETUR AD EIUS INSTRUCTIONEM

IV Sent., dist. vi, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 3, ad 3.

**A**D OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, non obligetur ad eius instructionem. Quia nullus potest instruere nisi instructus. Sed etiam quidam non instructi sed simplices admittuntur ad aliquem de sacro fonte

suscipiendum <sup>α</sup>. Ergo ille qui suscipit baptizatum, non obligatur ad eius instructionem.

α

2. PRAETEREA, filius magis a patre instruitur <sup>β</sup> quam ab alio extraneo: nam filius habet a patre esse et nutrimentum et disciplinam, ut Philosophus dicit, VIII *Ethic*. \* Si ergo ille qui suscipit bap-

β

\* Cap. XII, n. 5. - S. Th. lect. XII.

α) ad aliquem... suscipiendum. - levare (ad levandum I) aliquem de sacro fonte I et editiones.

β) a patre instruitur. - potest (om. I) a patre instrui tertia.

zatum, tenetur eum instruere, magis esset conveniens quod pater carnalis filium suum de baptismo suscipiat quam alius. Quod tamen videtur esse prohibitum: ut habetur in Decretis, XXX, qu. 1, cap. *Pervenit* et *Dictum est*.

3. PRAETEREA, plures magis possunt instruere quam unus solus. Si ergo ille qui suscipit aliquem baptizatum, teneretur eum instruere, magis deberent plures suscipere quam unus solus. Cuius contrarium habetur in decreto <sup>γ</sup> Leonis Papae \*: *Non plures, inquit, ad suscipiendum de baptismo infantem quam unus accedant, sive vir sive mulier.*

<sup>γ</sup>  
\* Can. *Non plures, de Consecr.*, dist. IV.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in quodam sermone Paschali \*: *Vos ante omnia, tam viros quam mulieres, qui filios in baptisate suscepistis* <sup>δ</sup>, *moneo ut vos cognoscatis fideiussores apud Deum exstitisse pro illis quos visi estis de sacro fonte suscipere.*

\*Serm. CLXVIII, aliter de Temp. CLXIII, inter Opp. Aug. - Cf. can. *Vos ante omnia, de Consecr.*, dist. IV.  
<sup>δ</sup>

RESPONDEO DICENDUM quod unusquisque obligatur ad exequendum officium quod accipit. Dictum est autem \* quod ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium paedagogi. Et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret: sicut eo tempore et loco in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, teneren-

\* Art. 7.

tur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, ubi immineret periculum, oporteret esse *aliquem doctum in divinis*, sicut Dionysius dicit \*, qui baptizandum <sup>ε</sup> de sacro fonte susciperet. Sed ubi hoc periculum non imminet, propter hoc quod pueri nutriuntur inter Catholicos, admittuntur <sup>ζ</sup> quicumque ad hoc officium: quia ea quae pertinent ad Christianam vitam et fidem, publice omnibus nota sunt.

\* *Eccl. Hier.* cap. VII, § 11; cf. art. praec. fin.  
<sup>ε</sup>

Et tamen ille qui non est baptizatus non potest suscipere baptizatum, ut est declaratum in Concilio Maguntino \*, licet non-baptizatus possit baptizare: quia persona baptizantis est de necessitate sacramenti, non autem persona suscipientis, sicut dictum est \*.

\* Cf. can. *In baptisate, de Consecr.*, dist. IV.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut est alia generatio spiritualis a carnali, ita etiam debet esse alia disciplina: secundum illud *Heb. XII* \*: *Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, et reverebamur eos. Non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?* Et ideo alius debet esse pater spiritualis a patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat.

\* Art. praec., ad 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod confusio disciplinae esset nisi esset unus principalis instructor. Et ideo in baptismo unus debet esse principalis susceptor. Alii tamen possunt admitti quasi coadiutores.

\* Vers. 9.

<sup>γ</sup>) *in decreto.* - decreto D, ex decreto tertia.  
<sup>δ</sup>) *suscepistis.* - F et tertia; *suscipitis.*

<sup>ε</sup>) *baptizandum.* - *baptizatum* PF. - Pro sacro fonte, fonte sacro ABD.  
<sup>ζ</sup>) *admittuntur.* - *admittitur* P.



## QUAESTIO SEXAGESIMOCTAVA

### DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXVI, Introd.

**D**EINDE considerandum est de suscipientibus baptismum\*.

Et circa hoc quaeruntur duodecim.

Primo: utrum omnes teneantur ad suscipiendum baptismum.

Secundo: utrum aliquis possit salvari sine baptismo.

Tertio: utrum baptismus sit differendus.

Quarto: utrum peccatores sint baptizandi.

Quinto: utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.

Sexto: utrum requiratur confessio peccatorum.

Septimo: utrum requiratur intentio ex parte baptizati.

Octavo: utrum requiratur fides.

Nono: utrum pueri sint baptizandi.

Decimo: utrum pueri Iudaeorum sint baptizandi invitatis parentibus.

Undecimo: utrum aliqui sint baptizandi in matris uteris existentes.

Duodecimo: utrum furiosi et amentes sint baptizandi.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM TENEANTUR OMNES AD SUSCEPTIONEM BAPTISMI

Supra, qu. LXV, art. 4; infra, qu. LXX, art. 2, ad 3; qu. LXXXIV, art. 5; IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 3, qu<sup>a</sup> 2, ad 3; dist. VI, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; dist. IX, qu. I, art. 5, qu<sup>a</sup> 4, ad 2; In *Ioan.*, cap. III, lect. I.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 2.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR\*. Videtur quod non teneantur omnes ad susceptionem baptismi. Per Christum enim non est hominibus arctata via salutis. Sed ante Christi adventum poterant homines salvari sine baptismo. Ergo etiam post Christi adventum.

2. PRAETEREA, baptismus maxime videtur esse institutus in remedium peccati originalis. Sed ille qui est baptizatus, cum non habeat originale peccatum, non videtur quod possit transfundere in prolem. Ergo filii baptizatorum non videntur esse baptizandi.

3. PRAETEREA, baptismus datur ad hoc quod aliquis per gratiam a peccato mundetur. Sed hoc consequuntur illi qui sunt sanctificati in utero, sine baptismo. Ergo non tenentur ad suscipiendum baptismum.

SED CONTRA EST quod dicitur Ioan. III\*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et in libro de *Ecclesiasticis Dogmatibus*\* dicitur: *Baptizatis tantum iter salutis esse credimus.*

RESPONDEO DICENDUM quod ad illud homines tenentur sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem quod nullus salutem potest consequi nisi per Christum: unde et Apostolus dicit, *Rom. V\**: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* Ad hoc autem datur baptismus ut aliquis, per ipsum regeneratus, incorporetur Christo, factus membrum ipsius: unde dicitur *Gal. III\**: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum indui-*

*stis.* Unde manifestum est quod omnes ad baptismum tenentur; et sine eo non potest esse salus hominibus.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod nunquam homines potuerunt salvari, etiam ante Christi adventum, nisi fierent membra Christi: quia, ut dicitur *Act. IV\**, *non est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Sed ante adventum Christi, homines Christo incorporabantur per fidem futuri adventus: cuius fidei *signaculum* erat circumcisio, ut Apostolus dicit, *Rom. IV\**. Ante vero quam<sup>a</sup> circumcisio institueretur, *sola fide*<sup>β</sup>, ut Gregorius dicit\*, cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui Patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Post adventum etiam Christi, homines per fidem Christo incorporantur: secundum illud *Ephes. III\**: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Sed alio signo manifestatur fides rei iam praesentis quam demonstrabatur quando erat futura: sicut aliis verbis significatur praesens, praeteritum et futurum\*. Et ideo, licet ipsum sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem, fides tamen, cuius baptismus sacramentum est\*, semper necessaria fuit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte\* dictum est, illi qui baptizantur, renovantur per baptismum secundum spiritum, corpus tamen remanet subiectum vetustati peccati: secundum illud *Rom. VIII\**: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem.* Unde Augustinus probat, in libro *contra Iulianum\**, quod non baptizatur in

<sup>a</sup>) ante vero quam. — antequam vero BEFsD, antequam vero quam pD.

<sup>β</sup>) fide. — EF et editiones; fides. Pro incorporabantur, incorporabat IsG.

\* Vers. 5.

\* Cap. XLI, al. LXXIV. — Inter Opp. Aug.

\* Vers. 18.

\* Vers. 27.

\* Vers. 12

\* Vers. 11.

<sup>a</sup>  
<sup>β</sup>  
\* *Moral.* lib. IV, cap. III, al. II. — Cf. can. *Quod apud nos, de Consecr.*, dist. IV.

\* Vers. 17.

\* *Aristot.*, *Peri Hermen.* lib. I, cap. V, n. 2; s. Th. lect. VIII. — Cf. qu. LXI, art. 4.

\* *Ambros.*, *de Spir. Sancti*, lib. I, cap. III, n. 42; *Aug. Ep. XCVIII*, al. *XXII*, ad *Bonifac.*, n. 9. \* I<sup>a</sup> II<sup>a</sup>, qu. LXXXI, art. 3, ad 2.

\* Vers. 10.

\* *Lib. VI*, cap. XVII, n. 17. — Cf. can. *Si quidquid, de Consecr.*, dist. IV.

homine quidquid in eo est. Manifestum est autem quod homo non generat generatione carnali secundum spiritum, sed secundum carnem. Et ideo filii baptizatorum cum peccato originali nascuntur. Unde indigent baptizari.

AD TERTIUM DICENDUM quod illi qui sunt sanctificati in utero, consequuntur quidem gratiam

emundantem a peccato originali, non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem, quo Christo configurentur. Et propter hoc, si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eos baptizari, ut per susceptionem characteris aliis membris Christi conformarentur.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SINE BAPTISMO ALIQUIS POSSIT SALVARI

IV Sent., dist. iv, qu. iii, art. 3, qu<sup>a</sup> 2; IV Cont. Gent., cap. lxxii; Quodl. VI, art. 4; In Ioan., cap. iii, lect. i; cap. vi, lect. vii.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sine baptismo nullus possit salvari. Dicit enim Dominus, Ioan. iii \*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed illi soli salvantur qui regnum Dei intrant. Ergo nullus potest salvari sine baptismo, quo aliquis regeneratur ex aqua et Spiritu Sancto.

2. PRAETEREA, in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* \* dicitur: *Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, aeternam vitam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota sacramenta <sup>a</sup> baptismi complentur.* Sed si aliquis sine baptismo possit salvari, maxime hoc haberet locum in catechumenis bona opera habentibus, qui videntur habere *fidem per dilectionem operantem* \*. Videtur ergo quod sine baptismo nullus possit salvari.

3. PRAETEREA, sicut supra \* dictum est, baptismi sacramentum est de necessitate salutis. Necessarium autem est *sine quo non potest aliquid esse*, ut dicitur in V *Metaphys.* \* Ergo videtur quod sine baptismo nullus possit consequi salutem.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *super Levit.* \*, *invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse et profuisse sine visibilibus sacramentis: visibilem vero sanctificationem, quae fit sacramento visibili, sine invisibili posse adesse, sed non prodesse.* Cum ergo sacramentum baptismi ad visibilem sanctificationem pertineat, videtur quod sine sacramento baptismi aliquis possit salutem consequi per invisibilem sanctificationem.

RESPONDEO DICENDUM quod sacramentum baptismi dupliciter potest alicui deesse. Uno modo, et re et voto: quod contingit in illis qui nec baptizantur nec baptizari volunt. Quod manifeste ad contemptum sacramenti pertinet, quantum ad illos qui habent usum liberi arbitrii. Et ideo hi quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt: quia nec sacramen-

taliter nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus.

Alio modo potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto: sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praevenitur morte antequam baptismum suscipiat. Talis autem sine baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex *fide per dilectionem operante* \*, per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur. Unde Ambrosius dicit \* de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit: *Quem regeneraturus eram, amisi: veruntamen ille gratiam quam poposcit, non amisit.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut dicitur I Reg. xvi \*, *homines vident ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.* Ille autem qui desiderat per baptismum *regenerari ex aqua et Spiritu Sancto*, corde quidem regeneratus est, licet non corpore: sicut et Apostolus dicit, *Rom. ii* \*, *quod circumcisio cordis est in spiritu, non in littera; cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod nullus pervenit ad vitam aeternam nisi absolutus ab omni culpa et reatu poenae. Quae quidem universalis absolutio fit in perceptione baptismi \*, et in martyrio: propter quod dicitur quod in martyrio *omnia sacramenta baptismi complentur*, scilicet quantum ad plenam liberationem a culpa et poena. Si quis ergo catechumenus sit habens desiderium baptismi (quia aliter in bonis operibus non moreretur, quae non possunt esse sine *fide per dilectionem operante*), talis decedens non statim pervenit ad vitam aeternam, sed patietur poenam pro peccatis praeteritis, *ipse tamen salvus erit* \* sic quasi per ignem, ut dicitur I Cor. iii \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod pro tanto dicitur sacramentum baptismi esse de necessitate salutis, quia non potest esse hominis salus nisi saltem in voluntate habeatur: quae *apud Deum reputatur pro facto* \*.

\* Vers. 5.

\* Cap. xli, al. lxxiv. - Inter Opp. Aug.

α

\* Ad Galat., cap. v, vers. 6.

\* Art. praeced.; qu. lxxv, art. 4.

\* S. Th. lect. vi; Did. lib. iv, cap. v, n. 1.

\* Qu. lxxxiv.

\* Ad Galat., cap. v, vers. 6.

\* Lib. de Obitu Valentin., n. 29, 30.

\* Vers. 7.

\* Vers. 29.

\* D. 269.

\* D. 1202.

\* Vers. 15.

\* Aug. Enarrat. in Psalm. LVII, vers. 3.

α) tota sacramenta. - omnia sacramenta sG, tota virtus (om. baptismi) F, totum sacramentum editiones. - complentur ElSDG et a; compleretur ACFpBD, completerentur HpG, completur sB et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

\* Integrum Comment. om. P.

\* CIRCA duos primos articulos hoc solum non irratiocinabiliter occurrit dicendum, quod in casu necessitatis ad salutem puerorum sufficere videtur baptismus in voto

parentum: praecipue cum aliquo exteriori signo. Moveor autem ad hoc, primo, ex auctoritate Gregorii \* dicentis, apud Magistrum Sententiarum, in i dist. \* Quarti, et de

\* IV Moral. cap. iii, al. ii. \* Part. II, cap. Quaeitur.



\* Can. Quod apud nos.

Consecr., dist. IV \*: *Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierunt mysterium circumcisionis.* Hinc enim arguo. Fides sola veterum non fuit maioris virtutis apud veteres quam apud nos. Ac per hoc, non plus potuit, necessitatis urgente articulo, subvenire tunc quam nunc. Sed tunc, deficiente parvulis proprio salutis auxilio, parentum fides pro parvulo sola sufficiebat. Ergo nunc, quando parvulo deest proprium salutis remedium, quod est baptisma, sola parentis fides, parvulum Deo offerens, sufficit ad salutem parvuli.

II. Nec obstat si dicatur quod apud veteres fides parentis erat proprium remedium parvulorum: nunc autem, adveniente Christo in carnem, institutum est sensibile sacramentum in proprium parvulorum remedium. Hoc, inquam, non obstat. Quoniam, duobus existentibus, scilicet fide et *fidei sacramento* \*, operanti apud veteres fidei adiunctum nostro tempore fidei sacramentum sub ratione possibilis intelligimus, non ut fidei virtutem solvat, sed adim-

\* Cf. art. 1, ad 1, fin.

pleat. Et propterea, quando impossibilitas sacramentum fidei excludit, virtuti fidei locus relinquitur. Et sic parvulus ex baptismo fluminis voto parentis suscepto salvaretur, si impossibile esset ipsum baptizari aqua. Debet autem in tali casu parens signo crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, sicque Deo offerre morientem *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

III. Et confirmatur hoc ex salute parvulorum tempore circumcisionis ante octavum diem morientium. Nam tales, secundum probabiliorem opinionem, moriebantur incircumcisi, ut patet de fratre Salomonis \*: et tamen salvabantur per benedictionem seu oblationem aliquam. Quoniam ex lege circumcisionis non sunt redditi mares deterioris conditionis quam feminae, quas constat ante octavum diem potuisse consequi remedium contra peccati originalis maculam. Sicut igitur incircumcisi tunc infantes, propter impossibilitatem circumcisionis, in fide parentum salvari poterant, ita nunc non baptizati. Nihilque hic aut ibi sequitur adversus divinam legem sane intellectam.

\* Gloss. Ord. super Prov. cap. IV, vers. 3. - Cf. II Reg. cap. XII, vers. 18.

## ARTICULUS TERTIUS

### UTRUM BAPTISMUS SIT DIFFERENDUS

Supra, qu. xxxix, art. 3, ad 1; IV Sent., dist. IV, qu. III, art. 1, qu<sup>a</sup> 2; dist. VI, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 2, ad 1; dist. XVII, qu. III, art. 1, qu<sup>a</sup> 4.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus sit differendus. Dicit enim Leo Papa <sup>a</sup> \*: *Duo tempora, idest Pascha et Pentecoste, ad baptizandum a Romano Pontifice legitima praefixa sunt. Unde Dilectionem vestram monemus ut nullos alios dies huic observationi misceatis.* Videtur ergo quod oporteat non statim aliquos <sup>β</sup> baptizari, sed usque ad praedicta tempora baptismum differri.

<sup>a</sup> Leo I, Epist. XVI, al. IV, cap. v. - Cf. can. Duo tempora, de Consecr., dist. IV.

2. PRAETEREA, in Concilio Agathensi \* legitur: *Judaei, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad leges Catholicas venire voluerint, octo menses inter <sup>γ</sup> catechumenos ecclesiae limen introeant: et, si pura fide venire noscantur, tunc demum baptismi gratiam mereantur.* Non ergo statim sunt homines baptizandi, sed usque ad certum tempus est differendum baptismum.

\* Can. xxxiv. - Cf. can. Judaei quorum, de Consecr., dist. IV.

3. PRAETEREA, sicut dicitur Isaiae xxvii \*: *Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Sed magis videtur auferri peccatum, vel etiam diminui, si baptismus differatur <sup>δ</sup>. Primo quidem, quia peccantes post baptismum gravius peccant: secundum illud Heb. x \*: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, scilicet per baptismum?* Secundo, quia baptismus tollit peccata praeterita, non autem futura: unde, quanto baptismus magis differtur, tanto plura peccata tollet. Videtur ergo quod baptismus debeat diu differri.

\* Vers. 9.

\* Vers. 29.

\* Vers. 8.

SED CONTRA EST quod dicitur Eccli. v \*: *Ne tardes converti ad Dominum: et ne differas de die in diem.* Sed perfecta conversio ad Deum est eorum

qui regenerantur in Christo per baptismum. Non ergo baptismus debet differri de die in diem.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hoc distinguendum est utrum sint baptizandi pueri vel adulti. Si enim pueri sint baptizandi, non est differendum baptismum. Primo quidem, quia non expectatur in eis maior instructio, aut etiam plenior conversio. - Secundo, propter periculum mortis: quia non potest <sup>ε</sup> alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi.

Adultis vero subveniri potest per solum baptismi desiderium, ut supra \* dictum est. Et ideo adultis non statim cum convertuntur, est sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus. Primo quidem, propter cautelam Ecclesiae, ne decipiatur, fecte <sup>ζ</sup> accedentibus conferens: secundum illud I Ioan. iv \*: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Quae quidem probatio sumitur de accedentibus ad baptismum, quando per aliquod spatium eorum fides et mores examinantur. - Secundo, hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizantur: quia aliquo temporis spatio indigent ad hoc quod plene instruantur de fide, et exercitentur in his quae pertinent ad vitam Christianam. - Tertio, hoc est necessarium ad quandam reverentiam sacramenti: dum in solemnitatibus praecipuis, scilicet Paschae et Pentecostes, homines ad baptismum admittuntur, et ita devotius sacramentum suscipiunt.

\* Art. 2.

\* Vers. 1.

Haec tamen dilatio est praetermittenda duplici ratione. Primo quidem, quando illi qui sunt baptizandi, apparent perfecte instructi in fide et

<sup>a</sup>) Papa. - FsD et tertia; Papa propter. Pro Pentecoste, Pent' ACDE, Pentecostes Ba, Pentecosten alii praeter P. Pro legitima, legitime editiones et a. - observationi misceatis tertia; observato immisceatis.

<sup>β</sup>) aliquos. - aliquem tertia.

<sup>γ</sup>) inter. - Pfa; intra.

<sup>δ</sup>) differatur. - diu differatur PEIsG.

<sup>ε</sup>) potest. - eis addit tertia.

<sup>ζ</sup>) fecte. - (ad bc) sacramentum fecte tertia.

ad baptismum idonei: sicut Philippus statim baptizavit Eunuchum, ut habetur *Act. viii* \*; et Petrus Cornelium et eos qui cum ipso erant, ut habetur *Act. x* \*. — Secundo, propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis. Unde Leo Papa dicit \*: *Hi qui necessitate mortis, aegritudinis, obsidionis et persecutionis et naufragii, urgentur, omni tempore debent baptizari.*

Si tamen aliquis praeveniatur morte, articulo necessitatis sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, salvatur, licet *per ignem*, ut supra \* dictum est. Peccat autem si ultra tempus ab Ecclesia statutum differret accipere baptismum, nisi ex causa necessaria et licentia praelatorum Ecclesiae. Sed tamen et hoc peccatum cum aliis deleri potest per succedentem contritionem, quae supplet vicem baptismi, ut supra \* dictum est.

\* Qu. LXVI, art. 11.

\* Art. 2, ad 2.

\* Leo I, Ep. XVI, al. IV, cap. v, al. vi. — Cf. can. *Hi qui necessitate, de Consecr.*, dist. IV.

\* Vers. 36 sqq.

\* Vers. 47, 48.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illud mandatum Leonis Papae de observandis duobus tem-

poribus in baptismo, intelligendum est <sup>7)</sup>, *excepto tamen periculo mortis* (quod semper in pueris est timendum), ut dictum est \*.

\* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illud de Iudaeis est statutum ad Ecclesiae cautelam, ne simplicium fidem corrumpant, si non fuerint plene conversi. Et tamen, ut ibidem subditur, *si infra tempus praescriptum aliquod periculum infirmitatis incurrerint, debent baptizari.*

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus per gratiam quam confert non solum removet peccata praeterita, sed etiam impedit peccata futura ne fiant. Hoc autem considerandum <sup>8)</sup> est, ut homines non peccent: secundarium est ut levius peccent, vel etiam ut eorum peccata mundentur; secundum illud I Ioan. II \*: *Filioli mei, haec scribo vobis ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

\* Vers. 1, 2.

<sup>7)</sup> intelligendum est. — Gabc; est intelligendum FH, intelligendum est de adultis PE, om. ceteri.

<sup>8)</sup> considerandum. — praecipue desiderandum E et tertia, consulendum F. Pro secundarium est, secundarium H, secundarium autem

est I, secundario autem P; secundarium est ut levius peccent om. Fbc, secundarium autem (est super ras., ut homines peccent margo) levius G.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo tertio, circa dilationem baptismi usque ad aliquod certum tempus, advertendum est certitudinem temporis posse dupliciter intelligi: primo determinate, puta octo menses; alio modo, vage, puta, expedito tali negotio, nesciendo quantum temporis intercedet. Considerandum rursus est tempus baptismi determinari vel ex divino iure, vel ab Ecclesia.

Quantum igitur ex divino iure apparet, dilatio baptismi adultorum non habet tempus determinatum primo modo. Nulla enim ratio cogit adultum ad suscipiendum baptisma ita hodie quod, si hic dies praetereat absque baptismo, peccatum incurritur. — Confirmaturque hoc ex gestis sanctorum. Nam Martinus octo annis catechumenus fuit \*; Ambrosius longo quoque tempore catechumenus annumeratus videtur \*; Constantinus Magnus in ultimo vitae suae baptizatus est, ut Ambrosius dicit, *in Oratione de Obitu Theodosii* \*.

Debet autem determinari tempus dilati baptismi secundo modo. Quod dupliciter monstratur. Primo, ex natura praecepti affirmativi, obligantis pro loco et tempore. Praecepta enim affirmativa, licet, quantum est ex parte

temporis, non obligent nisi tempus necessitatis articulum adducat, ut Auctor, in *IV Sent.*, dist. xvii, qu. iii, art. 1, qu. 4, dixit; ex parte tamen motivi ad differendum, rationem requirunt: nam si sine rectae rationis arbitrio dilatio voluntaria fit, peccatum incurritur. Potest ergo tandiu differre quis proprium baptismum, quandiu rationabiliter ad differendum movetur. Quod diversis hominibus diversimode accidere potest. Et propterea diversa invenitur diversorum dilatio.

Et quamvis tam incertam temporis mensuram dilatio baptismi habeat, dilatio tamen usque ad mortis articulum licita non est, ut patet *de Consecr.*, dist. IV, cap. *Quando quis*: arguuntur enim negligentiae huiusmodi dilatores. Nec Constantinum credimus distulisse ex proposito usque ad mortem baptisma: sed, cum differret illud usque ad tempus optatum, interim in ultimis constitutus differendum non censuit.

Ex iure autem positivo scripto, si tempus aliquod praefixum est, — quod fateor me non invenire, et gesta dictorum sanctorum testantur, — non esset differendus ultra tempus praefixum.

\* Sulpic. Sever., *De B. Martini Vita Liber*, cap. 1.  
\* Vide *Vit. S. Ambros.*, auctore Paulino, n. 7, 9.  
\* Num. 40.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PECCATORES SINT BAPTIZANDI

Infra, art. 8, ad 4.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccatores sint baptizandi. Dicitur enim Zach. XIII \*: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae*: quod quidem intelligitur de fonte baptismali. Ergo videtur quod sacramentum baptismi sit etiam peccatoribus exhibendum.

\* Vers. 1.

\* Vers. 12.

2. PRAETEREA, Dominus dicit, Matth. IX \*: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Male autem habentes sunt peccatores. Cum igitur

spiritualis medici, scilicet Christi, medicina sit baptismus, videtur quod peccatoribus sacramentum baptismi sit exhibendum.

3. PRAETEREA, nullum subsidium peccatoribus debet subtrahi. Sed peccatores baptizati ex ipso caractere baptismali spiritualiter adiuvantur: cum sit quaedam dispositio ad gratiam. Ergo videtur quod sacramentum baptismi sit peccatoribus exhibendum.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit \*: *Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te.* Sed

\* Serm. CLXIX, al. *de Verb. Apost.* XV, cap. xi.

peccator, cum habeat voluntatem non dispositam, non cooperatur Deo. Ergo frustra adhibetur sibi baptismus ad iustificationem <sup>α</sup>.

RESPONDEO DICENDUM quod aliquis potest dici peccator dupliciter. Uno modo, propter maculam et reatum praeteritum. Et sic peccatoribus est sacramentum baptismi conferendum: quia est ad hoc specialiter institutum ut per ipsum peccatorum sordes mundentur; secundum illud *Ephes. v\**: *Mundans eam*, scilicet Ecclesiam, *lavacro aquae in verbo vitae*.

Alio modo potest dici aliquis peccator ex voluntate peccandi et proposito persistendi in peccato. Et sic peccatoribus non est sacramentum baptismi conferendum. Primo quidem, quia per baptismum homines Christo incorporantur: secundum illud *Galat. iii\**: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Quandiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus: secundum illud *II Cor. vi\**: *Quae participatio iustitiae cum iniquitate?* Unde et Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia\**, quod *nullus suae voluntatis arbiter constitutus potest novam vitam inchoare, nisi eum veteris vitae poeniteat*. – Secundo, quia in operibus Christi et Ecclesiae nihil debet fieri frustra. Frustra autem est quod non pertingit ad finem ad quem est ordinatum\*. Nullus autem habens voluntatem peccandi simul potest a peccato mundari, ad quod ordinatur baptismus: quia hoc esset ponere contradictoria esse simul. – Tertio, quia in sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas. Est autem signum falsum cui res signifi-

cata non respondet. Ex hoc autem quod aliquis lavandum se praebet per baptismum, significatur quod se disponat ad interiorem ablutionem. Quod non contingit de eo qui habet propositum persistendi in peccato. Unde manifestum <sup>β</sup> est quod talibus sacramentum baptismi non est conferendum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illud verbum est intelligendum de peccatoribus qui habent voluntatem recedendi a peccato.

AD SECUNDUM DICENDUM quod spiritualis medicus, scilicet Christus, dupliciter operatur. Uno modo, interius per seipsum: et sic praeparat voluntatem hominis ut bonum velit et malum odiat. Alio modo operatur per ministros, exterius adhibendo sacramenta: et sic operatur perficiendo id quod est exterius <sup>γ</sup> inchoatum. Et ideo sacramentum baptismi non est exhibendum nisi ei in quo interioris conversionis aliquod signum apparet: sicut nec medicina corporalis adhibetur infirmo nisi in eo aliquis motus vitalis <sup>δ</sup> appareat.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus est *fidei sacramentum\**. Fides autem informis non sufficit ad salutem, nec ipsa est fundamentum, sed sola fides formata\*, *quae per dilectionem operatur*: ut Augustinus dicit, in libro *de Fide et Operibus\**. Unde nec sacramentum baptismi salutem conferre potest cum voluntate peccandi, quae fidei formam excludit. – Non autem est per impressionem characteris baptismalis aliquis disponendus ad <sup>ε</sup> gratiam, quandiu apparet in eo voluntas peccandi: quia *Deus neminem ad virtutem compellit*, sicut Damascenus dicit\*.

\* Vers. 26.

\* Vers. 27.

\* Vers. 14.

\* Serm. CCCLI, al. Homil. ult. inter Quinquagint. Homil., cap. II.

\* Cf. Arist. Physic. lib. II, cap. VI, n. 6. – S. Th. lect. X.

\* Ambros., de Spir. Sanct. lib. I, cap. III, n. 42; Aug. Ep. XCVIII, al. XXIII, ad Bonifac., n. 9. \* D. 611. \* Cap. XVI. – Cf. ad Galat., cap. V, vers. 6.

\* De Fide Orth., lib. II, cap. XXX.

<sup>α</sup>) Qui creavit... iustificationem. – GHsB a et editiones, nisi quod PG pro *adhibetur* legunt *adhiberetur*; om. DFI, spatium duarum linearum ACEpB; haec est corrigenda notat margo A. Margo P: *Alias, quia Augustinus ad Bonifacium dicit, In baptismo aliquis membrum Christi efficitur: sed nullus peccator persistens in voluntate peccandi potest fieri membrum Christi, quod est incorporari Christo. ergo huiusmodi peccator non est baptizandus: quia frustra*

*baptizaretur*. Vide Vol. XI. Praef. n. 21. notam codicum Ambrosiani et Brixiani.

<sup>β</sup>) *manifestum*. – Fa et tertia; *manifestandum*.

<sup>γ</sup>) *id quod est exterius*. – *id quod est interius* sH et b, *id quod est interius exterius* c, *exterius id quod est interius* P.

<sup>δ</sup>) *vitalis*. – *naturae* addit tertia.

<sup>ε</sup>) *disponendus ad*. – Pla; ad b, *disponendus per ceteri*.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN quarto articulo hoc solum notandum occurrit, quod Isermo litterae de peccato mortali intelligitur. Existentibus enim cum voluntate peccandi venialiter potest baptismus dari, monendo ipsos quod, nisi voluntatem mutant, gra-

tiam quidem filiorum Dei recipient, sed non secundum plenitudinem baptismalem; – et suo eos deinde arbitrio relinquere, ut ipsi viderint.

### ARTICULUS QUINTUS

#### UTRUM PECCATORIBUS BAPTIZATIS SINT OPERA SATISFACTORIA IMPONENDA

Supra, qu. XLIX, art. 3, ad 2; III Sent., dist. XIX, art. 3, qu<sup>a</sup> 2, ad 1; IV Cont. Gent., cap. LIX; Ad Rom., cap. XI, lect. IV.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda. Hoc enim ad iustitiam Dei pertinere videtur, ut pro quolibet peccato aliquis puniatur: secundum illud *Eccle. ult.\**: *Cuncta quae fiunt adducet Deus in iudicium*. Sed opera satisfactoria imponuntur peccatoribus in poenam praeteritorum peccatorum.

Ergo videtur quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.

2. PRAETEREA, per opera satisfactoria exercitantur peccatores de novo conversi ad iustitiam, et subtrahuntur occasiones <sup>α</sup> peccandi: nam *satisfacere est peccatorum causas excidere et peccatis aditum non indulgere\**. Sed hoc maxime necessarium est nuper baptizatis. Ergo videtur

\* Vers. 14.

\* De Eccl. Dogm. cap. XXIV, al. LIV. Inter Opera Aug.

<sup>α</sup>) *occasiones*. – Ea et tertia; ab occasione F, ad occasiones ceteri.

quod opera satisfactoria sint baptizatis iniungenda.

3. PRAETEREA, non minus debitum est ut homo Deo satisfaciat quam proximo. Sed nuper baptizatis iniungendum est quod satisfaciant proximis, si eos laeserunt. Ergo etiam est eis iniungendum ut Deo satisfaciant per opera poenitentiae.

SED CONTRA EST quod Ambrosius <sup>β</sup>\*, super Rom. XI\*, *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio*, dicit: *Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque planctum, vel etiam opus aliquod, sed solam fidem, et omnia gratis condonat.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Apostolus dicit, Rom. VI\*: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consequuti enim sumus ei per baptismum in mortem*: ita scilicet quod homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi. Manifestum est autem ex supra\* dictis quod mors Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, *non solum nostris, sed etiam totius mundi*, ut dicitur I Ioan. II\*. Et ideo ei qui baptizatur pro quibuscumque peccatis non est aliqua satisfactio iniungenda: hoc autem <sup>γ</sup> esset iniuriam facere passioni et morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizandorum <sup>δ</sup>.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Augu-

stinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum*\*, *ad hoc baptismus valet ut baptizati Christo incorporentur ut membra eius*. Unde ipsa poena Christi fuit satisfactoria pro peccatis baptizandorum: sicut et poena unius membri potest esse satisfactoria pro peccato <sup>ε</sup> alterius membri. Unde Isaiae LIII\* dicitur: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod nuper baptizati exercitandi sunt ad iustitiam, non per opera poenalia, sed per opera facilia: *ut quasi quodam lacte facilis exercitii promoveantur ad perfectiora*, ut Glossa\* dicit, super illud Psalmi\*\*, *Sicut ablactatus super matre sua*. Unde et Dominus discipulos suos de novo conversos a ieiunio excusavit, ut patet Matth. IX\*. Et hoc est quod dicitur I Pet. II\*\*\*: *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.*

AD TERTIUM DICENDUM quod restituere male ablata proximis, et satisfacere de iniuriis illatis, est cessare <sup>ζ</sup> a peccando: quia hoc ipsum quod est detinere aliena et proximum <sup>η</sup> non placare, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis iniungendum est quod satisfaciant proximis, sicut et quod desistant a peccato. Non est autem eis iniungendum quod pro peccatis praeteritis aliquam poenam patiantur.

<sup>β</sup>) Ambrosius. — Ambrosius dicit E, om. FGH. — dicit Gloria PI; dicit glossa Ambrosii Gloria H, dicit glossa gloria ceteri.  
<sup>γ</sup>) autem. — enim F et tertia praeter I.  
<sup>δ</sup>) baptizandorum. — baptizatorum PI.  
<sup>ε</sup>) baptizandorum... pro peccato. — Escorialis antiquus et Efa et

tertia (sed PEa legunt baptizatorum, et I om. Ad primum... baptizandorum); om.  
<sup>ζ</sup>) et satisfacere... est cessare. — P; est satisfacere... et cessare.  
<sup>η</sup>) et proximum. — est proximum laedere proximum autem laesum Hbc, et proximum laesum PEGI. — non om. A.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PECCATORES AD BAPTISMUM ACCEDENTES TENEANTUR SUA PECCATA CONFITERI

Ad Rom., cap. xi, lect. iv.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri. Dicitur enim Matth. III\* quod *baptizabantur multi a Iohanne in Iordane, confitentes peccata sua*. Sed baptismus Christi est perfectior quam baptismus Ioannis. Ergo videtur quod multo magis illi qui sunt baptizandi baptismo Christo, debeant sua peccata confiteri.

2. PRAETEREA, *Prov. XXVIII\** dicitur: *Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Sed ad hoc aliqui baptizantur ut de peccatis suis misericordiam consequantur <sup>α</sup>. Ergo baptizandi debent sua peccata confiteri.

3. PRAETEREA, poenitentia requiritur ante baptismum: secundum illud Act. II\*: *Agite poenitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum*. Sed confessio est pars poenitentiae. Ergo videtur quod confessio peccatorum requiratur ante baptismum.

SED CONTRA EST quod confessio peccatorum debet esse cum fletu: ut dicit Augustinus, in libro *de Poenitentia*\*: *Omnis ista varietas consideranda est et deslenda*. Sed, sicut Ambrosius dicit\*, *gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque planctum*. Ergo a baptizandis non est requirenda confessio peccatorum.

RESPONDEO DICENDUM quod duplex est peccatorum confessio. Una quidem interior, quae fit Deo. Et talis confessio peccatorum requiritur ante baptismum, ut scilicet homo, peccata sua recogitans, de eis doleat: *non enim potest inchoare novam vitam, nisi poeniteat eum veteris vitae*, ut Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia*\*.

Alia vero est confessio peccatorum exterior, quae fit sacerdoti. Et talis confessio non requiritur ante baptismum. Primo quidem, quia talis confessio, cum respiciat personam ministri, pertinet ad poenitentiae sacramentum, quod non requiritur ante baptismum, qui est *ianua omnium sacramentorum*. — Secundo, quia confessio exte-

\* Vers. 6.

\* Vers. 13.

\* Vers. 38.

\* Al. de Peccator. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvulor., lib. I, cap. xxvi.

\* Vers. 4.

\* Ord. implicite. \*\* Ps. cxxx, vers. 2.

\* Vers. 14 sqq. \*\* Vers. 2.

ζ η

\* Lib. de Vera et Falsa Poenit., cap. xiv. — Inter Opp. Aug. \* Comment. in Epp. B. Pauli, Ep. ad Rom. cap. xi, vers. 29. — Inter Opp. Ambr.

\* Serm. CCCLI, al. Homil. ult. inter Quinquagint. Homil., cap. II.

α) Sed... consequantur. — Om. P errore typographorum. — baptizandi P; baptizati.

rior, quae fit sacerdoti, ordinatur ad hoc quod sacerdos confitentem absolvat a peccatis, et liget ad opera satisfactoria, quae baptizatis non sunt imponenda, ut supra \* dictum est. Nec etiam baptizati indigent remissione peccatorum per claves Ecclesiae, quibus omnia remittuntur per baptismum. — Tertio, quia ipsa particularis confessio homini facta est poenosa, propter verecundiam confitentis. Baptizato autem nulla exterior poena imponitur. Et ideo a baptizatis non requiritur specialis confessio peccatorum: sed sufficit generalis, quam faciunt cum, secundum ritum Ecclesiae, *abrenuntiant Satanae et omnibus operibus* <sup>β</sup> eius. Et hoc modo dicit quaedam glossa \* Matth. III \*\*, quod in baptismo Ioannis *exemplum datur baptizandis confitendi peccata et promittendi meliora*.

Si qui tamen baptizandi ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda: non ad hoc quod satisfactio eis impo-

neretur; sed ad hoc quod contra peccata consuetas eis spiritualis vitae informatio tradatur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in baptismo Ioannis non remittebantur peccata, sed erat *baptismus poenitentiae* \*. Et ideo accedentes ad illud baptismum convenienter confitebantur peccata, ut <sup>γ</sup> secundum qualitatem peccatorum eis poenitentia determinaretur. Sed baptismus Christi est sine exteriori poenitentia, ut Ambrosius dicit \*. Unde non est similis ratio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod baptizatis sufficit confessio interior Deo facta, et etiam exterior generalis, ad hoc quod dirigantur et misericordiam consequantur: nec requiritur confessio specialis exterior, ut dictum est \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod confessio est pars poenitentiae sacramentalis, quae non requiritur ante baptismum, ut dictum est \*: sed requiritur interioris poenitentiae virtus.

\* Art. 5.

β  
\* Gloss. Ord.  
\*\* Vers. 6.\* Marc. cap. 1,  
vers. 4. - Cf. qu.  
xxxviii, art. 3.

γ

\* Loc. cit. in arg.  
Sed cont. - Cf.  
art. praec., arg.  
Sed cont.

\* In corpore.

\* In corpore.

β) operibus. — pompis tertia.

γ) ut. — et FGH. — secundum... baptismus Christi Efa et tertia; om. ceteri, sed in A suppletur manu recenti.

## Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quinto et sexto hoc solum occurrit suggerendum, ut ex devotione sua peccata confitentes ante baptismum non absolvantur: quoniam non sunt capa-

ces sacramenti poenitentiae ante baptismum. Nec eorum confessio talis esset sacramentalis, nisi forte per reductionem.

## ARTICULUS SEPTIMUS

## UTRUM EX PARTE BAPTIZATI REQUIRATUR INTENTIO SUSCIPIENDI SACRAMENTUM BAPTISMI

Infra, qu. LXIX, art. 9; IV Sent., dist. vi, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 3; dist. xxvii, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 4.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi. Baptizatus enim se habet sicut patiens in sacramento. Intentio autem non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis. Ergo videtur quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi baptismum.

2. PRAETEREA, si praetermittatur id quod requiritur ad baptismum, homo est denuo baptizandus: sicut cum praetermittitur invocatio Trinitatis, sicut supra \* dictum est. Sed ex hoc non videtur aliquis denuo baptizandus quod intentionem non habebat suscipiendi baptismum: alioquin, cum de intentione baptizati non constet, quilibet posset petere se denuo baptizari propter intentionis defectum. Non videtur ergo quod intentio requiratur ex parte baptizati ut suscipiat sacramentum.

3. PRAETEREA, baptismus contra peccatum originale datur. Sed originale peccatum contrahitur sine intentione nascentis. Ergo baptismus, ut videtur, intentionem non requirit ex parte baptizati.

SED CONTRA EST quod, secundum ritum Ecclesiae, baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia baptismum. Per quod profitentur suam intentionem de susceptione sacramenti.

RESPONDEO DICENDUM quod per baptismum aliquis moritur veteri vitae peccati, et incipit quandam vitae novitatem: secundum illud Rom. VI \*: *Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus*. Et ideo, sicut ad hoc quod homo moriatur veteri vitae, requiritur, secundum Augustinum \*, in habente usum liberi arbitrii, voluntas qua *eum veteris vitae poeniteat*; ita requiritur voluntas qua intendat vitae novitatem, cuius principium est ipsa susceptio sacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio, suscipiendi sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in iustificatione, quae fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria. Et ideo requiritur intentio recipiendi id quod ei datur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, si in adulto desset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Si tamen hoc non constaret, esset dicendum: *Si non es baptizatus, ego te baptizo* \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus ordinatur non solum contra originale peccatum, sed etiam contra actualia \*, quae per voluntatem et intentionem causantur.

\* Qu. LXVI, art. 6,  
arg. Sed cont.;  
art. 9, ad 3.

\* Vers. 4.

α

\* Serm. CCCLI,  
al. Homil. ult. in-  
ter Quinquagint.  
Homil., cap. II.

\* D. 265.

\* D. 583.

α) mortuis. — per gloriam Patris addunt E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat sumendus est. — In corpore, iuncto responsioni ad secundum, ubi dicitur, *Si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus* \*, dubium occurrit magnum, an ex parte baptizati ita necessaria sit intentio suscipiendi sacramentum baptismi ut, si illa desit, baptismus nullus sit.

\* Cf. num. x.

\* Cf. II<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>, qu. x, art. 12, Comment. num. III; et infra art. 10, Comment. num.

\* Cf. num. seq.

Et est ratio dubii varietas opinionum. Quidam enim, de quorum numero est Durandus \*, in IV *Sent.*, dist. iv, qu. vii, tenent universaliter, hoc est tam in adultis quam in parvulis, requiri consensum ex parte baptizati \*.

\* Cf. num. III, VII.

Alii vero, de quorum numero est Auctor in IV *Sent.*, dist. vi, qu. 1, art. 2, qu. 3, tenent totaliter oppositum: scilicet quod nec in parvulis nec in adulto, per se loquendo, exigitur voluntas propria \*. Dico autem, *per se loquendo*: quia in adultis exigitur voluntas propria per accidens, hoc est, ut removens prohibens, puta peccatum vel contrariam voluntatem.

\* Cf. num. IV.

Quidam autem, de quorum numero est Scotus, in IV *Sent.*, dist. iv, qu. iv, distinguendum putant inter adultum et puerum: tenentes quod in adulto requiritur voluntas, in parvulo autem non \*.

\* Cf. num. VII.

\* Cf. num. v.

Et quoniam quaestio est difficilis, videndum est quid roboris habeant rationes opinionum; et deinde rationabilior dicendi modus eligendus est \*.

II. Prima igitur opinio \*, tenens universaliter requiri consensum ex parte baptizati, fundatur, primo, super ritu Ecclesiae petentis a baptizando, *Vis baptizari?*

\* Loc. cit., n. 11.

Secundo, super hoc quod baptizari est passio voluntaria.

Tertio, procedit Durandus \* sic. Quidquid est de necessitate sacramenti in uno, est de necessitate sacramenti in omnibus: in similibus quidem similiter, et in proportionaliter. Sed voluntas recipiendi baptismum est de necessitate sacramenti in adultis. Ergo est etiam de necessitate sacramenti in parvulis. Proportionaliter tamen: hoc est, voluntate interpretativa quoad parvulos, sicut propria quoad adultos. — Probatur minor. Adultus simili modo debet se habere ad fidem, et ad *fidei sacramentum*. Sed *credere non potest nisi volens* \*. Ergo nec baptizari potest nisi volens. — Et confirmatur \* ex mandato Domini \*, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc., ubi Hieronymus \* dicit: *Non potest suscipi sacramentum, nisi anima fidei susceperit veritatem*.

\* Aug. In Ioan. Evang., tract. XXVI.  
\* Durand., loc. cit., n. 10.  
\* Matth. cap. xxviii, vers. 19.  
\* Comment. in Matth. lib. IV.

Affertur, quarto, ratio ex littera huius articuli, scilicet: Oportet inchoantem novam vitam velle illam, ac per hoc, eius principium, quod est baptismus.

\* Cf. num. 1, Alii; et num. vi.

III. Oppositae autem opinionis, scilicet quod non per se requiritur velle ex parte baptizati \*, fundamentum est quod tota efficacia sacramenti baptismi est ex parte ipsius sacramenti, nec requirit ex parte patientis nisi capacitatem absque contrarietate. Probaturque hoc ex eo quod de facto videmus parvulum omnem baptizatum non esse rebaptizandum. Et hinc sumitur ratio: Quidquid non est de necessitate sacramenti in uno, non est de necessitate sacramenti in reliquis. Sed consensus non est de necessitate sacramenti in parvulis. Ergo nec in adultis.

\* Cf. num. 1, Quidam.

IV. Tertiae autem opinionis \* ratio est quia, si adultus caret consensu, videtur quod contemnat. Oportet enim adultum aliquam habere devotionem ad sacramentum, aut contemnere ipsum, saltem interpretative.

Et ut ab hac ultima incipiamus, responsio seu ratio ista fugit quaestionem: quasi impossibile sit inveniri adultum neutrum respectu baptismi, sed oporteret in alteram partem declinare, hoc est, velle aut nolle baptizari. Quaestio autem est de veritate conditionalis, non curando de possibilitate antecedentis. Vertitur enim in quaestionem, si adultus neuter secundum voluntatem ad baptismum, baptizaretur dormiens, an esset postea baptizandus: hoc est, an susciperet characterem vel non. Cui quaestioni, ut patet, non satisfit per hanc opinionem declinantem ad alterum extremum.

V. Primae autem opinionis fundamentum primum, de ritu Ecclesiae \*, non cogit. Quoniam eodem Ecclesiae ritu petitur etiam a baptizando si credit in Deum Patrem omnipotentem, etc.: et tamen constat non exigi ad necessitatem sacramenti fidem, sive suam sive patrini, ex parte baptizati.

\* Num. II.

Secundum quoque fundamentum petit principium.

Tertium vero ambiguum assumit, scilicet in adulto requiri per se propriam voluntatem. Hoc est enim de quo est quaestio. — Et ad probationem dici facile potest similitudinem non tenere, scilicet quod adultus ita se debeat habere ad *sacramentum fidei* sicut se habet ad credere. Quoniam credere consistit manifeste in actione voluntaria, sacramentum autem fidei manifeste consistit in pati seu suscipere: et propterea non est simile.

Auctoritas autem Hieronymi non est ad propositum: quia de fide loquitur, quaestio autem est de velle.

\* Num. III.

VI. Secundae demum opinionis ratio \* reiici potest eodem modo, scilicet quod assumit probandum. Hoc enim est quod vertitur in dubium, an patiens in baptismo exigat velle ut necessariam dispositionem ad receptionem sacramenti: hoc enim est totum in quo consistit quaestio.

Quod autem additur, quod nullus puer baptizatus est rebaptizandus, licet negetur a tenentibus primam opinionem, magnam tamen secundum rationem vim habere videtur \*.

\* Cf. num. seq., Secundo.

VII. His excursis, dicendum mihi videtur, cum secunda opinione, quod, per se loquendo, non exigitur intentio seu voluntas ex parte baptizandi de necessitate sacramenti, sed sufficit in ipso non inveniri *obicem voluntatis contrariae*. Probaturque hoc dupliciter. Primo, auctoritate Innocentii III, Extra, *de Baptismo et eius effectu*, in cap. *Maiores causas* \*. Ibi enim, mota quaestione de suscipientibus characterem, et relata opinione quorundam dicentium characterem imprimi etiam invitis, refutata deinde hac opinione quoad totaliter invitos, concludit haec verba in calce: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimi operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem*: ubi manifeste patet intenta conclusio determinata ab Apostolica Sede.

\* *Maiores Ecclesiae causas.*

Secundo probatur utendo iam dicta \* ratione: Quod non est de necessitate sacramenti in uno recipiente baptismum, non est de necessitate sacramenti, per se loquendo, in quocumque recipiente baptismum. Sed in parvulis voluntas, etiam interpretativa, non exigitur ut propria dispositio ad recipiendum baptismum. Ergo in nullo baptizando requiritur, per se loquendo, consensus ad recipiendum baptismum. — Et probatur minor. Quia voluntas parentum non est dispositio aliqua, sed sola appropinquatio patientis ad agens, puta ministrum conferentem sacramentum. Constat enim approximantem passivum activo non esse necessarium ex parte patientis: tum quoniam aliunde potest suppleri, puta ex approximatione agentis ad patiens, vel ex removente obstaculum; tum quoniam extrinsecum hoc est. Patet vero voluntatem parentis solummodo approximare passivum activo, offerendo infantem baptismum, ex eo quod, si Iudaeus faceret filium baptizari, non ut nutriretur Christianus, sed totaliter nutriendum in Iudaeum, ob solamque corporis sanitatem infantem vellet baptizari, et hoc ipsum diceret, ac compelleret ministrum ad baptizandum, vel ipsemet baptizaret, in veritate infans esset baptizatus: et tamen tunc paterna voluntas nec ex caritate, nec ex spe, nec ex fide, nec ex Ecclesiae voluntate, ibi cooperaretur, quoniam Ecclesia, si sciret, resisteret tali oblationi. Nihil ergo facit oblatio pueri nisi quod approximatum passivum agentis, iniuriamque paterna tollit auctoritatis, quae illi irrogaretur si infans patre invito baptizaretur.

\* Num. III.

Sufficit ergo in baptizando non inveniri *obicem voluntatis contrariae*, ad hoc ut characterem suscipiat ex baptismo.

\* Num. VII.

VIII. Sed contra hoc instant dupliciter. Primo, utendo argumento allato in dicta decretali \*, quod scilicet sequeretur ex hoc quod aliquis adultus nunquam consentiens baptismi, *pertineret ratione sacramenti ad iurisdictionem ecclesiasticam, ac per hoc ad servandam regulam Christianae fidei foret rationabiliter compellendus*: quod est absurdum.

\* Loc. cit. supra, n. 8.

Obicitur quoque a Durando \*, probante quod voluntas adulti baptizandi requiritur per se. Nam si velle suscipere baptismum non sit in adulto dispositio necessaria ad baptismum secundum se, sequitur quod nolle, seu renuere, vel negligere suscipere ipsum, non erit impedimentum: quia non impedit nisi velle oppositum.

IX. Ad primum horum dicitur quod ratio procedit ex extrinsecis accidentibus, quale est iurisdicatio ecclesiastica: et propterea parum roboris habet. Veruntamen dupliciter solvi potest. Primo, quod casus iste aut impossibilis, aut plus quam rarissimus est, scilicet ut adultus neuter baptizetur. Regulae autem de iurisdictionis actibus, puta de compellendo et similibus, dantur secundum ea quae communitate eveniunt. — Secundo quod, uno inconvenienti dato,

multa inconvenientia sequi possunt. Et ideo, dato hoc inconvenienti quod minister temere baptizaret adultum neutrum, non est mirum sequi aliud inconveniens, scilicet quod talis esset de iurisdictione Ecclesiae ratione sacramenti, et non esset compellendus ad Christianitatem servandam, quia nunquam consentit, sed dormiens baptizatus est.

Ad objectionem vero Durandi respondetur quod sequela nihil valet. Et probatio nullius etiam apparentiae est. Quoniam nolle baptismum secundum se adversatur susceptioni baptismi, et ideo impedit ipsum: et non quia tollit suum contrarium, puta velle baptismum.

X. Nec putes Auctorem hoc in loco alterius fuisse opinionis \*: ut patet ex eo quod inferius \*\* dicit pueros infidelium, si invitis parentibus baptizarentur, fore baptizatos. Quod autem hic dixit, intelligendum est secundum id quod semper de facto invenitur in adultis: scilicet quod non invenitur neuter, sed aut habet velle aut nolle respectu baptismi, implicite vel explicite, etc. Et propterea verificatur quod, *si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus*: defectus enim intentionis contrariam haberet annexam intentionem.

\* Cf. num. I, init.  
\*\* Art. 10. — Cf. Comment. ibid. num. I.

## ARTICULUS OCTAVUS

## UTRUM FIDES REQUIRATUR EX PARTE BAPTIZATI

IV Sent., dist. II, qu. II, art. 4; dist. IV, qu. II, art. 3, qu<sup>a</sup> 2, ad 2; qu<sup>a</sup> 3; dist. VI, qu. I, art. 3, qu<sup>a</sup> 1; qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 3; dist. IX, art. 2, qu<sup>a</sup> 2, ad 2.

**A**D OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod fides requiratur ex parte baptizati. Sacramentum enim baptismi a Christo est institutum. Sed Christus, formam baptismi tradens, fidem baptismi praemittit, dicens, Marc. ult. \*: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Ergo videtur quod, nisi sit fides, non possit esse sacramentum baptismi.

\* Vers. 16.

2. PRAETEREA, nihil frustra in sacramentis Ecclesiae agitur. Sed secundum ritum Ecclesiae, qui accedit ad baptismum de fide interrogatur, cum dicitur: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* <sup>α</sup> Ergo videtur quod fides ad baptismum requiratur.

α

3. PRAETEREA, ad baptismum requiritur intentio suscipiendi sacramentum. Sed hoc non potest esse sine recta fide, cum baptismus sit rectae fidei sacramentum: per eum enim *incorporantur* homines Christo, ut Augustinus dicit, in libro de *Baptismo Parvulorum* \*: hoc autem esse non potest sine recta fide, secundum illud *Ephes. III* \*: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Ergo videtur quod ille qui non habet rectam fidem, non possit suscipere sacramentum baptismi.

\* Al. de Peccator. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvulorum. lib. I, cap. XXVI.  
\* Vers. 17.

4. PRAETEREA, infidelitas est gravissimum peccatum, ut in Secunda Parte \* habitum est. Sed permanentes in peccato non sunt baptizandi. Ergo nec etiam permanentes in infidelitate.

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. X, art. 3.

SED CONTRA EST quod Gregorius, scribens Quirico <sup>β</sup> Episcopo \*, dicit: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus ut qui apud haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut im-*

\* Registr. lib. XI, Epist. LXVII, al. LXI. — Cf. can. Ab antiqua, de Consecr., dist. IV.

*positione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiae revocentur*. Hoc autem non esset, si fides <sup>γ</sup> ex necessitate requireretur ad susceptionem baptismi.

γ

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex dictis \* patet, duo efficiuntur in anima per baptismum, scilicet character et gratia. Dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad baptismum. Uno modo, sine quo gratia haberi non potest, quae est ultimus effectus sacramenti. Et hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad baptismum: quia, sicut dicitur *Rom. III* \*, *iustitia Dei est per fidem Iesu Christi*.

\* Qu. LXIII, art. 6; qu. LXVI, art. 9.

\* Vers. 22.

Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad baptismum, sine quo character baptismi <sup>δ</sup> imprimi non potest. Et sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis: dummodo adsint cetera quae sunt de necessitate sacramenti. Non enim sacramentum perficitur per iustitiam hominis dantis vel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei.

δ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Dominus loquitur ibi de baptismo secundum quod perducit homines ad salutem secundum <sup>ε</sup> gratiam iustificantem: quod quidem sine recta fide esse non potest. Et ideo signanter dicit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*.

ε

AD SECUNDUM DICENDUM quod Ecclesia intendit homines baptizare ut emundentur a peccato: secundum illud *Isaiae XXVII* \*: *Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum*. Et ideo, quantum est de se, non intendit dare baptismum nisi ha-

\* Vers. 9.

α) omnipotentem. — etc. PI.

β) Quirico. — Quirino D, Quirito F, Quinto I; Alias Quirino margo P. — apud haeresim EF et tertia; apud bransim.

γ) si fides. — si recta fides HpG et b, si recta fides esset de ne-

cessitate baptismi non ergo recta fides PlsG et c. Pro requireretur, requiritur tertia.

δ) baptismi. — baptismatis P, baptismalis cetera tertia.

ε) secundum. — per tertia.

bentibus rectam fidem, sine qua non est remissio peccatorum. Et propter hoc interrogat ad baptismum accedentes, an credant. Si tamen sine recta fide aliquis baptismum suscipiat extra Ecclesiam, non percipit illud ad suam salutem. Unde Augustinus dicit\*: *Ecclesia paradiso comparata indicat nobis posse quidem baptismum eius homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem percipere vel tenere.*

AD TERTIUM DICENDUM quod etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi\*: et

ita non impeditur quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio qua intendit suscipere baptismum sicut Christus instituit, et sicut Ecclesia tradit.

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut sacramentum baptismi non est conferendum ei qui non vult ab aliis peccatis recedere, ita nec etiam ei qui non vult infidelitatem deserere. Uterque tamen suscipit sacramentum si ei conferatur, licet non ad salutem.

\* De Baptism. cont. Donatist., lib. IV, cap. I.

\* D. 604.

ζ) non. — DEF et tertia; nec.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo octavo, adverte verba Auctoris intelligi de adultis: quoniam rectam fidem necessario requiri ad ultimum effectum baptismi sonant. Et hoc dico propter par-

vulos, in quibus nec intentio nec fides ex parte baptizati requiritur.

ARTICULUS NONUS

UTRUM PUERI SINT BAPTIZANDI

1<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cxiii, art. 3, ad 1; IV Sent., dist. iv, qu. iii, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; dist. ix, art. 5, qu<sup>a</sup> 4, ad 2; dist. xviii, qu. i, art. 3, qu<sup>a</sup> 1; De Malo, qu. iv, art. 1; Quodl. IV, qu. vii, art. 1; qu. xii, art. 1.

AD NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod pueri non sint baptizandi. In eo enim qui baptizatur requiritur intentio suscipiendi sacramentum, ut supra\* dictum est. Huiusmodi autem intentionem non possunt pueri habere: cum non habeant usum liberi arbitrii. Ergo videtur quod non possint suscipere sacramentum baptismi.

2. PRAETEREA, baptismus est *fidei sacramentum*, ut supra\* dictum est. Sed pueri non habent fidem, quae consistit in *credentium voluntate*, ut Augustinus dicit, *super Ioan.*\* Nec etiam potest dici quod salventur in fide parentum: quia quandoque parentes sunt infideles, et sic magis per eorum infidelitatem damnarentur. Ergo videtur quod pueri non possint baptizari.

3. PRAETEREA, I Pet. iii\* dicitur quod homines *salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum.* Sed pueri neque conscientiam habent bonam vel malam, cum non habeant usum rationis: neque etiam convenienter ipsi interrogantur, cum non intelligant. Ergo non debent pueri baptizari.

SED CONTRA EST quod Dionysius dicit, ult. cap. *Eccl. Hier.*\*: *Divini nostri duces, scilicet Apostoli, probaverunt infantes recipi ad baptismum.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Apostolus dicit, *Rom. v\**, *si unius delicto mors regnavit per unum, scilicet per Adam, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum, Iesum Christum.* Pueri autem ex peccato Adae peccatum originale contra-

hunt: quod patet ex hoc quod sunt mortalitati subiecti, quae per peccatum primi hominis *in omnes pertransiit*, ut ibidem\* Apostolus dicit. Unde multo magis pueri possunt per Christum gratiam suscipere, ut regnent in vita aeterna. Ipse autem Dominus dicit, *Ioan. iii\**: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde necessarium fuit pueros baptizare<sup>a</sup>, ut, sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo.

Fuit etiam conveniens pueros baptizari ut, a pueritia nutriti in his quae sunt Christianae vitae, firmius in ea perseverent: iuxta<sup>β</sup> illud *Prov. xxii\**: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et hanc rationem assignat Dionysius, ult. cap. *Ecclesiastiae Hierarchiae\**.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod regeneratio spiritalis, quae fit per baptismum, quodammodo similis est nativitati carnali, quantum ad hoc quod, sicut pueri in maternis uteris constituti non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur, ita etiam pueri non habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiae constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiae salutem suscipiunt. Unde Augustinus dicit, in libro *de Peccatorum<sup>δ</sup> Meritis et Remiss.*\*: *Mater Ecclesia os maternum parvulis praebet, ut sacris mysteriis imbuantur: quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Si autem\* propterea recte fideles vocantur quoniam fidem per verba<sup>ε</sup> gestantium*

\* Art. 7.

\* Art. 4, ad 3; qu. xxxix, art. 5; qu. LXVI, art. 1, ad 1.

\* Tract. XXVI. — Cf. de Praedestinat. Sanct. lib. I, cap. v, in fine.

\* Vers. 21.

\* Part. III, § 11.

\* Vers. 17.

\* Vers. 12.

\* Vers. 5.

α

\* Vers. 6.

\* Loc. cit. supra.

γ

\* Lib. I, cap. xxv.

\* Cap. xix.

ε

a) baptizare. — baptizari PFla.  
β) iuxta. — secundum tertia.  
γ) ita etiam pueri non. — vel etiam nondum bc; nondum etiam cetera tertia.

δ) Peccatorum. — P; Peccatis et. Margo P: Alias, de meritis et remissione peccatorum. F om. et Remiss.  
ε) fidem per verba. — PEI; per verba bc, per fidem verba ceteri.



quodammodo profitentur, cur etiam non poenitentes habeantur, cum per eorundem verba gestantium diabolo et huic saeculo abrenuntiare monstrentur? Et eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriae intentionis, cum ipsi quandoque contranitantur et plorent: sed per actum eorum a quibus offeruntur.

\* Cont. duas Ep. Pelag. lib. I, cap. xxii.

\* Ep. XCVIII, al. XXIII, n. 4. ζ

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Augustinus, scribens Bonifacio \*, dicit, in Ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt, sicut ex aliis quae in baptismo remittuntur peccata traxerunt. Nec impeditur eorum salus si parentes sint infideles: quia, sicut Augustinus dicit, eidem Bonifacio scribens \*, offeruntur parvuli ad percipiendam spirituales gratiam, non tam ζ ab eis quorum gestantur manibus (quamvis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt), quam ab universa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, et quorum caritate ad communionem Sancti Spiritus adiunguntur. Infidelitas autem priorum paren-

tum, etiam si eos post baptismum daemoniorum sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet. Quia, ut ibidem \* Augustinus dicit, puer semel generatus per aliorum voluntatem, deinceps non potest vinculo alienae iniquitatis obstringi, ubi nulla η sua voluntate consentit: secundum illud, Ezech. xviii \*, « Sicut anima patris mea est, et anima filii: anima quae peccaverit, ipsa morietur ». Sed ideo ex Adam traxit quod sacramenti illius gratia solveretur, quia nondum erat anima separata vivens. Fides autem unius, immo totius Ecclesiae, parvulo prodest per operationem Spiritus Sancti, qui unit Ecclesiam et bona unius alteri communicat.

\* Num. 1.

η

\* Vers. 4.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut puer, cum baptizatur, non per seipsum, sed per alios credit; ita non per seipsum, sed per alios interrogatur, et interrogati confitentur fidem Ecclesiae in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei sacramentum \*. Conscientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso, non quidem actu, sed habitu, per gratiam iustificantem.

\* Cf. arg. 2.

ζ) tam. — PEI; tantum pB, tamen ceteri.

η) ubi nulla. — nisi nulla BpG, plures ambigui, nisi bc. Post mea est tertia praeter H addit ita. Pro separata, separatim PI.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo nono, in responsione ad primum et secundum, intellige accommodationem esse quandam in hoc quod Ecclesia pro parvulis credit, intendit, renuntiat, etc. Ad litteram enim, quia similitudo ex proprio derivatur, cum institutus esset ritus baptismi pro adultis, accommodatus est idem ritus ad parvulos, ut quod proprie fit ab adultis, secundum quandam similitudinem fieret a parvulo, non proprio, sed Ecclesiae ore. Et quoniam ad solemnitatem baptismi haec spectant, ideo sine his baptismus factus valet.

II. In responsione ad secundum, non sic intelligas Ecclesiae fidem prodesse infanti qui baptizatur, quasi meritum fidei existens in Ecclesia salvet infantem: quoniam infans non per fidem, sed per fidei sacramentum regulariter salvatur. Sed intellige Ecclesiae merita prodesse infanti et iuxta articulum communionis Sanctorum; et particulariter tum orando pro infante, tum applicando eundem sacramento ex corde puro et caritate plena.

### ARTICULUS DECIMUS

#### UTRUM PUERI IUDAEORUM VEL ALIORUM INFIDELIUM SINT BAPTIZANDI ETIAM INVITIS PARENTIBUS

II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. x, art. 12; Quodl. II, qu. iv, art. 2; III, qu. v, art. 1.



AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod pueri Iudaeorum vel aliorum infidelium sint baptizandi, etiam invitis parentibus. Magis enim debet homini subveniri contra periculum mortis aeternae quam contra periculum mortis temporalis. Sed puero in periculo mortis temporalis existenti est subveniendum, etiam si parentes per malitiam contraniterentur. Ergo multo magis est subveniendum pueris infidelium filiis α contra periculum mortis aeternae, etiam invitis parentibus.

2. PRAETEREA, filii servorum sunt servi, et in potestate dominorum. Sed Iudaei sunt servi regum et principum, et quicumque etiam alii infideles \*. Ergo absque omni iniuria possunt principes Iudaeorum filios, vel aliorum servorum infidelium, facere baptizari.

3. PRAETEREA, quilibet homo est magis Dei, a quo habet animam, quam patris carnalis, a quo

habet corpus. Non est ergo iniustum si pueri infidelium filii parentibus carnalibus auferantur, et Deo per baptismum consecrentur.

SED CONTRA EST quod in Decretis, dist. XLV \*, ex Concilio Toletano \*, sic dicitur: *De Iudaeis praecepit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre: non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustitiae.*

\* Can. Deludaeis.

\* Quarto, can. LVII.

RESPONDEO DICENDUM quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, iam, quantum ad ea quae sunt iuris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse. Et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt et induci ad suscipiendum baptismum.

Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quandiu ipsi sibi providere non possunt. Unde

\* Cap. Etsi Iudaeos, de Iudaeis, de Sarracenis, etc. — Cf. II<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>, qu. x, art. 10; Opusc. de Regim. Iud., ad Duciss. Brabant.

α) filiis. — per baptismum addit tertia.

\* Cf. Mag., IV Sent., dist. I, part. II, cap. Quæritur.

etiam et de pueris antiquorum dicitur quod *salvabantur in fide parentum* \*. Et ideo contra iustitiam naturalem esset si tales pueri, invitis parentibus, baptizarentur: sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium, invitis parentibus, baptizentur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod a morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem iuris civilis: puta, si aliquis a suo iudice condemnatur ad mortem, nullus debet eum violent

ter a morte eripere. Unde nec aliquis debet irrumpere ordinem iuris naturae, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet a periculo mortis aeternae.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Iudaei sunt servi principum servitute civili, quae non excludit ordinem iuris naturalis vel divini.

AD TERTIUM DICENDUM quod homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest. Unde puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curae naturaliter subiacet, et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo decimo, in corpore articuli, adverte Auctorem sentire, immo supponere, filios infidelium fore vere baptizatos, si invitis parentibus baptizarentur. Hoc enim supponit ratio dicens: *Esset periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes.*

\* IV Sent., dist. IV, qu. VII, n. 11.  
\* IV Sent., dist. IV, qu. IV, art. 4, opin. 2<sup>a</sup>.  
\* Comment. num. V, VII sqq.

Nec opus esse arbitror disputare hic cum Durando \* et Petro de Palude \*: quoniam ex supra dictis in articulo septimo \* satis apparet irrationabilem esse opinionem dicentium voluntatem extrinsecam requiri ex parte baptizati infantis de necessitate sacramenti.

II. In eodem, adverte Auctorem non facere differentiam quoad propositum inter filios Iudaeorum vel aliorum infidelium. Difficultas tamen specialis de Iudaeis ratione servitutis non est omissa, sed in responsione ad secundum soluta est.

Ubi scito, propter molestiam instantium et obiicientium quia filii servorum possunt ab eis auferri, et ablato possunt baptizari, ut testatur Ecclesiae consuetudo de filiis Aethiopum qui Christianis venduntur: ergo sine ablacione media possent etiam servorum infidelium filii invitis parentibus baptizari; ipsa namque ablacio non est medium ne-

cessarium ad licitum baptismum: — scito, inquam, distinguere inter id quod fit per se, et quod fit per accidens. Nam, per se loquendo, quantumcumque dominus possit auferre filium a servo, non tamen potest ea ratione auferre ut baptizet illum. Quia baptismus et ablacio sunt diversorum iurium: quoniam baptismus iuris est divini, ac per hoc ad patris ius spectans; ablacio vero civilis est iuris, ac per hoc ad domini ius spectat. Et propterea falsum est quod liceat ablatum filium a servo baptizare invitis parentibus: ablacio enim civilis non tollit ius paternum erga divina.

Nec Ecclesiae consuetudo habet ut baptizentur infantes Aethiopum praesentium: sed illos tantum pueros qui ut parentibus destituti habentur baptizat, praesupponens huiusmodi pueros venales tanquam sine parentibus essent. Et rationabiliter quidem: quoniam *chaos magnum* experimur interpositum, ita ut nulli unquam comparaverint parentes pro filiis, nec filii postmodum reversi sunt ad parentes, sed nutriuntur totaliter Christiani, et sic perseverant.

Multa hic omittimus circa praesentis articuli materiam, quia in aliis Commentariis \* meminimus nos scripsisse diffuse.

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. X, art. 12, Comm.

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM IN MATERNIS UTERIS EXISTENTES POSSINT BAPTIZARI

III Sent., dist. III, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 3, ad 1; IV, dist. I, qu. II, art. 6, qu<sup>a</sup> 2, ad 2; dist. III, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 3, ad 1; dist. VI, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; qu<sup>a</sup> 2, ad 1; dist. XXIII, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, ad 1, 2.

AD UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in <sup>α</sup> maternis uteris existentes possint baptizari. Efficacius est enim donum Christi ad salutem quam peccatum Aadae ad damnationem, ut Apostolus dicit, *Rom. v* \*. Sed pueri in maternis uteris existentes damnantur propter peccatum Aadae. Ergo multo magis salvari possunt per donum Christi. Quod quidem fit per baptismum. Ergo pueri in maternis uteris existentes possunt baptizari.

\* Vers. 15 sqq.

2. PRAETEREA, puer in utero matris existens aliquid matris esse videtur. Sed, baptizata matre, baptizatur quidquid est eius intra ipsam existens. Ergo videtur quod, baptizata matre, baptizetur puer in utero eius existens.

3. PRAETEREA, mors aeterna peior est quam mors corporalis. Sed de duobus malis minus

malum eligendum est. Si ergo puer in utero matris existens baptizari non potest, melius esset quod mater aperiretur et puer vi eductus baptizaretur, quam quod puer aeternaliter damnaretur, absque baptismo decedens.

4. PRAETEREA, contingit quandoque quod aliqua pars pueri prius egreditur: sicut legitur *Gen. xxxviii* \* quod, pariente Thamar, *in ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens, Iste egredietur prior. Illo vero manum retrahente <sup>β</sup>, egressus est alter*. Quandoque autem in tali casu imminet periculum mortis. Ergo videtur quod illa pars debeat baptizari, puero adhuc in materno utero existente.

\* Vers. 27 sqq.

β

SED CONTRA EST quod Augustinus, in Epistola *ad Dardanum* \*, dicit: *Nemo renascitur nisi primo*

\* Ep. CLXXXVII, al. LVII, cap. IX.

α) in. — pueri in F et tertia praeter I; cf. δ. — existentes om. F. |

β) retrahente. — EF et tertia; trahente.

nascatur. Sed baptismus est quaedam spiritualis regeneratio. Non ergo debet aliquis baptizari priusquam ex utero nascatur.

RESPONDEO DICENDUM quod de necessitate baptismi est quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur: cum baptismus sit quaedam ablutio, ut supra \* dictum est. Corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo abluere aqua: nisi forte dicatur quod ablutio baptismalis qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Sed hoc non potest esse: tum quia anima pueri, ad cuius sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris; tum quia corpus puerperii <sup>γ</sup> animati iam est formatum, et per consequens a corpore matris distinctum. Et ideo baptismus quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero existentem. Unde Augustinus dicit, *contra Iulianum* \*: *Si ad matris corpus id quod in ea concipitur pertinet, ita ut eius pars imputetur, non baptizaretur infans cuius mater baptizata est, aliquo mortis urgente periculo, cum gestaret in utero. Nunc vero, cum etiam ipse, scilicet infans, baptizetur, non utique ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat.* Et ita relinquitur quod nullo modo existentes in maternis uteris <sup>δ</sup> baptizari possunt.

\* Qu. LXVI, art. 1.

\* Lib. VI, cap. XIV, n. 43.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod pueri in maternis uteris existentes nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant. Unde non possunt subiici actioni humanae, ut

per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem. Possunt tamen subiici operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiae sanctificationem consequantur: sicut patet de sanctificatis in utero.

AD SECUNDUM DICENDUM quod membrum interius matris est aliquid eius per continuationem et unionem materialis <sup>ε</sup> partis ad totum. Puer autem in utero matris existens est aliquid eius per quandam colligationem corporum distinctorum. Unde non est similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod *non sunt facienda mala ut veniant bona*, ut dicitur *Rom. III* \*. Et ideo non debet homo occidere matrem ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit vivente puero <sup>ζ</sup> in utero, aperiri debet, ut puer baptizetur.

AD QUARTUM DICENDUM quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediat, in quo fundatur sensus <sup>η</sup>, debet baptizari, periculo imminente: et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum quaecumque alia pars egrediat, periculo imminente. Quia tamen in nulla partium exteriorum integritas <sup>θ</sup> ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod, propter dubium, quaecumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc. \*

γ) puerperii. — pueri Fa, patris H.  
δ) existentes. — pueri existentes F, infantes H, infantes (in maternis uteris) existentes editiones.  
ε) materialis. — naturalem Pl.

ζ) puero. — prole tertia praeter G.  
η) fundatur sensus. — fundatur sensus DGa, fundatur omnes sensus Plc.  
θ) integritas. — vitae integritas E, integritas vitae FI et editiones.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

\* P om. integr. Comment.

\* Art. 2, Comment.

IN articulo undecimo occurrit scribendum, et consequenter dicendum, sub correctione tamen, parvulos in maternis uteris periclitantes posse salvari: sicut superius \* diximus de infantibus qui non possunt baptizari. Posse autem salvari dico per sacramentum baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua benedictione prolis seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis.

Moveor autem ad hoc duplici ratione. Una est, rationabile esse ut divina misericordia providerit homini in quocumque naturali statu de aliquo remedio salutis, ita ut nullum reliquerit statum potentem allegare impossibile esse sibi salutis remedium. Esset autem sine omni remedio derelictus status morientium in utero, nisi parentum fides illis posset subvenire: salus enim quae potest a Deo in-

fanti in utero conferri ex speciali privilegio, non spectat ad remedium illius status, quoniam infra ordinem divinorum miraculorum concluditur.

Secundo, ex eo quod status ille est capax baptismi sanguinis. Si enim propter Christum infans in utero occideretur, martyr esset, non minus quam Innocentes. Rationabile siquidem videtur parentum fidem posse optando perducere ad id ad quod corporalis passio infantem ducit.

Quocirca caute et irreprehensibiliter ageretur, si periclitantibus in utero pueris ob maternam aegritudinem vel partus difficultatem, benedictio in nomine Trinitatis daretur: et causae discussio deinde divino reservaretur tribunali. Quis scit si divina misericordia huiusmodi baptismum in voto parentum acceptet: ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas sacramenti executionem excludit?

ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM FURIOSI ET AMENTES DEBEANT BAPTIZARI

I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cxiii, art. 3, ad 1; IV *Sent.*, dist. iv, qu. iii, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; dist. vi, qu. i, art. 2, qu<sup>a</sup> 3, ad 2; dist. xxiii, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 3, ad 2; dist. xxv, qu. ii, art. 1, ad 2; dist. xxxiv, art. 4, ad 1; *De Verit.*, qu. xxviii, art. 3, ad 2.

**A**D DUODECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod furiosi et amentes non debeant baptizari. Ad susceptionem enim baptismi requiritur intentio in eo qui baptizatur, ut supra \* dictum est. Sed furiosi et amentes, cum careant usu rationis, non possunt habere nisi inordinatam <sup>α</sup> intentionem. Ergo non debent baptizari.

\* Art. 7.

α

2. PRAETEREA, homo bruta animalia superexcedit in hoc quod habet rationem. Sed furiosi et amentes non habent usum rationis: et quandoque etiam in eis non expectatur, sicut expectatur in pueris. Ergo videtur quod, sicut bruta animalia non baptizantur, ita etiam nec tales furiosi et amentes debeant baptizari.

3. PRAETEREA, magis ligatus est usus rationis in furiosis vel amentibus quam in dormientibus. Sed baptismus non consuevit dari dormientibus. Ergo non debet dari amentibus et furiosis.

β

\* Cap. iv.

γ

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit <sup>β</sup>, IV *Confess.* \*, de amico suo, qui, *cum desperaretur, baptizatus est* <sup>γ</sup>. Et tamen in ipso baptismus efficaciam habuit. Unde et carentibus usu rationis aliquando baptismus dari debet.

RESPONDEO DICENDUM quod circa amentes et furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt a nativitate <sup>δ</sup> tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet. Et de talibus, quantum ad baptismi susceptionem, videtur esse idem iudicium et de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiae, ut supra \* dictum est.

\* Art. 9, ad 2.

δ

Alii vero sunt amentes qui ex sana mente quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt. Et tales sunt iudicandi secundum voluntatem quam habuerunt dum sanae mentis existerent. Et ideo, si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet exhiberi eis in furia vel amentia constitutis, etiam si tunc contradicant <sup>ε</sup>. Alioquin, si nulla voluntas suscipiendi baptismum

ε

in eis apparuit dum sanae mentis essent, non sunt baptizandi.

Quidam vero sunt qui, etsi a nativitate fuerint furiosi et amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt. Unde, si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti. Et debet eis sacramentum tunc conferri si periculum timeatur: alioquin melius est ut tempus expectetur in quo sint sanae mentis, ad hoc quod devotius suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas baptismum suscipiendi, baptizari non debent in amentia constituti.

Quidam vero sunt qui, etsi non omnino sanae mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur quod possunt de sua salute cogitare, et intelligere sacramenti virtutem. Et de talibus idem est iudicium sicut de his qui sanae mentis existunt, qui baptizantur volentes, non inviti.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod amentes qui nunquam habuerunt nec habent usum rationis, baptizantur ex intentione Ecclesiae, sicut ex ritu <sup>ζ</sup> Ecclesiae credunt et poenitent: sicut supra \* de pueris dictum est. Illi vero qui aliquo tempore habuerunt vel habent usum rationis, secundum propriam intentionem baptizantur, quam habent vel habuerunt tempore sanae mentis.

\* Art. 9, in respp. ad argg.

AD SECUNDUM DICENDUM quod furiosi vel amentes carent usu rationis per accidens, scilicet propter aliquod impedimentum organi corporalis: non autem propter defectum animae rationalis, sicut bruta animalia. Unde non est de eis similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod dormientes non sunt baptizandi nisi periculum mortis immineat. In quo casu baptizari debent si prius voluntas apparuit in eis suscipiendi baptismum, sicut et de amentibus dictum est \*: sicut Augustinus narrat, in IV libro *Confess.* \*, de amico suo, qui *baptizatus est nesciens*, propter periculum mortis.

\* In corpore.

\* Loc. cit. in arg. Sed cont.

α) nisi inordinatam. — ordinatam Pl.  
β) dicit. — In I sequitur spatium vacuum duarum linearum, post quod *Respondeo dicendum* etc. Cf. Vol. XI. Praef. n. 22.  
γ) baptizatus est. — nesciens addit tertia (pro I cf. β); eadem pro in ipso baptismus, baptismus in eo, et pro Unde et, Ergo.

δ) a nativitate. — E et tertia; ante nativitatem.  
ε) contradicant. — actu dicant H, actu (acta bc) contradicant cetera tertia.  
ζ) ex ritu. — (et Pl) ex actu I et editiones; Alias, ritu margo P.

## QUAESTIO SEXAGESIMANONA

## DE EFFECTIBUS BAPTISMI

IN DECEM ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXVI,  
Introd.

**D**EINDE considerandum est de effectibus baptismi\*.

Et circa hoc quaeruntur decem.

Primo: utrum per baptismum auferantur omnia peccata.

Secundo: utrum per baptismum liberetur homo ab omni poena.

Tertio: utrum baptismus auferat poenaltatem <sup>α</sup> huius vitae.

Quarto: utrum per baptismum conferantur homini gratiae et virtutes.

Quinto: de effectibus virtutum qui per baptismum conferuntur.

Sexto: utrum etiam parvuli in baptismo gratias et virtutes accipiant.

Septimo: utrum per baptismum aperiatur baptizatis ianua regni caelestis.

Octavo: utrum baptismus aequalem effectum habeat in omnibus baptizatis.

Nono: utrum fictio impediatur effectum baptismi.

Decimo: utrum, recedente fictione, baptismus obtineat suum effectum.

## ARTICULUS PRIMUS

## UTRUM PER BAPTISMUM TOLLANTUR OMNIA PECCATA

Infra, qu. LXXIX, art. 5, ad 1; II *Sent.*, dist. xxxii, qu. 1, art. 1, arg. 1 *Sed Cont.*; art. 2, ad 3; IV, dist. iv, qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, dist. xii, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, ad 3; dist. xiv, qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup> 2, ad 3; dist. xvii, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 6, ad 3; IV *Cont. Gent.*, cap. lxx, lxxii.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per baptismum non tollantur omnia peccata. Baptismus enim est quaedam spiritualis regeneratio, quae contraponitur generationi carnali. Sed per generationem carnalem homo contrahit solum originale peccatum. Ergo per baptismum solvitur solum originale peccatum.

2. PRAETEREA, poenitentia est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum. Sed ante baptismum in adultis requiritur poenitentia: secundum illud *Act. ii* \*: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*. Ergo baptismus nihil operatur circa remissionem peccatorum actualium.

3. PRAETEREA, diversorum morborum diversae sunt medicinae: quia, sicut Hieronymus dicit \*, *non sanat oculum quod sanat calcaneum*. Sed peccatum originale, quod per baptismum tollitur, est aliud genus peccati a peccato actuali. Ergo non omnia peccata remittuntur per baptismum.

SED CONTRA EST quod dicitur *Ezech. xxxvi* \*: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis <sup>β</sup> vestris*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Apostolus dicit, *Rom. vi* \*, *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Et postea \* concludit: *Ita et vos existimate mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro*. Ex quo patet quod per baptismum homo moritur vetustati peccati, et inci-

pit vivere novitati gratiae. Omne autem peccatum pertinet ad pristinam vetustatem. Unde consequens est quod omne peccatum per baptismum tollatur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Apostolus dicit, *Rom. v* \*, peccatum Adae non tantum potest quantum donum Christi, quod in baptismo percipitur: *nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem*. Unde et Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum* \*, quod, *generante carne, tantummodo trahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu, non solum <sup>γ</sup> originalis, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod nullius peccati remissio fieri potest nisi per virtutem passionis Christi: unde et Apostolus dicit, *Heb. ix* \*, quod *sine sanguinis effusione non fit remissio*. Unde motus voluntatis humanae <sup>δ</sup> non sufficeret ad remissionem culpae, nisi adesset fides passionis Christi et propositum participandi ipsam, vel suscipiendo baptismum, vel subiiciendo se clavibus Ecclesiae. Et ideo, quando aliquis adultus poenitens ad baptismum accedit, consequitur quidem remissionem omnium peccatorum ex proposito baptismi, perfectius autem ex reali susceptione baptismi.

AD TERTIUM DICENDUM quod ratio illa procedit de particularibus medicinis. Baptismus autem operatur in virtute passionis Christi, quae est universalis medicina omnium peccatorum: et per baptismum omnia peccata solvuntur <sup>ε</sup>.

\* *Exposit. in S. Marc.*, ad cap. ix, vers. 27, 28. - Inter Opp. Hieron.

\* Vers. 25.

β

\* Vers. 3.

\* Vers. 11.

\* Vers. 15 sqq.

\* *Al. de Peccat. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvul.*, lib. I, cap. xv, n. 20.

γ

\* Vers. 22.

δ

ε

α) poenaltatem. - poenaltates Pl.

β) inquinamentis. - iniquitatibus BpG et ac.

γ) solum. - FsB et tertia; om. Pro originalis, originalium omnes.

δ) humanae. - quae est in poenitente addunt E et tertia.

ε) solvuntur. - tolluntur P.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM PER BAPTISMUM LIBERETUR HOMO AB OMNI REATU PECCATI

Supra, qu. XLIX, art. 3, ad 2; qu. LXVIII, art. 5; infra, qu. LXXIX, art. 5, ad 1; qu. LXXXVI, art. 4, ad 3; III *Sent.*, dist. XIX, art. 3, qu<sup>a</sup> 2; Expos. litt.; IV, dist. IV, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 2; dist. XIV, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 2, ad 3; dist. XVIII, qu. I, art. 3, qu<sup>a</sup> 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LX, LXXII; *Ad Rom.*, cap. XI, lect. IV.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per baptismum non liberetur homo ab omni reatu peccati. Dicit enim Apostolus, *Rom. XIII* \*: *Quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Sed culpa non ordinatur nisi per poenam, ut Augustinus dicit \*. Ergo per baptismum non tollitur reatus poenae praecedentium peccatorum.

\* Vers. 1.

\* Ep. CXL, al. CXX, *ad Honorat.*, cap. II.

2. PRAETEREA, effectus sacramenti aliquam similitudinem habet cum ipso sacramento: quia sacramenta novae legis *efficiunt quod figurant*, ut supra \* dictum est. Sed ablutio baptismalis habet quidem aliquam similitudinem cum ablutione maculae, nullam autem similitudinem habere videtur cum subtractione reatus poenae. Non ergo per baptismum tollitur reatus poenae.

\* Qu. LXII, art. 1, ad 1.

3. PRAETEREA, sublato reatu poenae, aliquis non remanet dignus poena, et ita iniustum esset eum puniri. Si igitur per baptismum tollitur reatus poenae, iniustum esset post baptismum suspendere latronem, qui antea homicidium commisit. Et ita per baptismum tolleretur rigor humanae disciplinae: quod est inconveniens. Non ergo per baptismum tollitur reatus poenae.

\* *Comment. super Ep. ad Rom.* Int. Opp. Ambr. \* Vers. 29.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit \*, super illud *Rom. XI* \*, *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio: Gratia, inquit, Dei in baptismo omnia gratis condonat.*

\* Qu. XLIX, art. 3, ad 2; qu. LXVIII, art. 1, 4, 5.

\* Vers. 8.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, per baptismum aliquis incorporatur passioni et morti Christi: secundum illud *Rom. VI* \*: *Si*

*mortui sumus cum Christo, credimus quia etiam simul vivemus cum Christo.* Ex quo patet quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium ac si ipse passus et mortuus esset. Passio autem Christi, sicut supra \* dictum est, est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur liberatur a reatu omnis <sup>α</sup> poenae sibi debitae pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfacisset pro omnibus peccatis suis.

\* Qu. LXVIII, art. 5. - Cf. qu. XLVIII, art. 2, 4; qu. XLIX, art. 3.

α

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia <sup>β</sup> poena passionis Christi communicatur baptizato, in quantum fit membrum Christi, ac si ipse poenam illam sustinisset, eius peccata remanent ordinata per poenam passionis Christi.

β

AD SECUNDUM DICENDUM quod aqua non solum abluit, sed etiam refrigerat. Et ita suo refrigerio significat subtractionem reatus poenae, sicut sua ablutione <sup>γ</sup> significat emundationem a culpa.

γ

AD TERTIUM DICENDUM quod in poenis quae iudicio humano inferuntur, non solum attenditur qua poena sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quoad homines, qui sunt laesi et scandalizati per peccatum alicuius. Et ideo, licet homicida per baptismum liberetur a reatu poenae quoad Deum, remanet tamen adhuc obligatus quoad homines, quos iustum est aedificari de poena, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus princeps posset poenam indulgere.

α) *omnis*. - Om. H, *totius cetera tertia.*  
β) *quod, quia*. - sD a et tertia; *quod*. Ante *eius peccata* addunt et sic EF, ideo PHb, et ideo c.

γ) *ablutione*. - E et tertia; *emundatione*. Cf. art. 4 arg. 1. et solutionem.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PER BAPTISMUM DEBEANT AUFERRI POENALITATES PRAESENTIS VITAE

Supra, qu. XLIX, art. 3, ad 3; qu. LI, art. 5, ad 2; infra, art. 7, ad 3; I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXXV, art. 5, ad 2; qu. LXXXVII, art. 7, ad 1; qu. CIX, art. 9; II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CIV, art. 6, ad 1; II *Sent.*, dist. XXXII, qu. I, art. 2; dist. XLIV, qu. II, art. 2, ad 2, 3; III, dist. XIX, art. 3, qu<sup>a</sup> 2; IV, dist. IV, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; dist. XLVI, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, ad 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LV; *De Malo*, qu. IV, art. 6, ad 4; *Quodl.* VI, qu. IX, art. 1.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per baptismum debeant auferri poenalitates praesentis vitae. Ut enim Apostolus dicit, *Rom. V* \*, donum Christi potentius est quam peccatum Adae. Sed per peccatum Adae, ut ibidem \* Apostolus dicit, *mors in hunc mundum intravit*, et per consequens omnes aliae poenalitates praesentis vitae. Ergo multo

\* Vers. 15 sqq.

\* Vers. 12.

magis per donum Christi, quod in baptismo percipitur, homo a poenalitatibus praesentis vitae debet liberari.

2. PRAETEREA, baptismus aufert et culpam originalem et actualem, sicut supra \* dictum est. Sic autem aufert actualem culpam quod liberat ab omni reatu poenae consequentis <sup>α</sup> actualem culpam \*. Ergo etiam liberat a poenalitatibus

\* Art. 1.

α

\* Cf. art. 2.

α) *consequentis*. - *consequente PHc.*

praesentis vitae, quae sunt poena originalis peccati.

3. PRAETEREA, remota causa, removetur effectus. Sed causa harum poenalarum est peccatum originale, quod tollitur per baptismum. Ergo non debent huiusmodi poenalarum remanere.

\* Vers. 6.  
\* Lomb. ex Aug.  
β  
SED CONTRA EST quod, super illud Rom. vi \*, *Destruatur corpus peccati*, dicit Glossa \*: *Per baptismum id agitur ut vetus homo crucifigatur et corpus peccati destruat, non ita ut in ipsa vivente carne β concupiscentia respersa et innata repente absumatur et non sit, sed ne obsit mortuo quae inerat nato*. Ergo pari ratione nec aliae poenalarum per baptismum tolluntur.

\* Vers. 54.  
\* Art. praeced.; qu. LXVIII, art. 5.  
γ  
RESPONDEO DICENDUM quod baptismus habet virtutem auferendi poenalarum praesentis vitae: non tamen eas auferit in praesenti vita, sed eius virtute auferentur a iustis in resurrectione, quando *mortale hoc induet immortalitatem*, ut dicitur I Cor. xv \*. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quia per baptismum homo incorporatur Christo et efficitur membrum eius, ut supra \* dictum est. Et ideo conveniens est ut id agatur in membro incorporato quod est actum in capite. Christus autem a principio suae conceptionis fuit plenus gratia et veritate, habuit tamen corpus passibile, quod per γ passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde et Christianus in baptismo gratiam consequitur quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde Apostolus dicit, Rom. viii \*: *Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in nobis*. Et infra eodem \*: *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et simul glorificemur*.

\* Vers. 11.  
\* Vers. 17.  
\* Vers. 6.  
\* Lomb. ex Aug.  
Secundo, hoc est conveniens propter spirituale exercitium: ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo victoriae coronam acciperet. Unde super illud Rom. vi \*, *Ut destruat corpus peccati*, dicit Glossa \*: *Si post baptismum vixerit homo in carne, habet concupi-*

*piscentiam cum qua pugnet, eamque δ, adiuvente Deo, superet*. In cuius figura ε dicitur Iudic. iii \*: *Hae sunt gentes quas Dominus dereliquit ut erudiret in eis Israelem, et postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem praeliandi*. \* Vers. 1, 2.

Tertio, hoc fuit conveniens ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem praesentis vitae, et non propter gloriam vitae aeternae. Unde et Apostolus dicit, I Cor. xv \*: *Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. \* Vers. 19.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Glossa \* dicit, Rom. vi, super illud \*, *Ut ultra non serviamus peccato: Sicut ζ aliquis capiens hostem atrocissimum non statim interficit eum, sed patitur eum cum dedecore et dolore aliquantulum vivere; ita et Christus prius poenam alligavit, in futuro autem perimet*. \* Lomb. \* Vers. 6. ζ

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut ibidem \* dicit Glossa \*, *duplex est poena peccati, gehennalis et temporalis. Gehennalem prorsus delevit Christus, ut eam non sentiant baptizati et vere poenitentes. Temporalem vero nondum penitus tulit: manet enim fames, sitis et mors η. Sed regnum et dominium eius θ deiecit*, ut scilicet haec homo non timeat: *et tandem in novissimo eam penitus exterminabit*. \* Super vers. 6 sqq. \* Lomb.-Cf. Ord. η θ

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte \* dictum est, peccatum originale hoc modo processit quod primo persona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam. Christus vero converso ordine prius reparat id quod personae est, postmodum simul in omnibus reparabit id quod naturae est. Et ideo culpam originalis peccati, et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine. Sed poenalarum praesentis vitae, sicut mors, fames, sitis et alia huiusmodi, respiciunt naturam, ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali iustitia. Et ideo isti defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturae per resurrectionem gloriosam.

\* Ia IIae, qu. LXXXI, art. 1; qu. LXXXII, art. 1, ad 2. - Cf. supra, qu. VIII, art. 5, ad 1.

β) ipsa vivente carne. - GHb; ipso vivente carnis Pa, ipso vivente carne ceteri. - et innata Plc; innata. - Pro absumatur (quod assumatur scribunt codices et abc), observatur F.  
γ) per. - post Plc.  
δ) eamque. - Plc; et eam Ha, eam ceteri.  
ε) figura. - figuram Pl.

ζ) Sicut. - PEIc; Sicut si ed. a, Si ceteri.

η) mors. - et huiusmodi addit tertia.

θ) dominium eius. - PEHla; dominium etiam ABCD, dominium F, totum eius G, domum eius b, donum eius c. Pro haec, hoc I et editiones, om. a. Pro tandem, tamen GHb. Pro eam, eandem tertia.

## ARTICULUS QUARTUS

### UTRUM PER BAPTISMUM CONFERANTUR HOMINI GRATIA ET VIRTUTES

IV Sent., dist. III, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; dist. IV, qu. III, art. 1, qu<sup>a</sup> 2, ad 2; dist. IX, art. 1, qu<sup>a</sup> 2; dist. XVIII, qu. I, art. 3, qu<sup>a</sup> 1.

\* Art. 2, arg. 2; qu. LXII, art. 1, ad 1.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per baptismum non conferantur homini gratia et virtutes. Quia, sicut supra \* dictum est, sacramenta novae legis efficiunt quod figurant. Sed per ablutionem baptismi significatur emundatio animae a culpa, non

autem informatio animae per gratiam et virtutes. Videtur igitur quod per baptismum non conferantur homini gratia et virtutes.

2. PRAETEREA, illud quod iam aliquis adeptus est, non indiget iterum suscipere. Sed aliqui accedunt ad baptismum iam habentes gratiam et

\* Vers. 1, 2. virtutes: sicut *Act. x* \* legitur: *Vir quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius, centurio cohortis quae dicitur Italica, religiosus et timens Deum;*  
 \* Vers. 48. qui tamen postea a Petro baptizatus est \*. Non ergo per baptismum conferuntur gratia et virtutes.

3. PRAETEREA, virtus est habitus: ad cuius rationem pertinet quod sit qualitas difficile mobilis \*, per quam aliquis facilius et delectabiliter operetur \*. Sed post baptismum remanet in hominibus pronitas ad malum, per quod tollitur virtus; et consequitur difficultatem quis ad bonum, quod est actus virtutis. Ergo per baptismum non consequitur homo gratiam et virtutes.

\* Aristot. *Categ.* cap. vi, n. 4, 5.  
 \* Cf. Arist. *Ethic.* lib. II, cap. II, n. 8, 9; cap. III, n. 1. - S. Th. lect. II, III.  
 \* Vers. 5, 6. SED CONTRA EST quod, ad *Tii. III* \*, dicit Apostolus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, « idest per baptismum \* », et renovatio- nis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde, idest ad remissionem peccatorum et copiam vir- tutum,* ut Glossa \* ibidem exponit. Sic ergo in baptismo datur gratia Spiritus Sancti et copia virtutum.

\* Al. de *Peccat. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvul.*, lib. I, cap. xxvi.  
 \* Vers. 16. RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum* \*, *ad hoc baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur ut membra eius.* A capite autem Christo in omnia membra eius gratiae et virtutis plenitudo derivatur: secundum illud *Ioan. I* \*: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Unde manifestum est

quod per baptismum aliquis consequitur gratiam et virtutes.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut aqua baptismi per suam ablutionem significat emundationem culpae, et per suum refrigerium signi- ficat liberationem a poena, ita per naturalem claritatem significat splendorem gratiae et vir- tutum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dictum est \*, remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum secundum quod habet baptismum in voto, vel explicite vel implicite; et tamen, cum realiter suscipit baptismum, fit plenior re- missio, quantum ad liberationem a tota poena. Ita etiam ante baptismum Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Chri- sti et desiderium baptismi, implicite vel explicite: postmodum tamen in baptismo maiorem copiam gratiae et virtutum consequuntur. Unde super illud *Psalmi* \*, *Super aquam refectionis educavit me,* dicit Glossa \*: *Per augmentum virtutis et bo- nae operationis educavit in baptismo.*

AD TERTIUM DICENDUM quod difficultas ad bonum et pronitas ad malum inveniuntur in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quae non tollitur in bap- tismo. Sicut tamen per baptismum diminuitur concupiscentia, ut non dominetur, ita etiam di- minuitur utrumque istorum <sup>α</sup>, ne homo ab his superetur.

<sup>α</sup>) istorum. - ditorum IsG et editiones, dotorum pG, doctorum H. Pro ab his superetur, superetur GH, superetur ab his b, superetur ab aliis c.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CONVENIENTER ATTRIBUANTUR BAPTISMO PRO EFFECTIBUS QUIDAM ACTUS VIRTUTUM, SCILICET INCORPORATIO AD CHRISTUM, ILLUMINATIO, FECUNDATIO

IV *Sent.*, dist. III, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 4, ad 3; art. 3, qu<sup>a</sup> 1; dist. IV, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 3 sqq.; dist. V, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 2; dist. VIII, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 1.

\* Vers. 16. AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod incon- venienter attribuantur baptismo pro effectibus quidam actus virtutum, scilicet *incorporatio ad Christum, illu- minatio, fecundatio.* Non enim baptismus datur adulto nisi fidei: secundum illud *Marc. ult.* \*: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed per fidem aliquis incorporatur Christo: secundum illud *Ephes. III* \*: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Ergo nullus baptizatur nisi iam Christo incorporatus <sup>α</sup>. Non ergo est effectus baptismi incorporari Christo.

\* Vers. 17. 2. PRAETEREA, illuminatio fit per doctrinam: secundum illud *Ephes. III* \*: *Mihi omnium <sup>β</sup> mi- nimo data est gratia haec, illuminare omnes,* etc. Sed doctrina praecedit baptismum in catechismo. Non ergo est effectus baptismi.

\* Vers. 8, 9. 3. PRAETEREA, fecunditas pertinet ad generatio- nem activam. Sed per baptismum aliquis rege-

neratur spiritualiter. Ergo fecunditas non est ef- fectus baptismi.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum* \*, quod *ad hoc valet baptismus ut baptizati Christo incorporentur.* Dio- nysius etiam, II cap. *Eccl. Hier.* \*, *illuminationem* <sup>γ</sup> attribuit baptismi. Et super illud *Psalmi* \*, *Super aquam <sup>δ</sup> refectionis educavit,* dicit Glossa \* quod *anima peccatorum, ariditate sterilis, fecun- datur per baptismum.*

RESPONDEO DICENDUM quod per baptismum ali- quis regeneratur in spiritualem vitam, quae est propria fidelium Christi: sicut Apostolus dicit, *Galat. II* \*: *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Vita autem non est nisi mem- brorum capiti unitorum, a quo sensum et mo- tum suscipiunt. Et ideo necesse est quod per baptismum aliquis incorporetur Christo quasi membrum ipsius. - Sicut autem a capite naturali

<sup>α</sup>) incorporatus. - FIsD et editiones; incorporato GH, incorporatur ceteri.  
<sup>β</sup>) omnium. - sanctorum addunt E et tertia.

<sup>γ</sup>) illuminationem. - Tertia; illuminationes.  
<sup>δ</sup>) aquam. - D et tertia praeter H; aqua H, aquas ceteri. educavit om. tertia, me addunt Fa.

\* Art. 1, ad 2; qu. LXVIII, art. 2.

\* Ps. xxii, vers. 2.  
 \* Lomb.

\* Al. de *Peccat. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvul.*, lib. I, cap. xxvi. - Cf. can. *Ad hoc baptism., de Consecr.*, dist. IV.  
 \* In titulo part. II. - Cf. cap. III.  
 \* Ps. xxii, vers. 2.  
 \* Interlin. et Lomb.

\* Vers. 20.



derivatur ad membra sensus et motus, ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra eius sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, et motus spiritualis, qui est per gratiae instinctum. Unde Ioan. I\* dicitur: *Vidimus eum plenum gratiae et veritatis: et de plenitudine eius omnes accepimus*. Et ideo consequens est quod baptizati illuminentur a Christo circa cognitionem veritatis, et fecundentur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiae infusionem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod adulti prius credentes in Christum sunt ei incorporati mentaliter. Sed postmodum, cum baptizantur<sup>ε</sup>, in-

corporantur ei quodammodo corporaliter, scilicet per visibile sacramentum: sine cuius proposito nec mentaliter incorporari potuissent.

AD SECUNDUM DICENDUM quod doctor illuminat exterius per ministerium catechizando: sed Deus illuminat interius baptizatos, praeparans corda eorum ad recipiendam doctrinam veritatis, secundum illud Ioan. VI\*: *Scriptum est in prophetis, Erunt omnes docibiles Dei*.

AD TERTIUM DICENDUM quod effectus baptismi ponitur fecunditas qua aliquis producit bona opera: non autem fecunditas qua aliquis generat alios in Christo, sicut Apostolus dicit, I Cor. IV\*, *In Christo Iesu per evangelium ego vos genui*.

<sup>ε</sup>) sed postmodum, cum baptizantur. — Tertia; sed si postmodum cum baptizantur ABCpD, Sed postmodum cum baptizentur (baptizantur E) EsD, Sed si postmodum baptizentur Fa.

## ARTICULUS SEXTUS

### UTRUM PUERI IN BAPTISMO CONSEQUANTUR GRATIAM ET VIRTUTES

II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. XLVII, art. 14, ad 3; IV Sent., dist. IV, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 1.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod pueri in baptismo non consequantur gratiam et virtutes. Gratia enim et virtutes non habentur sine fide et caritate. Sed *fides*, ut Augustinus dicit\*, *consistit in credentium voluntate*, et similiter etiam caritas consistit in diligentium voluntate: cuius usum pueri non habent, et sic non habent fidem et caritatem. Ergo pueri in baptismo non recipiunt gratiam et virtutes.

2. PRAETEREA, super illud Ioan. XIV\*, *Maiora horum faciet*, dicit Augustinus\* quod ut ex impio iustus fiat, *in illo, sed non sine illo Christus operatur*. Sed puer, cum non habeat usum liberi arbitrii, non cooperatur Christo ad suam iustificationem: immo quandoque pro posse renititur. Ergo non iustificatur per gratiam et virtutes.

3. PRAETEREA, Rom. IV\* dicitur: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputabitur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiae Dei*. Sed puer non est *credens in eum qui iustificat impium*. Ergo non consequitur gratiam iustificantem neque virtutes.

4. PRAETEREA, quod ex carnali intentione agitur, non videtur habere spirituales effectus. Sed quandoque pueri ad baptismum deferuntur carnali intentione, ut scilicet corporaliter sanentur. Non ergo consequuntur spirituales effectus gratiae et virtutum.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in *Enchirid.*\*: *Parvuli renascendo moriuntur illi peccato quod nascendo contraxerunt: et per hoc ad illos etiam pertinet quod dicitur, « Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, (subditur autem) ut, quomodo resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus »*. Sed novitas vitae est per gra-

tiam et virtutes. Ergo pueri consequuntur in baptismo gratiam et virtutes.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam antiqui\* posuerunt quod pueris in baptismo non dantur gratia et virtutes, sed imprimitur eis character Christi, cuius virtute, cum ad perfectam aetatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes.

Sed hoc patet esse falsum dupliciter. Primo quidem, quia pueri, sicut et adulti, in baptismo efficiuntur membra Christi. Unde necesse est quod a capite recipiant influxum gratiae et virtutis. — Secundo, quia secundum hoc pueri decedentes post baptismum non pervenirent ad vitam aeternam: quia, ut dicitur Rom. VI\*, *gratia Dei est vita aeterna*. Et ita nihil profuisset eis ad salutem baptizatos fuisse.

Causa autem erroris fuit quia nescierunt distinguere inter habitum et actum. Et sic, videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali: sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod fides et caritas consistunt in voluntate hominum, ita tamen quod habitus harum et aliarum virtutum requirunt potentiam voluntatis, quae est in pueris; sed actus virtutum requirunt actum voluntatis, qui non est in pueris. Et hoc modo Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum*\*, quod *parvulum, etsi nondum illa fides quae in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum, quod scilicet causat habitum fidei, fidelem facit*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Caritate*\*, *nemo ex aqua et Spi-*

\* Vers. 14, 16.

\* Ep. XCVIII, al. XXIII, ad Bonifac., n. 10. — Cf. can. Nihil est aliud, de Consecr., dist. IV.

\* Vers. 12.

\* In Ioan. Evang., tract. LXXII.

\* Vers. 5.

\* Cap. LII.

\* Cf. cap. Maiores, de Bapt. et eius effect.

\* Vers. 23.

\* Epist. cit. in arg. — Cf. can. cit. ibid.

\* Al. In Epist. Ioan. ad Parth., tract. III.

*ritu Sancto renascitur nisi volens.* Quod non de parvulis, sed de adultis intelligendum est. Et similiter de adultis intelligendum est quod homo a Christo *sine ipso non iustificatur.*

Quod autem parvuli baptizandi, prout viribus possunt, reluctantur, *non eis imputatur, quia in tantum nesciunt quid faciunt, ut nec facere videantur:* ut Augustinus dicit, in libro *de Praesentia Dei ad Dardanum* \*.

\* Ep. CLXXXVII, al. LVII, cap. VII.

\* Serm. CLXXVI, al. de Verb. Apost. X, cap. II, α

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit \*, *parvulis mater Ecclesia aliorum pedes accommodat ut veniant, aliorum cor<sup>α</sup> ut credant, aliorum linguam ut fateantur.* Et ita pueri credunt, non per actum proprium, sed per fidem

α) cor. — PBDFI; corda.

Ecclesiae, quae eis communicatur. Et huius fidei virtute conferuntur eis gratia et virtutes.

AD QUARTUM DICENDUM quod carnalis intentio deferentium pueros ad baptismum nihil eis nocet: sicut nec culpa unius nocet alteri, nisi consentiat. Unde Augustinus dicit, in Epistola *ad Bonifacium* \*: *Non illud te moveat quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt ut gratia spirituali ad vitam regenerentur aeternam, sed hoc eos putant remedio corporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.*

\* Cit. supra, in arg. 1, n. 5.

## ARTICULUS SEPTIMUS

### UTRUM EFFECTUS BAPTISMI SIT APERTIO IANUAE REGNI CAELESTIS

Supra, qu. xxxix, art. 5; III *Sent.*, dist. xviii, art. 6, qu<sup>a</sup> 3, ad 2; IV, dist. iv, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 6; IV *Cont. Gent.*, cap. LIX.

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod effectus baptismi non sit apertio ianuae regni caelestis. Illud enim quod est apertum, non indiget apertione. Sed ianua regni caelestis est aperta per passionem Christi: unde *Apoc. iv* \* dicitur: *Post haec vidi ostium magnum apertum in caelo.* Non est ergo effectus baptismi apertio ianuae regni caelestis.

\* Vers. 1.

2. PRAETEREA, baptismus omni tempore ex quo institutus<sup>α</sup> fuit, habet suum effectum. Sed quidam baptizati sunt baptismo Christi ante eius passionem, ut habetur *Ioan. iii* \*: quibus, si tunc decessissent, introitus regni caelestis non patebat, in quod nullus ante Christum introivit, secundum illud *Mich. ii* \*: *Ascendit pandens iter ante eos.* Non est ergo effectus baptismi apertio ianuae<sup>β</sup> regni caelestis.

\* Vers. 22, 26; cap. iv, vers. 1, 2.

\* Vers. 13.

β

3. PRAETEREA, baptizati adhuc sunt obnoxii morti et aliis poenalitibus vitae praesentis, ut supra \* dictum est. Sed nulli est apertus aditus regni caelestis quandiu est obnoxius poenae: sicut patet de illis qui sunt in purgatorio. Non ergo est effectus baptismi apertio ianuae regni caelestis.

\* Vers. 21.  
\* Beda, *In Luc. Exposit.* lib. I.

SED CONTRA EST quod super illud *Luc. iii* \*, *Apertum est caelum*, dicit Glossa \* Bedae: *Virtus*

α) institutus. — PFI; institutum.  
β) ianuae. — Om. H et editiones.

*hic baptismatis ostenditur: de quo quisque cum egreditur, ei regni caelestis ianua aperitur.*

RESPONDEO DICENDUM quod aperire ianuam regni caelestis est amovere impedimentum quo aliquis impeditur regnum caeleste intrare. Hoc autem impedimentum est culpa et reatus poenae. Ostensum est autem supra \* quod per baptismum totaliter<sup>γ</sup> omnis culpa et etiam omnis reatus poenae tollitur. Unde consequens est quod effectus baptismi sit apertio regni<sup>δ</sup> caelestis.

\* Art. 1, 2.

γ

δ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod baptismus in tantum aperit baptizato ianuam regni caelestis, in quantum incorporat eum passioni Christi, virtutem eius homini applicando.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quando passio Christi nondum erat realiter perfecta sed solum in fide credentium, baptismus proportionaliter causabat ianuae apertionem, non quidem in re, sed in spe. Baptizati enim tunc decedentes ex certa spe introitum regni caelestis expectabant.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptizatus non est obnoxius morti et poenalitibus vitae praesentis propter reatum personae, sed propter statum naturae. Et ideo propter hoc non impeditur ab introitu regni caelestis, quando anima separatur a corpore per mortem: quasi iam persoluto eo quod naturae debebatur.

γ) totaliter. — tollitur ed. a, om. Pc. Pro et etiam, et ideo F, et Pc. Ostensum... reatus poenae om. H.

δ) regni. — ianuae F, ianuae regni tertia.

### Commentaria Cardinalis Caietani

**I**N quaestione sexagesimaenonae primis septem articulis nihil occurrit scribendum, nisi, pro septimo articulo, notandum quod aperire ianuam regni caelestis per se primo est effectus mortis Christi. Attribuitur autem baptismi, eo quod in sui institutione *caeli aperti* leguntur \*; et quia sacramentum est inchoans, quoad vim obligativam, a morte Christi; et quia sufficienter causat apertionem caeli cui-

\* Matth. cap. iii, vers. 16; Marc. cap. i, vers. 10; Luc. cap. iii, vers. 21.

libet baptizato, dum tollit omnem culpam et poenam tam personae quam naturae, non statim assequendo totum suum effectum, sed tempore congruo. Ita quod, ut in articulo tertio patet, sicut virtute baptismi auferuntur a iustis in resurrectione omnes poenalitates, ita virtute baptismi aperitur ianua caelestis tempore congruo exhibitura ingressum. Et propterea baptizati ante mortem Christi non

\* In resp. ad 2.

nisi post Christi mortem ingressi sunt regnum caelorum. Et hoc vocat Auctor \* *habere certam spem de introitu caelesti*. Et in hoc praeminebat baptizatus circumciso: circumcisio enim non habebat virtutem tollendi omnem poenalitatem, quam habet baptismus\*. — Quamvis etiam dici possit quod baptismus ante mortem Christi, quia imperfe-

\* Cf. qu. LXX, art. 4, ad 5.

cte configurabat morti Christi, utpote configurans Christo mortuo non in re sed in fide; ita etiam imperfecte aperiebat caelum, ut littera responsionis ad secundum sonat.

Et haec sint dicta pro dignitate baptismi. Quantum enim spectat ad eventum, Christo mortuo patuit ianua caelestis tam baptizato quam circumciso.

## ARTICULUS OCTAVUS

## UTRUM BAPTISMUS HABEAT IN OMNIBUS AEQUALEM EFFECTUM

IV Sent., dist. iv, qu. ii, art. 3, qu<sup>a</sup> 1, 2, 3.

**A**D OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus non habeat in omnibus aequalem effectum. Effectus enim baptismi est remotio culpae. Sed in quibusdam plura peccata tollit quam in aliis: nam in pueris tollit solum peccatum originale; in adultis autem etiam actualia, in quibusdam plura, in quibusdam vero pauciora. Non ergo aequalem effectum habet baptismus in omnibus.

2. PRAETEREA, per baptismum conferuntur homini gratia et virtutes. Sed quidam post baptismum videntur habere maiorem gratiam et perfectiorem virtutem quam alii baptizati. Non ergo baptismus habet aequalem effectum in omnibus.

3. PRAETEREA, natura perficitur per gratiam sicut materia per formam. Sed forma recipitur in materia secundum eius capacitatem. Cum ergo in quibusdam baptizatis, etiam pueris, sit maior capacitas naturalium quam in aliis, videtur quod quidam maiorem gratiam consequantur quam alii.

4. PRAETEREA, quidam in baptismo consequuntur non solum spiritualem salutem, sed etiam corporalem: sicut patet de Constantino, qui in baptismo mundatus est a lepra\*. Non autem omnes infirmi corporalem salutem consequuntur in baptismo. Ergo non habet aequalem effectum in omnibus.

\* Cf. Lib. Pontifical. Damasi Papae. — Vide Comment.

\* Vers. 5.

SED CONTRA EST quod dicitur *Ephes. iv* \*: *Una fides, unum baptisma*. Uniformis autem causae est uniformis effectus. Ergo baptismus habet aequalem effectum in omnibus.

RESPONDEO DICENDUM quod duplex est effectus baptismi: unus per se, et alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad generandum<sup>a</sup> homines in spiritualem vitam. Unde, quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum, quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur, omnes aequalem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum: quidam enim cum maiori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt. Et ideo quidam plus, quidam minus

<sup>a</sup>) generandum. — regenerandum PFlc. Post vitam E et tertia addunt et hunc effectum aequaliter facit in omnibus qui aequaliter se habent ad baptismum.

<sup>β</sup>) tales. — I et editiones; talis. Pro suscipiuntur, suscipitur Fa.

de gratia novitatis accipiunt: sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat.

Effectus autem baptismi per accidens est ad quem baptismus non est ordinatus, sed divina virtus hoc in baptismo miraculose operatur: sicut super illud *Rom. vi* \*, *Ut ultra non serviamus peccato*, dicit Glossa \*: *Non hoc praestatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati, quae est in membris, prorsus extingatur*. Et tales<sup>β</sup> effectus non aequaliter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam si cum aequali devotione accedant: sed dispensantur huiusmodi effectus secundum ordinem providentiae divinae.

\* Vers. 6.

\* Lomb. ex Aug.

β

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod minima gratia baptismalis sufficiens est ad delendum cuncta peccata. Unde hoc non est propter maiorem efficaciam baptismi quod in quibusdam plura, in quibusdam pauciora peccata solvit, sed propter conditionem subiecti: quia in quolibet solvit quodcumque<sup>γ</sup> invenerit.

γ

AD SECUNDUM DICENDUM quod hoc quod in baptizatis maior vel minor gratia apparet, potest dupliciter contingere. Uno modo, quia unus in baptismo percipit maiorem gratiam quam alius propter maiorem devotionem, ut dictum est\*. Alio modo quia, etiam si aequalem gratiam percipiant, non aequaliter ea utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest.

\* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod diversa capacitas<sup>δ</sup> in hominibus non est ex diversitate mentis, quae per baptismum renovatur, cum omnes homines, eiusdem speciei existentes, in forma convenient: sed ex diversa dispositione corporum. Secus autem est in angelis, qui differunt specie. Et ideo angelis dantur dona gratuita secundum diversam capacitatem naturalium\*: non autem hominibus.

\* D. 316.

AD QUARTUM DICENDUM quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi, sed est quoddam miraculosum opus providentiae divinae.

<sup>γ</sup>) quodcumque. — quaecumque I, quocumque P.

<sup>δ</sup>) capacitas. — naturalium addunt I et editiones. Pro hominibus, omnibus hominibus GHbc.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo octavo, adverte Auctorem, in argumento quarto, recitative loqui de lepra Constantini. Dico autem hoc, quia nullius auctoritate constat Constantinum mundatum a lepra in baptismo. Tum quia *Gesta Sylvestri*, ex quibus hoc videtur haberi, incertum habent auctorem: ut patet in cap. *Sancta Romana*, dist. XV. — Tum quia nullus sive Christianus sive gentilis historicus invenitur hoc scripsisse:

ut testatur Platina, in vita Marci Papae. — Tum praecipue quia Ambrosii auctoritas obstat, dum, in Oratione *de Obitu Theodosii* \*, expresse dicit Constantinum in ultimis constitutum baptizatum fuisse: quod longe distat ab hoc, scilicet quod in principio suae conversionis fuerit baptizatus.

Et propterea narratio de lepra Constantini non est assertive probanda.

\* Num. 40.

ARTICULUS NONUS

UTRUM FICTIO IMPEDIAT EFFECTUM BAPTISMI

Infra, qu. LXXXVII, art. 3, ad 2; IV *Sent.*, dist. IV, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 3; qu. III, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2; dist. XII, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 3, ad 3.

\* Vide Comment. Caiet. post art. 10.

\* Vers. 27.

**A**D NONUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod fictio non impediat effectum baptismi. Dicit enim Apostolus, *Galat. III* \*: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Sed omnes qui baptismum Christi suscipiunt, baptizantur in Christo. Ergo omnes induunt Christum. Quod est percipere baptismi effectum. Et ita fictio non impedit baptismi effectum.

2. PRAETEREA, in baptismo operatur virtus divina, quae potest voluntatem hominis mutare in bonum. Sed effectus causae agentis non potest impediri per id quod ab illa causa potest auferri. Ergo fictio non potest impedire baptismi effectum.

3. PRAETEREA, baptismi effectus est gratia, cui peccatum opponitur. Sed multa sunt alia peccata graviora quam fictio, de quibus non dicitur quod effectum baptismi impediunt. Ergo neque fictio impedit effectum baptismi.

SED CONTRA EST quod dicitur *Sap. I* \*: *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum*. Sed effectus baptismi est a Spiritu Sancto. Ergo fictio impedit effectum baptismi.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Damascenus dicit \*, *Deus non cogit hominem ad iustitiam*. Et ideo ad hoc quod aliquis iustificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur et baptismum et baptismi effectum. Dicitur autem aliquis *fictus* per hoc quod voluntas eius contradicit vel baptismum, vel eius effectui. Nam secundum Augustinum \*, quatuor modis dicitur aliquis fictus: uno modo, ille qui non credit, cum tamen baptismus sit *fidei sacramentum* \*; alio

modo, per hoc quod contemnit ipsum sacramentum; tertio modo, per hoc quod aliter celebrat sacramentum, non servans ritum Ecclesiae; quarto, per hoc quod aliquis indevote accedit. Unde manifestum est quod fictio impedit effectum baptismi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod *baptizari in Christo* potest intelligi dupliciter. Uno modo, *in Christo*, id est, *in Christi conformitate*. Et sic quicumque baptizantur in Christo conformati ei per fidem et caritatem, induunt Christum per gratiam. — Alio modo dicuntur aliqui baptizari <sup>α</sup> in Christo, in quantum accipiunt Christi sacramentum. Et sic omnes induunt Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiae.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quando Deus voluntatem hominis de malo in bonum mutat, tunc homo non accedit fictus. Sed non semper hoc Deus facit. Nec ad hoc sacramentum ordinatur, ut de ficto fiat aliquis non fictus: sed ut non fictus aliquis accedens iustificetur.

AD TERTIUM DICENDUM quod fictus dicitur aliquis ex eo quod demonstrat se aliquid velle quod non vult. Quicumque autem accedit ad baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habere, et hoc sacramentum venerari, et velle se Ecclesiae conformare <sup>β</sup>, et velle a peccato recedere. Unde cuicumque peccato vult homo inhaerere, si ad baptismum accedit, fictus accedit, quod est indevote accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali, quod gratiae contrariatur: non autem de peccato veniali. Unde *fictio* hic quodammodo includit omne peccatum.

\* Vers. 5.

\* *De Fide Orth.*, lib. II, cap. xxx.

\* *Cf. de Baptismo cont. Donatist.*, lib. VII, cap. LIII.  
\* *Cf. qu. LXXXVIII*, art. 5, ad 3.

α) *baptizari*. — Tertia; *baptizati*.

β) *Ecclesiae conformare*. — *Ecclesiae conformari* I et per *Alias* margo P, *Christo conformare* (*conformari* P) cetera tertia.

## ARTICULUS DECIMUS

## UTRUM, FICTIONE RECEDENTE, BAPTISMUS SUUM EFFECTUM CONSEQUATUR

IV Sent., dist. I, qu. II, art. 4, qu<sup>a</sup> 1, ad 3; dist. IV, qu. III, art. 2, qu<sup>a</sup> 3; dist. XV, qu. I, art. 3, qu<sup>a</sup> 3, ad 2.

**A**D DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, fictione recedente, baptismus suum effectum non consequatur. Opus enim mortuum, quod est sine caritate, non potest unquam vivificari. Sed ille qui fictus accedit ad baptismum, recipit sacramentum sine caritate. Ergo nunquam potest vivificari hoc modo ut gratiam conferat.

2. PRAETEREA, fictio videtur esse fortior quam baptismus: cum impediatur eius effectum. Sed fortius non tollitur a debiliore. Ergo peccatum fictionis non potest tolli per baptismum fictione impeditum. Et sic baptismus non consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

3. PRAETEREA, contingit quod aliquis fecte accedit ad baptismum, et post baptismum multa peccata committit. Quae tamen per <sup>α</sup> baptismum non tollentur: quia baptismus tollit peccata praeterita, non futura. Ergo baptismus talis nunquam consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

\* De Baptismo cont. Donatist. lib. I, cap. XII.

SED CONTRA EST QUOD Augustinus dicit, in libro de Baptismo \*: *Tunc valere incipit ad salutem baptismum, cum illa fictio veraci confessione receserit, quae, corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem <sup>β</sup> non sinebat fieri.*

\* Qu. LXVI, art. 9.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, baptismus est quaedam spiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formae, nisi sit aliquid impediens; quo remoto, forma rei generatae perficit suum effectum: sicut simul cum

corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens; quo remoto, statim incipit moveri deorsum. Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem, quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod, ea remota per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sacramentum baptismi est opus Dei, et non hominis. Et ideo non est mortuum in ficto, qui sine caritate baptizatur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod fictio non removetur per baptismum, sed per poenitentiam <sup>γ</sup>: qua remota, baptismus aufert omnem culpam et reatum omnium peccatorum praecedentium baptismum, et etiam simul existentium cum baptismo. Unde Augustinus dicit, in libro de Baptismo \*: *Solvitur hesternus <sup>δ</sup> dies, et quidquid superest solvitur, et ipsa hora momentumque ante baptismum et <sup>ε</sup> in baptismo. Deinceps autem continuo reus esse incipit.* Et <sup>ζ</sup> sic ad effectum baptismi consequendum concurrunt baptismus et poenitentia: sed baptismus sicut causa per se agens; poenitentia sicut causa per accidens, id est removens prohibens.

\* Loc. cit. supra.

γ

δ

ε

ζ

AD TERTIUM DICENDUM quod effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed praesentia vel praeterita. Et ideo, recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per poenitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut <sup>η</sup> peccata praecedentia baptismum.

η

α) per. — Plc; post. Pro tollentur, tolluntur Pl.  
β) ablutionem. — Alias, abolitionem margo P.  
γ) poenitentiam. — subsequentem addit tertia. — omnem om. tertia.  
δ) hesternus. — Pac; esternus Eb, exterius ABCDH vel strictius interpretando exerius BC, extrema F, externus G, exermis I.

ε) ante baptismum et. — F et tertia; ante baptismum ed. a, autem baptismum ceteri.  
ζ) esse incipit. Et. — EFa et tertia; est incipit etiam.  
η) sicut. — EFa et tertia; sed sicut.

## Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo nono et decimo multa dicenda sunt, specialiter pro doctrina decimi. Et primo, de sensu conclusionis; secundo, de necessitate \*; tertio, de modo apud Auctorem \*; quarto, de ratione illius modi \*\*; et demum comparabitur aliis modis \*.

\* Cf. num. II.  
\* Cf. num. III.  
\*\* Cf. num. IV.  
\* Cf. ibid., De quinto.

Sensus in primis conclusionis est, non de eventu, sed de effectu baptismi, recedente fictione. Quod ideo notandum est, quoniam non tractatur hic an, recedente fictione, baptizatus fiat *filius Regni*, consequatur remissionem: nullus enim dubitat de hoc eventu. Sed tractatur an in tali casu ex vi baptismi consequatur baptizatus remissionem, etc. Et hic est sensus conclusionis.

\* Cf. num. praec.

II. Necessitas autem talis assertionis \* est duplex. Prima est auctoritas Augustini, in libro de Baptismo; relata et a Magistro Sententiarum, in IV distinctione Quarti \*; et a Gratiano, de Consecr., dist. IV, cap. *Tunc valere*. Et habetur in hac littera: *Tunc valere incipit ad salutem baptismus*, etc. \* Ubi expresse Augustinus dicit baptismum ipsum valere ad

\* Cap. Qui vero.

\* Art. 10, arg. Sed cont.

salutem, recedente fictione: licet Glossa ibidem, contra textum, dicat oppositum \*.

\* Cf. num. v, fin.

Secunda est ratio ex peccato originali sumpta. Quia si peccatum originale nec tempore baptismi, neque postea virtute baptismi remittitur, sequitur quod nunquam peccatum originale huic homini remissum fuerit. Et probatur sequela: quia non aliud a Christo institutum est remedium ad remissionem peccati originalis nisi baptismus. Ut ergo nulli baptizato, qui tunc vel postea inter *filios adoptionis* est, baptismalis gratia desit, docuit Augustinus baptismum, recedente fictione, valere ad salutem.

Quam doctrinam doctores posteriores adeo sunt venerati et complexi ut non horruerint multas inde consequentes difficultates: et inde fateamur baptizatum fecte non oportere confiteri, recedente fictione, de peccatis commissis ante baptismum. Augustini ergo tam suscepta auctoritas necessitat.

III. Modus quo hoc fieri Auctor tenet in hac littera \*, \* Cf. num. I.

non est ille qui sibi attribuitur; quem ipse olim, in IV *Sent.*, dist. iv, qu. iii, art. 2, qu. 3, tenuit. Ibi siquidem opinatus est fieri hoc quia character manebat disponens ad gratiam. Hic autem opinatur hoc fieri quia character, ut forma substantialis, manet; et gratia, sublato impedimento, quasi proprius effectus consequitur, ut patet in littera.

Ubi sunt duae difficultates: una ad hominem; et altera ad rem. Ad hominem quidem, quia Auctor superius \*, tractans de character, posuit ipsum esse dispositionem remote ad gratiam, et non formam ex qua fluit gratia. Unde et posuit illum in genere potentiae \*, et subiective in intellectu \*: ex quo non est nata fluere gratia in essentiam animae.

Ad rem vero, quoniam character non se habet ad gratiam ut forma ad consequens proprium: sed potius gratia est forma, ad quam comitatur, mediante sacramento, character. Et eminentioris ordinis constat esse gratiam, quae *divinae sumus naturae consortes* \*, quam character, communis bonis et malis.

IV. Ad evidentiam horum, sciendum est coactum fuisse Auctorem ad hunc modum \* ut salvaret Augustini doctrinam, cum communi doctrina de causalitate sacramentorum. Non videtur enim posse intelligi rem aliquam, postquam desiit esse, habere suum effectum, nisi aliquantulum illa remanserit. Videmus enim in his quae proiciuntur, tandiu durare motum projectorum, quandiu vis proicientis aliquo modo manet sive in aere sive in corpore projecto (nihil enim refert ad propositum). Similiter videmus posthumos ideo genitos mortuo patre, quia semen patris remansit in materno utero. Et sic de aliis. Unde, cum baptismus desinat esse peracto sacramento; et tunc, propter fictionem in baptizato, non valeat ad salutem; et inde ad duos annos recedente fictione, valeat idem baptismus ad salutem, quod nihil aliud est quam conferre illam remissionem quam fictio impedivit tunc fieri, hoc enim significat baptismum valere ad salutem: consequens est quod baptismus aliquo modo remaneat, seu aliquid habeat aut relinquat manens, ratione cuius valorem seu effectum consequatur post biennium. Hac necessitate satisfaciendi hominibus more humano compulsus Auctor accommodationem hanc similitudinariam quam in littera habes, adinvenit.

Unde non oportet laborare ad salvandum hunc processum ut proprium, seu ex propriis: sed intelligendus est ut accommodatio quaedam similitudinaria ad manducandum intellectum novitiorum ut percipiant quomodo baptismus, recedente fictione, incipit valere ad salutem. Scivit enim Auctor gratiam, propriam bonis, non consequi characterem, communem bonis et malis, ut proprius effectus sequitur formam: cum hoc tam manifestum sit ut minimi theologo scient. Unde non proprie voluit intelligi, sed secundum similitudinem: ut sicut in naturalibus, cessante causa, remanente tamen forma, statim habentur consequentia, nisi adsit impedimentum; et, si impedimentum adfuerit, consequentia illa statim cum remotum fuerit, habentur, propter remansionem formae ad quam nata erant sequi; ita in supernaturalibus sacramenti baptismi, cum generatur Christianus quoad esse de familia Christi, seu, quod idem est, quoad esse membrum Christianae religionis, suscipit per baptismum characterem ut formam qua constituitur in tali esse, nam character formaliter homo est Christianae religionis membrum, est de familia Christi; et ad huiusmodi formam natum est ex divinae largitatis ordine consequi infusionem gratiae remissivae omnis culpae et omnis poenae, nisi obex fictionis obstiterit. Et propterea, cessante fictione, sequetur infusio gratiae remissivae culpae et poenae, propter praesentem formam chara-

cteris, ad quem secundum ordinem divinae largitatis nata est sequi infusio gratiae baptismalis.

Tenet itaque character utrumque locum, et dispositionis et formae, diversimode considerato baptizate. Nam baptismus in quantum generativus est *filiorum adoptionis*, gratiam habet pro principali effectu ut forma. In quantum vero generativus est Christiani, hoc est, membri Christianae religionis seu familiae, habet pro principali effectu characterem. Qui pro eo quod infallibili ordine annexam habet gratiam si fictio non impedit, et recedente fictione annecti sibi vindicat gratiam, formae substantiali assimilatur. Pro eo vero quod annexio gratiae novam exigit principalis agentis infusionem recedente fictione, dispositioni magis assimilatur, quae, secundum infallibilem causarum ordinem, cessante impedimento, ad terminum ducit. Unde vana videtur sollicitudo quaerentium quid aut quomodo operetur character, recedente fictione, ad gratiam baptismalem.

Et ex his patet solutio difficultatum motarum, tam ad hominem quam ad rem. Et quarto loco propositum \* expeditum simul est. \* Num. i.

De quinto \* autem pertranseundum videtur: quoniam in solis verbis dissensio forte est inter diversos doctores. Nullum enim puto sanae mentis apud se credidisse gratiam, cessante fictione, comitari characterem sine nova Dei actione gratiae baptismalis infusiva. \* Ibid.

V. In responsione ad secundum et tertium \*, advertendum est in fide baptizato inveniri diversorum temporum peccata, scilicet peccata praesentia et futura; et praesentia inveniri dupliciter intelligi, vel propter perseverantiam maculae aut actualis commissionis seu omissionis simul cum baptismo, vel propter ipsum impedire sacramenti effectum. Inter quae tanti refert quod sola fictio, quae nihil aliud videtur quam impeditio gratiae, per poenitentiam delenda est, cum peccatis commissis post baptismum: reliqua autem per baptismi valorem, recedente fictione, delentur. Ad hoc enim videtur deservire littera \* dicens, *et etiam simul existentium cum baptismo*. \* Art. 10.

Excipitur autem sola fictio, quoniam ipsa est quae contrariatur sacramento. Nec puto fictionis peccato intelligendum in proposito crimen illud quod fundat fictionem, puta incredulitatem: sed ipsam malam susceptionem sacramenti, quae sacrilegii species est. Hic enim actus est proprie fictio: quoniam isto actu monstrat qui baptizatur se velle quod non vult. Et confirmatur hoc ex verbis Augustini \* dicentis: *Cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae, corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri*. Ex hoc enim quod nullam speciem peccati fictioni tribuit nisi sacrilegium, insinuas videtur quid sit illa fictio. \* Ibid., ad 2.

Et hinc sequitur quod talis fictus sufficienter confiteretur dicendo se iniuriam fecisse baptismo ponendo illi obicem peccati mortalis, et confitendo commissa post baptismum.

Adverte quoque aliud esse *dimidiam a Deo expectare veniam*: et aliud esse variis mediis a Deo expectare veniam. Primum est *impium* \*. Secundum hic docemur, dum baptizatus per medium poenitentiae et per medium baptismi simul a Deo expectat veniam. Cogimur autem ad utrumque simul medium recurrere: quia credimus praecedentia peccata remitti quoad culpam et poenam totaliter, hoc enim continet gratia baptismalis; fictionem vero, cum posterioribus peccatis, remitti quidem quoad culpam, quoad poenam vero non nisi quantum sacramento poenitentiae remittitur.

Unde apparet falsitas allegatae superius \* Glossae: praeter id quod est contra textum. \* Num. ii.

\* Qu. LXIII, art. 4, ad 1.

\* Ibid., art. 2; art. 4, ad 2.

\* Ibid., art. 4, ad 3.

\* II Petr. cap. 1, vers. 4.

\* Cf. num. 1.

\* Ibid., arg. Sed cont.

\* Can. Sunt plures, de Poenit., dist. III.

## QUAESTIO SEPTUAGESIMA

### DE CIRCUMCISIONE

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXVI, Introd.  
α  
\* Qu. LXXI.

**D**EINDE considerandum est de praeparatoriis dab baptismum\*. Et primo quidem, de praeparatorio quod praecessit baptismum, scilicet de circumcissione; secundo, de praeparatoriis quae currunt α simul cum baptismo, scilicet de catechismo et exorcismo\*.

Circa primum quaeruntur quatuor.  
Primo: utrum circumcissio fuerit praeparatoria et β figurativa baptismi.  
Secundo: de institutione ipsius.  
Tertio: de ritu eius.  
Quarto: de effectu ipsius.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM CIRCUMCISSIO FUERIT PRAEPARATORIA ET FIGURATIVA BAPTISMI

I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cv, art. 1, ad 3; IV *Sent.*, dist. viii, qu. i, art. 2, qu<sup>a</sup> 2, ad 5.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod circumcissio non fuerit praeparatoria et figurativa baptismi. Omnis enim figura habet aliquam similitudinem cum suo figurato. Sed circumcissio nullam habet similitudinem cum baptismo. Ergo videtur quod non fuerit praeparativa γ et figurativa baptismi.

2. PRAETEREA, Apostolus dicit, I *Cor.* x\*, de antiquis Patribus loquens, quod *omnes in nube et in mari baptizati sunt*: non autem dicit quod in circumcissione baptizati sint. Ergo protectio columnae nubis, et transitus maris Rubri, magis fuerunt praeparatoria ad baptismum et figurativa ipsius quam circumcissio.

3. PRAETEREA, supra\* dictum est quod baptismus Ioannis fuit praeparatorius ad baptismum Christi. Si ergo circumcissio fuit praeparatoria et figurativa baptismi Christi, videtur quod baptismus Ioannis fuit superfluus. Quod est inconueniens. Non ergo circumcissio fuit praeparatoria et figurativa baptismi.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Coloss.* II\*: *Circumcisi estis circumcissione non manu facta in exspoliatione corporis carnis: sed circumcissione Iesu Christi, consepulti ei in baptismo.*

RESPONDEO DICENDUM quod baptismus dicitur *sacramentum fidei*\*: in quantum scilicet in baptismo fit quaedam fidei professio, et per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem est fides nostra et antiquorum Patrum: secundum illud Apostoli, II *Cor.* IV\*: *Habentes eundem spiritum fidei credimus.* Cir-

cumcissio autem erat quaedam protestatio fidei δ: unde et per circumcissionem antiqui congregabantur ε collegio fidelium. Unde manifestum est quod circumcissio fuerit praeparatoria ad baptismum et praefigurativa ipsius: secundum quod antiquis Patribus ζ *omnia in figura futuri contingebant*, ut dicitur I *Cor.* x\*, sicut et fides eorum erat de futuro.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod circumcissio habebat similitudinem cum baptismo quantum ad spiritualem effectum baptismi. Nam sicut per circumcissionem auferebatur quaedam carnalis pellicula, ita per baptismum homo exspoliatur a carnali conversatione.

AD SECUNDUM DICENDUM quod protectio columnae nubis, et transitus maris Rubri, fuerunt quidem figurae nostri baptismi, quo renascimur ex aqua, significata per mare Rubrum, et Spiritu Sancto, significato per columnam nubis: non tamen per haec fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcissionem. Et ideo praedicta duo erant tantum figurae, et non sacramenta. Circumcissio autem erat sacramentum, et η praeparatorium ad baptismum: minus tamen expresse figurans baptismum, quantum ad exteriora, quam θ praedicta. Et ideo Apostolus potius fecit mentionem de praedictis quam de circumcissione.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus Ioannis fuit praeparatorius ad baptismum Christi quantum ad exercitium actus. Sed circumcissio quantum ad professionem fidei, quae requiritur in baptismo, sicut dictum est\*.

\* Ambr. *de Spiritu Sancto*, lib. I, cap. III; Aug. *Ep.* XCIII, al. XXIII, ad Bonifac., n. 9.

\* Vers. 13.

α) currunt. — concurrunt F et tertia praeter I, β) et. — EsF et tertia; ac ed. a, ad ceteri.  
γ) praeparativa. — praeparatoria PFGa. — et figurativa om. F.  
δ) fidei. — Unde dicitur *Rom.* IV quod Abraham accepit circumcissionem tanquam signaculum fidei addunt E et tertia.  
ε) congregabantur. — aggregabantur PFGla.

ζ) Patribus. — Fa et tertia; temporibus: — Pro figura, figuram PGHc.

η) sacramentum, et. — DGHabc; etiam sacramentum P, sacramentum etiam ceteri.

θ) quam. — Ca et tertia (quod pG); om.

\* In corpore.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CIRCUMCISIO FUERIT CONVENIENTER INSTITUTA

I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cii, art. 5, ad 1; IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 4; qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup> 2, 3; art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2.

\* Art. praeced.  
\* Vers. 25.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod circumcisio fuerit inconvenienter instituta. Sicut enim dictum est \*, in circumcissione fiebat quaedam professio fidei. Sed a peccato primi hominis nullus unquam salvari potuit nisi per fidem passionis Christi: secundum illud *Rom.* iii \*: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Ergo statim post peccatum primi hominis circumcisio institui debuit, et non tempore Abrahae.

\* Vers. 3.

2. PRAETEREA, in circumcissione profitebatur homo observantiam veteris legis, sicut in baptismo profitetur observantiam novae legis: unde Apostolus dicit, *Galat.* v \*: *Testificor omni homini circumcidenti se quoniam debitor est universae legis faciendae.* Sed legalis observantia non est tradita tempore Abrahae, sed magis tempore Moysi. Ergo inconvenienter instituta est circumcisio tempore Abrahae.

\* Vers. 19.

3. PRAETEREA, circumcisio fuit figurativa et praeparativa baptismi. Sed baptismus exhibetur omnibus populis: secundum illud *Matth.* ult. \*: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ergo circumcisio non debuit institui ut observanda tantum ab uno populo Iudaeorum, sed ab omnibus populis.

\* Vers. 10 sqq.

4. PRAETEREA, carnalis circumcisio debet respondere spirituali sicut figura figurato. Sed spiritualis circumcisio, quae fit per Christum, indifferenter convenit utrique sexui: quia *in Christo Iesu non est masculus neque femina*, ut dicitur *Coloss.* <sup>α</sup> iii \*. Ergo inconvenienter est circumcisio instituta, quae competit solum maribus.

\* *Ad Galat.*, cap. iii, vers. 28.  
\* Vers. 10 sqq.  
\* *Deuter.*, cap. xxxii, vers. 4.  
\* Art. 1.

SED CONTRA EST quod, sicut legitur *Gen.* xvii \*, circumcisio est instituta a Deo, cuius *perfecta sunt opera* \*.

\* Vers. 18.  
\* *Gen.* cap. xii, vers. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, circumcisio erat praeparatoria ad baptismum in quantum erat quaedam professio fidei Christi, quam et nos in baptismo profitemur. Inter antiquos autem Patres, primus Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, cum dictum est ei, *Gen.* xxii \*: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.* Et ipse etiam primus se a societate infidelium segregavit, secundum mandatum Domini dicentis sibi \*: *Egredere de terra tua et de cognatione tua.* Et ideo convenienter circumcisio fuit instituta in Abraham.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adae, qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis vigeat in homine in tantum quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis, sed unusquisque pro suo libitu <sup>β</sup> fidem suam profitentibus signis protestabatur \*. Sed circa tempus Abrahae diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus. Obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiae usque ad peccata <sup>γ</sup> contra naturam \*. Et ideo convenienter tunc, et non ante, fuit instituta circumcisio, ad profitendum fidem et minuendum carnalem concupiscentiam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod legalis observantia tradi non debuit nisi populo iam congregato: quia lex ordinatur ad bonum publicum, ut in *Secunda Parte* \* dictum est. Populus autem fidelium congregandus erat aliquo signo sensibili: quod est necessarium ad hoc quod homines in quacumque religione adunentur, sicut Augustinus dicit, *contra Faustum* \*. Et ideo oportuit prius institui circumcisionem quam lex daretur. Illi autem Patres qui fuerunt ante legem, familias suas instruxerunt de rebus divinis per modum paternae admonitionis. Unde et Dominus dicit de Abraham \*: *Scio quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se ut custodiant viam Domini.*

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat: secundum illud *I Tim.* ii \*: *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Et ideo baptismus omnibus populis proponitur. Circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed significabat ipsam ut fiendam per Christum, qui erat ex Iudaeorum populo nasciturus. Et ideo illi soli populo data est circumcisio.

AD QUARTUM DICENDUM quod circumcisionis institutio <sup>δ</sup> est ut signum fidei Abrahae, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi \*: et ideo convenienter solis maribus competeat. Peccatum etiam <sup>ε</sup> originale, contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, non a matre, ut in *Secunda Parte* \* dictum est. Sed baptismus continet virtutem Christi, qui <sup>ζ</sup> est universalis salutis causa omnium, et *remissio omnium peccatorum* \*.

α) *Coloss.* - *Galat.* P. Cf. *Galat.* iii. 28. cum *Col.* iii. 11, et qq. LXVI. art. 10. arg. 3, et LXXII. art. 10. ad 3.  
β) *libitu*. - *libito* sG et editiones. - Pro *profitentibus*, aliquibus P; *Alias profitentibus* margo P.  
γ) *peccata*. - *peccatum* editiones et a.

δ) *circumcisionis institutio*. - *circumcisio instituta* Plc. Pro *ut signum, in signum* FlsG.  
ε) *Peccatum etiam*. - F et tertia; *Et peccatum E, Etiam peccatum* ceteri.  
ζ) *qui*. - *quae* BDF et tertia praeter P. Pro *salutis causa, causa salutis* EF et tertia. Pro *remissio, remissionis* tertia.

β  
\* Cf. *Gen.* cap. iv, vers. 3, 4; cap. viii, vers. 20; supra, qu. LXI, art. 3.

γ  
\* *Gen.* cap. xiii, vers. 13; cap. xix, vers. 5 sqq.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. xc, art. 2.

\* Lib. XIX, cap. xi.

\* *Gen.* cap. xviii, vers. 19.

\* Vers. 4.

δ  
\* *Ad Rom.*, cap. iv, vers. 11 sqq.

ε  
\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXXI, art. 5.

ζ  
\* Cf. *Postcomm.* fer. 3<sup>ae</sup> post Pentec.



## ARTICULUS TERTIUS

## UTRUM RITUS CIRCUMCISIONIS FUERIT CONVENIENS

I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cii, art. 5, ad 1; IV *Sent.*, dist. i, qu. ii, art. 3; *Ad Rom.*, cap. iv, lect. ii.\* *Gen.* cap. xvii, vers. 10 sqq.  
\* Art. 1, 2.

**A**D TERTIUM SIC PROCEditur. Videtur quod ritus circumcisionis \* non fuerit conveniens. Circumcisio enim, ut dictum est \*, fidei quaedam professio est. Sed fides in vi apprehensiva existit, cuius operationes maxime apparent in capite. Ergo magis debuit signum circumcisionis dari in capite quam in membro generationis.

2. PRAETEREA, ad usum sacramentorum sumimus ea quorum est communior usus: sicut aqua ad abluendum, et panem ad reficiendum. Sed ad incidendum communius utimur cultello ferro quam petrino. Ergo circumcisio non debuit fieri cultello petrino.

\* *Homil.* in festo Circumcis.

3. PRAETEREA, sicut baptismus instituitur in remedium originalis peccati, ita et <sup>α</sup> circumcisio, sicut Beda dicit \*. Sed nunc baptismus non differtur usque ad octavum diem, ne pueris periculum damnationis immineat propter originale peccatum, si non baptizati decedant. Quandoque etiam tardatur <sup>β</sup> baptismus post octavum diem. Ergo etiam circumcisioni non debuit determinari octavus dies, sed debebat quandoque praeveneri, sicut etiam quandoque tardabatur \*.

\* *Iosue* cap. v, vers. 4 sqq.

SED CONTRA EST quod *Rom.* iv, super illud, *Et signum accepit circumcisionis* \*, determinatur in Glossa \* praedictus circumcisionis ritus.

\* Vers. 11.  
\* *Ord. et Lomb.*  
\* Art. 2.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, circumcisio quoddam signum fidei est institutum a Deo, cuius sapientiae non est numerus \*. Determinare autem convenientia signa est sapientiae opus. Et ideo concedendum est quod ritus circumcisionis fuit conveniens.

\* *Ps.* cxlvi, vers. 5.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod circumcisio convenienter fiebat in membro generationis. Primo quidem, quia erat signum fidei qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum \*. – Secundo, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. – Tertio, quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiae, quae praecipue in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum.

\* *Ad Rom.*, cap. iv, vers. 11 sqq.

AD SECUNDUM DICENDUM quod cultellus lapideus non erat de necessitate circumcisionis. Unde non

invenitur tale instrumentum praecepto divino determinatum; neque communiter tali instrumento Iudaei utebantur ad circumcidendum; sed <sup>γ</sup> neque modo utuntur. Leguntur tamen aliquae circumcisiones famosae cultello lapideo factae: sicut legitur *Exod.* iv \*, quod *tulit Sephora acutissimam petram et circumcidit praeputium filii sui*; et *Iosue* v \* dicitur: *Fac tibi cultros <sup>δ</sup> lapideos, et circumcide secundo filios Israel*. Per quod figurabatur circumcisionem spiritualem esse faciendam per Christum, de quo dicitur, *I Cor.* x \*: *Petra autem erat Christus*.

\* Vers. 25.

\* Vers. 2.  
δ

\* Vers. 4.

AD TERTIUM DICENDUM quod octavus dies determinatus erat <sup>ε</sup> circumcisioni, tum propter mysterium: quia in octava aetate, quae est aetas resurgentium \*, quasi in octavo die, perficitur per Christum spiritualis circumcisio, quando auferet ab electis non solum culpam, sed etiam omnem poenalitatem. – Tum etiam propter tenetudinem infantis ante octavum diem. Unde etiam de aliis animalibus *Levit.* xxii \* praecipitur: *Bos, ovis et capra, cum generata fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suae: die autem octavo et deinceps offerri poterunt Domino*.

\* *Magist.* IV *Sent.*, dist. i, cap. *Fiebat autem*. – Cf. *Hug.* de S. *Vict. Summ. Sent.*, tr. iv, cap. i.

\* Vers. 27.

Erat autem octavus dies de necessitate praecipi: ita scilicet quod octavum diem praetermittentes peccabant, etiam si esset sabbatum; secundum illud *Ioan.* vii \*: *Circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi*. Non tamen erat de necessitate sacramenti: quia, si aliqui essent omittentes <sup>ζ</sup> octavum diem, postea poterant circumcidi.

\* Vers. 23.

ζ

Quidam \* etiam dicunt quod, propter periculum imminentis mortis, poterat octavus dies praeveneri. – Sed hoc nec ex auctoritate Scripturae, nec ex consuetudine Iudaeorum haberi potest. Unde melius est dicendum, sicut etiam Hugo de Sancto Victore dicit \*, quod octavus dies nulla necessitate praeveniebatur. Unde super illud *Prov.* iv \*, *Unigenitus eram coram matre mea*, dicit Glossa \* quod alius Bersabee parvulus \*\* non computabatur: quia, ante octavum diem mortuus \*, nominatus non fuit; et per consequens nec circumcisus.

\* Cf. *Magist.*, IV *Sent.*, dist. i, cap. *Si vero quaeritur*; *Autissiod. Summ.* lib. IV, de *Circumcis.*, cap. iii.\* *De Sacram.* lib. I, part. xii, cap. 2.

\* Vers. 3.

\* *Ord.*  
\*\* II *Reg.*, cap. xi, vers. 27.\* *Ibid.*, cap. xii, vers. 18.

α) ita et. – et ita AC, ita EGSH et b, ita ergo pH, ita etiam et I, ita etiam Pc. – nunc EI; om. editiones, noster ceteri.  
β) tardatur. – traditur PF, tradetur bc. – Inferius tradebatur Fc.  
γ) sed. – sed sicut DpB, om. I, sicut cetera tertia et sB.  
δ) cultros. – cultellos editiones. Pro *faciendam, fiendam* tertia praeter I.

ε) determinatus erat. – determinabatur H et editiones. – Pro *est aetas, erit aetas* P; *aetate... octavo* om. I.  
ζ) essent omittentes. – omittentes I, omittentes essent bc, omittabant P.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CIRCUMCISIO CONFERRET GRATIAM IUSTIFICANTEM

Supra, qu. LXII, art. 6, ad 3; IV Sent., dist. 1, qu. II, art. 4, qu<sup>a</sup> 3; De Verit., qu. XXVIII, art. 2, ad 12; Ad Rom., cap. IV, lect. II.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod circumcisio non conferebat gratiam iustifican-tem. Dicit enim Apostolus, Galat. II \*: Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est, id est sine causa \*. Sed circumcisio erat quaedam obligatio legis implendae: secundum illud Galat. V \*: Testificor omni homini circumcidenti se quoniam debitor est universae legis faciendae. Ergo, si ex circumcissione est iustitia, Christus gratis, id est sine causa, mortuus est. Sed hoc est inconveniens. Non ergo ex circumcissione erat gratia iustificans a peccato.

2. PRAETEREA, ante institutionem circumcissionis sola fides ad iustificationem sufficiebat: dicit enim Gregorius, in Moral. \*: Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres pro parvulis sola fides. Sed virtus fidei non est imminuta propter mandatum circumcissionis. Ergo sola fides parvulos iustificabat, et non circumcisio.

3. PRAETEREA, Iosue V \* legitur quod populus qui natus est in deserto per quadraginta annos, incircumcisus fuit. Si ergo per circumcisionem auferre- batur peccatum originale, videtur quod omnes qui in deserto mortui sunt, tam parvuli quam adulti, fuerint damnati. Et eadem obiectio est de pueris qui moriebantur ante octavum diem circumcissionis, qui praeveneri non debebat, sicut dictum est \*.

4. PRAETEREA, nihil impedit introitum regni caelestis nisi peccatum. Sed circumcisi ante pas- sionem impediabantur ab introitu regni caelestis. Non ergo per circumcisionem homines iustifica- bantur a peccato.

5. PRAETEREA, peccatum originale non dimit- titur sine actuali: quia impium est a Deo dimi- diam sperare veniam, ut Augustinus dicit \*. Sed nunquam <sup>α</sup> legitur quod per circumcisionem re- mitteretur actuale peccatum. Ergo neque etiam originale per eam dimittebatur.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, ad Valerium contra Iulianum \*: Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat <sup>β</sup> « signaculum iustitiae fidei », ad sanctificationem purgationis va- lebat parvulis originalis veterisque peccati <sup>γ</sup>: sicut etiam baptismus ex illo coepit valere tempore ad innovationem hominis, ex quo institutus est.

RESPONDEO DICENDUM quod ab omnibus com- munitur ponitur quod in circumcissione originale peccatum remittebatur. Quidam tamen dicebant

quod non conferebatur gratia, sed solum remit- tebatur peccatum. Quod Magister ponit in I dist. \* IV Sent., et Rom. IV \* in Glossa \*\*. – Sed hoc non potest esse: quia culpa non remittitur nisi per gratiam, secundum illud Rom. III \*: Iustificati gratis per gratiam ipsius, etc.

Et ideo alii \* dixerunt quod per circumcisio- nem conferebatur gratia quantum ad effectus remissionis culpae, sed non quantum ad effectus positivos: ne dicere cogentur quod gratia in cir- cumcissione collata sufficiebat ad implendum man- data legis, et ita superfluum fuit adventus Christi. – Sed etiam haec positio stare non potest \*. Primo quidem, quia per circumcisionem dabatur pueris facultas suo tempore perveniendi ad gloriam, quae est ultimus effectus positivus gratiae. Se- cundo, quia priores sunt naturaliter, secundum ordinem causae formalis, effectus positivi quam privati, licet secundum ordinem causae mate- rialis sit e converso: forma enim non excludit privationem nisi informando subiectum.

Et ideo alii dixerunt quod in circumcissione conferebatur gratia etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita aeterna: sed non quantum ad omnes effectus, quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec etiam ad implendum mandata legis. Quod etiam aliquando mihi \* visum est. – Sed diligenter consideranti apparet quod non est <sup>δ</sup> verum. Quia minima gratia potest resistere cui- libet concupiscentiae \*, et vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione man- datorum legis: minima enim caritas plus diligit Deum quam cupiditas millia <sup>ε</sup> auri et argenti \*.

Et ideo dicendum quod in circumcissione con- ferebatur gratia \* quantum ad omnes gratiae ef- fectus \*, aliter tamen quam in baptismo. Nam in baptismo confertur <sup>ζ</sup> gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumen- tum passionis Christi iam perfectae. Circumcisio autem conferebat gratiam in quantum erat signum fidei passionis Christi futurae <sup>η</sup> \*: ita scilicet quod homo qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem; vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde et Apostolus dicit, Rom. IV \*, quod Abraham accepit signum circum- cissionis, signaculum iustitiae fidei: quia scilicet iustitia ex fide erat <sup>θ</sup> significata, non ex circum- cissione significante. Et quia baptismus operatur

\* Vers. 21.

\* Gloss. Lomb.

\* Vers. 3.

\* Lib. IV, cap. m. Cf. can. Quod autem, de Con- secr., dist. IV.

\* Vers. 5, 6.

\* Art. 3, ad 3.

\* De Vera et Fals. Poenit., cap. IX (inter Opp. Aug.) – Cf. can. Sunt plures, de Poe- nit., dist. III.

\* De Nupt. et Concup., lib. II, cap. XI.

γ

α) nunquam. – nusquam P.  
β) quod erat. – quod erat in E, quae tunc erat sG, quae erat sI et editiones. – iustitiae fidei BDsG et a; iustitiae fidei Dei ACEF, fidei iustitiae Dei tertia. Pro sanctificationem, iustificationem G. Pro parvulis, magnis et parvulis sG. Margo P: alias, quae erat signacu- lum iustitiae fidei ad purgationem valebat magnis et parvulis etc.  
γ) veterisque peccati. – Tertia; peccati veterisque.  
δ) quod non est. – hoc non esse (est pH) tertia.  
ε) millia. – mille millium E, mala F, mille lbc; enim caritas... millia om. H.

ζ) confertur. – Plc; conferebatur. (H om. quantum ad... confertur gratia).  
η) Circumcisio autem... futurae. – In circumcissione autem confe- rebatur gratia, non ex virtute circumcissionis, sed ex virtute passionis Christi, cuius signum erat circumcisio Plc, sed c per Vel sic addit nostram lectionem, quam etiam margo P praebet per Alias. Codicum Brixiensis et Ambrosiani notam vide in Vol. XI. Praef. n. 16. et 27. – In textu nostro pro signum fidei, circumcisio fidei F, signum fidei et D.  
θ) ex fide erat. – erat ex fide Plc.

\* Cap. Ideo autem.  
\* Vers. 11.  
\*\* Cf. etiam Gloss. Ord.

\* Vers. 24.

\* Cf. Autissiod. Summ. lib. IV, de Circumcis., art. 2.

\* D. 342.

\* IV Sent., dist. I, qu. II, art. 4, qu<sup>a</sup> 3.

\* D. 684.

\* Ps. CXVIII, vers. 72.

\* D. 804.

\* D. 344.

\* D. 343.

\* Vers. 11.

θ

instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcisio, ideo baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo, et copiosiore gratiam confert quam circumcisio: maior enim est effectus rei iam praesentis quam spei.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa procederet si ex circumcissione esset iustitia aliter quam per fidem passionis Christi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut ante institutionem circumcissionis fides <sup>1</sup> Christi futuri iustificabat tam pueros quam adultos, ita et circumcissione data. Sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum huius fidei: quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus coeperant adunari ad cultum unius Dei. Probabile tamen est quod parentes fideles pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam *signaculum fidei*: sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant.

AD TERTIUM DICENDUM quod populus in deserto praetermittens mandatum circumcissionis excusabatur, tum quia nesciebant quando castra movebantur <sup>\*</sup>; tum quia, ut Damascenus dicit <sup>\*</sup>, non

<sup>\*</sup> De Fide Orth., lib. IV, cap. xxv.

necesse erat eos aliquod signum distinctionis ha-

bere quando seorsum ab aliis populis habitabant. Et tamen, ut Augustinus dicit <sup>\*</sup>, inobedientiam incurrebant qui ex contemptu praetermittebant.

Videtur tamen quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto, quia in Psalmo <sup>\*</sup> dicitur: *Non erat in tribubus eorum infirmus*: sed illi soli videntur mortui in deserto qui fuerant in Aegypto circumcisi. Si tamen aliqui ibi <sup>λ</sup> incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his et de his <sup>μ</sup> qui moriebantur ante circumcissionis institutionem. Quod etiam intelligendum est de pueris qui moriebantur ante octavum diem tempore legis.

AD QUARTUM DICENDUM quod in circumcissione auferebatur originale peccatum ex parte personae: remanebat tamen impedimentum intrandi in regnum caelorum ex parte totius naturae, quod fuit sublatum per passionem Christi. Et ideo etiam baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum. Sed <sup>v</sup> circumcisio, si haberet locum post passionem Christi, introduceret in regnum.

AD QUINTUM DICENDUM quod adulti, quando circumcidebantur, consequerentur remissionem non solum originalis <sup>ξ</sup>, sed etiam actualium peccatorum: non tamen ita quod liberarentur ab omni reatu poenae, sicut in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

<sup>\*</sup> *Quaest. in Iosuc*, qu. vi.

<sup>\*</sup> Ps. civ, vers. 37.

λ

μ

v

ξ

<sup>1</sup>) fides. — sola fides tertia.

<sup>z</sup>) movebantur. — movenda erant EF et tertia.

<sup>λ</sup>) aliqui ibi. — ibi aliqui I, aliqui PEsF et c, aliquis pF, etiam aliqui b; Si... incircumcisi om. H.

<sup>μ</sup>) de his et de his. — de his D, de eis b, de his et de eis GHc. — circumcissionis... moriebantur ante om. GHbc.

<sup>v</sup>) Sed. — Sed et PDEHI, Sed etiam sG et c.

<sup>ξ</sup>) originalis. — peccati addunt editiones.



QUAESTIO SEPTUAGESIMAPRIMA

DE CATECHISMO ET EXORCISMO

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXX,  
Introd.

DEINDE considerandum est de praeparatoriis  
quae simul currunt <sup>α</sup> cum baptismo\*.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum catechismus debeat praecedere  
baptismum.

Secundo: utrum baptismum debeat praecedere  
exorcismus.

Tertio: utrum ea quae aguntur in catechismo  
et exorcismo aliquid efficiant, vel solum si-  
gnificent.

Quarto: utrum baptizandi debeant catechizari  
vel exorcizari per sacerdotes.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CATECHISMUS DEBEAT PRAECEDERE BAPTISMUM

IV Sent., dist. vi, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 1.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod  
catechismus non debeat praecedere bap-  
tismum. Per baptismum enim rege-  
nerantur homines ad vitam spiritualem.  
Sed prius accipit homo vitam quam doctrinam.  
Non ergo prius debet homo catechizari, idest  
doceri, quam baptizari.

2. PRAETEREA, baptismus exhibetur non solum  
adultis, sed etiam pueris, qui non sunt doctrinae  
perceptibiles, eo quod non habent usum rationis.  
Ergo ridiculum est eos catechizari.

3. PRAETEREA, in catechismo confitetur catechi-  
zatus suam fidem. Confiteri autem fidem suam  
non potest puer <sup>β</sup>, neque per seipsum, neque  
etiam aliquis alius pro eo: tum quia nullus potest  
alium ad aliquid obligare; tum quia non potest  
aliquis scire utrum puer, cum ad legitimam ae-  
tatem pervenerit, assentiat fidei. Non ergo debet  
catechismus praecedere baptismum.

SED CONTRA EST quod Rabanus, *de Institutione  
Clericorum*\*, dicit: *Ante baptismum, catechizandi  
debet hominem praevenire officium, ut fidei pri-  
mum catechumenus accipiat rudimentum.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra\* dictum  
est, baptismus est *fidei sacramentum*: cum sit  
quaedam professio fidei Christianae. Ad hoc au-  
tem quod aliquis fidem accipiat, requiritur quod  
de fide instruat: secundum illud *Rom. x*\*:  
*Quomodo credent quem non audierunt? Quomodo*

<sup>α</sup>) currunt. — concurrunt Fa et editiones.  
<sup>β</sup>) potest puer. — Ed. a; potest ABCDFHpG, parvulus E; IsG et  
editiones legunt: *Sed pueri non possunt suam fidem confiteri. Mox  
per seipsos et pro eis PlsG et c, et pueri... pervenerint assentiant Pc.*

*autem audient sine praedicante?* Et ideo ante  
baptismum convenienter praecedit catechismus.  
Unde et Dominus, praecipit baptizandi disci-  
pulis tradens, praemittit doctrinam baptismo,  
dicens\*: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes*  
*eos, etc.*

\* Matth. cap.  
xxviii, vers. 19.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod vita gratiae,  
in qua regeneratur aliquis <sup>γ</sup>, praesupponit vitam  
naturae rationalis, in qua potest homo particeps  
esse doctrinae.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut mater Ec-  
clesia, ut supra\* dictum est, *accommodat pueris*  
*baptizandis aliorum pedes ut veniant, et aliorum*  
*cor ut credant*, ita etiam accommodat eis aliorum  
aures ut audiant, et intellectum ut per alios in-  
struantur. Et ideo eadem ratione sunt catechi-  
zandi qua sunt baptizandi.

\* Qu. LXXIX, art. 6,  
ad 3.

AD TERTIUM DICENDUM quod ille qui pro puero  
baptizato respondet, *Credo*, non praedicat puerum  
crediturum cum ad legitimos annos pervenerit,  
alioquin diceret, *Credet*: sed profitetur fidem Ec-  
clesiae in persona pueri, cui communicatur, cuius  
sacramentum ei attribuitur, et ad quam obligatur  
per alium. Non est enim inconueniens quod ali-  
quis obligetur per alium in his quae sunt de ne-  
cessitate salutis. — Similiter <sup>δ</sup> etiam patrinus pro  
puero respondens promittit se operam daturum  
ad hoc quod puer credat. Quod tamen non suffi-  
ceret in adultis usum rationis habentibus.

<sup>γ</sup>) aliquis. — per baptismum addunt I et editiones.  
<sup>δ</sup>) Similiter. — PsG et a; Simul.

## ARTICULUS SECUNDUS

## UTRUM EXORCISMUS DEBEAT PRAECEDERE BAPTISMUM

Infra, art. 3, ad 3; IV *Sent.*, dist. vi, qu. ii, art. 3, qu<sup>a</sup> 1; qu<sup>a</sup> 2, ad 4.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod exorcismus non debeat praecedere baptismum. Exorcismus enim est contra *energumenos*, idest arreptitios, ordinatus <sup>α</sup>. Sed non omnes sunt tales. Ergo exorcismus non debet praecedere baptismum.

2. PRAETEREA, quandiu homo subiacet peccato, diabolus in eo potestatem habet: ut dicitur Ioan. viii <sup>β</sup> \*: *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Sed peccatum tollitur per baptismum. Non ergo ante baptismum sunt homines exorcizandi.

3. PRAETEREA, ad arcendum daemonum potestatem est introducta aqua benedicta. Non ergo ad hoc oportebat aliud remedium adhiberi per exorcismos.

SED CONTRA EST QUOD CAELESTINUS PAPA \* DICIT \*: *Sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniant sacramentum, non prius fontem vitae adeant quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abiiciatur*.

RESPONDEO DICENDUM quod quicumque opus aliquod sapienter facere proponit, prius removet impedimenta sui operis: unde dicitur Ierem. iv \*: *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas*. Diabolus autem hostis est humanae salutis, quae homini per baptismum acquiritur <sup>γ</sup>; et habet potestatem aliquam in homine ex hoc ipso quod subditur originali peccato, vel etiam actuali. Unde etiam convenienter ante baptismum expelluntur daemones per exorcismos, ne salutem hominis impediunt. Quam quidem expulsionem significat

exsufflatio. Benedictio autem, cum manus impositione, praeccludit expulso viam ne redire possit. Sal autem in os missum, et narium et aurium sputo linitio, significat receptionem doctrinae fidei quantum ad aures, et approbationem quantum ad nares, et confessionem quantum ad os. Olei vero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra daemones.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod *energumeni* dicuntur quasi *interius laborantes* extrinseca <sup>δ</sup> operatione diaboli. Et quamvis non omnes accedentes ad baptismum corporaliter ab eo vexentur, omnes tamen non baptizati potestati daemonum subiiciuntur, saltem propter reatum originalis peccati.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in baptismo per ablutionem <sup>ε</sup> excluditur potestas daemonis ab homine quantum ad hoc quod impedit eum a perceptione gloriae. Sed exorcismi excludunt potestatem daemonis in quantum impedit <sup>ζ</sup> hominem a perceptione sacramenti.

AD TERTIUM DICENDUM quod aqua benedicta datur contra impugnationes daemonum quae sunt ab exteriori. Sed exorcismus ordinatur contra impugnationes daemonum quae sunt ab interiori: unde *energumeni* dicuntur, quasi *interius laborantes*, illi qui exorcizantur.

Vel dicendum quod, sicut remedium <sup>η</sup> contra peccatum secundo datur poenitentia, quia baptismus non iteratur; ita in remedium contra impugnationes daemonum secundo datur aqua benedicta, quia exorcismi baptismales non iterantur.

<sup>α</sup>) est contra... ordinatus. — contra... ordinatur tertia. — Post omnes PIsG addunt baptizandi.

<sup>β</sup>) ut dicitur Ioan. VIII. — ideo dicitur Ioan. (VIII addit sB) ABCDE, unde in Ioan. dicitur F, ut dicitur in Ioan. Gb, ut dicitur Ioan. H, quia I, ideo dicit Ioannes ed. a, quia ut dicitur in Ioan. c, quia ut dicitur Ioan. VIII P.

<sup>γ</sup>) acquiritur. — exhibetur PI; alias, acquiritur margo P.

<sup>δ</sup>) extrinseca. — extrinseca E, ex intrinseca PI.

<sup>ε</sup>) ablutionem. — ablationem b; Alias, ablationem margo P; peccati addit tertia.

<sup>ζ</sup>) impedit. — P; impediunt (scilicet daemones?).

<sup>η</sup>) remedium. — in remedium tertia et a. — secundo om. ab.

## ARTICULUS TERTIUS

## UTRUM EA QUAE AGUNTUR IN EXORCISMO EFFICIENT ALIQUID, VEL SOLUM SIGNIFICENT

IV *Sent.*, dist. vi, qu. ii, art. 3, qu<sup>a</sup> 2.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ea quae aguntur in exorcismo non efficiant aliquid, sed solum significant. Si enim puer post exorcismos moriatur ante baptismum, salutem non consequitur. Sed ad hoc ordinatur effectus eorum quae in sacramentis aguntur, ut homo consequatur salutem: unde et Marc. ult. \* dicitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Ergo ea quae aguntur in exorcismo nihil efficiunt, sed solum significant.

2. PRAETEREA, hoc solum requiritur ad sacramentum novae legis ut sit signum et causa, sicut

supra \* dictum est. Si ergo ea quae aguntur in exorcismo aliquid efficiant, videtur quod singula sint quaedam sacramenta. <sup>\* Qu. LXII, art. 1.</sup>

3. PRAETEREA, sicut exorcismus ordinatur ad baptismum, ita, si aliquid in exorcismo efficitur, ordinatur ad effectum baptismi. Sed dispositio ex necessitate praecedit formam perfectam: quia forma non recipitur nisi in materia disposita. Sequeretur ergo quod nullus posset consequi effectum baptismi nisi prius exorcizatus: quod patet esse falsum. Non ergo ea quae aguntur in exorcismis aliquem effectum habent.

4. PRAETEREA, sicut quaedam aguntur in exor-

α

\* Vers. 34.

\* Primus.

\* Epist. ad Episcopos Galliae. — Cf. Can. *Sive parvuli, de Consecr.*, dist. IV.

\* Vers. 3.

γ

\* Vers. 16.

cismo ante baptismum, ita etiam quaedam aguntur post baptismum: sicut quod sacerdos baptizatum ungit <sup>α</sup> in vertice. Sed ea quae post baptismum aguntur non videntur aliquid efficere: quia secundum hoc, effectus baptismi esset imperfectus. Ergo nec ea quae ante baptismum aguntur in exorcismo.

\* Al. Serm. ad Catechum. I, cap. 1.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Symbolo* \*: *Parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quae decepit hominem*. Nihil autem agitur frustra per Ecclesiam. Ergo per huiusmodi exsufflationes hoc agitur ut daemonum potestas expellatur.

\* Cf. Cyprian. loc. cit. infra.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam \* dicunt ea quae in exorcismo aguntur nihil efficere, sed solum significare. – Sed hoc patet esse falsum, per hoc quod Ecclesia in exorcismis imperativis verbis utitur ad expellendum daemonis potestatem: puta cum dicit, *Ergo, maledicte diabole, exi ab eo*, etc.

Et ideo dicendum est quod aliquem effectum habent: differenter tamen ab ipso baptismo. Nam per baptismum datur homini gratia ad plenam remissionem culparum. Per ea vero quae in exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum gratiae salutaris percipiendae. Quorum unum est impedimentum extrinsecum, prout daemones salutem hominis impedire conantur. Et hoc impedimentum excluditur per exsufflationes, quibus potestas daemonis repellitur, ut patet ex

\* Arg. Sed cont.

inducta \* auctoritate Augustini: quantum scilicet ad hoc quod non praestet impedimentum sacramento suscipiendo. Manet tamen potestas daemonis in homine quantum ad maculam peccati et reatum poenae, quousque peccatum per baptismum tollatur. Et secundum hoc Cyprianus dicit \*: *Scias diaboli nequitiam posse remanere usque ad aquam salutarem: in baptismo autem omnem nequitiam amittere*.

\* Epist. LXXVI, ad Magnum, de Haereticor. Baptism., n. 15.

Aliud autem impedimentum est intrinsecum, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus praeclosos ad percipienda salutis mysteria. Unde Rabanus, *de Institutione Clericorum* \*, dicit quod *per salivam typicam et sacerdotis tactum* <sup>β</sup> *sapientia et virtus divina salutem*

\* Lib. I, cap. xxvii. – Cf. can. Postea, de Consecr., dist. IV.

β

<sup>α</sup>) ungit. – *chrismate ungit* PEIsG.  
<sup>β</sup>) tactum. – *actum* PHI. Pro *aperiantur* primo loco, *accipiantur* ApBC, *operantur* pD; altero loco, *aperiantur eis* P quae tamen in singulari *catechumeni* cum I, et *ei* cum GI, et *illi* cum cetera tertia; pro *recipiendum*, *accipiendum* I, *percipiendum* P.

*catechumenis operatur, ut aperiantur eis nares ad recipiendum odorem notitiae Dei, ut aperiantur aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illis sensus in intimo corde ad respondendum*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod per ea quae aguntur in exorcismo non tollitur culpa, propter quam homo punitur post mortem: sed solum tolluntur impedimenta recipiendi remissionem culpae per sacramentum. Unde post mortem exorcismus non valet sine baptismo.

Praepositinus <sup>γ</sup> autem dicit \* quod pueri exorcizati, si moriantur ante baptismum, minores tenebras patientur. Sed hoc non videtur verum: quia tenebrae illae sunt carentia divinae visionis, quae non recipit magis et minus.

\* Summ. p. IV, cap. de Exorcismo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod de ratione sacramenti est quod perficiat principalem effectum, qui est gratia remittens culpam, vel supplens aliquem hominis defectum. Quod quidem non fit per ea quae aguntur in exorcismo: sed solum huiusmodi impedimenta tolluntur. Et ideo non sunt sacramenta, sed sacramentalia quaedam.

AD TERTIUM DICENDUM quod dispositio sufficiens ad suscipiendam gratiam baptismalem est fides et intentio, vel propria eius qui baptizatur, si sit adultus, vel Ecclesiae, si sit parvulus. Ea vero quae aguntur in exorcismo, ordinantur ad removendum impedimenta. Et ideo sine eis potest aliquis consequi effectum baptismi.

Non tamen sunt huiusmodi praetermittenda, nisi in necessitatis articulo. Et tunc, cessante periculo, debent suppleri: ut servetur uniformitas in baptismo. Nec frustra supplentur post baptismum: quia, sicut impeditur effectus baptismi antequam percipiatur, ita potest impedi postquam fuerit perceptus.

AD QUARTUM DICENDUM quod eorum quae aguntur post baptismum circa baptizatum, aliquid est quod non solum significat, sed efficit: puta unctio quae fit in vertice, quae operatur conservationem <sup>δ</sup> gratiae baptismalis. Aliquid autem est quod nihil efficit, sed solum significat: sicut quod datur eis vestis candida, ad significandam novitatem vitae.

<sup>γ</sup>) Praepositinus. – PEFc; Praepositivus ACGIb, Praepositus B, praepios D, p̄ p otinus H, Positivus ed. a (Praepositinus corrector nostri exemplaris).

<sup>δ</sup>) conservationem. – Alias ad conservationem margo P.

### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Qu. LXXI.

\* In corp. art.

\* In resp. ad 4.

CIRCA quaestiones septuagesimam et septuagesimamprimam nihil scribendum videtur nisi in his quae dicuntur in articulo tertio \* de causalitate exorcismorum. Non carent siquidem scrupulo duo ibi dicta. Primum est circa apertionem sensuum per exorcismos baptismales \*. Secundum est circa unctionem quae fit in vertice baptizati, quod operatur conservationem gratiae baptismalis \*.

Primum enim intelligo non sic quod exorcismus minuat interiorem infectionem sensuum animae: quia hoc sine gratia non video posse fieri in parvulis, quidquid sit in adultis. Sed intelligo sic quod potestas daemonis ad praeccludendum sensus interiores animae, concessa daemone propter interiorem infectionem animae, per exorcismum

impeditur: ne scilicet, ob infectas interiores animae partes, praeccludat illas ad sentiendum spiritualia quae Christi sunt. Ita quod potestas daemonis per exorcismos baptismales impeditur ne possit extrinseca obstacula sacramento, et intrinseca sacramenti effectui praestare.

Secundum dictum, cum de activa conservatione intelligi nequeat, de passiva oportet intelligi: sic quod unctio illa operatur quoddam actuale auxilium faciens ex parte baptizati ad conservationem gratiae susceptae. Consistit autem auxilium hoc in actu secundo: qui in adultis tunc excitatur aut adiuvatur; in parvulis autem non nisi tempore extensionis gratiae ad operationem locum habere potest.

## ARTICULUS QUARTUS

## UTRUM SIT SACERDOTIS CATECHIZARE ET EXORCIZARE BAPTIZANDUM

IV Sent., dist. vi, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 2; art. 3, qu<sup>a</sup> 3.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sit sacerdotis catechizare et exorcizare baptizandum <sup>α</sup>. Ad officium enim ministrorum pertinet habere operationem super immundos: ut Dionysius, v cap. *Eccl. Hier.* \*, dicit. Sed catechumeni, qui instruuntur in catechismo, et energumeni, qui purgantur in exorcismo, computantur inter immundos: ut Dionysius ibidem \* dicit. Ergo catechizare et exorcizare non pertinet ad officium sacerdotis, sed potius ministrorum.

2. PRAETEREA, catechumeni instruuntur de fide per sacram Scripturam, quae in ecclesia per ministros recitatur: sicut enim per lectores in ecclesia legitur vetus Testamentum, ita etiam per diacones et subdiacones legitur novum. Et sic ad ministros pertinet catechizare. – Similiter etiam et exorcizare, ut videtur, ad ministros pertinet. Dicit enim Isidorus, in quadam Epistola \*: *Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos et catechumenos in exorcismo imponere.* Non ergo pertinet ad officium sacerdotis catechizare et exorcizare.

3. PRAETEREA, catechizare idem est quod docere: et hoc idem est quod *perficere*. Quod ad officium episcoporum pertinet: ut dicit Dionysius, v cap. *Eccl. Hier.* \*. Non ergo pertinet ad officium sacerdotis.

SED CONTRA EST quod Nicolaus Papa \* dicit: *Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscuiusque ecclesiae fieri possunt.* Gregorius etiam, super *Ezech.* \*, dicit: *Sacerdotes, cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, quid aliud faciunt nisi quod daemones eiiciuntur* <sup>β</sup>.

RESPONDEO DICENDUM quod minister comparatur ad sacerdotem sicut secundarium et instrumentale agens ad principale: ut indicat ipsum nomen

*ministri* \*. Agens autem secundarium non agit sine principali agente <sup>γ</sup> in operando. Quanto autem operatio est potior, tanto principale agens indiget potioribus <sup>δ</sup> instrumentis. Potior autem est operatio sacerdotis in quantum confert ipsum sacramentum, quam in praeparatoriis ad sacramentum. Et ideo supremi ministri, qui dicuntur diacones, cooperantur sacerdoti in ipsa collatione sacramentorum: dicit enim Isidorus \* quod *ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, patena et calice.* Inferiores autem ministri cooperantur sacerdoti in his quae sunt praeparatoria ad sacramenta: sicut lectores in catechismo \*, exorcistae in exorcismo \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod super immundos ministri habent operationem ministerialem et quasi instrumentalem, sed sacerdos principalem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod lectores et exorcistae habent officium catechizandi et exorcizandi, non quidem principaliter, sed sicut in his sacerdoti ministrantes.

AD TERTIUM DICENDUM quod multiplex est instructio. Una conversiva ad fidem. Quam Dionysius attribuit episcopo, in ii cap. *Eccl. Hier.* \*: et potest competere cuilibet praedicatori, vel etiam cuilibet fidei. – Secunda est instructio qua quis eruditur de fidei rudimentis, et qualiter se debeat habere in susceptione sacramentorum. Et haec pertinet secundario quidem ad ministros, principaliter autem ad sacerdotes. – Tertia est instructio de conversatione Christianae vitae. Et haec pertinet ad paternos. – Quarta est instructio de profundis mysteriis fidei, et perfectione Christianae vitae. Et haec ex officio pertinet ad episcopos.

\* Part. i, § 6.

\* Cap. iii, part. iii, § 7.

\* Ad Ludifred. – Cf. can. *Perlecius*, dist. XXV.

\* Part. i, §§ 6, 7.

\* Primus. – Cf. can. *Catechismi de Consecr.*, dist. IV.\* Homil. XXIX in *Evang.* – Cf. can. *Sacerdotes de Consecr.*, dist. IV.

β

α) baptizandum. – P; baptizatum.  
β) eiiciuntur. – eiiciunt tertia et a.  
γ) agente. – (agente editiones) sed cooperatur principali agenti  
EIsG et editiones.

δ) potioribus. – paucioribus HpBG et bc. – Pro instrumentis, ministris Fa, instrumentis seu ministris Pl.

\* Cf. Isidor. *Ety-mol.* lib. X, litt. M.

γ

δ

\* Loc. cit. in arg. 2.

\* D. 320.

\* D. 591.

\* Part. ii, § 1.



QUAESTIO SEPTUAGESIMASECUNDA

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXVI, Intro.

CONSEQUENTER considerandum est de sacramento confirmationis\*.

Et circa hoc quaeruntur duodecim.

Primo: utrum confirmatio sit sacramentum.

Secundo: de materia eius.

Tertio: utrum sit de necessitate sacramenti quod chrisma fuerit prius per episcopum consecratum.

Quarto: de forma ipsius.

Quinto: utrum imprimat characterem.

Sexto: utrum character confirmationis praesupponat characterem baptismalem.

Septimo: utrum conferat gratiam.

Octavo: cui competat recipere hoc sacramentum.

Nono: in qua parte.

Decimo: utrum requiratur aliquis qui teneat confirmandum.

Undecimo: utrum hoc sacramentum per solos episcopos detur.

Duodecimo: de ritu eius.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CONFIRMATIO SIT SACRAMENTUM

Supra, qu. LXV, art. 1; IV Sent., dist. II, qu. I, art. 2; dist. VII, qu. I, art. 1, qu. 1; IV Cont. Gent., cap. LVIII.

\* Qu. LXIV, art. 2.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod confirmatio non sit sacramentum. Sacramenta enim ex divina institutione efficaciam habent, sicut supra\* dictum est. Sed confirmatio non legitur a Christo instituta. Ergo non est sacramentum.

\* Vers. 2 sqq.

2. PRAETEREA, sacramenta novae legis in veteri praefigurata fuerunt: ut Apostolus dicit, I Cor. x\*: *omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem spiritualem escam manducaverunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Sed confirmatio non fuit praefigurata in veteri Testamento. Ergo non est sacramentum.

α)

3. PRAETEREA, sacramenta ordinantur ad hominum salutem. Sed sine confirmatione potest esse salus: nam pueri baptizati sine confirmatione decedentes salvantur. Ergo confirmatio non est sacramentum α.

β)

4. PRAETEREA, per omnia sacramenta Ecclesiae homo Christo conformatur, qui est sacramentorum auctor. Sed per confirmationem homo Christo conformari non potest β, qui non legitur esse confirmatus.

\* Epist. ad Episcopos Hispan. - Cf. can. De his vero, de Consecr., dist. V.

SED CONTRA EST quod Melchiades Papa scribit Hispaniarum Episcopis\*: *De his super quibus rogastis nos vos informari, idest, utrum maius sit sacramentum manus impositio episcoporum an baptismus, scitote utrumque magnum esse sacramentum.*

RESPONDEO DICENDUM quod sacramenta novae

legis ordinantur ad speciales γ gratiae effectus: et ideo, ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiae, ibi ordinatur speciale sacramentum. Quia vero sensibilia et corporalia gerunt spiritualium et intelligibilium similitudinem, ex his quae in vita corporali aguntur δ, percipere possumus quid in spirituali vita speciale existat. Manifestum est autem quod in vita corporali specialis quaedam perfectio est quod homo ad perfectam aetatem perveniat, et perfectas actiones hominis agere possit: unde et Apostolus dicit, I Cor. XIII\*: *Cum autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli.* Et inde etiam est quod, praeter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam aetatem. Sic igitur et vitam spiritua- lem homo accipit per baptismum, qui est spiri- tualis regeneratio. In confirmatione autem homo accipit quasi quandam aetatem perfectam spiri- tualis vitae. Unde Melchiades Papa dicit\*: *Spi- ritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum prae- stat ad gratiam. In baptismo regeneramur ad vi- tam, post baptismum ε roboramur.* Et ideo ma- nifestum est quod confirmatio est speciale sacra- mentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod circa institu- tionem huius sacramenti est triplex opinio. Qui- dam\* enim dixerunt quod hoc sacramentum non

γ

δ

\* Vers. 11.

\* Loc. cit. in arg. Sed cont. - Cf. can. Spirit. Sanctus, de Consecr., dist. V.

\* Halens. Sum. Theol. part. IV, qu. IX, memb. 1; s. Bonavent. IV Sent., dist. VII, art. 1, qu. 1, ad 1; qu. II.

α) Praeterea, sacramenta ordinantur... sacramentum. - E et tertia; Praeterea, sacramenta sunt necessaria ad salutem. Sed sine confirma- tione aliqui salvantur. Ergo confirmatio non est sacramentum ed. a, om. ceteri.

β) non potest. - non videtur sG et ante homo Pl. - Post confir- matus PsG addunt Ergo confirmatio non est sacramentum.

γ) speciales. - spirituales tertia praeter P, cuius margo alias spi- ritualis; idem mendum infra plures tertiae, P tamen nusquam; ante existat, spirituale omnes praeter PEHsG et a.

δ) aguntur. - specialiter (spiritualiter b, speciali c) aguntur GHbc.

ε) post baptismum. - confirmamur ad pugnam; in baptismo ablui- mur, post baptismum addunt E et tertia.



fuit institutum nec a Christo nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam concilio. Alii \* vero dixerunt quod fuit institutum ab Apostolis. — Sed hoc non potest esse: quia instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiae, quae competit soli Christo.

Et ideo dicendum quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo: secundum illud Ioan. xvi \*: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et hoc ideo quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem: secundum illud Ioan. vii \*: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiae: et ideo non potuit habere aliquid respondens in veteri lege, quia *nihil ad perfectum adduxit lex*, ut dicitur *Heb.* vii \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, omnia sacramenta sunt aequaliter necessaria ad salutem: sed quaedam sine quibus non est salus, quaedam vero sicut quae operantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis: quamvis sine ea possit esse salus, dummodo non praetermittatur ex contemptu sacramenti.

AD QUARTUM DICENDUM quod illi qui confirmationem accipiunt, quae est sacramentum plenitudinis gratiae, Christo conformantur in quantum ipse a primo instanti suae conceptionis fuit *plenus gratiae et veritatis*, ut dicitur Ioan. i \*. Quae quidem plenitudo declarata est in baptismo, quando *Spiritus Sanctus descendit corporali specie super eum* \*. Unde et Luc. iv \*\* dicitur quod *Iesus plenus Spiritu Sancto regressus est a Iordane*. Non autem conveniebat dignitati Christi, qui est sacramentorum auctor, ut a sacramento plenitudinem gratiae acciperet.

\* Petr. Tarant., IV Sent., dist. vii, qu. 1, art. 1.

\* Vers. 7.

\* Vers. 39.

\* Vers. 19.

\* Qu. LXV, art. 4.

\* Vers. 14.

\* Luc. cap. III, vers. 22.  
\*\* Vers. 1.

## ARTICULUS SECUNDUS

### UTRUM CHRISMA SIT CONVENIENS MATERIA HUIUS SACRAMENTI

Infra, qu. LXXXIV, art. 1, ad 1; IV Sent., dist. vii, qu. 1, art. 2, qu. 1, 2; IV Cont. Gent., cap. LX.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod chrisma non sit conveniens materia huius sacramenti. Hoc enim sacramentum, ut dictum est \*, institutum est a Christo promittente discipulis Spiritum Sanctum. Sed ipse misit eis Spiritum Sanctum absque chrismatis unctione <sup>α</sup> \*. Ipsi etiam Apostoli hoc sacramentum conferebant per solam manus impositionem, absque chrismate: dicitur enim *Act.* viii \* quod *Apostoli imponebant manus super baptizatos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Ergo chrisma non est materia huius sacramenti: quia materia est de necessitate sacramenti.

2. PRAETEREA, confirmatio quodammodo perficit sacramentum baptismi, sicut supra \* dictum est: et ita debet ei conformari sicut perfectio perfectibili. Sed in baptismo est materia simplex elementum, scilicet aqua. Ergo huius sacramenti non est conveniens materia chrisma, quod conficitur ex oleo et balsamo.

3. PRAETEREA, oleum assumitur in materia huius sacramenti ad inungendum. Sed quolibet oleo potest fieri inunctio: puta oleo quod fit ex nucibus, et ex quibuscumque aliis rebus. Non ergo solum oleum olivarum debet assumi ad huiusmodi sacramentum.

4. PRAETEREA, supra \* dictum est quod aqua assumitur ut materia ad baptizandum quia ubique de facili invenitur. Sed oleum olivarum non ubique invenitur: et multo minus balsamum <sup>β</sup>. Non ergo chrisma, quod ex his conficitur, est conveniens materia huius sacramenti.

SED CONTRA EST quod Gregorius dicit, in *Registro* \*: *Presbyteri <sup>γ</sup> baptizatos infantes signare in frontibus sacro chrismate non praesumant.* Ergo chrisma est materia huius sacramenti.

RESPONDEO DICENDUM quod chrisma est conveniens materia huius sacramenti. Sicut enim dictum est \*, in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati. Homo autem, cum ad perfectam aetatem pervenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios: antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit. Gratia vero Spiritus Sancti in oleo designatur: unde Christus dicitur \* esse *unctus oleo laetitiae*, propter plenitudinem Spiritus Sancti quam habuit. Et ideo oleum competit materiae huius sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quae redundat ad alios: unde et Apostolus dicit, II *Cor.* ii \*: *Christi bonus odor sumus*, etc. Et licet multa alia sint odorifera, tamen praecipue accipitur balsamum, propter hoc quod habet praecipuum odorem, et quia etiam incorruptionem praestat: unde *Eccli.* xxiv \* dicitur: *Quasi balsamum non mixtum odor meus.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus ex potestate <sup>δ</sup> quam habet in sacramentis, contulit Apostolis rem huius sacramenti, id est plenitudinem Spiritus Sancti, sine sacramento, eo quod ipsi *primitias Spiritus Sancti acceperunt*, sicut dicitur *Rom.* viii \*.

Nihilominus tamen aliquid conforme materiae huius sacramenti exhibitum fuit Apostolis sensi-

\* Art. praeced., ad 1.

\* Cf. *Act.* cap. ii, vers. 2 sqq.

\* Vers. 17.

\* Qu. LXV, art. 3, 4.

\* Qu. LXVI, art. 3.

β

α) chrismatis unctione. — (omni tertia) chrismatis inunctione F et tertia.  
β) balsamum. — Psl et a; chrisma.

γ) Presbyteri. — PIsG et a; Presbyteris E, Presbyter (... praesumat) F, Presbyteros ceteri (D om. totum argumentum).  
δ) potestate. — excellentiae addunt E et tertia.

\* Lib. IV, Ep. ix, Ianuario Episc.

\* Art. praeced., qu. LXV, art. 1.

\* Ps. XLIV, vers. 8.

\* Vers. 15.

\* Vers. 21.

\* Vers. 23.

biliter in collatione Spiritus Sancti. Quod enim Spiritus Sanctus sensibiliter super eos descendit in specie ignis, ad eandem significationem refertur ad quam refertur oleum: nisi quod ignis habet vim activam, oleum autem vim passivam, in quantum est materia et fomentum ignis. Et hoc satis competebat: nam per Apostolos gratia Spiritus Sancti erat ad alios derivanda. – Super Apostolos etiam Spiritus Sanctus descendit in figura linguae. Quod ad idem refertur significandum quod significat balsamum: nisi quod lingua per locutionem est communicativa ad alterum, balsamum vero per odorem; quia scilicet Apostoli replebantur Spiritu Sancto ut fidei doctores, alii vero fideles ut operatores eorum quae pertinent ad aedificationem fidelium.

\* Act. cap. x, vers. 44.

\* Vers. 15.

Similiter etiam ad impositionem manus Apostolorum, et etiam ad eorum praedicationem\*, descendebat plenitudo Spiritus Sancti super fideles sub visibilibus signis<sup>e</sup>, sicut a principio descenderat super Apostolos: unde Petrus dicit, Act. xi\*: *Cum coepissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio*. Et ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus.

\* In principio.

Utebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando huiusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionysius, iv cap. *Eccl. Hier.*\*: *Est quaedam perfectiva operatio, quam duces nostri, idest Apostoli, chrismatis hostiam nominant.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod baptismus datur ad spiritualem vitam simpliciter consequendam: et ideo competit illi sacramento materia simplex. Sed hoc sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritus Sancti, cuius est multiplex operatio, secundum illud Sap. vii\*: *Est autem in illa Spiritus Sanctus, unicus, multiplex: et I Cor. xii\** dicitur: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*. Et ideo convenienter huius sacramenti est materia composita.

\* Vers. 22.

\* Vers. 4.

AD TERTIUM DICENDUM quod proprietates olei quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum quam in quocumque alio oleo. Unde et ipsa oliva, semper frondibus virens, virorem et misericordiam Spiritus Sancti significat.

Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, et maxime habetur in usu ubi haberi potest. Quilibet autem alius liquor ex similitudine huius oleum nominatur: nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usum huius et quorundam aliorum sacramentorum.

AD QUARTUM DICENDUM quod baptismus est sacramentum absolutae necessitatis: et ideo eius materia debet ubique inveniri. Sufficit autem quod materia huius sacramenti, quod non est tantae necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.

<sup>e</sup>) visibilibus signis. – E et tertia praeter H; infidelibus linguis ACDpB, sensibilibus linguis sB, visibilibus linguis ed. a, invisibilibus signis F, fidelibus signis H.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulis primo et secundo quaestionis septuagesimae secundae adverte unum, scilicet quod chrisma, hoc est, compositum ex oleo et balsamo, non ita est materia sacramenti confirmationis sicut aqua est materia baptismi: quoniam sine balsamo confirmatio tradita valet, sine aqua autem baptismus non valet. Et de hoc extat textus clarus, Extra, *de Sacramentis non reiterandis*, cap. *Pastoralis*: ubi quaeritur si confirmationis sacramentum in eo debeat reiterari qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus, et respondetur quod *non est aliquid iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerat praetermissum*. Ex hoc enim apparet sacramentum confirmationis, quoad sub-

stantialia, fuisse completum sine balsamo: fuisset siquidem alioquin reiterandum sine balsamo collatum. Unde intelligimus mixtum ex oleo et balsamo, quod chrisma consuevimus vocare, esse regularem materiam confirmationis de necessitate praecepti, et non de necessitate sacramenti.

Et videtur hoc ab Ecclesia procedente tempore institutum. In primitiva siquidem Ecclesia non videtur multum credibile pauperrimos episcopos habuisse balsamum, quo forte etiam hodie multi carent. Accedit ad haec quod *chrismatis* nomen, quod, secundum Dionysium\*, Apostoli imposuerunt huic sacramento, non significat balsamum, sed unctionem, cui oleum sufficit.

\* Vid. resp. ad 1, fin.

### ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SIT DE NECESSITATE HUIUS SACRAMENTI QUOD CHRISMA, QUOD EST MATERIA HUIUS SACRAMENTI, FUERIT PRIUS PER EPISCOPUM CONSECRATUM

IV Sent., dist. II, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 2, ad 2; dist. VII, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 3; dist. XXIII, qu. I, art. 3, qu<sup>a</sup> 2, 3; De Verit., qu. XXVII, art. 4, ad 10.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sit de necessitate huius sacramenti quod chrisma, quod<sup>a</sup> est materia huius sacramenti, fuerit prius per episcopum consecratum. Baptismus enim, in quo fit

plena remissio peccatorum, non est minoris efficacitatis quam hoc sacramentum. Sed, licet quaedam sanctificatio adhibeatur aquae baptismali ante baptismum, non tamen est de necessitate sacramenti: quia in articulo necessitatis praeteriri

<sup>a</sup>) quod. – PlsFG; quod chrisma... sacramenti om. EpF; quae ceteri.

potest. Ergo nec est de necessitate huius sacramenti quod chrisma fuerit per episcopum consecratum.

2. PRAETEREA, idem non debet bis consecrari. Sed materia sacramenti sanctificatur in ipsa collatione sacramenti per formam verborum qua confertur sacramentum: unde et Augustinus dicit, *super Ioan.* \*: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Non ergo debet prius chrisma consecrari quam hoc sacramentum tradatur.

\* Tract. LXXX, n. 3.

3. PRAETEREA, omnis consecratio quae fit in sacramentis, ad consecutionem gratiae ordinatur. Sed materia sensibilis confecta ex oleo et balsamo non est capax gratiae. Ergo non debet ei aliqua consecratio adhiberi.

\* Primus.

\* Epist. ad Decent. - Cf. can. Presbyteris, de Consecrat., dist. IV.

SED CONTRA EST quod Innocentius Papa \* dicit \*: *Presbyteris, cum baptizant, ungere baptizatos chrismate liceat, quod ab episcopo fuerat consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Paraclitum;* quod quidem fit in hoc sacramento. Ergo ad hoc sacramentum requiritur quod materia huius sacramenti prius per episcopum consecratur  $\beta$ .

$\beta$

\* Qu. LXIV, art. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod tota sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur, ut supra \* dictum est. Est autem considerandum quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream Christus est usus, scilicet baptismo et etiam Eucharistia. Et ideo ex ipso usu Christi materiae horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Unde Chrysostomus

$\beta$ ) requiritur... consecratur. - requiritur chrisma per episcopum consecratum PI; prius om. FH.  
 $\gamma$ ) et oleum. - et HpG, om. editiones.

dicit \* quod *nunquam aquae baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Domini corporis sanctificatae fuissent.* Et ipse similiter Dominus, *accipiens panem, benedixit: similiter autem et calicem,* ut habetur Matth. xxvi \* et Luc. xxii \*. Et propter hoc non est de necessitate horum sacramentorum quod materia prius benedicatur: quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem sacramenti, non autem ad necessitatem.

Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus, ne fieret iniuria invisibili unctioni qua est *unctus prae consortibus suis* \*. Et ideo tam chrisma quam oleum sanctum et oleum  $\gamma$  infirmorum prius benedicuntur quam adhibeantur ad usum sacramenti.

AD PRIMUM ERGO patet responsio ex dictis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod utraque consecratio chrismatis non refertur ad idem. Sicut enim instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, et quando movetur a principali agente  $\delta$ ; ita etiam materia sacramenti duplici sanctificatione indiget, per quarum unam fit propria materia sacramenti, per aliam vero applicatur ad effectum.

AD TERTIUM DICENDUM quod materia corporalis non est capax gratiae quasi gratiae subiectum, sed solum sicut gratiae instrumentum, ut supra \* dictum est. Et ad hoc materia sacramenti consecratur, vel ab ipso Christo, vel ab episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi.

$\delta$ ) agente. - ad effectum addunt E et tertia. H om. reliqua huius solutionis.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo tertio adverte, propter casus emergentes, quod, licet constet ex Ecclesiae ritu materiam confirmationis oportere esse consecratam ab episcopo, non tamen evidenter constat an ista necessitas sit ex sacramento, aut ex praecepto \*. Et, dato quod sit ex necessitate sacramenti, restat adhuc dubium an sic oporteat quod plenitudo Apostolicae potestatis non possit dispensative subrogare simplicem sacerdotem ad consecrationem materiae \*, sicut potest ipsum subrogare ad collationem huius sacramenti, ut infra \* patebit.

\* Cf. num. seq.

\* Cf. num. III.

\* Art. 11, ad 1.

II. Et de primo quidem dubio apparet tenendum quod, si episcopus confirmaret cum chrismate consecrato a simplici sacerdote, sacramentum nullum esset, iuxta verba Auctoris hic sentientis consecrationem huiusmodi pertinere ad necessitatem, et non ad solemnitatem sacramenti.

Perspicacius tamen considerando, oppositum est magis rationi consentaneum. Quandoquidem nulla est maior consecratio ea quae fit in Eucharistia. Quam cum possit simplex sacerdos efficere, omnem aliam non sacramentalem efficere potest, ita quod facta tenet, quamvis peccet faciendo. Nec Auctor in littera explicat quod ab episcopo omnino oporteat fieri.

Nihil tamen definitive concludo. Legimus enim, etiam Apostolica Sede dispensante circa ministrum huius sacramenti, inconcusse explicatum fuisse quod utantur chrismate consecrato per episcopum: ut patet in Concilio Florentino \* sub Eugenio IV.

\* Decret. pro Armen. Num. 1.

III. De secunda autem quaestione \* nullam ego video rationem dubitandi, supposita potestate Papae de muta-

tione ministri. Qui enim potest maius, potest et minus \*. Maius autem esse constat quod presbyter conferat confirmationis sacramentum, quam consecret materiam sacramenti: quanto maius est sacramentum sua materia. Et propterea, si Papa potest facere quod simplex sacerdos confirmet, potest etiam efficere quod idem consecret materiam.

IV. In eodem articulo tertio, Durandus occurrit, in IV *Sent.*, dist. vii, qu. 2 \*, contra litterae rationem arguens, volens ipsam peccare *secundum non causam ut causam*, quantum ad sanctificationem materiae ex contactu vel non contactu Christi. Tum quia, si contactus Christi sanctificavit materiam, puta aquam et panem, vel fieret iniuria sanctificationi primae ex superaddita sanctificatione ab Ecclesia, si sunt eiusdem rationis: vel prima esset insufficientis, si secunda est alterius rationis.

Tum quia Christus usus est visibilibus unctionibus: in vita a Magdalena pluries \*; et in morte a Nicodemo \*\*. Ac per hoc, sanctificavit unctiones, si contactus eius sanctificativus est. Et sic sanctificata esset etiam materia huius sacramenti, nec egeret consecratione. Cuius oppositum dicitur.

V. Ad hoc dicitur rationem Auctoris in sua probabilitate solidam stare: et quod prima sanctificatio constituit materiam sacramenti, et propterea alterius est rationis a benedictione eiusdem materiae quam Ecclesia adhibet. Quoniam haec secunda non ordinatur ad constituendam materiam, sed ad solemnitatem quandam et devotionem, fugationem daemonum, et huiusmodi. Unde non arguitur secunda insufficientiam primae, nec illi iniuriatur.

\* Chromatius, In Math., cap. III, vers. 15. Cf. can. *Nunquam aquae, de Consecr.*, dist. IV.

\* Vers. 26, 27.

\* Vers. 19, 20. - Cf. Marc. cap. XIV, vers. 22, 23.

\* Ps. XLIV, vers. 8.

$\gamma$

$\delta$

\* Qu. LXII, art. 3.

\* Regula. LIII, De Regulis Iuris, in Sexto.

\* Ad primum videndum.

\* Matth. cap. xxvi, vers. 7; Luc. cap. vi, vers. 38; Ioan. cap. xii, vers. 3. \*\* Ioan. cap. xix, vers. 39.

Nec dicit Auctor quemcumque Christi contactum sanctificare materiam sacramenti, sed contactum in usu sacramenti: quali contactu non tetigit unctiones.

\* Cf. Durand. loc. cit.

Nec obstat quod ex usu sacramenti Christus nihil accipit \*: ac per hoc, per accidens usus concurrat, et solus con-

tactus per se, quoniam ipso contactu sanctificavit: — hoc, inquam, non obstat: quoniam de usu constitutivo sacramenti est sermo, ita quod sensus est: Contactus Christi in constituendo sacramentum est sanctificativus materiae. — Et sic fugantur obiectiones Durandi.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA HUIUS SACRAMENTI: *CONSIGNO TE SIGNO CRUCIS*, ETC.

Infra, qu. LXXXIV, art. 3; IV *Sent.*, dist. VII, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 1, ad 3; qu<sup>a</sup> 2; Opusc. XXII, de *Form. Absolut.*, cap. I.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod haec non sit conveniens forma huius sacramenti: *Consigno te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.* Usus enim sacramentorum a Christo et ab Apostolis derivatur. Sed neque Christus hanc formam instituit, nec Apostoli ea usi leguntur. Ergo haec non est conveniens forma huius sacramenti.

2. PRAETEREA, sicut sacramentum est idem apud omnes, ita et forma debet esse eadem: quia quaelibet res habet unitatem, sicut et esse, a sua forma. Sed hac forma non omnes utuntur: quidam enim dicunt: *Confirmo te chrismate sanctificationis.* Ergo haec non est conveniens forma huius sacramenti.

\* Art. 2, arg. 2

3. PRAETEREA, sacramentum hoc debet conformari baptismi sicut perfectio perfectibili, ut supra dictum est. Sed in forma baptismi non fit mentio de consignatione characteris; nec etiam de cruce Christi, cum tamen per baptismum homo Christo commoriatur, ut Apostolus dicit, *Rom. VI* \*: nec etiam fit mentio de effectu salutis, cum tamen baptismus sit de necessitate salutis. In forma etiam baptismi ponitur unus actus tantum; et exprimitur persona baptizantis, cum dicitur, *Ego te baptizo*; cuius contrarium apparet in forma praedicta. Non ergo est conveniens forma huius sacramenti.

\* Vers. 3 sqq.

SED CONTRA EST AUCTORITAS ECCLESIAE, quae hac forma communiter utitur.

\* Art. 1, 2.

RESPONDEO DICENDUM quod praedicta forma est conveniens huic sacramento. Sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti continere debet quicquid pertinet ad speciem sacramenti. Sicut autem ex supra dictis patet, in hoc sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugnae. Et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quae continentur in forma praedicta. Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est sancta Trinitas. Quae exprimitur cum dicitur, *in nomine Patris* etc. — Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per sacramentum materiae visibilis ad salutem. Quod

quidem tangitur cum dicitur, *confirmo te chrismate salutis.* — Tertium est signum quod pugnatore datur, sicut et in pugna corporali: sicut milites signis ducum insigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur, *Consigno te signo crucis*: in quo scilicet *Rex noster triumphavit*, ut dicitur *Coloss. II* \*.

\* Vers. 15.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut supra dictum est, per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus huius sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus Sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo confectis, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre. Et tunc non erat necessaria nec materia nec forma huius sacramenti.

\* Art. 2, ad 1.

Quandoque autem tanquam ministri sacramentorum hoc sacramentum praebebant. Et tunc, sicut materia, ita et forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in sacramentorum collatione quae in Scripturis communiter propositis non sunt tradita. Unde Dionysius dicit, in fine *Eccl. Hier.* \*: *Consummativas invocationes, id est verba quibus perficiuntur sacramenta, non est iustum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere: sed nostra sacra traditio sine pompa*, id est occulte, *edocet eas.* Unde et Apostolus dicit, loquens de celebratione Eucharistiae, *I Cor. XI* \*: *Cetera cum venero disponam.*

\* Cf. Act. cap. VII, vers. 14 sqq.

\* Cap. VII, part. III, § 10.

\* Vers. 34.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sanctitas est salutis causa. Et ideo in idem redit quod dicitur *chrismate salutis, et sanctificationis.*

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus est regeneratio in spiritualem vitam, qua homo vivit in seipso. Et ideo non ponitur in forma baptismi nisi ipse actus ad ipsum hominem pertinet sanctificandum. Sed hoc sacramentum non solum ordinatur ad hoc quod homo sanctificetur in seipso, sed exponitur cuidam pugnae exteriori. Et ideo non solum fit mentio de interiori sanctificatione, cum dicitur, *confirmo te chrismate salutis*: sed etiam consignatur homo exterius, quasi vexillo crucis, ad pugnam exteriori spiritualem, quod significatur cum dicitur, *Consigno te signo crucis.*

α) *confirmo.* — et *confirmo* F et tertia praeter I; cf. qu. LXXXIV art. 3 corp. med.

β) *baptismi.* — EFa et tertia; om. ABC; sed in forma baptismi om. D. — Pro consignatione, consignificatione B.

γ) *sicut.* — Om. PFsl. — Pro signis, insignis GHpl, in signis b, insignis Pc.

δ) *confectis.* — effectis F et tertia.

ε) *ministri.* — Fa et tertia praeter H; minister.

ζ) *sine.* — EFa et tertia; suis. Pro *edocet eas, docet eas* D, *eas edocet* F et tertia.

η) *ipse.* — unus Pl.

θ) *sanctificatione.* — Tertia; intentione sanctificatione E, intentione ceteri.

ι) *exteriori.* — Om. tertia.

In ipso autem verbo *baptizandi*, quod ablutionem significat, potest intelligi et materia, quae est aqua abluens, et effectus salutis. Quae non intelliguntur in verbo *confirmandi*: et ideo oportuit haec \* ponere.

\* Qu. LXVI, art. 5, ad 1.

Dictum est autem supra \* quod hoc quod di-

citur, *Ego*, non est de necessitate formae baptismalis: quia intelligitur in verbo primae personae. Apponitur tamen ad exprimendam intentionem. Quod non est ita necessarium in confirmatione, quae non exhibetur nisi ab excellenti ministro, ut infra \* dicitur.

\* Art. 11.

x) haec. — PH; hoc Babc, hic F; ceteri utrum hoc an haec intendant ambiguum.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quarto adverte, pro hoc et ceteris sacramentis, quod, licet in antiquis iuribus non inveniantur expresse omnes sacramentorum formae, posterioribus tamen temporibus, scilicet sub Eugenio IV in Concilio Florentino \*, in quo etiam fuit Ecclesia orientalis, explicatae sunt omnium

\* Decret. pro Armen.

sacramentorum formae, cum reliquis omnibus requisitis ad omnia et singula sacramenta. Ubi et ponitur ista forma sacramenti confirmationis: nisi quod hic dicitur, *Consigno*, et ibi legitur, *Signo te signo crucis*; et idem est sensus.

### ARTICULUS QUINTUS

#### UTRUM SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS IMPRIMAT CHARACTEREM

Supra, qu. LXIII, art. 6; IV Sent., dist. VII, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; qu. III, art. 3, qu<sup>a</sup> 3.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramentum confirmationis non imprimat characterem. Character enim importat quoddam signum distinctivum. Sed per sacramentum confirmationis non distinguitur homo ab infidelibus, hoc enim fit per baptismum: nec etiam ab aliis fidelibus, quia hoc sacramentum ordinatur ad pugnam spiritualem, quae omnibus fidelibus indicitur \*. Non ergo in hoc sacramento imprimitur aliquis character.

\* Ad Ephes., cap. VI, vers. 11 sqq.

\* Qu. LXIII, art. 2.

2. PRAETEREA, supra \* dictum est quod character est quaedam potentia spiritualis. Potentia autem non est nisi activa vel passiva. Potentia autem activa in sacramentis confertur per sacramentum ordinis: potentia autem passiva, sive receptiva, per sacramentum baptismi. Ergo per sacramentum confirmationis nullus character imprimitur.

3. PRAETEREA, in circumcissione, quae est character corporalis, non imprimitur aliquis spiritualis character. Sed in hoc sacramento imprimitur quidam character corporalis: dum scilicet homo chrismate signatur signo crucis in fronte. Non ergo imprimitur in hoc sacramento character spiritualis.

SED CONTRA, in omni sacramento quod non iteratur, imprimitur character. Sed hoc sacramentum non iteratur: dicit enim Gregorius \*: *De homine qui a pontifice confirmatus fuerit denuo, talis iteratio prohibenda est*. Ergo in confirmatione imprimitur character.

\* Greg. II, Epist. IV, ad Bonifac. — Cf. can. De homine, de Consecr., dist. V.

\* Qu. LXIII, art. 2.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, character est quaedam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata. Dictum est autem supra \* quod, sicut baptismus est quaedam spiritualis generatio <sup>α</sup> in vitam Christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem aetatem

\* Art. 1; qu. LXV, art. 1.

α

perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio competit <sup>β</sup> ei cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam actiones alias sacras, praeter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinent salutem, prout secundum seipsum vivit: sed in confirmatione accipit potestatem ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei. Sicut patet exemplo Apostolorum, qui, antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in *cenaculo perseverantes in oratione* \*; postmodum autem egressi non verebantur fidem publice fateri, etiam coram inimicis fidei Christianae \*. Et ideo manifestum est quod in sacramento confirmationis imprimitur character.

β

\* Act. cap. 1, vers. 13, 14.

\* Ibid., cap. II sqq.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit. Sed contra hostes visibiles, idest contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi confitendo <sup>γ</sup>, est confirmatorum, qui iam sunt perducti spiritualiter ad virilem aetatem: secundum quod dicitur I Ioan. II \*: *Scribo vobis, iuvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei in vobis manet, et viciis malignum*. Et ideo character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his quibus dicitur \*: *Sicut modo geniti infantes*.

γ

\* Vers. 14.

\* I Petr. cap. II, vers. 2.

AD SECUNDUM DICENDUM quod omnia sacramenta sunt quaedam fidei protestationes. Sicut igitur baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandum fidem per susceptionem aliorum sacramentorum; ita confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profitendi, quasi ex officio.

α) generatio. — regeneratio F et tertia praeter I.  
β) competit. — quae competit editiones.

γ) confitendo. — publice confitendo tertia.

δ  
\* Vers. 10.  
\* D. 1095.

AD TERTIUM DICENDUM quod sacramenta veteris legis dicuntur *iustitia* δ *carnis*, ut patet *Heb. ix* \*, quia scilicet interius nihil efficiebant \*. Et ideo in circumcissione imprimebatur character solum

in corpore, non autem in anima. Sed in confirmatione cum characterē corporeali imprimitur simul character spiritualis, eo quod est sacramentum novae legis.

δ) *iustitia*. — *iustitiae* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quinto dubium occurrit ad hominem. Quoniam Auctor superius, in qu. LXIII, art. 6, posuit characterem confirmationis pertinere ad recipientes. Hic autem ponit ipsum ex parte potentiae activae, ut patet in littera. Unde videtur Auctoris doctrina sibi ipsi dissona.

Ad hoc dicitur quod haec sibi invicem non adversantur. Quoniam character confirmationis, ut ipsius sacramenti nomen testatur, est characteris baptismalis *confirmatio*. Per baptismum enim fit Christianus, infirmus tamen, quia est *sicut modo genitus infans* \*: per confirmationem autem firmatur. Ac per hoc, ex eadem parte utriusque se tenet sacramenti character. Et per consequens character confirmationis est ut perficiens characterem baptismalem. Qui, cum se teneat ex parte recipientis, trahit secum suae confirmationis characterem. Unde *De Consecr.*, dist. v, cap.

\* I Petr., cap. II, vers. 2.

*De his vero*, Melchiades Papa inquit: *Ita coniuncta sunt haec duo sacramenta quod unum sine altero rite perfici non potest*: — Glossa, *idest, Christianum facere non potest, supple, perfectum*.

Apparetque hoc idem ex actibus utriusque characteris. Nam baptismi est confiteri fidem; confirmationis autem libere seu intrepide confiteri eandem; ubi patet secundum perficere et firmare primum.

Patet etiam non sic esse intelligendum characterem esse potentiam passivam, tanquam si poneretur pure passiva. Potest enim aliquem actum habere, cum hoc quod constituit sacramentorum receptivum perfectum seu firmum. Baptismalis siquidem character receptivum absolute; confirmationis autem receptivum perfecte et libere constituit.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM CHARACTER CONFIRMATIONIS PRAESUPPONAT EX NECESSITATE CHARACTEREM BAPTISMALEM

IV Sent., dist. VII, qu. II, art. 1, qu. 3.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod character confirmationis non praesupponat ex necessitate characterem baptismalem. Sacramentum enim confirmationis ordinatur ad confitendum publice fidem Christi. Sed multi etiam ante baptismum sunt fidem Christi publice confessi, sanguinem fundentes pro fide. Ergo character confirmationis non praesupponit characterem baptismalem.

\* Vers. 2.

2. PRAETEREA, de Apostolis non legitur quod fuerint baptizati: praesertim cum dicatur, Ioan. IV \*, quod *ipse Christus non baptizabat, sed discipuli eius*. Et tamen postea fuerunt confirmati per adventum Spiritus Sancti \*. Ergo similiter alii possunt confirmari antequam baptizentur.

\* Act. cap. II, vers. 2 sqq.

\* Vers. 44 sqq.

3. PRAETEREA, *Act. X* \* dicitur quod, *adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, et audiebant eos loquentes linguis*: et postea *iussit eos baptizari*. Ergo pari ratione possunt alii prius confirmari quam baptizentur.

\* Lib. I, cap. xxx.

SED CONTRA EST quod Rabanus dicit, *de Institut. Cleric.* \*: *Novissime a summo sacerdote per impositionem manus Paraclitus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad praedicandum*.

RESPONDEO DICENDUM quod character confirmationis ex necessitate praesupponit characterem baptismalem: ita scilicet quod, si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oportet ipsum iterato confirmari post baptismum.

Cuius ratio est quia sic se habet confirmatio ad baptismum sicut α augmentum ad generationem, ut ex supra \* dictis patet. Manifestum est autem quod nullus potest promoveri in aetatem perfectam nisi primo fuerit natus. Et similiter, nisi aliquis primo fuerit baptizatus, non potest sacramentum confirmationis accipere.

α  
\* Art. 1; qu. LXV, art. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod virtus divina non est alligata sacramentis. Unde potest conferri β homini spirituale robur ad confitendum publice fidem Christi absque sacramento confirmationis: sicut etiam potest consequi remissionem peccatorum sine baptismo. Tamen, sicut nullus consequitur effectum baptismi sine voto baptismi, ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius. Quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi.

β

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Augustinus \* dicit γ, ex hoc quod Dominus dicit, Ioan. XIII \*, « *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet* », *intelligimus Petrum et alios Christi discipulos fuisse baptizatos, sive baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur; sive, quod magis credibile est, baptismo Christi. Neque enim renuit ministerium baptizandi, ut haberet servos δ per quos ceteros baptizaret*.

\* Ep. CCLXV, al. CVIII, ad Seleucianam.  
γ  
\* Vers. 10.

AD TERTIUM DICENDUM quod audientes praedicationem Petri acceperunt effectum confirmationis miraculose: non tamen sacramentum confirmationis. Dictum est autem \* quod effectus con-

δ  
\* Resp. ad 1; art. 2, ad 1; art. 4, ad 1.

α) *sic... sicut*. — *sicut... ita* H et editiones.  
β) *conferri*. — *conferre* F et tertia.

γ) *dicit*. — *dicit celestianū I, dicit contra celeucianum* sG. Cf. qu. LXXXIV, art. 7. θ.  
δ) *servos*. — *et baptizatos servos* P.

firmationis potest alicui conferri ante baptismum, non autem sacramentum confirmationis. Sicut enim effectus confirmationis, qui est robur spi-

rituale, praesupponit effectum baptismi, qui est iustificatio, ita sacramentum confirmationis praesupponit sacramentum baptismi.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo sexto, adverte quod character confirmationis ita praesupponit characterem baptismi ut, si confirmaretur non baptizatus, esset post baptismum reconfirmandus: eadem ratione qua presbyter non baptizatus est post baptismum iterum ordinandus, ut patet in cap. *Veniens*, et

in cap. *Si quis de Presbytero non baptizato*. Magis enim annexum est confirmationis sacramentum baptismi quam sacramentum ordinis: cum confirmatio firmitas perfectioque sit baptismi.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM GRATIA GRATUM FACIENS CONFERATUR

IV Sent., dist. VII, qu. II, art. 2.

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per hoc sacramentum gratia gratum faciens non conferatur. Gratia enim gratum faciens ordinatur contra culpam. Sed hoc sacramentum, sicut dictum est\*, non exhibetur nisi baptizatis, qui sunt a culpa mundati. Ergo per hoc sacramentum gratia gratum faciens non confertur.

2. PRAETEREA, peccatores maxime indigent gratia gratum faciente, per quam solam iustificari possunt. Si ergo per hoc sacramentum gratia gratum faciens confertur, videtur quod deberet dari hominibus in peccato existentibus. Quod tamen non est verum.

3. PRAETEREA, gratia gratum faciens specie non differt: cum ad unum effectum ordinetur. Sed duae formae eiusdem speciei non possunt esse in eodem subiecto. Cum ergo gratia gratum faciens conferatur homini per baptismum, videtur quod per sacramentum confirmationis, quod non exhibetur nisi baptizato, gratia gratum faciens non conferatur.

SED CONTRA EST quod Melchiodorus Papa dicit\*: *Spiritus Sanctus in fonte baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam: in confirmatione augmentum praestat ad gratiam.*

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento, sicut dictum est\*, datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur: sicut Apostolis datus est in die Pentecostes, ut legitur *Act. II*\*; et sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum, ut dicitur *Act. VIII*\*. Ostensum est autem in Prima Parte\* quod missio seu datio Spiritus Sancti non est nisi cum gratia gratum faciente. Unde manifestum est quod gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod gratiae gratum facientis est<sup>a</sup> remissio culpae: habet tamen et

alios effectus, quia sufficit ad hoc quod promoveat hominem per omnes gradus usque in vitam aeternam<sup>β</sup>. Unde et Paulo dictum est, *II Cor. XII*\*: *Sufficit tibi gratia mea*: et ipse de se<sup>γ</sup> dicit, *I Cor. XV*\*: *Gratia Dei sum id quod sum*. Et ideo gratia gratum faciens non solum datur ad remissionem culpae, sed etiam ad augmentum et firmitatem iustitiae. Et sic confertur in hoc sacramento.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur *ad confirmandum* quod prius invenerit. Et ideo non debet dari his qui non habent gratiam. Et propter hoc, sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis. Unde dicitur in Aurelianensi Concilio\*: *Ut ieiuni ad confirmationem veniant, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere*\*. Et tunc per hoc sacramentum perficitur poenitentiae effectus, sicut et baptismi: quia per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur<sup>δ</sup> poenitens plenior remissionem peccati. — Et si aliquis adultus in peccato existens cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat<sup>ε</sup>, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dictum est\*, gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam aliquid effectivum specialis<sup>ζ</sup> effectus, ad quod ordinatur sacramentum. Si ergo consideretur gratia in hoc sacramento collata quantum ad id quod est commune, sic per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia quam per baptismum, sed quae prius inerat, augetur. Si autem consideretur quantum ad illud speciale quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa.

\* Art. 6.

\* Epist. ad Episcopos Hispan. — Cf. can. Spirit. Sancti, de Consecr., dist. V.

\* Art. 1, 4; qu. LXV, art. 1.

\* Vers. 2 sqq.

\* Vers. 17.

\* Qu. XLIII, art. 3.

α

α) est. — effectus est EFH, primus effectus est I et editiones; a addit effectus ante gratiae.

β) aeternam. — secundum illud Rom. VI: Gratia Dei est vita aeterna addunt E et tertia.

γ) de se. — Om. Pc.

δ) consequetur. — consequitur CFa et tertia praeter pI; in fine solutionis consequitur Fa.

ε) accedat. — accedat ad hoc sacramentum dummodo non fictus accedat (repetit, sine quia quod iam superius omiserat, per gratiam collatam... contritus accedat) ad hoc sacramentum dummodo fictus accedat E, accedat dummodo non fictus accedat pI.

ζ) specialis. — spiritualis GHbc, spiritalis F; Alias spiritualis margo P.

\* Vers. 9.  
γ

\* Vers. 10.

\* Can. III. - Cf. can. Ut ieiuni, de Consecr., dist. V.  
\* D. 380.

δ

ε

\* Qu. LXII, art. 2.

ζ

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo septimo, in responsione ad secundum, nota hic dictum in littera pro omnibus sacramentis: quod accedens ad sacramentum cum peccato, vel quia eius conscientiam non habet, vel quia non perfecte contritus, gratiam ex sacramento consequitur in remissionem peccatorum. Et intelligo hoc de peccato mortali: quoniam de venialibus non oportet habere conscientiam particularem. Hoc est enim quod consuevit dici, *Virtute sacramenti fieri de attrito contritum*: hoc est, paratum secundum propriam conscientiam caritate informari. Quod tunc tantum fit cum ex sacramento movetur mens suscipientis sacramentum in actualem operationem in Deum seu peccatum. Non enim regulariter infunditur aut augetur gratia in adulto nisi

concurrente actu novo liberi arbitrii, quoniam sic exigit suavis dispositio \* divinae gubernationis: ut ex his quae in Prima Secundae \* de iustificatione impii Auctor dicit, habere potes; et inferius \*, cum de sacramento poenitentiae tractabitur.

II. In eodem articulo, in responsione ad tertium, memento superius \* dictorum de gratia sacramentali, et intelliges quae hic dicuntur. Gratia siquidem gratum faciens extensa ad firmandum Christianum ut libere Christum crucifixum confiteatur, secundum essentiam gratiae est eiusdem speciei cum gratia collata in baptismo: sed secundum auxilium firmitatis procedentis a gratia, quod gratia sacramentalis vocatur, specie differt a gratia baptismali.

\* Sap. cap. viii, vers. 1.  
\* Qu. cxiii, art. 3.  
\* Qu. lxxxvii, art. 2.

\* Qu. lxii, art. 2.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT OMNIBUS EXHIBENDUM

IV Sent., dist. vii, qu. iii, art. 2, qu. 2, 3.

**A**D OCTAVUM SIC PROCEditur. Videtur quod hoc sacramentum non sit omnibus exhibendum. Hoc enim sacramentum ad quandam excellentiam datur, ut dictum est \*. Sed id quod ad excellentiam pertinet, non competit omnibus. Ergo hoc sacramentum non debet omnibus dari.

2. PRAETEREA, per hoc sacramentum augetur aliquis spiritualiter in perfectam aetatem. Sed perfecta aetas repugnat aetati puerili. Ergo ad minus pueris dari non debet.

3. PRAETEREA, sicut Melchisedes Papa dicit \*, post baptismum confirmamur ad pugnam. Sed pugnare non competit mulieribus, propter fragilitatem sexus. Ergo nec mulieribus hoc sacramentum debet dari.

4. PRAETEREA, Melchisedes Papa dicit \*: *Quamvis continuo transitis sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen confirmationis beneficia necessaria sunt. Confirmatio armat et instruit ad agones mundi huius et praelia reservandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenerit ad mortem, confirmatur morte: quia iam non potest peccare post mortem.* Ergo statim morituris non debet hoc sacramentum conferri. Et sic non debet omnibus dari.

SED CONTRA EST quod dicitur Act. ii \*, quod Spiritus Sanctus veniens replevit totam domum, per quam significatur Ecclesia: et postea \* subditur quod *repleti sunt omnes Spiritu Sancto*. Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc sacramentum datur. Ergo est omnibus qui sunt in Ecclesia exhibendum.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, per hoc sacramentum promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturae, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam aetatem perveniat: sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte praeventitur. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cuius imitatione hoc natura participat: unde et Deut. xxxii \* dicitur:

*Dei perfecta sunt opera.* Anima autem, ad quam pertinet spiritualis nativitas et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est: et potest, sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore iuventutis et pueritiae consequi perfectam aetatem; quia huiusmodi corporales aetates animae non praeiudicant. Et ideo hoc sacramentum debet omnibus exhiberi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod hoc sacramentum datur ad quandam excellentiam, non quidem unius hominis ad alium, sicut sacramentum ordinis, sed hominis ad seipsum: sicut idem, perfectus vir existens, habet excellentiam ad se puerum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dictum est \*, corporalis aetas non praeiudicat animae. Unde etiam in puerili aetate potest consequi perfectionem spiritualis aetatis: de qua dicitur Sap. iv \*: *Senectus venerabilis est non diuturna, neque numero annorum computata.* Et inde est quod multi in puerili aetate, propter robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Chrysostomus dicit, in Homilia \* de Machabaeis, in mundanis agonibus aetatis et formae generisque dignitas requiritur: et ideo servis ac mulieribus, senibus ac pueris, ad eos aditus denegatur. In caelestibus autem omni personae et aetati et sexui indiscreta facultate stadium patet. Et in Homilia de Militia Spirituali \* dicit: *Apud Deum femineus etiam militat sexus: multae namque feminae animo virili spiritualem militiam gesserunt. Quaedam enim interioris hominis virtute viros aequaverunt in agonibus martyrum: quaedam etiam fortiores viris exstiterunt.* Et ideo mulieribus hoc sacramentum conferendum est.

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut dictum est \*, anima, ad quam pertinet spiritualis aetas, immortalis est. Et ideo morituris hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant: secundum illud Ephes. iv \*: *Donec occurramus in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Et ideo Hugo de Sancto Vi-

\* Art. 2, ad 2. - Cf. qu. lxxv, art. 3, 4.

\* Epist. ad Episcopos Hispan. - Cf. can. Spirit. Sanct., de Consecr., dist. v.

\* Ibid.

\* Vers. 2.

\* Vers. 4.

\* Art. 1.

\* Vers. 4.

\* In corpore.

\* Vers. 8.

\* Prima.

\* Homil. v inter xvi.

\* In corpore.

\* Vers. 13.



\* De Sacram.,  
lib. II, part. VII,  
cap. 3.

ctore dicit \*: *Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret*: non quia damnaretur, nisi forte per contemptum; sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes maiorem glo-

riam consequuntur, sicut et hic maiorem obtinent gratiam. – Auctoritas autem illa intelligitur quantum ad hoc, quod morituris non est necessarium hoc sacramentum propter periculum pugnae praesentis.

## ARTICULUS NONUS

### UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT CONFERENDUM HOMINI IN FRONTE

Infra, art. 11, ad 3; IV *Sent.*, dist. VII, qu. III, art. 3, qu<sup>a</sup> 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LX; *Quodl.* XI, qu. VII; *Ad Rom.*, cap. I, lect. V; cap. X, lect. II.

**A**D NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non sit conferendum homini in fronte. Hoc enim sacramentum est perfectivum baptismi, ut supra \* dictum est. Sed sacramentum baptismi confertur homini in toto corpore. Ergo hoc sacramentum non debet conferri solum in fronte.

\* Qu. LXV, art. 3, 4.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum datur ad robur spirituale, ut supra \* dictum est. Sed spirituale robur maxime consistit in corde. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri supra cor quam in fronte.

\* Art. 1, 2, 4; qu. LXV, art. 1.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum datur homini ad hoc quod libere fidem Christi confiteatur. Sed ore fit confessio ad salutem, ut dicitur *Rom.* x \*. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri circa os quam in fronte.

\* Vers. 10.

SED CONTRA EST quod Rabanus dicit, in libro *de Institut. Cleric.* \*: *Signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per pontificem vero in fronte.*

\* Lib. I, cap. xxx.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, in hoc sacramento homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter etiam inter adversarios fidei fidem Christi confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte, propter duo. Primo quidem, quia insignitur signo crucis sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime manifestus est frons, qui <sup>α</sup> quasi nunquam obtegatur. Et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstra-

\* Art. 1, 4.

α

α) manifestus est frons, qui. – manifesta (manifestans H) est frons quae GH, frons manifesta est quae editiones.  
β) fronte. – propter duo scilicet addunt editiones. – propter hoc quod E et tertia; propter hoc.

ret se esse Christianum: sicut et Apostoli post receptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in cenaculo latebant \*.

\* Act. cap. I, vers. 13; cap. II.

Secundo, quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, et propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte <sup>β</sup>, propter propinquitatem imaginationis, et propter hoc quod spiritus a corde directe ad frontem ascendunt: unde *verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt*, ut dicitur in IV *Ethic.* \*. Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem neque propter erubescuntiam nomen Christi confiteri praetermittat.

β

\* Cap. IX, n. 2. – S. Th. lect. XVII.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod per baptismum regeneramur ad vitam spiritualem, quae ad totum hominem pertinet. Sed in confirmatione roboramur ad pugnam: cuius signum ferendum est in fronte, quasi in evidenti loco.

AD SECUNDUM DICENDUM quod principium fortitudinis est in corde, sed signum apparet in fronte: unde dicitur *Ezech.* III \*: *Ecce, dedi frontem tuam duriores frontibus eorum.* Et ideo sacramentum Eucharistiae, quo homo in seipso confirmatur, pertinet ad cor: secundum illud *Psalmi* \*: *Panis cor hominis confirmet.* Sed sacramentum confirmationis requiritur in signum <sup>γ</sup> fortitudinis ad alios. Et ideo exhibetur in fronte.

\* Vers. 8.

\* Ps. CIII, vers. 15.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc sacramentum datur ad libere confitendum: non autem ad confitendum simpliciter, quia hoc fit etiam in baptismo. Et ideo non debet dari in ore, sed in fronte, ubi apparent signa passionum quibus libera confessio impeditur.

γ

γ) Sed sacramentum... in signum. – Sed sacramentum... signum A, Sed ad sacramentum... signum G et editiones, (Sed ad sacramentum om.) confirmationis requiritur signum H, Sed sacramentum confirmationis requirit signum I.

## ARTICULUS DECIMUS

### UTRUM ILLE QUI CONFIRMATUR DEBEAT TENERI AB ALIO

IV *Sent.*, dist. VII, qu. III, art. 3, qu<sup>a</sup> 1.

**A**D DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ille qui confirmatur non debet ab alio teneri ad confirmationem. Hoc enim sacramentum non solum pueris, sed etiam adultis exhibetur. Adulti autem per seipsos

stare possunt. Ergo ridiculum est quod ab alio teneantur.

2. PRAETEREA, ille qui iam est de Ecclesia, liberum habet accessum ad Ecclesiae principem, qui est episcopus. Sed hoc sacramentum, sicut

\* Art. 6. dictum est \*, non exhibetur nisi baptizato, qui iam est membrum Ecclesiae. Ergo videtur quod non debeat per alium exhiberi episcopo ad hoc sacramentum recipiendum.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum datur ad robur spirituale. Quod magis viget in viris quam in mulieribus: secundum illud *Prov. ult. \**: *Mulierem fortem quis inveniet?* Ergo ad minus mulier non debet tenere virum ad confirmationem <sup>α</sup>.

\* Auct. incert. SED CONTRA EST quod Innocentius Papa \* dicit, et habetur in *Decretis*, XXX, qu. IV \*: *Si quis ex coniugio filium aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut ad chrisma tenuerit*, etc. Ergo, sicut requiritur quod aliquis baptizatum de sacro fonte levet, ita debet aliquis teneri ad sacramentum confirmationis accipiendum.

\* Art. 1, 4, 9. RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quae pertinent ad conversationem <sup>β</sup> vitae, secundum illud *Heb. XII \**: *Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, et obtemperabamus eis* <sup>γ</sup>; ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus a quibus <sup>δ</sup> in-

struantur de his quae pertinent ad modum certaminis; et ideo in bellis materialibus constituuntur duces et centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna <sup>ε</sup> erudiendus.

Similiter <sup>ζ</sup> etiam, quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis aetatis, sicut dictum est \*; ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter <sup>η</sup> imbecillis et puer.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, licet ille qui confirmatur sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritualiter.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiae, nondum tamen est adscriptus militiae Christianae. Et ideo episcopo, tanquam duci exercitus, per alium exhibetur iam militiae Christianae adscriptum. Non enim debet alium ad confirmationem tenere qui nondum est confirmatus \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dicitur *Coloss. III \**, *in Christo Iesu non est masculus neque femina*. Et ideo non differt utrum masculus vel femina teneat aliquem in confirmatione.

α) Ergo... confirmationem. - P; Ergo mulier non debet aliquem tenere quando confirmatur E, Ergo non a muliere sed a viro debet confirmandus teneri sI, om. ceteri.  
β) conversationem. - conservationem P, confirmationem F.  
γ) obtemperabamus eis. - reverebamur eos P.

δ) a quibus. - PHc; quibus.  
ε) pugna. - spirituali addunt F et tertia.  
ζ) Similiter. - sI a et editiones; Simul.  
η) spiritualiter. - EFsB et tertia praeter I; om. I, spiritualis ceteri. - Pro et puer, ut puer ed. a.

\* Cf. can. In baptisate, de Consecr., dist. IV.

\* Ad Galat., cap. III, vers. 28. - Cf. ad Coloss., cap. III, vers. 11.

## ARTICULUS UNDECIMUS

### UTRUM SOLUS EPISCOPUS HOC SACRAMENTUM CONFERRE POSSIT

Supra, qu. LXV, art. 3, ad 3; IV *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 4, ad 1; dist. VII, qu. III, art. 1; dist. XIII, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 2, ad 2; dist. XXV, qu. I, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LX; Opusc. V, p. II, *De Eccl. Sacram.*; *Quodl.* XI, qu. VII.

\* *Regist.* lib. IV, Ep. XXVI. - Cf. can. *Peruenit quoque*, dist. XCV.

AD UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non solus episcopus hoc sacramentum conferre possit. Gregorius enim, scribens Ianuario Episcopo \*, dicit: *Peruenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostrae Ecclesiae fecimus: sed si omnino hac de re <sup>α</sup> aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus <sup>β</sup>*. Sed illud quod pertinet ad necessitatem sacramentorum, non est propter vitandum scandalum immutandum. Ergo videtur quod non sit de necessitate huius sacramenti quod ab episcopo conferatur.

2. PRAETEREA, sacramentum baptismi videtur esse maioris efficaciae quam sacramentum confirmationis: quia per baptismum fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad poenam, quod non fit in hoc sacramento. Sed simplex sacerdos ex suo officio potest tradere sacramentum baptismi: et in necessitate qui-

libet, etiam non ordinatus, potest baptizare. Ergo non est de necessitate huius sacramenti quod ab episcopo conferatur.

3. PRAETEREA, summitas capitis, ubi secundum medicos est locus rationis (scilicet particularis, quae dicitur virtus cogitativa), est nobilior fronte, ubi est locus imaginativae virtutis. Sed simplex sacerdos potest baptizatos chrismate ungere in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte, quod pertinet ad hoc sacramentum.

SED CONTRA EST quod Eusebius Papa dicit \*: *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest nisi a summis sacerdotibus. Nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse: nec ab aliis quam qui eorum locum tenent, unquam <sup>γ</sup> perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter praesumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta*. Est igitur de necessitate huius sacramenti, quod dicitur sacra-

α) hac de re. - PEFI; de hac re GHabc, hac dicere ceteri.  
β) concedimus. - Ea et tertia; concessimus.

γ) unquam. - PI; nunquam.

\* Ep. III, ad Episcopos Tusc. - Cf. can. *Manus quoque, de Consecr.*, dist. V.

mentum manus impositionis, quod ab episcopo tradatur.

RESPONDEO DICENDUM quod in quolibet opere ultima consummatio supremæ arti aut virtuti reservatur: sicut præparatio materiae pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam, supremus autem est ad quem pertinet usus, qui est finis artificiatorum; et epistola quæ a notario scribitur, a domino <sup>δ</sup> signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud I Cor. III \*, *Dei aedificatio estis*: sunt etiam quasi quaedam *epistola Spiritu Dei scripta*, sicut dicitur II Cor. III \*. Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi: ita scilicet quod per baptismum aedificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur quasi quaedam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis, quasi domus aedificata, dedicatur in templum Spiritus Sancti; et quasi epistola conscripta, signatur signo crucis. Et ideo collatio huius sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam <sup>ε</sup> potestatem in Ecclesia: sicut in primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Act. VIII \*. Unde Urbanus Papa \*\* dicit: *Omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.*

\* Vers. 9.

\* Vers. 2, 3.

\* Vers. 14 sqq.  
\*\* Primus. - Cf. can. *Omnes fideles de Consecr.*, dist. V.

δ) a domino. - papa addunt Pfb; I habet a sup. marg. et dño sup. ras.

ε) summam. - FsB a et tertia; suam.

ζ) ex qua. - Tertia; ex quo.

η) presbyteris. - quibusdam presbyteris IsG et editiones.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua <sup>ζ</sup> potest quaedam quæ sunt superiorum ordinum, committere inferioribus quibusdam: sicut presbyteris <sup>η</sup> concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit beatus Gregorius Papa quod simplices sacerdotes conferrent hoc sacramentum, quando scandalum tolleretur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sacramentum baptismi est efficacius quam hoc sacramentum quantum ad remotionem mali: eo quod est spiritualis generatio <sup>θ</sup>, quæ est mutatio de non esse in esse. Hoc autem sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono: quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum. Et ideo hoc sacramentum digniori ministro committitur.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Rabanus dicit, in libro *de Institut. Cleric.* \*, *signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per pontificem vero in fronte, ut priori unctione significetur super ipsum Spiritus Sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam* <sup>ι</sup>: *in secunda quoque ut eiusdem Spiritus Sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis et scientiæ et virtutis, venire in hominem declaretur.* Non ergo propter digniorem partem, sed propter potiorem effectum, hæc unctio <sup>κ</sup> episcopis reservatur.

\* Lib. I, cap. xxx.

θ) generatio. - regeneratio BFG.

ι) consecrandam. - PpG et a; conferendam.

κ) hæc unctio. - DE et tertia; hic necessario F, hoc necessario ceteri.

### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulis octavo, nono, decimo et undecimo, tantummodo occurrit de ministro confirmationis, ob factum Gregorii \*, notare quod episcopus est regulariter proprius minister confirmationis: et hoc omnia fere iura clamant. Sed ultra hoc, credimus etiam episcopum ita esse proprium ministrum huius sacramenti quod, si per simplicem sacerdotem detur, irritum est et inane: et hoc tenetur auctoritate Melchiadis Papæ, in cap. *De his*, et Eusebii Papæ, in cap. *Manus, de Consecr.*, dist. V. Et cum hoc credimus etiam ex Apostolica dispensatione per simplicem sacerdotem dari posse hoc sacramentum: et hoc tenemus auctoritate beati Gregorii, in cap. *Pervenit*, XCV dist. Ita quod hoc est mirabile circa ministrum huius sacramenti, quod episcopus est ita minister proprius confirmationis quod a non-episcopo facta nulla est: et tamen ex dispensatione Apostolica non-episcopus potest illam conferre.

\* Art. 11, arg. 1.

II. Et licet multi multa in hoc scripserint, soli tamen illi verum scripserunt qui noluerunt *sapere plus quam oportet* \*: in istis enim Sanctorum auctoritas præponenda est rationi. Unde etiam legimus in Concilio universali Florentiæ, sub Eugenio IV, utrumque Armenis authentice expositum, cum de hoc sacramento fuerunt instructi, ut patet in litteris Eugenii \*. Unde et Auctor rationem conatus est reddere ex differentia inter Papam et alios episcopos quoad eminentiam potestatis: quia Papa in plenitudinem assumptus est potestatis, reliqui autem in partem sollicitudinis. In dicta autem Synodo nulla redditur ratio nisi dispensatio Apostolicæ Sedis ex rationali et urgente causa. Quod ideo dixerim ut ratio ab Auctore reddita non parvi fiat, sed cum veneratione suscipiatur, tanquam amplexa a sacro Concilio, attribuente hoc dispensationi Apostolicæ Sedis: constat enim dispensare in huiusmodi ad maximam spectare potestatem.

\* Ad Rom., cap. xii, vers. 3.

\* Decret. pro Armen.

## ARTICULUS DUODECIMUS

### UTRUM RITUS HUIUS SACRAMENTI SIT CONVENIENS

IV Sent., dist. vii, Expos. litt.



AD DUODECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ritus huius sacramenti non sit conveniens. Sacramentum enim baptismi est maioris necessitatis quam hoc

sacramentum, ut supra \* dictum est. Sed baptismi deputantur certa tempora, scilicet Pascha et Pentecoste. Ergo etiam huic sacramento aliud certum tempus debet præfigi.

\* Art. 2, ad 4; qu. LXV, art. 3, 4.

2. PRAETEREA, sicut hoc sacramentum requirit devotionem et dantis et recipientis, ita etiam et sacramentum baptismi. Sed in sacramento baptismi non requiritur quod a ieiunis sumatur vel conferatur. Ergo videtur inconvenienter statutum in Aurelianensi Concilio \* *ut ieiuni ad confirmationem veniant*; et in Concilio Meldensi \* *ut episcopi non nisi ieiuni per impositionem manus Spiritum Sanctum tradant*.

\* Cf. art. 7, ad 2.  
\* Can. *Ut episcopi, de Consecr.*, dist. V.

3. PRAETEREA, chrisma est quoddam signum plenitudinis Spiritus Sancti, ut supra \* dictum est. Sed plenitudo Spiritus Sancti data est fidelibus Christi in die Pentecostes, ut habetur *Act. II* \*. Magis ergo deberet chrisma confici et benedici in festo Pentecostes quam in Cena Domini.

\* Art. 2.  
\* Vers. 1.

SED CONTRA EST USUS Ecclesiae, quae a Spiritu Sancto gubernatur.

RESPONDEO DICENDUM quod Dominus, Matth. XVIII \*, fidelibus suis promisit dicens: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Et ideo firmiter tenendum est quod ordinationes Ecclesiae dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc certum esse debet ritus quos Ecclesia observat in hoc et in aliis sacramentis, esse convenientes.

\* Vers. 20.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Melchisedes Papa dicit \*, *ita coniuncta sunt haec duo sacramenta*, scilicet baptismi et confirmationis, *ut ab invicem nisi morte praeviente nullatenus possint <sup>a</sup> segregari, et unum sine altero rite perfici*

\* Epist. *ad Episcopos Hispan.* - Cf. can. *De his, de Consecr.*, dist. V.

<sup>a</sup>

<sup>a</sup>) *possint*. - Editiones et *a*; *possit* E, *possent* I, *possunt* ceteri. - *possit* P; *potest*.

*non possit*. Et ideo eadem tempora sunt praefixa baptismo solemniter celebrando et huic sacramento. Sed quia hoc sacramentum a solis episcopis datur, qui non sunt semper praesentes ubi presbyteri baptizant, oportuit, quantum ad communem usum, sacramentum confirmationis etiam in alia tempora differri.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ab illa prohibitione *excipiuntur infirmi et morte periclitantes*: sicut in statuto Meldensis Concilii legitur. Et ideo, propter multitudinem fidelium, et propter pericula imminencia, sustinetur ut hoc sacramentum, quod non nisi ab episcopis dari potest, etiam a non ieiunis detur vel accipiatur: quia unus episcopus, praecipue in magna dioecesi, non sufficeret ad omnes <sup>β</sup> confirmandos, si ei tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est ut a ieiunis detur et accipiatur \*.

β  
\* D. 38o.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut ex Concilio Martini Papae \* habetur, *omni tempore licebat chrisma conficere*. Sed quia sollemnis baptismus, ad quem requiritur usus chrismatis, in vigilia Paschae celebratur, congrue ordinatum est \* ut per biduum ante ab episcopo chrisma benedicatur, ut possit per dioecesim destinari. - Dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiae sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, sicut dictum est \*.

\* Cap. *Lt* inter capp. Martini Bracarensis. - Cf. can. *Omni temp.*, de *Consecr.*, dist. IV.  
\* Cf. can. *Litteris vestris*, de *Consecr.*, dist. III.

\* Qu. *LXV*, art. 3.

<sup>β</sup>) *omnes*. - F; *tot homines* PI, *homines* ceteri. - Pro *ei*, *eis* PHc, *eni* b.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo duodecimo hoc solum videtur dicendum, quod circa ieiunium tam confirmatoris quam confirmandi servanda videtur cuiusque ecclesiae consuetudo: hoc enim est de iure positivo. Et in paucis forte ecclesiis servatur, propter causas in littera allegatas: multitudinem scilicet

confirmandorum, quos simul oportet confirmari, et separatim quandoque propter continuum periculum incertae mortis; adiuncta maxima incommoditate habendi episcopum ad votum.



## QUAESTIO SEPTUAGESIMATERTIA

### DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

IN SEX ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXVI, Introd.  
\* Qu. LXXIV.  
\* Qu. LXXVIII.  
\*\* Qu. LXXIX.  
\* Qu. LXXX.  
\* Qu. LXXXII.  
\*\* Qu. LXXXIII.

CONSEQUENTER considerandum est de sacramento Eucharistiae \*. Et primo, de ipso sacramento; secundo, de materia \*; tertio, de forma \*; quarto, de effectu <sup>α</sup> \*\*; quinto, de recipientibus hoc sacramentum \*; sexto, de ministro \*; septimo, de ritu \*\*. Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum Eucharistia sit sacramentum.  
Secundo: utrum sit unum vel plura.  
Tertio: utrum sit de necessitate salutis.  
Quarto: de nominibus eius.  
Quinto: de institutione ipsius.  
Sexto: de figuris eius.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM EUCHARISTIA SIT SACRAMENTUM

Supra, qu. LXV, art. 1; infra, qu. LXXIX, art. 5, 7; IV *Sent.*, dist. VIII, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. v.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Eucharistia non sit sacramentum. Ad idem enim non debent ordinari duo sacramenta: quia unumquodque sacramentum efficax est ad suum effectum producendum. Cum ergo ad perfectionem ordinetur confirmatio et Eucharistia, ut Dionysius dicit, IV cap. \* *Eccl. Hier.*, videtur Eucharistia non esse sacramentum: cum confirmatio sit sacramentum, ut prius \* habitum est.

\* Et cap. II.

\* Qu. LXV, art. 1; qu. LXXII, art. 1.

\* Qu. LXIII, art. 6; qu. LXVI, art. 1, 3, 7.

\* Mag. IV *Sent.*, dist. VIII, cap. Nunc quid ibi. - Cf. cap. Cum Marthae, de Ce-lebr. Miss.

\* Qu. LXXVIII, art. 1.

\* Pro viv. et def. ad Postcommun.

2. PRAETEREA, in quolibet sacramento novae legis id quod visibiliter subiicitur sensui, efficit invisibilem effectum sacramenti: sicut ablutio aquae causat et characterem baptismalem et abluitionem spiritualem, ut supra \* dictum est. Sed species panis et vini, quae subiiciuntur sensui in hoc sacramento, non efficiunt neque ipsum corpus Christi verum, quod est res et sacramentum, neque corpus mysticum, quod est res tantum in Eucharistia \*. Ergo videtur quod Eucharistia non sit sacramentum novae legis.

3. PRAETEREA, sacramenta novae legis habentia materiam in usu materiae perficiuntur: sicut baptismus in ablutione, et confirmatio in chrismatis consignatione. Si ergo Eucharistia sit sacramentum, perficeretur in usu materiae, non in consecratione ipsius materiae. Quod patet esse falsum: quia forma huius sacramenti sunt verba quae in consecratione materiae dicuntur, ut infra \* patebit. Ergo Eucharistia non est sacramentum.

SED CONTRA EST quod in collecta \* dicitur: *Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam.*

RESPONDEO DICENDUM quod sacramenta Ecclesiae ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitae corporali con-

formatur: eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est autem quod, sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, et augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitae; ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vita. Et ideo, sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio <sup>β</sup>, et confirmationem, quae est spirituale augmentum; ita oportuit esse sacramentum Eucharistiae, quod est spirituale alimentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod duplex est perfectio. Una quae est in ipso homine, ad quam perducitur per augmentum. Et talis perfectio competit confirmationi. - Alia autem est perfectio quam homo consequitur ex adiunctione <sup>γ</sup> cibi vel indumenti, vel alicuius huiusmodi. Et talis perfectio competit Eucharistiae, quae est spiritualis refectio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod aqua baptismi non causat aliquem spiritualem effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus Sancti in aqua existentem: unde Chrysostomus dicit \*, super illud Ioan. v \*, *Angelus Domini secundum tempus etc.: In baptizatis non simpliciter aqua operatur: sed, cum Spiritus Sancti susceperit gratiam, tunc omnia solvit peccata* <sup>δ</sup>. Sicut autem se habet virtus Spiritus Sancti ad aquam baptismi, ita se habet corpus Christi verum ad species panis et vini. Unde species panis et vini non efficiunt aliquid nisi virtute corporis Christi veri.

AD TERTIUM DICENDUM quod sacramentum dicitur ex eo quod continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter: scilicet absolute, et in ordine ad aliud. Haec est autem differentia inter Eucharistiam et alia sacramenta

<sup>α</sup>) effectu. - effectibus P.

<sup>β</sup>) generatio. - regeneratio AFGpC et bc.

<sup>γ</sup>) adiunctione. - alicuius extrinseci hominem conservantis puta

ex adiunctione addunt PFI, et E praeter tria ultima verba; idem addunt bc, sed ante quam homo.

<sup>δ</sup>) peccata. - FsCE a et tertia; peccatum peccata pE, om. ceteri. - autem PI; om. H, enim ceteri.

\* Hom. XXXVI, aliter XXXV, in Ioan.  
\* Vers. 4.

β

γ

δ

habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolute, scilicet ipsum Christum: aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanctificandum, et eadem ratio est de chrismate et similibus. Et ideo sacramentum Eucharistiae perficitur in ipsa consecratione materiae: alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiae ad hominem sanctificandum.

Et ex hoc etiam consequitur alia differentia. Nam in sacramento Eucharistiae id quod est res et sacramentum, est in ipsa materia; id autem quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia quae confertur. In baptismo autem utrumque est in suscipiente: et <sup>ε</sup> character, qui est res et sacramentum; et gratia remissionis peccatorum, quae est res tantum. Et eadem ratio est de aliis sacramentis.

<sup>ε</sup>) et. — scilicet et I et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo primo notandum occurrit, in responsione ad tertium, quod duarum differentiarum quae ibi enarrantur inter Eucharistiam et alia sacramenta habentia materiam sensibilem (quod propter poenitentiam et matrimonium dicitur), secunda differentia sumit gratiam non solum secundum seipsam, sed secundum suum effectum, qui est

unitas corporis Christi mystici. Ita quod, cum audis sacramenti Eucharistiae rem tantum esse gratiam, susceptivum autem unitatem Ecclesiae aut corpus Christi mysticum, non diversa intelligas: quoniam haec omnia nihil aliud sunt quam gratia Dei in suis fidelibus.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM EUCHARISTIA SIT UNUM SACRAMENTUM VEL PLURA

Infra, qu. LXXVIII, art. 6, ad 2; IV Sent., dist. VIII, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 2.

\* Pro vin. et def. ad Postcommun.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Eucharistia non sit unum sacramentum, sed plura. Dicitur enim in collecta \*: *Purificent nos, quaesumus, Domine, sacramenta quae sumpsimus*: quod quidem dicitur propter Eucharistiae sumptionem. Ergo Eucharistia non est unum sacramentum, sed plura.

\* Qu. LX, art. 1.

2. PRAETEREA, impossibile est, multiplicato genere, non multiplicari speciem: sicut quod unus homo sit <sup>α</sup> plura animalia. Sed signum est genus sacramenti, ut supra \* dictum est. Cum igitur in Eucharistia sint plura signa, scilicet panis et vini <sup>β</sup>, videtur consequens esse quod sint plura sacramenta.

\* Art. 1, ad 3.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae, sicut dictum est \*. Sed in hoc sacramento est duplex materiae consecratio. Ergo est duplex sacramentum.

\* Vers. 17.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, I Cor. x \*: *Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et uno calice participamus*. Ex quo patet quod Eucharistia sit sacramentum ecclesiasticae unitatis \*. Sed sacramentum similitudinem gerit rei cuius est sacramentum. Ergo Eucharistia est unum sacramentum.

\* Cf. Aug. In Ioan. Evang., tract. XXVI, n. 13.

\* S. Th. lect. VII, VIII. — Did. lib. IV, cap. VI.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dicitur V *Metaphys.* \*, unum dicitur non solum quod est indivisibile vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum: sicut cum <sup>γ</sup> dicitur una domus, et unus homo. Est autem unum perfectione ad cuius integritatem concurrunt omnia quae requi-

runtur ad finem eiusdem: sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis operationi <sup>δ</sup> animae, et domus ex partibus quae sunt necessariae ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum. Ordinatur enim ad spiritualem refectioem, quae corporali conformatur. Ad corporalem autem refectioem duo requiruntur: scilicet cibus, qui est alimentum siccum; et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus: secundum illud Ioan. VI \*: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Ergo hoc sacramentum multa quidem materialiter est, sed unum formaliter et perfective.

δ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in collecta eadem et pluraliter dicitur primo, *Purificent nos sacramenta quae sumpsimus*; et postea singulariter subditur, *Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam*: ad ostendendum quod hoc sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem unum.

\* Vers. 56.

AD SECUNDUM DICENDUM quod panis et vinum materialiter quidem sunt plura signa, formaliter vero et perfective unum, in quantum ex eis perficitur una refectio.

AD TERTIUM DICENDUM quod ex hoc quod est duplex consecratio huius <sup>ε</sup> sacramenti, non potest plus haberi nisi quod hoc sacramentum materialiter est multa, ut dictum est \*.

\* In corpore.

<sup>α</sup>) sit. — Tertia et a; sint.

<sup>β</sup>) vini. — vinum Plc.

<sup>γ</sup>) cum. — CFGHc; etiam cum Aa, et cum BDE, unum b, om. Pl; a mutat unus homo et una domus.

<sup>δ</sup>) operationi. — operationis I, ad operationem F et cetera tertia. Pro ex partibus, integratur ex partibus (omnibus partibus P) tertia.

<sup>ε</sup>) huius. — materiae H, materiae huius cetera tertia.

## Commentaria Cardinalis Caietani

IN secundo articulo, adverte sacramentum Eucharistiae dici multa materialiter, non ea ratione quod multitudo in eo sit pure materialis: quoniam partes eius habent suas proprias formas et suas proprias materias, ut patet de hostia et calice; sunt enim vel partes heterogeneae: — sed quia huiusmodi multa se habent ut integrantia unum, quod est refectio spiritualis, a cuius formali unitate unum sacramentum dicitur Eucharistia, significans et corpus et sanguinem Christi sub specie cibi et potus. Quocirca non est hic requirenda res aliqua extrinseca, quae integretur, velut

quaedam tertia res, ex corpore et sanguine Christi sub speciebus panis et vini, sicut domus integratur ex suis partibus: sed ad finem respiciendum est, et ex unitate finis proprii, qui est spiritualis refectio, unitas sumitur sacramenti; sicut ex unitate refectionis corporalis sumitur unitas prandii aut cenae. Nec ista significatio per accidens se habet ad huius sacramenti rationem. Nam corpus sub specie cibi, et sanguis sub specie potus, significant pasci et potari: ac per hoc, utrumque simul, velut perfectum alimentum, signum est totale perfectae refectiois spiritualis.

## ARTICULUS TERTIUS

## UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT DE NECESSITATE SALUTIS

Infra, qu. LXXX, art. 11; IV Sent., dist. IX, art. 1, qu<sup>a</sup> 2; dist. XII, qu. III, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, ad 1; In Ioan., cap. VI, lect. VII.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum sit de necessitate salutis. Dicit enim Dominus, Ioan. VI \* : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed in hoc sacramento manducatur caro Christi et bibitur sanguis eius. Ergo sine hoc sacramento non potest homo habere salutem spirituales vitae.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum est quoddam spirituale alimentum. Sed alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis. Ergo etiam hoc sacramentum est de necessitate salutis spiritualis.

3. PRAETEREA, sicut baptismus est sacramentum Dominicae passionis, sine qua non est salus, ita et Eucharistia: dicit enim Apostolus, I Cor. XI \* : *Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ergo, sicut baptismus est de necessitate salutis, ita hoc sacramentum.

SED CONTRA EST quod scribit Augustinus Bonifacio, contra Pelagianos \* : *Nec id cogitetis, parvulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis et sanguinis Christi.*

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento duo est considerare: scilicet ipsum sacramentum, et rem sacramenti. Dicitur enim \* quod res sacramenti <sup>α</sup> est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noe, quae significat Ecclesiam, ut habetur I Petr. III \*. Dicitur enim supra \*\* quod res alicuius sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti, ex ipso voto sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem huius sacramenti, potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum: sicut et ante baptismum ex voto baptismi, ut supra \* dictum est.

Tamen est differentia quantum ad duo. Primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitae, et *ianua sacramentorum*. Eucharistia vero

est quasi *consummatio* spiritualis vitae, et *omnium sacramentorum finis*, ut supra \* dictum est: per sanctificationes enim omnium sacramentorum fit praeparatio ad suscipiendam vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam, perceptio autem Eucharistiae est necessaria ad consummandam ipsam: non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis habetur in desiderio et intentione.

Alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam. Et ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam. Et sic, sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant Eucharistiam: et per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinantur per aliud praecedens sacramentum. Et ideo, ante susceptionem baptismi, non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti. Unde rem sacramenti percipere non possunt sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis sicut baptismus.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit \*, exponens illud verbum Ioannis: *Hunc cibum et potum*, scilicet carnis suae et sanguinis, *societatem vult intelligi β corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia, in praedestinitis et vocatis et iustificatis et glorificatis sanctis et fidelibus eius.* Unde, sicut ipse dicit, in Epistola ad Bonifacium \*, *nulli est aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptisate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si, antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod haec est differentia inter alimentum corporale et spirituale, quod alimentum corporale convertitur in substantiam eius qui nutritur: et ideo non potest homini

\* Vers. 54.

\* Vers. 26.

\* Lib. I, cap. XXII.

\* Art. 1, arg. 2; art. 2, arg. 2. Sed cont.

\* Vers. 20, 21. \*\* Qu. LXVIII, art. 2.

\* Ibid.

\* Qu. LXXIII, art. 6. — Cf. qu. LXV, art. 3.

\* In Ioan. Evang. tract. XXVI, n. 15.

\* Pseudo-Beda, Comment. in I ad Cor., cap. X, vers. 17. — Cf. can. Nulli est, de Consecrat., dist. IV.

α) sacramenti. — huius sacramenti PI.

β) vult intelligi. — PsE; vel intelligi IpE et c, vel intelligibilis ceteri.

\* Lib. VII, cap. x.

γ

δ

valere ad vitae conservationem alimentum corporale nisi realiter sumatur. Sed alimentum spirituale convertit hominem in seipsum: secundum illud quod Augustinus dicit, in libro *Confess.* \*, quod quasi audivit vocem Christi dicentis γ: *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae: sed tu mutaberis in me.* Potest autem aliquis in Christum δ mutari et ei incorporari voto mentis, etiam sine huius sacramenti perceptione. Et ideo non est simile.

γ) dicentis. — sibi addunt PlsG et c.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus est sacramentum mortis et passionis Christi prout homo regeneratur in Christo virtute passionis eius. Sed Eucharistia est sacramentum passionis Christi prout homo perficitur in unione ad Christum passum. Unde, sicut baptismus dicitur *sacramentum fidei* \*, quae est fundamentum spiritualis vitae \*; ita Eucharistia dicitur *sacramentum caritatis*, quae est *vinculum perfectionis*, ut dicitur *Coloss.* III \*.

\* Cf. qu. xxxix, art. 5; qu. Lxvi, art. 1, ad 1.  
\* D. 601.

\* Vers. 14.

δ) Christum. — PEFic; Christo.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat. — In corpore, primo distinctio ponitur bimembris; secundo, respondetur quaesito iuxta utrumque membrum.

Distinctio est. Duo sunt in sacramento Eucharistiae: scilicet sacramentum, et res sacramenti.

Responsio consistit in tribus conclusionibus: quarum duae primae ad secundum membrum, tertia autem ad primum spectat distinctionis membrum. Prima conclusio est: *Sacramentum Eucharistiae, quoad rem sacramenti, est de necessitate salutis.* Probat. Res sacramenti est unitas corporis Christi mystici, sine qua non potest esse salus. Ergo. — Antecedens, pro secunda parte, declaratur ex similitudine Ecclesiae ad arcam Noe. Et similitudo probatur auctoritate Petri Apostoli.

Secunda conclusio est: *Ante perceptionem sacramenti Eucharistiae, potest haberi res sacramenti Eucharistiae, ac per hoc salus.* Probat. dupliciter. Primo, ex generali regula: Ex voto sacramenti potest haberi res sacramenti. — Secundo, ex simili accidente in baptismo.

Tertia conclusio est: *Sacramentum Eucharistiae non hoc modo est de necessitate salutis sicut baptismus.* Probat. dupliciter: ex duplici scilicet dissimilitudine Eucharistiae ad baptismum. Prima consistit in hoc, quod perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam vitam spiritualem; perceptio vero Eucharistiae est necessaria ad consummandam vitam spiritualem. Ergo ille est necessarius ut principium, haec ut finis, scilicet in voto. — Secunda consistit in hoc. Baptismus non potest haberi in voto per aliud sacramentum: Eucharistia potest haberi in voto per aliud sacramentum. Ergo pueri non possunt habere rem sacramenti baptismi sine perceptione sacramenti baptismi: possunt autem habere rem sacramenti Eucharistiae absque perceptione sacramenti Eucharistiae.

II. Adverte hic primo, quod harum rationum prima, quae attenditur penes differentiam inter habere se ut principium et habere se ut finis, ad hoc tendit quod baptismus suapte natura est necessarius secundum actuale ipsius exhibitionem: quoniam principium secundum ordinem generationis debet esse secundum rem in esse reali exteriori. Eucharistia vero suapte natura est necessaria se-

cundum votum: quia finis salvatur secundum esse in intentione. Ita quod quasi dicit quod baptismus per se salvat secundum eius perceptionem, et per accidens ut in voto; Eucharistia autem non solum per se salvat consummando salutem secundum ipsius perceptionem, sed etiam per se salvat ut in voto; quia ille principii, haec finis rationem habet.

III. Adverte secundo, quod secunda ratio penes modum habendi rem sacramenti attenditur: dum baptismi res dupliciter tantum haberi posse dicitur, scilicet vel percipiendo sacramentum, vel per votum proprium; res autem Eucharistiae potest tripliciter haberi, vel percipiendo sacramentum, vel per votum proprium, vel per antecedens sacramentum. Et hic ultimus modus habendi vocatur per quandam accommodationem habere rem sacramenti Eucharistiae *per votum Ecclesiae*: sicut fides puerorum vocatur *fides Ecclesiae*. Sequendo autem proprietatem sermonis, vocatur habere rem Eucharistiae *in sui initio*: quoniam sacramentum baptismi initium est spiritualis vitae.

IV. Adverte tertio, quod in littera non respondetur quaesito simpliciter et absolute, an sacramentum Eucharistiae sit necessarium ad salutem. Nam licet distinguatur, et, quoad rem sacramenti, respondeatur absolute quod est necessarium ad salutem; tamen, quoad sacramentum, non respondetur simpliciter et absolute, sed dicitur quod *non est necessarium sicut baptismus*. Verum, si perspicacius responsio haec fuerit considerata, continet responsionem absolute etiam de ipso sacramento Eucharistiae. Nam ex hoc ipso quod sacramentum Eucharistiae non est ad salutem necessarium sicut sacramentum baptismi, manifeste habetur quod, simpliciter et absolute loquendo, non est necessarium ad salutem. Et hoc attestatur parvulorum salus: quibus sine baptismi sacramento non est salus, et cum solo baptismi sacramento datur salus aeterna.

V. Adverte quarto, quod inferius, in quaestione octogesima \*, tractandum est de communione infantium baptizatorum, an licita sit. Ubi etiam an debita eisdem sit, discutietur. Et ideo nunc pertransimus.

In quarto, quinto, et sexto articulis, nihil occurrit scribendum.

\* Art. 9, Comment.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CONVENIENTER HOC SACRAMENTUM PLURIBUS NOMINIBUS NOMINETUR

Infra, qu. LXXIX, art. 2, ad 1; IV Sent., dist. VIII, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 3.

\* Art. 2.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur. Nomina enim debent respondere rebus. Sed hoc sacramentum est unum, ut dictum est \*. Ergo non debet pluribus nominibus nominari.

2. PRAETEREA, species non notificatur conve-

nienter per id quod est commune toti generi. Sed Eucharistia est sacramentum novae legis. Omnibus autem sacramentis commune est quod in eis confertur gratia: quod significat nomen *Eucharistiae*, quod est idem quod *bona gratia*. Omnia etiam sacramenta remedium nobis afferunt in via praesentis vitae: quod pertinet ad rationem



*viatici*. In omnibus etiam sacramentis fit aliquid sacrum: quod pertinet ad rationem *sacrificii*. Et per omnia sacramenta sibi invicem fideles communicant: quod significat hoc nomen *synaxis* in graeco, vel *communio* in latino. Ergo haec nomina non convenienter adaptantur huic sacramento.

3. PRAETEREA, hostia videtur idem esse quod sacrificium. Sicut ergo non proprie dicitur sacrificium, ita nec proprie dicitur *hostia*.

SED CONTRA EST QUOD USUS FIDELIUM HABET.

RESPONDEO DICENDUM quod hoc sacramentum habet triplicem significationem. Unam quidem respectu praeteriti: inquantum scilicet est commemorativum Dominicae passionis, quae fuit verum sacrificium, ut supra \* dictum est. Et secundum hoc nominatur *sacrificium*.

Aliam autem significationem habet respectu rei praesentis, scilicet ecclesiasticae unitatis, cui homines congregantur <sup>α</sup> per hoc sacramentum. Et secundum hoc nominatur *communio* vel *synaxis*: dicit enim Damascenus, IV libro \*, quod *dicitur communio, quia communicamus per ipsam Christo; et quia participamus eius carne et deitate; et quia communicamus et unimur ad invicem per ipsam*.

\* Qu. XLVIII, art. 3.

\* De Fide Orth. lib. IV, cap. XIII.

α) congregantur. — aggregantur F et tertia.  
β) hoc. — haec BC (ADI?); hic P.

Tertiam significationem habet respectu futuri: inquantum scilicet hoc sacramentum est praefigurativum fruitionis Dei, quae erit in patria. Et secundum hoc dicitur *viaticum*: quia hoc <sup>β</sup> praebet nobis viam illuc perveniendi. — Et secundum hoc etiam dicitur *Eucharistia*, idest *bona gratia*: quia *gratia Dei est vita aeterna*, ut dicitur *Rom. VI* \*; vel quia realiter continet Christum, qui est *plenus gratia* \*.

Dicitur etiam in graeco *metalepsis*, idest *assumptio*: quia, ut Damascenus dicit \*, *per hoc Filii deitatem assumimus*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod nihil prohibet idem pluribus nominibus nominari secundum diversas proprietates vel effectus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod id <sup>γ</sup> quod est commune omnibus sacramentis, attribuitur antonomastice ei, propter eius excellentiam.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc sacramentum dicitur *sacrificium*, inquantum repraesentat ipsam passionem Christi. Dicitur autem *hostia*, inquantum continet ipsum Christum, qui est *hostia suavitatis* <sup>δ</sup>, ut dicitur *Ephes. V* \*.

\* Vers. 23.

\* Ioan. cap. I, vers. 14.

\* Loc. cit.

\* Vers. 2.

γ) id. — DF et tertia; idem.  
δ) suavitatis. — salutaris omnes.

## ARTICULUS QUINTUS

### UTRUM FUERIT CONVENIENS INSTITUTIO ISTIUS SACRAMENTI

Infra, qu. LXXXIII, art. 2, ad 3; IV *Sent.*, dist. VIII, qu. I, art. 3; *De Ven. Sacram. Altaris*, cap. 1; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. IV, v.



AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non fuerit conveniens institutio istius sacramenti. Ut enim Philosophus dicit, in II *de Generat.* \*, *ex eisdem nutrimur ex quibus sumus*. Sed per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, accipimus esse spirituale: ut Dionysius dicit, II cap. *Eccles. Hier.* \* Ergo per baptismum etiam nutrimur. Non ergo fuit necessarium instituere hoc sacramentum quasi spirituale nutrimentum.

2. PRAETEREA, per hoc sacramentum homines Christo uniuntur sicut membra capiti. Sed Christus est caput omnium hominum, etiam qui fuerunt ab initio mundi, ut supra \* dictum est. Ergo non debuit institutio huius sacramenti differri usque ad Cenam Domini.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum dicitur esse memoriale Dominicae passionis: secundum illud *Matth. XXVI* <sup>α</sup> \*: *Hoc facite in meam commemorationem*. Sed *memoria est praeteritorum* \*. Ergo hoc sacramentum non debuit institui ante Christi passionem.

4. PRAETEREA, per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, quae non nisi baptizatis dari debet. Sed baptismus institutus fuit post Christi

passionem et resurrectionem, ut patet *Matth. ult.* \* Ergo inconvenienter hoc sacramentum fuit ante passionem Christi institutum.

SED CONTRA EST QUOD hoc sacramentum institutum est a Christo, de quo dicitur *Marc. VII* \*: *Bene omnia fecit*.

RESPONDEO DICENDUM quod convenienter hoc sacramentum institutum fuit in Cena, in qua scilicet Christus ultimo cum discipulis suis fuit conversatus. Primo quidem, ratione continentiae huius sacramenti. Continetur enim ipse Christus in Eucharistia sicut in sacramento. Et ideo, quando ipse Christus in propria specie a discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit: sicut in absentia imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Unde Eusebius <sup>β</sup> \* dicit: *Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necesse erat ut die Cenae sacramentum corporis et sanguinis sui consecraret nobis, ut coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium*.

Secundo, quia sine fide passionis Christi nunquam potuit esse salus: secundum illud *Rom. III* \*: *Quem proposuit Deus propitiorem per fidem in sanguine ipsius*. Et ideo oportuit omni tempore

\* Cap. VIII, n. 4. — Continuat. Comment. s.Th., lect. VIII.

\* Part. I.

\* Qu. VIII, art. 3, 6.

\* Luc. cap. XXII, vers. 19.  
\* Aristot. *de Mem. et Remin.*, cap. I.

\* Vers. 19. — Cf. qu. LXVI, art. 2.

\* Vers. 17.

\* Auct. incert. — Cf. can. *Quia corpus, de Consecr.*, dist. II; Ep. XXXVIII inter Opp. Hieron.; Hom. IV, *de Corp. et Sang. Dom.*, in Pasch., inter Opp. Isid.

\* Vers. 25.

α) *Matth. XXVI*. — *Luc. XXII* P; cf. qu. LXXX. art. 11. β, et in IV *Sent.* dist. VIII. qu. I. art. 1. sol. III.

β) Eusebius. — Emesenus addit tertia.

apud homines esse aliquod repraesentativum Dominicae passionis. Cuius in veteri quidem Testamento praecipuum sacramentum erat agnus paschalis \*: unde et Apostolus dicit, I Cor. v \*\*: *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Successit autem ei in novo Testamento Eucharistiae sacramentum, quod est rememorativum praeteritae passionis, sicut et illud fuit praefigurativum futurae. Et ideo conveniens fuit, imminente passione, celebrato priori sacramento, novum sacramentum instituere <sup>γ</sup>, ut Leo Papa \* dicit.

\* Cf. art. seq.  
\*\* Vers. 7.

<sup>γ</sup>  
\* Primus. - Serm. LVIII, aliter de Pass. Dom. VII, cap. 1.

\* Primus. - Can. Nihil in sacrificiis, de Consecr. dist. II.

\* Lib. I, al. Ep. LIV, olim cxviii, cap. vi.

Tertio, quia ea quae ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriae commendantur: praesertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos, ea vero ad quae magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Quia igitur, ut beatus Alexander Papa \* dicit, *nihil in sacrificiis maius esse potest quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est*, ideo, ut in maiori veneratione haberetur, Dominus in ultimo discessu suo a discipulis hoc sacramentum instituit. Et hoc est quod Augustinus dicit, in libro *Responsionum ad Ianuarium* \*: *Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem discessurus erat*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ex eisdem nu-

*trimur ex quibus sumus*, non tamen eodem modo nobis advenientibus. Nam ea ex quibus sumus, nobis adveniunt per generationem: eadem autem, in quantum ex eis nutrimur, nobis adveniunt per manducationem. Unde et, sicut per baptismum regeneramur in Christo, ita per Eucharistiam manducamus Christum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Eucharistia est sacramentum perfectum Dominicae passionis, tanquam continens ipsum Christum passum. Et ideo non potuit institui ante incarnationem: sed tunc habebant locum sacramenta quae erant tantum praefigurativa Dominicae passionis.

AD TERTIUM DICENDUM quod sacramentum illud fuit institutum in Cena ut in futurum esset memoriale <sup>δ</sup> Dominicae passionis, ea perfecta. Unde signanter dicit: *Haec quotiescumque feceritis* \*, de futuro loquens.

<sup>δ</sup>  
\* In Canone Mis-sac.

AD QUARTUM DICENDUM quod institutio respondet ordini intentionis. Sacramentum autem Eucharistiae, quamvis sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius in intentione. Et ideo debuit prius institui.

Vel potest dici quod baptismus iam erat <sup>ε</sup> institutus in ipso Christi baptismo. Unde et iam aliqui ipso Christi baptismo erant baptizati, ut legitur Ioan. III \*.

<sup>ε</sup>  
\* Vers. 22.

<sup>γ</sup> imminente... instituere. - ut imminente... institueret Gsl et editiones. Pro ut Leo papa dicit, unde Leo papa dicit omnes praeter Gsl; post dicit in BC sequitur spat. vac. duarum linearum; PFac, et sC manu non antiqua, addunt: in sermone de Coena Domini (in... Domini om. Pc) quod ut (quod ubi c) umbrae cederent corpori, antiqua observantia novo excluditur sacramento; hostia in hostiam

transit (transit in hostiam sC) sanguis sanguine (sanguine sanguis Pc) aufertur et legalis festivitas dum mutatur impletur. Vide Vol. XI Praef. n. 25 notiam codicum Brixiensis et Ambrosiani.

<sup>δ</sup>) memoriale. - EFSD et tertia; memoria ed. a, memoriae ceteri.  
<sup>ε</sup>) erat. - aequaliter erat I, erat aequaliter PsG. - A om. Unde... baptismo.

## ARTICULUS SEXTUS

### UTRUM AGNUS PASCHALIS FUERIT PRAECIPUA FIGURA HUIUS SACRAMENTI

Supra, qu. LXI, art. 3, ad 3; infra, qu. LXXX, art. 10, ad 2; IV Sent., dist. VIII, qu. 1, art. 2.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod agnus paschalis non fuerit praecipua figura huius sacramenti. Christus enim dicitur \* *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, propter hoc quod Melchisedech gessit figuram sacrificii Christi, *offerens panem et vinum* \*. Sed expressio similitudinis facit quod unum ab alio denominetur. Ergo videtur quod oblatio Melchisedech fuerit potissima figura huius sacramenti.

\* Ps. cix, vers. 4.

\* Gen. cap. xiv, vers. 18.

\* Vers. 2.

\* Exod. cap. xii sqq.

\* Ibid., cap. xvii.

2. PRAETEREA, transitus maris rubri fuit figura baptismi: secundum illud I Cor. x \*: *Omnes baptizati sunt in nube et in mari*. Sed immolatio agni paschalis praecessit transitum maris rubri \*: quem subsecutum <sup>α</sup> est manna \*, sicut Eucharistia sequitur baptismum. Ergo manna est expressior figura huius sacramenti quam agnus paschalis.

3. PRAETEREA, potissima virtus huius sacramenti est quod introducit nos in regnum caelorum,

sicut quoddam viaticum. Sed hoc maxime figuratum fuit in sacramento expiationis, quando *pontifex intrabat semel in anno cum sanguine in sancta sanctorum*: sicut Apostolus probat, Heb. ix. Ergo videtur quod illud sacrificium fuerit expressior figura huius sacramenti quam agnus paschalis.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, I Cor. v \*: *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Itaque *epulemur in azymis sinceritatis et veritatis*.

\* Vers. 7, 8.

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento tria considerare possumus: scilicet id quod est sacramentum tantum, scilicet panis et vinum; et id quod est res et sacramentum, scilicet corpus Christi verum; et id quod est res tantum, scilicet effectus huius sacramenti \*. Quantum igitur ad id quod est sacramentum tantum, potissima figura fuit huius sacramenti oblatio Melchisedech, qui *obtulit panem et vinum* \*. - Quantum autem

\* Mag. IV Sent., dist. viii, cap. Nunc quid ibi. - Cf. cap. Cum Marthae, de Celebr. Miss.  
\* Cf. arg. 1.

<sup>α</sup>) subsecutum. - Tertia et a; subsecutus.

ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figurae eius fuerunt omnia sacrificia veteris Testamenti; et praecipue sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum\*. — Quantum autem ad effectum, fuit praecipua eius figura manna\*, quod *habebat in se omnis saporis suavitatem*, ut dicitur *Sap. xvi\**, sicut et gratia huius sacramenti quantum ad omnia reficit mentem.

Sed agnus paschalis quantum ad haec tria praefigurabat hoc sacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus

azymis: secundum illud *Exod. xii\**: *Edent carnes et azymos panes*. Quantum vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quartadecima luna\*: quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus\*. Quantum vero ad effectum, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et educti de Aegyptiaca servitute\*. Et quantum ad hoc, ponitur figura huius sacramenti praecipua agnus paschalis: quia secundum omnia eam<sup>β</sup> repraesentat.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

\* *Levit. cap. xxiii, vers. 27.* — Cf. arg. 3.

\* Cf. arg. 2.

\* Vers. 20.

\* Vers. 8.

\* *Ibid. vers. 6.*

\* *Ioan. cap. i, vers. 36; Apoc. cap. v, vers. 6.*

\* *Exod. cap. xii.*

β

β) *eam*. — Nempe Eucharistiam; *cum* super ras. G, *ea* I, *ipsum* P, *per eam* (*repraesentatur*) F.



## QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUARTA

### DE MATERIA HUIUS SACRAMENTI

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXIII, Introd.

\* Qu. LXXV.

\* Qu. LXXVI.

\* Qu. LXXVII.

DEINDE considerandum est de materia huius sacramenti \*. Et primo, de specie materiae; secundo, de conversione panis et vini in corpus Christi \*; tertio, de modo existendi corporis <sup>α</sup> Christi in hoc sacramento \*; quarto, de accidentibus panis et vini quae in hoc sacramento remanent \*. Circa primum quaeruntur octo.

Primo: utrum panis et vinum sint materia huius sacramenti.

Secundo: utrum ad materiam huius sacramenti requiratur determinata quantitas.

Tertio: utrum materia huius sacramenti sit panis triticeus.

Quarto: utrum sit panis azymus, vel fermentatus.

Quinto: utrum materia huius sacramenti sit vinum de vite.

Sexto: utrum sit admiscenda aqua.

Septimo: utrum aqua sit de necessitate huius sacramenti.

Octavo: de quantitate aquae quae apponitur.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM MATERIA HUIUS SACRAMENTI SIT PANIS ET VINUM

IV Sent., dist. xi, qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, 2; IV Cont. Gent., cap. lxi; De Sacram. Altar., cap. ix, xxix; I ad Cor., cap. xi, lect. v.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod materia huius sacramenti non sit panis et vinum. Hoc enim sacramentum perfectius debet repraesentare passionem Christi quam sacramenta veteris legis. Sed carnes animalium, quae erant materia <sup>β</sup> sacramentorum veteris legis, expressius repraesentant passionem Christi quam panis et vinum. Ergo materia huius sacramenti magis debent esse carnes animalium quam panis et vinum.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum est ubique celebrandum. Sed in multis terris non invenitur panis, et in multis <sup>γ</sup> non invenitur vinum. Ergo panis et vinum non est conveniens materia huius sacramenti.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum competit sanis et infirmis. Sed vinum nocet quibusdam infirmis. Ergo videtur quod vinum non debeat esse materia huius sacramenti.

SED CONTRA est quod Alexander Papa \* dicit: *In sacramentorum oblationibus panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur.*

RESPONDEO DICENDUM quod circa materiam huius sacramenti aliqui multipliciter erraverunt. Quidam enim, qui dicuntur *Artotyritae*, ut Augustinus dicit, in libro *de Haeresibus* \*, offerunt panem et caseum in hoc sacramento, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terrae et ovium fuisse celebratas. — Alii vero, scilicet *Cataphrygae* et *Pepuziani* \*, de infantis sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum

*vulneribus extorquent, quasi eucharistiam suam conficere perhibentur, miscendo <sup>δ</sup> eum farinae, panem inde facientes.* — Quidam vero, qui dicuntur *Aquarii*, aquam solam, sub specie sobrietatis, in hoc sacramento offerunt \*.

Omnes autem hi errores, et similes, excluduntur per hoc quod Christus hoc sacramentum sub specie panis et vini instituit, sicut patet *Matth. xxvi* \*. Unde panis et vinum sunt materia conveniens huius sacramenti. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quantum ad usum huius sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis et vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis.

Secundo, quantum ad passionem Christi, in qua sanguis a corpore est separatus. Et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale Dominicae passionis, seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis.

Tertio, quantum ad effectum consideratum in unoquoque sumentium. Quia, ut Ambrosius dicit, super *Epistolam ad Corinthios* \*, hoc sacramentum valet ad tuitionem corporis et animae: et ideo caro Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animae offertur \*, sicut dicitur *Levit. xvii* <sup>ε</sup> \*\*, quod animalis anima in sanguine est.

\* Primus. Ep. I, ad Omnes Orthodox. — Cf. can. In sacramentorum, de Consecr., dist. II.

\* Haeres. xxviii.

\* Haeres. xxvi, xxvii.

\* Haeres. Lxiv.

\* Vers. 26 sqq.

\* I ad Cor., cap. xi, vers. 20.

\* Cf. Mag. IV Sent., dist. xi, cap. Sed quare.

\*\* Vers. 14.

<sup>α</sup>) corporis. — corpus omnes (a ponit corpus Christi ante existendi).  
<sup>β</sup>) materia. — EGHbc; animalia ABC, om. D, materiae P; FI legunt: Sed animalia occisa quae offerebantur in (in om. I) sacrificio veteris legis.

<sup>γ</sup>) multis. — multis terris EGHbc, aliquibus PI.  
<sup>δ</sup>) miscendo. — miscentes P; pro panem, panemque tertia.  
<sup>ε</sup>) *Levit. XVII.* — P; *Genes. X.* — Pro animalis anima, anima animalis F et tertia praeter P, quae anima carnis.

Quarto, quantum ad effectum respectu totius Ecclesiae, quae constituitur ex diversis fidelibus, sicut *panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis*: ut dicit Glossa \* super illud I Cor. x \*, *Multi unum corpus sumus*, etc.

\* Aug. In Ioan. Evangel., tract. XXVI. Cf. Gloss. Ord.  
\* Vers. 17.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, licet carnes animalium occisorum expresse ζ repraesentent Christi passionem, tamen minus competunt ad communem usum huius sacramenti, et ad ecclesiasticam unitatem significandam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet non in omni-

bus terris nascatur triticum et vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest quantum sufficit ad usum huius sacramenti. Nec propter defectum alterius, est unum tantum sine altero consecrandum: quia non esset perfectum sacrificium η.

AD TERTIUM DICENDUM quod vinum in modica quantitate sumptum non potest aegrotanti multum nocere. Et tamen, si nocumentum timeatur, non est necesse quod omnes accipientes corpus Christi, etiam sanguinem accipiant, ut infra \* dicetur.

\* Qu. LXXX, art. 12.

ζ) expresse. — expressius Ea et tertia.

η) sacrificium. — sacramentum E et tertia.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo primo, in responsione ad secundum, habes quid sentiat Auctor de casu illo si alicubi non inveniatur vinum, an esset solus panis consecrandus. Tenet enim partem negativam: eo quod perfectio sacramenti \*

\* Cf. not. η.

praeponenda est reliquis necessitatibus. Unde et inferius \* etiam dicitur quod perfectio sacramenti tantae est necessitatis ut etiam bis in eadem missa quandoque oporteat sumere corpus Christi.

\* Qu. LXXXIII, art. 6, ad 4.

### ARTICULUS SECUNDUS

#### UTRUM REQUIRATUR DETERMINATA QUANTITAS PANIS ET VINI AD MATERIAM HUIUS SACRAMENTI

IV Sent., dist. xi, qu. ii, art. 1, qu. 3.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod requiratur determinata quantitas panis et vini ad materiam huius sacramenti. Effectus enim gratiae non sunt minus ordinati quam effectus naturae. Sed, sicut dicitur in II de Anima \*, *omnium natura constantium positus est terminus et ratio magnitudinis et augmenti*. Ergo multo magis in hoc sacramento, quod dicitur *Eucharistia*, idest *bona gratia*, requiritur determinata quantitas panis et vini.

\* Cap. iv, n. 8. — S. Th. lect. viii.

2. PRAETEREA, ministris Ecclesiae non est a Christo data potestas ad ea quae pertinent ad irrisionem fidei et sacramentorum eius: secundum illud II Cor. x \*: *Secundum potestatem quam dedit mihi Deus in aedificationem, et non in destructionem*. Sed hoc esset ad irrisionem sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem qui venditur in foro, et totum vinum quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest.

\* Vers. 8.

3. PRAETEREA, si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam baptismi, sed sola illa aqua qua corpus baptizati abluatur. Ergo nec in hoc sacramento superflua quantitas panis α consecrari potest.

α

SED CONTRA EST quod multum opponitur paucis, et magnum parvo. Sed nulla est ita parva quantitas panis aut vini quae non possit consecrari. Ergo nulla est ita magna quae consecrari non possit.

\* Hal. Summ. p. IV, qu. x, memb. iv, art. 2, § 6, qu. 3; s. Bonav. IV Sent., dist. x, p. ii, art. 1, qu. 4; Petr. Tarantas. IV Sent., dist. x, qu. 4, art. 2.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam \* dixerunt quod sacerdos non posset consecrare immensam

quantitatem panis aut vini, puta totum panem qui venditur in foro, aut totum vinum quod est in dolio. Sed hoc non videtur esse verum. Quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiae sumitur ex ordine ad finem: sicut materia serrae est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem huius sacramenti est usus fidelium. Unde oportet quod quantitas materiae huius sacramenti determinetur per comparisonem ad usum fidelium. Non autem potest esse quod determinetur per comparisonem β ad usum fidelium qui nunc occurrunt: alioquin sacerdos habens paucos parochianos, non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur quod materia huius sacramenti determinetur per comparisonem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici quod quantitas materiae huius sacramenti sit determinata.

β

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod cuiuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparisonem ad formam determinatam. Sed numerus fidelium, ad quorum usum ordinatur hoc sacramentum, est indeterminatus γ. Unde non est simile.

γ

AD SECUNDUM DICENDUM quod potestas ministrorum Ecclesiae ad duo ordinatur: primo quidem, ad effectum proprium; secundo, ad finem effectus. Secundum autem non tollit primum. Unde, si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem, puta ut irrideat

α) panis. — et vini addit tertia, om. a.  
β) per comparisonem. — Om. tertia (sed I om. Non autem... fidelium).

γ) est indeterminatus. — (non P) est determinatus DpG et editiones, est interminatus sE.

vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat, nihilominus tamen, propter potestatem sibi datam, perficit sacramentum.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismi sacramentum perficitur in usu materiae. Et ideo per for-

mam baptismi non plus de aqua sanctificatur quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae. Et ideo non est simile.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN secundo articulo, adverte quod aliud est loqui de determinata quantitate materiae: et aliud, de praesentia eiusdem. In littera siquidem dicitur non esse determinatam quantitatem: sed non dicitur similiter de praesentia. Et hoc pro tanto dictum sit ut non putetur idem aut simile iudicium de praesentia, et de quantitate. Nam in utraque forma Eucharistiae mentio fit de praesentia per pronomen *hoc* seu *hic*: et propterea oportet praesentem esse materiam consecrandam. De quantitate vero non fit mentio.

Quamvis locus sit dubitationi quoad quantitatem vini: quia de quantitate eius fit mentio in forma consecrationis, dum dicitur, *Hic est calix*; oportet enim vinum contineri in calice, ac per hoc, quantitatem eius calicem non excedere. Sed hoc non cogit. Quoniam potest sacerdos habere coram se multos calices plenos, et simul omnes consecrare, sicut simul consecrat multas hostias. Unde ex quantitate calicis non habetur determinata quantitas.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM REQUIRATUR AD MATERIAM HUIUS SACRAMENTI QUOD SIT PANIS TRITICEUS

IV *Sent.*, dist. xi, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2; dist. xix, qu. i, art. 2, qu<sup>a</sup> 3, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxix; *De Sacram. Altar.*, cap. x.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non requiratur ad materiam huius sacramenti quod sit panis triticeus. Hoc enim sacramentum est rememorativum Dominicae passionis. Sed magis videtur esse consonum Dominicae passioni panis hordeaceus, qui est asperior, et de quo etiam <sup>α</sup> turbas pavit in monte, ut dicitur Ioan. vi <sup>\*</sup>, quam panis triticeus. Ergo non est propria materia huius sacramenti panis triticeus.

2. PRAETEREA, figura est signum speciei in rebus naturalibus. Sed quaedam frumenta sunt quae habent similem figuram grano tritici, sicut far et spelta: de qua etiam in quibusdam locis panis conficitur ad usum huius sacramenti. Ergo panis triticeus non est propria materia huius sacramenti.

3. PRAETEREA, permixtio speciem solvit. Sed vix invenitur farina triticea quae alterius frumenti permixtionem non habeat: nisi forte electis <sup>β</sup> granis studiose fiat. Non ergo videtur quod panis triticeus sit propria materia huius sacramenti.

4. PRAETEREA, illud quod est corruptum, videtur esse alterius speciei. Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto, qui iam non videtur esse panis triticeus. Ergo videtur quod talis panis non sit propria materia huius sacramenti.

SED CONTRA EST quod in hoc sacramento continetur Christus, qui se grano frumenti comparat, Ioan. xii <sup>\*</sup>, dicens: *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ergo panis frumentinus <sup>γ</sup>, sive triticeus, est materia huius sacramenti.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est <sup>\*</sup>, ad usum sacramentorum assumitur talis materia quae communius apud homines in talem usum venit. Inter alios autem panes communius <sup>δ</sup> homines utuntur pane triticeo: nam alii panes videntur esse introducti in huius panis defectum. Et ideo Christus creditur in huius panis specie hoc sacramentum instituisse. Qui <sup>ε</sup> etiam panis confortat hominem: et ita convenientius significat effectum huius sacramenti. Et ideo propria materia huius sacramenti est panis triticeus.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod panis hordeaceus competit ad significandum duritiem veteris legis. Tum propter duritiem panis. Tum quia etiam, ut Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaestionum* <sup>\*</sup>, *hordei medulla, quae tenacissima palea tegitur, vel ipsam legem significat, quae ita data erat ut in ea vitale animae alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur: vel ipsum populum, nondum exspoliatum carnali desiderio, quod tanquam palea cordi eius inhaerebat.* Hoc autem sacramentum pertinet ad *suave iugum* <sup>\*</sup> Christi, et ad veritatem iam manifestatam, et ad populum spiritualement. Unde non esset materia conveniens huius sacramenti panis hordeaceus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod generans generat sibi simile <sup>ζ</sup> in specie: fit tamen aliquando aliqua dissimilitudo generantis ad genitum quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativae. Et ideo, si qua frumenta sunt quae ex semine tritici generari possunt, sicut ex grano <sup>η</sup> seminato in malis terris nascitur siligo, ex tali frumento panis confectus

<sup>α</sup>  
\* Vers. 9 sqq.

<sup>β</sup>

\* Vers. 24, 25.

<sup>γ</sup>

\* Art. 1; qu. LX, art. 7, ad 2.

<sup>δ</sup>

<sup>ε</sup>

\* Qu. LXI.

\* Matth. cap. xi, vers. 30.

<sup>ζ</sup>

<sup>η</sup>

<sup>α</sup>) etiam. — Christus addit tertia. — panis triticeus altero loco post Ergo ponit P.

<sup>β</sup>) electis. — de electis E et tertia praeter I.

<sup>γ</sup>) frumentinus. — frumenticeus I, frumenti cetera tertia; frumentinus sive om. F.

<sup>δ</sup>) apud homines... communius. — EF et tertia (pro apud, ad Hbc; panes communius om. HpG; communius om. c; alteram partem b legit: Inter homines alios utuntur etc.); om. ABC; D legit: materia

qua communius homines utuntur (communius autem utuntur addit margo) homines pane triticeo; ed. a: materia qua communius homines utuntur; sed panis triticeus est talis; nam etc.

<sup>ε</sup>) Qui. — FsE a et tertia praeter H; Quod ABCpE, Quia D, quae H. — Ante confortat F et tertia addunt magis.

<sup>ζ</sup>) simile. — PFIsD et ac; similem. — aliquando om. IpG et editiones.

<sup>η</sup>) grano. — tritici addit P. Cf. u.

potest esse materia huius sacramenti. – Quod tamen non videtur habere locum neque in hordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similius. Similitudo autem figurae in talibus magis videtur significare propinquitatem<sup>θ</sup> quam identitatem speciei: sicut ex similitudine figurae manifestatur quod canis et lupus sunt propinquaee speciei, non autem eiusdem. Unde ex talibus frumentis, quae nullo modo possunt ex semine grani<sup>ι</sup> generari, non potest confici panis qui sit debita materia huius sacramenti.

AD TERTIUM DICENDUM quod modica permixtio non solvit speciem: quia id quod est modicum, quodammodo absumitur<sup>κ</sup> a plurimo. Et ideo, si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis qui est materia huius sacramenti. Si

vèro sit magna permixtio, puta ex aequo vel quasi, talis commixtio speciem mutat. Unde panis inde confectus non erit materia debita huius sacramenti.

AD QUARTUM DICENDUM quod aliquando est tanta corruptio panis quod solvitur species panis: sicut cum continuitas solvitur, et sapor et color et alia accidentia mutantur. Unde ex tali materia non potest confici corpus Christi. – Aliquando vero non est tanta corruptio quae speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem: quod declarat aliqualis immutatio saporis. Et ex tali pane potest confici corpus Christi: sed peccat conficiens, propter irreverentiam sacramenti.

Et quia amidum est<sup>λ</sup> ex tritico corrupto, non videtur quod panis ex eo confectus possit fieri corpus Christi: quamvis quidam contrarium<sup>μ</sup> dicant.

θ) propinquitatem. – Tertia; proprietates F, proprietatem ceteri.  
ι) grani. – grani tritici F, tritici P; Alias grani margo P. Cf. η.

κ) absumitur. – F; asumitur D, assumitur scribunt ceteri. Cf. qq. viii. art. 7. δ, LIX. art. 3. β.

λ) est. – Da et tertia praeter I; fit EF, om. ABCL.

\* Cf. Alb. Magn. IV Sent., dist. xii, art. 7, ad 8, et qu<sup>a</sup> 3.

### Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat. – In hoc articulo magna est quaestio, et satis obscura, de materia Eucharistiae quoad panem. Habet enim multas difficultates, et varias opiniones. Est siquidem difficultas prima, quam tractat Auctor in littera, propter diversitatem frumentorum. – Est et alia difficultas comparando panem ad pastam\*.

\* Cf. num. iv.  
\* Art. 7, qu<sup>a</sup> 1.

\* IV Sent., dist. xi, qu. i, art. 4.  
\* Cf. Alb. art. cit. ad 8, et qu<sup>a</sup> 3.  
\* Resp. ad 2, 4.  
\* Resp. ad 2.

\* Loc. cit., qu<sup>a</sup> 2, ad 2.  
\*\* IV Sent., dist. xi, qu. vi, ad dub. 2.

Et Albertus quidem Magnus, in IV Sent., dist. xii\*, tenet panem ex spelta esse materiam Eucharistiae: quem sequitur Petrus de Palude\*. Similiter tenet ex amido panem confectum posse consecrari\*. Auctor vero tam circa amidum quam circa speltam opinatur contrarium\*: sed apponit siligineum panem\*, quem Albertus negare videtur\*. De pasta quoque Scotus\*\* tenet partem negativam: ponendo tamen pastam esse eiusdem speciei cum pane, Quid autem inter tot varia tenendum sit, ad rationes oportet deducere.

\* IV Sent., dist. xi, qu. iv, art. 2.

II. Tria sunt fundamenta ex quibus proceditur. Primum est unitas specifica materiae. Creditur enim eiusdem speciei debere esse materiam in hoc sacramento: sicut et in ceteris invenitur. Et hinc infertur quod ex solis illis frumentis quae sunt eiusdem speciei cum tritico, potest confici panis pro hoc sacramento. Et per hanc viam processisse videntur Auctor in littera, Scotus, Durandus\*, et Petrus de Palude. Habetque via haec difficultatem annexam ex illa propositione, *Generat sibi simile secundum speciem*: quoniam hac utitur ad discernendum distincta specie a tritico.

\* Loc. cit., qu<sup>a</sup> 1, ad 1.

\* Cf. arg. Sed cont.

\* Loc. cit.

Aliud fundamentum est contrarium huic, pro quanto ponit sufficere genus proximum ad triticum: ita quod *frumentum*, quod est genus, sufficit ad conficiendum panem pro sacramento. Et hac via processit Albertus\*: ponens tamen solum duas frumenti species, scilicet triticum et speltam. Habetque fundamentum aliquod in Evangelii verbis quibus Dominus se comparat *grano frumenti*\*.

Tertium demum fundamentum, quod magni facit Petrus de Palude\*, est auctoritas quarundam ecclesiarum quae consecrant panem confectum ex spelta. Quod etiam tangit Auctor in littera, dum, in secundo argumento, obiiciendo affert quod *de spelta in quibusdam locis panis conficitur ad usum huius sacramenti*.

\* Qu. LXXXII, art. 2.

III. Ad quae quidem fundamenta si libere respexerimus, nullum cogentem invenitur habere rationem, nisi ultimum, propter auctoritatem Spiritus Sancti gubernantis Ecclesiam: nam ob similes particulares consuetudines venerabiliter sustinent theologii plures sacerdotes consecrare eandem hostiam, ut inferius\* patebit.

Quocirca\*, ex his quae fiunt colligendo universale, cum experientia probatum appareat ex tritico, ex siligine, et ex spelta panem confici pro sacramento, alia via incedendum esse reor, scilicet ex parte proximae materiae Eucharistiae. Materia enim proxima, quam ex Evangelio indubitanter habemus, est *panis*, non determinatus ad talem vel talem materiam remotam, qualis est triticum, spelta, far, etc., sed panis absolute, hoc est, sine determinatione aliqua: ita quod ex quibuscumque tanquam ex materia transeunte panis conficiatur, dummodo sit vere panis absque determinatione aliqua, potest consecrari. Dico autem *absque determinatione aliqua*: quoniam ex usu verborum hoc discerni videtur. Alterius siquidem rationis est panis qui frequenti usu sine additione aliqua vocatur panis: et alterius rationis sunt quae appellantur panes cum additione, scilicet panis hordeaceus, panis milliaceus, panis castaneaeeus, et huiusmodi; isti enim sunt panes cum additione. Qui ideo cum additione proferuntur, ut intelligantur non panes, sed panes tales: sicut etiam vinum ex pomis granatis, eadem ratione, non dicitur vinum, sed vinum de malogranatis. Isti, inquam, panes tales non possunt consecrari: quia non sunt vere panes: sed a similitudine veri panis panis nomen acceperunt. Sed illi qui absolute sunt panes, quos sine additione aliqua vocamus panes, non habent unde eorum aliquis sacramento sit inhabilis.

\* Quocirca.... ex quibus. *avis conflatum unius ponitur speciei* (ad fin. num.) om. P.

Et si his adiunxeris quod una eadem res homogena potest naturaliter ex diversarum specierum rebus ut materia transeunte generari, ut testatur sanguis, qui generatur ex nutrimentis tot specierum, carne, vino, pane, pisce, reliquisque cibis: apparebit quod substantia panis eiusdem speciei potest generari ex multis diversarum specierum granis tanquam ex materia transeunte; grana siquidem sunt materia transiens respectu panis, multo magis quam farinae.

Et secundum hoc, triticum ponitur propria materia panis sacramentalis, non quia solum sit illius materia, sed quia est principalis et apud omnes certa et indubitata materia. Et sic salvantur consuetudines omnium ecclesiarum.

Nec oportet ingredi difficultates inextricabiles de similitudine specifica inter generans et genitum: cum quotidie videamus tam equum quam asinum generare mulum, neutri similem in specie, sed in genere. – Nec negatur secundum hoc, unius speciei esse materiam proximam in hoc sacramento: nam panis unius ponitur speciei. – Nec oportet etiam ad *frumenti* genus recurrere: quoniam frumentum continet sub se etiam hordeum, cum significet omnia spicata habentia aristas\*. – Unde ex similitudine ex verbis Do-

\* Dig. L, xvi, de Verb. signif., 77.

mini comparantis se *grano frumenti*, argumentum efficax sumi non potest: ultra hoc quod *theologia symbolica non est argumentativa*, ut Dionysius dixit \*.

\* Cf. Epist. IX, ad Titum, § 1.

Apparet quoque via haec rationabilis et vera, ex eo quod *solvit omnes difficultates* accidentes in re, et ipsi *omnia consonant* \*.

\* Aristot. *Ethic.* lib. I, cap. VIII, n. 1, s. Th. lect. XII; lib. VII, cap. II, n. 12, s. Th. lect. II.

Et confirmatur hoc ex vino. Nam uvae omnes non videntur eiusdem speciei: cuius signum est quod non quaelibet ex qualibet nasci potest, sed diversarum propagationum sunt multae earum. Et tamen vinum, ex quibuscumque uvis conflatum, unius ponitur speciei.

Et haec sint dicta comparando panem ad materiam remotam.

\* Cf. num. 1.

IV. Comparando vero ad materiam proximam \*, duae rationes diversas inducentes difficultates occurrunt. Prima est de identitate seu diversitate inter panem et pastam. Secunda est ex diversitate modorum coquendi pastam.

Obscura siquidem videtur differentia inter panem et pastam crudam. Reputat enim Scotus \* probabile esse opus non differant specie: quia decoctio non facit nisi exhalationem humoris aquei; et mixtio non est ibi nisi iuxtapositio; et ex pane fit pasta si mica digitis comprimatur.

\* Loc. cit.

Oppositum autem rationabilius videtur. Quoniam decoctio applicando activa passivis speciem panis facit: sicut maturatio, de agresta faciendo uvam, facit de agresta vinum. Ars enim in confectione panis non concurrat nisi applicando activa passivis: ut patet ex hoc quod forma panis est forma substantialis. Quod convincitur apud fideles ex hoc quod panis transubstantiatur in corpus Christi, et, accidentibus remanentibus, non remanet panis: qui remaneret cum reliquis accidentibus, si accidens significaret. Unde et falsum est quod, dum pasta decoquitur in clibano, fiat sola evaporatio humidi: decoctio enim digerit et generat panem. Mixtione autem aut iuxtapositione nulla opus est nova: sed prima mixtio farinae cum aqua, ex quibus confecta est pasta tanquam ex elementis ac materia transeunte, decoctione digeritur et ad terminum deducitur, panem scilicet. Nec admitto ex pane fieri pastam: sed micam mollem similem pastae.

Acceptabilior autem apparet haec positio contemplanti diversitatem specificam inter agrestam, vinum et acetum ex eisdem uvis, ob diversam caloris causalitatem. Agresta enim est succus crudus; vinum vero succus digestus; ace-

tum autem addit excessivam supercalefactionem, ut testatur experientia, dum vinum expositum calori acescit, et cupientes acetum bonum habere ad loca calida dolium transferunt. Ex his enim apparet ex sola caloris differentia ex parte activi specificum progressum posse fieri ex parte materiae: licet non semper fiat, non enim differt specie pimum coctum a piro crudo.

Diversi vero coquendi modi, scilicet vel assando vel elixando, speciem variare non videntur. Panis siquidem elixus, ut lagana; aut frixus, quo etiam modo lagana in veteri lege offerebantur; aut assus, ut panis in clibano, et subcinericius, et hostia; eiusdem videntur speciei quoad substantiam, solaque accidentali forma differre videntur.

V. Verum in proposito videtur utrumque parvipendendum: ita quod nec ex diversitate specifica, nec ex identitate specifica sufficiens ratio habeatur. Sed, credendo quod nec pasta, nec panis nisi assus, est consecrabilis, rationem aliunde sumentes, dicimus quod, sicut in sacramento baptismi aqua a Christo est instituta, ita in Eucharistia panis: et quemadmodum ibi aqua intelligitur non solum substantia aquae, sed etiam quod sit sub forma aquae, et propterea aqua sub forma grandinis aut nivis non est materia baptismi; ita per panem intelligendus est panis et secundum substantiam et secundum formam panis. Et per hoc excluduntur quaecumque constant ex pasta cruda, et similiter quaecumque constant ex pasta elixa. Haec enim non habere formam panis, dato quod panes sint, usus testatur humanus, quo his non utimur ut pane, sed potius haec comedimus cum pane, ex hoc ipso profitentes distinctionem horum a pane. Assato autem pane solo utimur ut pane. Et propterea crediderim ipsum solum esse consecrabilem. Materia enim haec paucas habet assertiones.

Unde et Auctor in littera opinative loquitur, cum excludit speltam et amidum \*: de quo *adhuc sub iudice lis est* \*. Et mihi videtur dicendum ut supra \*\*: scilicet quod, si panis confectus ex eo est absolute panis, potest consecrari. Nec obstat corruptio tritici: dicentibus aliis triticum non corrumpi tunc, sed ablui et depurari et alterari; aliis autem quod corruptio nihil officit, quoniam non est corruptio simpliciter, sed corruptio quae est via ad generationem panis; quam oportere intervenire probatur ex eo quod triticum est materia transiens respectu pastae et panis.

\* Resp. ad 2, et 4.

\* Horat. *De Art. Poet.*, vers. 77.

\*\* Num. III.

## ARTICULUS QUARTUS

### UTRUM HOC SACRAMENTUM DEBEAT CONFICI EX PANE AZYMO

IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, art. 2, qu. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIX; Opusc. I, *Cont. Error. Graec.*, cap. XXXII, §§ 1, 37; In *Ioan.*, cap. XIII, lect. I.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non debeat confici ex pane azymo. Debemus enim in hoc sacramento imitari institutionem Christi. Sed Christus videtur hoc sacramentum instituisse in pane fermentato: quia, sicut legitur *Exod.* XII, Iudaei secundum legem incipiebant uti azymis in die Paschae, quod celebratur quartadecima luna; Christus autem instituit hoc sacramentum in Cena, quam celebravit *ante diem<sup>a</sup> Paschae*, ut habetur *Ioan.* XIII \*. Ergo et nos debemus hoc sacramentum celebrare in pane fermentato.

\* Vers. 1, 4.

2. PRAETEREA, legalia non sunt observanda tempore gratiae. Sed uti azymis fuit quaedam legalis caeremonia: ut patet *Exod.* XII. Ergo in hoc sacramento gratiae non debemus azymis uti.

<sup>a</sup>) *diem.* - festum addit tertia.  
<sup>β</sup>) *fidei.* - ut supra dictum est addunt sC et tertia.

3. PRAETEREA, sicut supra \* dictum est, Eucharistia est *sacramentum caritatis*, sicut baptismus fidei <sup>β</sup>. Sed fervor caritatis significatur per fermentum: ut patet in Glossa \*, super illud *Matth.* XIII \*, *Simile est regnum caelorum fermento* etc. Ergo hoc sacramentum debet confici de pane fermentato.

\* Qu. LXXIII, art. 3, ad 3. - Cf. qu. LXV, art. 1.

<sup>β</sup>

\* Ord.

\* Vers. 33.

4. PRAETEREA, azymum et fermentatum sunt accidentia panis, non variantia eius speciem. Sed in materia baptismi nulla discretio adhibetur circa differentiam accidentium aquae: puta si sit salsa vel dulcis, calida vel frigida. Ergo in hoc sacramento aliqua discretio adhiberi non debet utrum panis sit azymus vel fermentatus.

SED CONTRA EST quod Extra, *de Celebrat. Missar.*, cap. *Litteras* <sup>γ</sup>, punitur sacerdos qui *in pane*

<sup>γ</sup>) *Litteras.* - PISA; per hoc litteras H, per litteras ceteri.



fermentato et scypho ligneo missarum solemniter celebrare praesumpsit<sup>δ</sup>.

RESPONDEO DICENDUM quod circa materiam huius sacramenti duo possunt considerari: scilicet quid sit necessarium, et quid conveniens. Necessarium quidem est ut sit panis triticeus, sicut dictum est\*: sine quo non perficitur sacramentum. Non est autem de necessitate sacramenti quod sit azymus vel fermentatus: quia in utroque<sup>ε</sup> confici potest.

Conveniens autem est ut unusquisque servet ritum suae Ecclesiae in celebratione sacramenti. Super hoc autem sunt diversae Ecclesiarum consuetudines. Dicit enim beatus Gregorius, in *Registro*\*: *Romana<sup>ζ</sup> Ecclesia offert azymos panes: propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem. Sed ceterae<sup>η</sup> Ecclesiae offerunt fermentatum: pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut et fermentum miscetur farinae.* Unde, sicut peccat sacerdos in ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret presbyter graecus in ecclesia Graecorum celebrans de azymo pane, quasi pervertens Ecclesiae suae ritum.

Et tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est. Primo quidem, propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit *prima die azymorum*, ut habetur Matth. xxvi\*, et Marc. xiv\*\*, et Luc. xxii\*\*\*, qua die nihil fermentatum in domibus Iudaeorum esse debebat, ut habetur *Exod. xii<sup>θ</sup>\**. — Secundo, quia panis est proprie sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est\*, magis quam divinitatis ipsius, ut infra\* patebit. — Tertio, quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quae requiritur ad usum huius sacramenti: se-

cundum illud I Cor. v\*: *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

Habet tamen haec consuetudo Graecorum aliquam rationem: et propter significationem, quam tangit Gregorius; et in detestationem haeresis Nazaraeorum, qui legalia Evangelio miscebant\*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut legitur *Exod. xii\**, solemnitas paschalis incipiebat a<sup>ι</sup> vespers quartaedecimae lunae. Et tunc Christus, post immolationem agni paschalis, hoc sacramentum instituit. Unde hic dies a Ioanne dicitur praecedere sequentem diem Paschae, et a tribus aliis Evangelistis dicitur *prima dies azymorum*, quando fermentatum in domibus Iudaeorum non inveniebatur, ut dictum est\*. Et de hoc supra\*\* notatum est plenius in tractatu Dominicae passionis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod conficientes ex azymo non intendunt caeremonias legis servare, sed conformare se institutioni\* Christi. Et ideo non iudaizant. Alioquin et celebrantes in pane fermentato iudaizarent: quia Iudaei panes primitiarum fermentatos offerebant.

AD TERTIUM DICENDUM quod fermentum significat caritatem propter aliquem effectum, quia scilicet panem facit sapidiorem et maiorem. Sed corruptionem significat ex ipsa ratione suae speciei.

AD QUARTUM DICENDUM quod, quia fermentum habet aliquid corruptionis, et ex pane corrupto non potest confici hoc sacramentum, ut dictum est\*; ideo<sup>λ</sup> magis attenditur circa panem differentia azymi et fermentati quam circa aquam baptismi differentia calidi et frigidi. Posset enim tanta esse corruptio fermenti quod ex eo non posset fieri<sup>μ</sup> sacramentum.

\* Cf. Tract. cont. Error. Graecor., dist. III (auct. anonym. an. 1252). — Supplem. Bibliothec. PP. p. II (Lugd. 1577).

\* Vers. 17.  
\*\* Vers. 12.  
\*\*\* Vers. 7.

θ) *qua die... Exodi XII.* — E et tertia; om. Cf. ad 1. ut dictum est.

\* Cf. qu. xxviii, art. 2.  
\* Qu. Lxxvi, art. 1, ad 1.

δ) *praesumpsit.* — PEGHc; *praesumpserit.* An *praesumpserat*?  
ε) *utroque.* — unoquoque editiones.  
ζ) *Romana.* — I et editiones; post *Ecclesia* ponit F, om. ceteri. — *propterea* F et tertia; *propter.*  
η) *ceterae.* — sG; *graecae* DEF, *certae* ceteri.

θ) *qua die... Exodi XII.* — E et tertia; om. Cf. ad 1. ut dictum est.  
ι) *a. — ā b, in Pc; alias a margo P.*  
κ) *institutioni.* — D et tertia; *instructionem* EpF, *instructioni* ceteri.  
λ) *ideo.* — FsE et editiones; *et ideo.*  
μ) *fieri.* — *confici* F et tertia.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quarto, circa illud quod de presbytero graeco dicitur, scilicet quod debet servare ritum graecum in ecclesia graeca, dubium occurrit ex Petro de Palude, in Quarto, dist. xi\*, oppositum concludente ex hoc quod *Graeci sunt schismatici: nullusque, etiam ipsorum, debet eis adhaerere. Ac per hoc, potest, sicut in toto, sic et in parte ab eis discordare.* Non ergo peccaret non servans ritum eorum.

Ad hoc dicitur quod Auctor loquitur de graecis ecclesiis et presbyteris absolute, et non de iisdem schismaticis. Et propterea optime dicit quod *peccaret, pervertens Ecclesiae suae ritum.* Et hinc sequitur quod etiam tempore schismatis peccaret: quia schisma non solvit ritus rectos ecclesiarum, qualis est iste, qui non ex schismate, sed ex

ratione ecclesiastica in eis est, ut Gregorius, in littera allatus, testatur. Quocirca, si presbyter graecus et in graeca ecclesia celebrat, peccaret non servando ritum graecae Ecclesiae, non a schismaticis praeceptum, sed velut ab Ecclesia statutum quod ibi servetur. Unde in Concilio Florentino, sub Eugenio IV\*, legimus sic: *Item in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive occidentalis sive orientalis, consuetudinem.*

Et cum obiicitur quod nemo debet eis adhaerere, verum est quantum ad ea quae sunt schismatis. Et similiter potest discordare ab eis in toto et in parte in his quae sunt schismatis.

\* Qu. I, art. 4, concl. 6.

\* Can. III.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM SIT PROPRIA MATERIA HUIUS SACRAMENTI VINUM VITIS

IV Sent., dist. xi, qu. ii, art. 3; IV Cont. Gent., cap. LXX.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sit propria materia huius sacramenti vinum vitis. Sicut enim aqua est materia baptismi, ita vinum est materia huius sacramenti. Sed in qualibet aqua potest fieri baptismus. Ergo in quolibet vino, puta malorum granatorum vel mororum aut huiusmodi, potest confici hoc sacramentum: praesertim cum in quibusdam terris vites non crescunt.

2. PRAETEREA, acetum est quaedam species vini quod de vite sumitur, ut Isidorus dicit\*. Sed de aceto non potest confici hoc sacramentum. Ergo videtur quod vinum vitis non sit propria materia huius sacramenti.

3. PRAETEREA, sicut de vite sumitur vinum depuratum, ita et agresta et mustum. Sed de his non videtur confici posse hoc sacramentum: secundum illud quod in Sexta Synodo\* legitur: *Didicimus quod in quibusdam ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis coniungunt uvae, et sic simul utrumque populo dispensant. Praecipimus igitur ut nullus sacerdos hoc ulterius faciat.* Et Iulius Papa\* reprehendit quosdam qui *expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerunt.* Ergo videtur quod vinum vitis non sit propria materia huius sacramenti.

SED CONTRA EST quod, sicut Dominus comparavit se grano frumenti\*, ita etiam se comparavit viti, dicens, Ioan. xv\*: *Ego sum vitis vera.* Sed solus panis de frumento est materia huius sacramenti, ut dictum est\*. Ergo solum vinum de vite est propria materia huius sacramenti.

RESPONDEO DICENDUM quod de solo vino vitis potest confici hoc sacramentum. Primo quidem, propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc sacramentum instituit: ut patet ex eo quod ipse dicit, Luc. xxii<sup>a</sup>\*, circa institutionem huius sacramenti: *Amodo non bibam de hoc genimine vitis.*

Secundo quia, sicut dictum est\*, ad materiam sacramentorum assumitur id quod proprie et communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur quod de vite sumitur: alii autem liquores vinum dicuntur secundum quandam similitudinem ad vinum vitis.

Tertio, quia vinum vitis magis competit ad effectum huius sacramenti, qui est spiritualis laetitia: quia scriptum est\* quod *vinum laetificat cor hominis.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illi liquores non dicuntur proprie vinum, sed secundum similitudinem. Potest autem verum vinum ad terras illas deferri in quibus vites non crescunt, quantum sufficit ad hoc sacramentum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod vinum fit acetum per corruptionem: unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur VIII *Metaphys.*\* Et ideo, sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto potest confici<sup>β</sup>. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut de pane qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens: ut prius\* dictum est.

AD TERTIUM DICENDUM quod agresta est in via generationis, et ideo nondum habet speciem vini. Et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum.

Mustum autem iam habet speciem vini: nam eius dulcedo attestatur digestionem, quae est *completio a naturali calore*, ut dicitur in IV *Meteor.*<sup>γ</sup>\* Et ideo de musto potest confici hoc sacramentum.

Non tamen debent uvae integrae huic sacramento misceri: quia iam esset ibi aliquid praeter vinum.

Prohibetur etiam ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur: quia hoc est indecens, propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri: dicitur enim ab eodem Iulio Papa\*: *Si necesse fuerit, botrus in calicem prematur.*

\* Vide *Etymol.* lib. XX, cap. III.

\* Trullan., can. xxviii. - Cf. can. *Didicimus quod, de Consecr.*, dist. II.

\* Concil. Bracaren., III, can. I. - Cf. can. *Cum omne, de Consecr.*, dist. II.

\* Ioan. cap. xii, vers. 24.  
\* Vers. 1.

\* Art. 3.

<sup>a</sup>  
\* Vers. 18. - Cf. Matth. cap. xxvi, vers. 29.

\* Art. 3.

\* Ps. ciii, vers. 15.

\* S. Th. lect. iv. - Did. lib. VII, cap. v, n. 3, 4.

β

\* Art. 3, ad 4.

<sup>γ</sup>  
\* Cap. II. - Continuat. Comment. s. Th. lect. III.

\* Loc. cit. in arg., can. VII.

<sup>a</sup>) Luc. XXII. - Matth. XXVI P; Luc. XXII.. Amodo om. F; amodo post bibam ponit P.

β) potest confici. - Om. tertia.  
γ) Meteor. - PHI; Metaphysicae.

Commentaria Cardinalis Caietani

\* Art. 3, Comm. num. v.

IN articulo quinto, memento supra\* dictorum, et applica ad propositum: et vide uvam non esse consecrabilem, quia non continet vinum sub forma potabili, sed manducabili.

## ARTICULUS SEXTUS

## UTRUM AQUA SIT VINO PERMISCENDA

IV Sent., dist. xi, qu. ii, art. 4, qu<sup>a</sup> 1; In Matth., cap. xxvi; I ad Cor., cap. xi, lect. vi.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod aqua non sit vino permiscenda. Sacrificium enim Christi figuratum fuit per oblationem Melchisedech, qui <sup>α</sup>, Gen. xiv \*, non legitur obtulisse nisi *panem et vinum*. Ergo videtur quod in hoc sacramento non debeat adungi aqua.

2. PRAETEREA, diversorum sacramentorum diversae sunt materiae. Sed aqua est materia baptismi. Ergo non debet ad materiam assumi huius sacramenti.

3. PRAETEREA, panis et vinum sunt materia huius sacramenti. Sed panis nihil adiungitur. Ergo nec vino debet aliquid adungi.

SED CONTRA EST quod Alexander Papa \* scribit: *In sacramentorum oblationibus quae inter missarum solemnias Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur.*

RESPONDEO DICENDUM quod vino quod offertur in hoc sacramento debet aqua misceri. Primo quidem, propter institutionem. Probabiliter enim creditur quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto <sup>β</sup>, secundum morem terrae illius: unde et *Proverb. ix \** dicitur: *Bibite vinum quod miscui vobis.*

Secundo, quia hoc convenit repraesentationi Dominicæ passionis. Unde dicit Alexander Papa\*: *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut*

*aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere Christi in passione sua profuxisse legitur.*

Tertio, quia hoc convenit ad significandum effectum huius sacramenti, qui est unio populi Christiani ad Christum: quia, ut Iulius Papa \* dicit, *videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo, cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.*

Quarto, quia hoc competit ad ultimum effectum huius sacramenti, qui est introitus ad vitam aeternam. Unde Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* \*: *Redundat aqua in calicem, et salit in vitam aeternam.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Ambrosius dicit ibidem \*, sicut sacrificium Christi significatum est per oblationem Melchisedech, ita etiam significatum est per aquam quae in eremo fluxit de petra \*: secundum illud I Cor. x \*\*: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod aqua sumitur in baptismo ad usum ablutionis. In hoc autem sacramento assumitur ad usum refectiois: secundum illud Psalmi \*: *Super aquam refectiois educavit me.*

AD TERTIUM DICENDUM quod panis ex aqua et farina conficitur. Et ideo, cum vino aqua miscetur, neutrum sine aqua existit.

\* Vers. 18.

\* Primus: Ep. I, ad Omnes Orthodox. - Cf. can. In sacramentorum, de Consecr., dist. II.

\* Vers. 5.

\* Loc. cit.

α) qui. - F et tertia; quia.

β) aqua permixto. - PFIsg et a; et aqua permixtis D, permixto et aqua b, permixto aqua c, et aqua permixto ceteri.

## Commentaria Cardinalis Caietani

\* In decret. pro Armen.

IN articulo sexto, adverte ne credas dicentibus Graecos offerre calicem Domini cum vino tantum. Hoc enim Armeni, non Graeci, olim faciebant: ut patet in Concilio Florentino sub Eugenio IV, ubi decretum est \*: *Ut etiam*

*ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, omnesque Latinorum Graecorumque ecclesias imitando, in calicis oblatione paululum aquae vino admisceant.*

## ARTICULUS SEPTIMUS

## UTRUM PERMIXTIO AQUAE SIT DE NECESSITATE HUIUS SACRAMENTI

IV Sent., dist. xi, qu. ii, art. 4, qu<sup>a</sup> 2, 3; I ad Cor., cap. xi, lect. vi.

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod permixtio aquae sit de necessitate huius sacramenti. Dicit enim Cyprianus, ad *Caecilium* \*: *Sic calix Domini non est aqua sola et vinum solum, nisi utrumque misceatur, quomodo nec corpus Domini potest <sup>α</sup> esse farina sola, nisi utrumque, scilicet farina et aqua, fuerit adunatum.* Sed admixtio aquae ad farinam est de necessitate huius sacramenti. Ergo, pari ratione, admixtio aquae ad vinum.

2. PRAETEREA, in passione Domini, cuius hoc sacramentum est memoriale, sicut *de latere eius exivit sanguis, ita et aqua* \*. Sed vinum, quod est sacramentum sanguinis, est de necessitate huius sacramenti. Ergo, pari ratione, et aqua.

3. PRAETEREA, si aqua non esset de necessitate huius sacramenti, non referret quaecumque aqua huic sacramento apponeretur: et ita posset apponi aqua rosacea, vel quaecumque alia huius-

\* Epist. LXIII (al. lib. II, Epist. III), num. 13.

α)

α) potest. - Tertia; potuit.

\* Concil. Bracaren. III, can. I. - Ex S. Cyprian. Ep. LXIII, (al. lib. II, Ep. III), num. 13.

\* Lib. V, cap. I.

\* Loc. prox. cit.

\* Exod. cap. XVII, vers. 6; Num. cap. XX, vers. 11. \*\* Vers. 4.

\* Ps. XXII, vers. 2.

\* Ioan. cap. XIX, vers. 34.

modi aqua. Quod non habet usus Ecclesiae. Aqua ergo est de necessitate huius sacramenti.

\* Loc. cit., num. 17.

SED CONTRA EST quod Cyprianus dicit\*: *Si quis de antecessoribus nostris ignoranter vel simpliciter non observavit*, ut scilicet aquam vino misceret in sacramento, *potest simplicitati eius venia concedi*. Quod non esset si aqua esset de necessitate sacramenti, sicut est vinum vel panis. Non ergo aquae admixtio est de necessitate sacramenti.

\* Art. praeced.

\* Cf. arg. 2.

β

\* Qu. LXXIII, art. 1, ad 3.

RESPONDEO DICENDUM quod iudicium de signo sumendum est ex eo quod significatur. Appositio autem aquae ad vinum refertur ad significandum participationem huius sacramenti a fidelibus, quantum ad hoc quod per aquam mixtam vino significatur populus adunatus Christo, ut dictum est\*. Sed et hoc ipsum quod de latere Christi pendentis in cruce aqua profluxit\*, ad idem refertur: quia per aquam significabatur β ablutio peccatorum, quae fiebat per passionem Christi. Dictum est autem supra\* quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae: usus autem fidelium non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad sacramentum. Et ideo consequens est quod appositio aquae non sit de necessitate sacramenti.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verbum illud Cypriani est intelligendum secundum quod dicitur illud esse non posse quod convenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur quantum ad illud quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem: nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.

β) significabatur. — significatur tertia praeter I.  
γ) quia admixtio... non refert. — PEI; admixtio... non enim refert.

AD SECUNDUM DICENDUM quod effusio sanguinis directe pertinebat ad ipsam Christi passionem: est enim naturale corpori humano vulnerato quod ex eo profluat sanguis. Sed effusio aquae non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectum, qui est ablutio a peccatis et refrigerium contra ardorem concupiscentiae. Et ideo aqua non seorsum offertur a vino in hoc sacramento, sicut vinum seorsum offertur a pane: sed aqua offertur vino permixta, ut ostendatur quod vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tanquam de eius necessitate existens, aqua autem secundum quod adiungitur vino.

AD TERTIUM DICENDUM quod, quia admixtio aquae ad vinum non est de necessitate sacramenti, non refert γ, quantum ad necessitatem sacramenti, quaecumque aqua misceatur vino, sive naturalis sive artificialis, ut rosacea. Quamvis, quantum ad convenientiam sacramenti, peccet qui aliam aquam miscet nisi naturalem et veram: quia de latere Christi pendentis in cruce vera aqua profluxit\*, non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, ad ostendendum quod corpus Christi erat vere compositum ex quatuor elementis; sicut per sanguinem fluentem ostendebatur quod erat compositum ex quatuor humoribus; ut Innocentius III dicit in quadam Decretali\*. Quia vero δ admixtio aquae ad farinam est de necessitate huius sacramenti, utpote constituens substantiam panis; si farinae admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor quam vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum: quia non est vere ε panis.

γ

\* D. 235.

\* Cap. In quadam nostra decretali epist., de Celebr. Missar. δ

ε

δ) ut... Quia vero. — PI; et ut... quia vero ABCD, (et F) ut... quia vera EF, et... quod vera GHbc, et quia ut... vera ed. a.  
ε) est vere. — esset vere I, esset verus cetera tertia, est verus ed. a.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo septimo, circa aquam ex qua fit panis pro sacramento, vide rationem litterae in calce articuli ad probandum quod oportet esse aquam veram et naturalem: et suscipe illam ut rationabilem. An autem sit necessaria, cogitatione opus est. Et ratio est eadem cum superius\* dicta de diversis speciebus granorum componentium panem. Quia enim ad sacramentum sufficit quod sit verus panis, si panis verus potest fieri ex aqua artificiali, puta rosacea, consequens est quod non est de necessitate sacramenti aqua naturalis. An autem panis confectus ex farina et aqua rosacea esset verus panis, experientia com-

\* Art. 3, Comment. num. III, Quocirca.

probandum esset, videndo in quo differret ab aliis panibus. Nam si solo odore rosarum differre appareret, crederem ipsum eiusdem esse speciei cum aliis: cum aqua non sit pars essentialis panis, sed materia transiens eiusdem. Non enim permanet aqua secundum seipsam in pane: sed panis est tertia res resultans ex commixtione farinae et aquae per pastae decoctionem. Non est autem remotum diversarum specierum res posse esse materiam transentem respectu alicuius unius etiam homogenei: ut patet de his ex quibus generatur sanguis.

Et haec etiam sufficiant pro octavo articulo.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM DEBEAT AQUA IN MAGNA QUANTITATE APPONI

IV Sent., dist. XI, qu. II, art. 4, qu. 4; I ad Cor., cap. XI, lect. VI.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod debeat aqua in magna quantitate apponi. Sicut enim sanguis de latere Christi sensibiliter fluxit, ita et aqua: unde dicitur Ioan. XIX\*: *Qui vidit, testimonium perhibuit*. Sed aqua non posset sensibiliter esse in hoc

\* Vers. 35.

sacramento nisi in magna quantitate poneretur. Ergo videtur quod aqua debeat apponi in magna quantitate.

2. PRAETEREA, parva aqua multo vino admixta corrumpitur. Quod autem corruptum est, non α est. Ergo idem est apponere parum de aqua in

α

α) non. — iam non PIsG, iam non (est idem ergo apponere parum de aqua in hoc sacramento est nihil apponere) F.

hoc sacramento, et nihil apponere. Sed non licet nihil apponere. Ergo non licet parum apponere.

3. PRAETEREA, si sufficeret parum apponere, per consequens esset sufficiens quod gutta aquae in totum dolium proiiceretur. Sed hoc videtur ridiculum. Ergo non sufficit quod parva quantitas ponatur <sup>β</sup>.

\* Cap. Perniciosus.

SED CONTRA EST quod Extra, de Celebrat. Missar. \*, dicitur: *Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet quod in maiori quantitate de aqua ponitur in sacrificio quam de vino: cum, secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiae generalis, plus in ipso sit de vino quam de aqua ponendum.*

\* Cap. Cum Marthae, de Celebr. Missar.

RESPONDEO DICENDUM quod circa aquam adiunctam vino, ut Innocentius III dicit, in quadam Decretali \*, triplex est opinio. Quidam enim dicunt quod aqua adiuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem. — Sed haec opinio omnino stare non potest. Quia in sacramento Altaris, post consecrationem, nihil est nisi corpus et sanguis Christi: sicut Ambrosius dicit, in libro de Officiis \*: *Ante benedictionem alia <sup>γ</sup> species nominatur, post benedictionem corpus significatur.* Alioquin non adoraretur <sup>δ</sup> veneratione laetiae.

\* De Mysteriis, sive de Initiationis, cap. IX, n. 54. Cf. can. Ante benedictionem, de Consecr., dist. II.

Et ideo alii dixerunt quod, sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua convertitur in

aquam quae de latere Christi fluxit. — Sed hoc non <sup>ε</sup> rationabiliter dici potest. Quia secundum hoc, aqua seorsum consecraretur a vino, sicut vinum a pane.

Et ideo, sicut ipse \* dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, et vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset nisi adeo modicum apponeretur de aqua quod converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est parum de aqua apponere, et praecipue si vinum sit debile: quia, si tanta fieret appositio aquae quod solveretur species vini, non posset perfici sacramentum. Unde Iulius Papa \* reprehendit quosdam qui *pannum lineum musto intinctum per totum annum servant, et in tempore sacrificii aqua partem eius lavant, et sic offerunt.*

\* Innoc. III, loc. prox. citat.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sufficit ad significationem huius sacramenti quod sentiatur aqua dum apponitur vino: non autem oportet quod sit sensibilis post mixtionem.

\* Primus. — Can. Cum omne, de Consecr., dist. II.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, si aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur significatio: sed, cum aqua in vinum convertitur, significatur quod populus Christo incorporatur.

AD TERTIUM DICENDUM quod, si aqua apponere- tur dolio, non sufficeret ad significationem huius sacramenti: sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti.

<sup>β</sup>) ponatur. — apponatur PEF.  
<sup>γ</sup>) alia. — illa P. Cf. qu. seq. art. 3. α. — Ad corpus, Alias corpus Christi margo P.

<sup>δ</sup>) adoraretur. — adoraretur omnino F, totum adoraretur PI.  
<sup>ε</sup>) non. — Om. pC, ante potest ponunt BGHsC et bc, nec post Sed PI.



QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUINTA

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXIV, Introduct.  
**D**EINDE considerandum est de conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi \*. Et circa hoc quaeruntur octo.  
 Primo: utrum substantia panis et vini remaneat in hoc sacramento post consecrationem.  
 Secundo: utrum annihiletur.  
 Tertio: utrum convertatur in corpus et sanguinem Christi.

Quarto: utrum remaneant ibi accidentia post conversionem.  
 Quinto: utrum remaneat ibi forma substantialis.  
 Sexto: utrum conversio ista fiat subito.  
 Septimo: utrum sit miraculosior omni alia mutatione.  
 Octavo: quibus verbis convenienter exprimi possit <sup>α</sup>.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IN HOC SACRAMENTO SIT CORPUS CHRISTI SECUNDUM VERITATEM, VEL SOLUM SECUNDUM FIGURAM VEL SICUT IN SIGNO

IV Sent., dist. x, art. 1; IV Cont. Gent., cap. LXI sqq.; De Ven. Sacram. Altar. serm. xi; In Matth., cap. xxvi; In Ioan., cap. vi, lect. vi; I ad Cor., cap. xi, lect. v.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in hoc sacramento non sit corpus Christi secundum veritatem, sed solum secundum figuram, vel sicut in signo. Dicitur enim Ioan. vi \* quod, cum Dominus dixisset, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, etc., multi ex discipulis eius audientes dixerunt, Durus est hic sermo: quibus ipse β: Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Quasi dicat, secundum expositionem Augustini, *super quartum Psalmum γ\*:* *Spiritualiter intellige quae locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi. Spiritualiter intellectum vivificabit vos: caro autem non prodest quidquam.*  
 2. PRAETEREA, Dominus dicit, Matth. ult. \*: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi: quod exponens Augustinus dicit \*: Donec saeculum finiatur, sursum*

*est Dominus: sed tamen et hic δ nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit, uno in loco esse oportet: veritas autem eius ubique diffusa est.* Non ergo secundum veritatem est corpus Christi in hoc sacramento, sed solum sicut in signo.  
 3. PRAETEREA, nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, cum nec angelo hoc conveniat: eadem ε enim ratione posset esse ubique. Sed corpus Christi est verum corpus, et est in caelo. Ergo videtur quod non sit secundum veritatem in sacramento Altaris, sed solum sicut in signo.  
 4. PRAETEREA, sacramenta Ecclesiae ad utilitatem fidelium ordinantur. Sed secundum Gregorium, in quadam Homilia \*, regulus ζ reprehenditur quia *quaerebat corporalem Christi praesentiam.* Apostoli etiam impediabantur recipere Spiritum Sanctum propter hoc quod affecti erant ad eius praesentiam corporalem: ut Augustinus dicit \*, super illud Ioan. xvi \*, *Si non abiero, Paraclitus*

\* Vers. 54, 61, 64.  
 β  
 γ  
 \* Super Ps. xcvi.  
 - Cf. can. Prima quidem de Consecr., dist. II; Mag. IV Sent., dist. x, cap. Summum item.  
 \* Vers. 20.  
 \* In Ioan. Evang., tract. XXX.

δ  
 ε  
 \* Homil. XXVIII in Evang. - Cf. Ioan., cap. IV, vers. 46 sqq.  
 ζ  
 \* In Ioan. Evang., tract. XCIV.  
 \* Vers. 7.

α) Primo: utrum... exprimi possit. Hanc materiae tractandae analysis Auctor ex suo Commentario in librum Sent. IV. dist. xi. assumpsit; sed mutato in operis executione consilio novam materiam, primi scilicet articuli, introduxit, illam vero de qua hic Septimo articulo quaerendum esse dicit, alio modo distribuit: cf. art. 8. ad 3. Quo casu factum sit ut lectio analyseos in autographo per Auctorem vel amanuensem non corrigeretur ad normam ordinis executi, nos utique latet; sed quod tunc temporis omissum sit nunc per nos fieri necesse esse non putamus, ideoque lectionem totius fere traditionis manuscriptae non tangimus.  
 In G scriptor praeunte correctore praefigit Primo utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem; mutat ordinalia Primo Secundo etc. Sexto in Secundo Tertio etc. Septimo; delet Septimo... mutatione per vacat; addit panis ante convertatur ad Tertio nostri textus et post substantialis ad Quinto. (ad Octavo utraque manus om. convenienter, in Indice tamen occurrit).  
 In Plc et codicibus Ambrosiano et Brixiensi analysis ex Articulorum initiis refecta est hoc modo (uncinis clausa habet P, ex editione anni 1523):  
 Primo, utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem (an solum secundum figuram vel sicut in signo).

Secundo, utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem.  
 Tertio, utrum substantia panis (vel vini) post consecrationem huius sacramenti annihiletur aut in pristinam materiam resolvatur.  
 Quarto, utrum panis possit converti in corpus Christi.  
 Quinto, utrum in hoc sacramento (post conversionem) remaneant accidentia panis et vini.  
 Sexto, utrum (facta consecratione) remaneat (in hoc sacramento) forma substantialis panis.  
 Septimo, utrum fiat in instanti ista conversio (ista conversio ante fiat).  
 Octavo, utrum haec sit vera (falsa): Ex pane fit corpus Christi.  
 β) ipse. - dixit addunt EF et tertia.  
 γ) quartum Psalmum. - Psal. 98 P. - Pro intellige, intelligite sG et editiones. Pro quae, quod BI. Pro Non hoc, et ideo hoc H. Pro et bibituri, sed nec bibituri Hbc. Pro aliquod vobis, autem vobis b, quod vobis Pc; cf. ξ.  
 δ) et hic. - Om. editiones. Pro Dominus, Domini editiones, om. F, et Dominus (corinth. II in quo) ed. a; I om. sed... Dominus.  
 ε) eadem. - tali tertia praeter G.  
 ζ) regulus. - P; centurio.

non veniet ad vos. Non ergo Christus secundum praesentiam corporalem est in sacramento Altaris.

SED CONTRA EST quod Hilarius dicit, in VIII de Trin. \*: *De veritate carnis et sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus. Nunc et ipsius Domini professione, et fide nostra, caro eius vere est cibus et sanguis eius vere est potus.* Et Ambrosius dicit, VI de Sacramentis \*: *Sicut verus est Dei Filius Dominus Iesus Christus, ita vera Christi caro est quam accipimus, et verus sanguis eius est potus.*

RESPONDEO DICENDUM quod verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento, non sensu deprehendi potest, sed sola fide, quae auctoritati divinae innititur. Unde super illud Luc. xxii \*: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*, dicit Cyrillus \*: *Non dubites an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Salvatoris in fide: cum enim sit veritas, non mentitur.*

Hoc autem conveniens est, primo quidem, perfectioni novae legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura: secundum illud Heb. x \*: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem.* Et ideo oportuit ut aliquid plus haberet sacrificium novae legis a Christo institutum: ut scilicet contineret ipsum passum, non solum in significatione vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet, ut Dionysius dicit, III cap. \* *Eccles. Hierar.*, est perfectissimum omnium sacramentorum aliorum, in quibus virtus Christi participatur.

Secundo, hoc competit caritati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostrae naturae assumpsit. Et quia maxime proprium amicitiae est *convivere amicis*, ut Philosophus dicit, IX *Ethic.* \*, sui praesentiam corporalem nobis repromittit in praemium, Matth. xxiv \*: *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae.* Interim tamen nec sua praesentia corporali in hac peregrinatione destituit, sed per veritatem corporis et sanguinis sui nos sibi coniungit in hoc sacramento. Unde ipse dicit, Ioan. vi \*: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Unde hoc sacramentum est maximae caritatis signum, et nostrae spei sublevamentum, ex tam familiari coniunctione Christi ad nos.

Tertio, hoc competit perfectioni fidei, quae, sicut est de divinitate Christi, ita est de eius humanitate: secundum illud Ioan. xiv \*: *Creditis in Deum, et in me credite.* Et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis

exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo.

Quae quidam non attendentes, posuerunt corpus et sanguinem Christi non esse in hoc sacramento nisi sicut in signo. Quod est tanquam haereticum abiiciendum, utpote verbis Christi contrarium. Unde et Berengarius, qui primus inventor huius erroris fuerat, postea coactus est suum errorem revocare, et veritatem fidei confiteri \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ex hac auctoritate praedicti haeretici occasionem errandi sumperunt, male verba Augustini intelligentes. Cum enim Augustinus dicit, *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis*, non intendit excludere veritatem corporis Christi: sed quod non erat manducandum in hac specie in qua ab eis videbatur. Per hoc autem quod subdit, *Sacramentum vobis aliquod commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos*, non intendit quod corpus Christi sit in hoc sacramento solum secundum mysticam significationem, sed spiritualiter dici, idest, invisibiliter et per virtutem spiritus. Unde, super Ioan. \*, exponens illud quod dicitur, *Caro non prodest quidquam* \*, dicit: *Sed, quo modo illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt manducandam, quo modo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur: non quo modo spiritu vegetatur. Accedat spiritus ad carnem, et prodest plurimum: nam, si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod verbum illud Augustini, et omnia similia, sunt intelligenda de corpore Christi secundum quod videtur in propria specie: secundum quod etiam ipse Dominus dixit, Matth. xxvi \*: *Me autem non semper habebitis.* Invisibiliter tamen sub speciebus huius sacramenti est ubicumque hoc sacramentum perficitur.

AD TERTIUM DICENDUM quod corpus Christi non est eo modo in sacramento sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur: sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento. Unde dicimus quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed *sicut in sacramento*. Per quod non intelligimus quod Christus sit ibi solum sicut in signo, licet sacramentum sit in genere signi: sed intelligimus corpus Christi esse ibi, sicut dictum est, secundum modum proprium huic sacramento.

AD QUARTUM DICENDUM quod ratio illa procedit

η) et. — enim sE, enim et PlsB et c.

θ) verus. — Tertia; vere.

ι) esse. — Om. BGH, post sacramento ponunt abc. — Pro non sensu, neque sensu neque intellectu E, sensu (deprehendi non potest) P, neque sensu ceteri; cf. qu. LXXVI art. 7. corp.

κ) Sacrificia. — Sacramenta H et editiones. Tertio loco (ante novae legis) sacramentum P.

λ) perfectissimum. — Tertia praeter I; perfectissimum; cf. qu. LXV art. 3. β. — aliorum ante sacramentorum ponunt Pl.

μ) in. — F et tertia; ad ed. a, et ceteri. — Post praemium tertia addit dicens.

ν) primus inventor huius erroris. — primus huius erroris HI, principium huius erroris G, primus (primo b) huius erroris inventor (ventor b) bc, primus huius erroris auctor P.

ξ) vobis aliquod. — quod vobis P.

ο) spiritualiter. — Alias impassibiliter margo P, sed referendum est ad invisibiliter, pro quo impassibiliter Hc. — Pro spiritus, Spiritus Sancti ed. a et tertia praeter I; cf. ad 4.

π) quippe. — P; quidem ACDE, quid B, quaedam ed. a, quidam G; carnem quippe sic intellexerunt om. FHbc. — manducandam om. P.

ρ) speciali. — spirituali FHbc; Als spūali margo P.

\* Cf. can. Ego Berengarius, de Consecr., dist. II.

\* Tract. XXVII, n. 5. \* Ioan. cap. vi, vers. 64. π

\* Vers. 11.

de praesentia corporis Christi prout est praesens per modum  $\sigma$  corporis, idest prout est in sua specie visibili  $\tau$ : non autem prout spiritualiter, idest invisibiliter, modo et virtute spiritus. Unde

Augustinus dicit, *super Ioan.* \*: *Si intellexisti spiritualiter verba Christi de carne sua, spiritus et vita tibi sunt: si intellexisti carnaliter, etiam  $\nu$  spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt.*

\* Tract. XXVII, n. 6.

$\sigma$ ) modum. — motum P.  
 $\tau$ ) visibili. — Pa; visibiliter E, visibilis ceteri. — Ante spiritualiter addunt est Fa et tertia praeter H. — Pro invisibiliter modo

et virtute, invisibili modo ex ( $\bar{e}$ e H) virtute GHbc; etiam a habet invisibili.

$\nu$ ) etiam. — sic (sicut b) etiam tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat. — In corpore conclusio clara est. Et de ipsa tria dicuntur. Primo, quod sola fide tenetur. — Secundo, quod est conveniens. Et affertur triplex convenientia. — Tertio, recitatur error quorundam dicentium oppositum: et ex verbis Christi, et confessione Berengarii, de *Consecr.*, dist. II, *Ego Berengarius*, confutatur.

II. Circa praesentis et sequentium articulorum doctrinam ac materiam, pro claritate et ampliori intellectu difficultatum, sciendum est ex auctoritate sacrae Scripturae de existentia corporis Christi in sacramento Eucharistiae nihil aliud haberi expresse nisi verbum Salvatoris dicentis \*, *Hoc est corpus meum*. Oportet enim verba haec vera esse. Et quoniam verba sacrae Scripturae exponuntur dupliciter, vel proprie vel metaphoricе, primus error circa hoc fuit interpretantium haec Domini verba metaphoricе. Quem Magister Sententiarum, in dist. x libri Quarti, tractat: qui et in hoc articulo reprobatur. Et consistit vis reprobationis in hoc, quod verba Domini intellecta sunt ab Ecclesia proprie: et propterea oportet illa verificari proprie.

\* Dico autem ab Ecclesia: quoniam non apparet ex Evangelio coactivum aliquod ad intelligendum haec verba proprie. Ex subiunctis siquidem verbis a Domino, scilicet, *quod pro vobis tradetur \* in remissionem peccatorum \*\**, non potest concludi evidenter praemissa verba esse intelligenda proprie. Quoniam ly *quod* non refert coniunctionem praedicati cum subiecto, sed refert praedicatum, scilicet *corpus meum*. Cum cuius relationis veritate stat praeciocentem esse veram solum in sensu metaphoricо, ut patet in exemplo, *Petra autem erat Christus* \*: si enim adiunxisset Apostolus, *qui crucifixus est, resurrexit et ascendit ad caelos*, dicendo, *Petra autem erat Christus, qui crucifixus est et resurrexit a mortuis et ascendit in caelum*, nihil minus praeciocens illa propositio, *Petra autem erat Christus*, non proprie, sed metaphoricе intelligenda esset. Et similiter in proposito verba Domini, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, ex illa additione, *quod pro vobis tradetur*, — non arctatur prima propositio ad sensum proprium: sed esset etiam vera si in solo metaphoricо sensu esset prolata. Et propterea dixi ex verbis Domini *proprie intellectis ab Ecclesia* excludi errorem dicentium corpus Christi metaphoricе, seu significative tantum, esse in Eucharistia.

Habemus igitur ex veritate verborum Domini in sensu proprio, corpus Christi veraciter esse in Eucharistia. Et hoc est primum, quod ex Evangelio habemus, circa hoc sacramentum.

Alterum autem, quod Evangelium non explicavit expresse, ab Ecclesia accepimus: scilicet conversionem panis in corpus Christi. Hanc enim non solum a priscis doctoribus Ecclesiae habuimus, quos habes de *Consecr.*, dist. II, copiose, et a Magistro Sententiarum, in tractatu de Eucharistia \*, diffuse; sed a Concilio Lateranensi sub Innocentio III, ut patet Extra, de *Summa Trin. et Fide Cathol.*, *Firmiter credimus*, ubi utrumque simul dicitur sub his verbis, *Christi corpus et sanguis in sacramento Altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur*, et haec quoad primum; et sequitur, *transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina*, et haec quoad secundum.

III. Et quoniam variae fuerunt opiniones, multiformiaque fiunt argumenta circa haec, implicantia mentes etiam

eruditorum, praenotandum est, et ante oculos semper habendum, intervenire hic non unam, sed duas novitates valde mirabiles. Altera est de esse corporis Christi sub hostia consecrata: de novo enim corpus Christi verum veraciter sub illa hostia continetur. Altera est de conversione substantiae panis in substantiam corporis Christi: et hoc etiam de novo fieri credimus.

Et quoniam omnis novitas mutationem nonnullam sonat, extenso mutationis nomine latissime; ideo, pro maiori claritate latissime *mutationis* vocabulo utendo, imaginemur secundum has duas novitates intervenire duas mutationes; non curando an una sit ratio alterius, aut inferat alteram.

IV. Et in illa quidem novitate qua corpus Christi de novo est sub speciebus panis, oportet intelligere mutationem vel ex parte corporis Christi, vel ex parte accidentium panis. Et si quidem ex corporis Christi parte mutationem imaginemur, erit mutationis velut subiectum corpus Christi; terminus a quo, non contineri sub his accidentibus; terminus ad quem, contineri sub his accidentibus; fit enim Christi corpus ex non contento sub his accidentibus, contentum sub illis. Si vero mutatio haec imaginanda ponitur ex parte hostiae, tunc mutationis subiectum est ipsa panis species; et terminus a quo, non contineri; terminus autem ad quem, est continere Christi corpus; fit enim panis species remanens ex non continente Christi corpus, continens Christi corpus. Quia ergo, attendendo formaliter ad illam novitatem qua corpus Christi continetur veraciter sub speciebus panis, et corpus Christi quod non continebatur sub his speciebus, continetur, et species panis quae non continebat Christi corpus, continet Christi corpus; rationabiliter manifestatur novitas ista formali et perspicaci intellectu, humano more, ex ratione mutationis, ut fecimus: *excelsa* siquidem *Dei balbutiendo ut possumus resonare* non dedecet, secundum Gregorium \*. Quapropter, conformiter ad sacros canones \* loquendo, vocetur ista novitas *novitas continentiae*: quoniam vere secundum hanc corpus Christi continetur, et hostia continet corpus Christi, quamvis non continentia locali.

Altera autem novitas vocabitur *novitas conversionis*: quoniam secundum illam panis vere convertitur in corpus Christi. In hac igitur conversionis novitate manifesta mutatio intervenit, qua ex pane fit corpus Christi. Sed mutatio ista absque subiecto invenitur, habens pro termino a quo panem, et pro termino ad quem corpus Christi.

Et scito quod tanta est utilitas discernendi inter has novitates et inter has mutationes, ut inde pendeat et intelligere tam varias obiectiones, et scire formaliter respondere, et videre quid scias vel nescias. Unde non sit tibi curae pro nunc, hoc est pro principio intelligendi, quales vel quomodo sint aut fiant istae mutationes: sed esto contentus ex alietate terminorum etiam fingere diversitatem mutationum. Et perspicendo quod conversio habet proprios terminos, scilicet panem et corpus Christi; et quod corpus Christi contineri de novo sub sacramento habet alios suos proprios terminos, scilicet de non continentia ad continentiam vel passive vel active, ut praedeclaratum est: siste, et fige intellectum ad formalia ambarum novitatum et suarum mutationum, ut sic liber tibi pateat ingressus in pelagus tam fluctuantium opinionum et intellectuum.

V. His praelibatis, sciendum est omnes circa primam novitatem continentiae et re et voce consensisse, dum

\* Matth. cap. xxvi, vers. 26; Marc. cap. xiv, vers. 22; Luc. cap. xxii, vers. 19; I ad Cor., cap. xi, vers. 24.

\* Dico... tantum, esse in Eucharistia om. P.

\* I ad Cor., cap. xi, vers. 24. — Cf. Luc. cap. xxii, vers. 19. — Cf. Matth. cap. xxvi, vers. 28.

\* I ad Cor., cap. x, vers. 4.

\* IV Sent., dist. viii sqq.

\* Moral. lib. V, cap. xxxvi, al. xxvi. — Cf. num. II, Alterum autem.



omnes communiter fatemur corpus Christi, prius non contentum sub hac hostia, modo veraciter contineri: quamvis circa modum quo continetur, variae sint, ut postea \* dicitur, opiniones.

Verum novitatem conversionis, licet omnes voce affirmant, secundum rem tamen multi negarunt, putantes se non negare illam. Et hi multifariam sunt divisi: dum quidam intelligunt conversionis nomine *identitatem loci*, ut hac ratione dicatur panem fieri corpus Christi, quia ubi est panis, est et corpus Christi; ut Magister Sententiarum, in xi \* distinctione Quarti, refert et reprobatur. Et de hoc erit secundus articulus in littera.

Quidam vero conversionis nomine intelligunt *successionis ordinem*, ut Magister ibidem refert: ut hac ratione dicatur panem converti in corpus Christi, quia corpus Christi est post consecrationem sub accidentibus sub quibus erat panis; quem panem annihilari, aut solvi in praesentem materiam dicebant. Et hoc Auctor in tertio tractat articulo. — Et hanc opinionem quoad sententiam sequitur Scotus, in Quarto, dist. x \* et xi \*\*. Dixi autem, *secundum sententiam*. Quia in modo opinandi cautior est Scotus, ponens panem per accidens redigi in nihil, et conversionem vocat adductivam Christi corporis ad hoc quod sit praesens accidentibus panis. Sed quoad rem in idem redit cum opinione recitata a Magistro: quia secundum rem panis non convertitur in aliquam rem, sed in nihilum cedit. Et propterea solo nomine conversionem ponit panis in corpus Christi.

Quidam autem conversionis nomen et rem, partialiter tamen, admittunt. De quorum numero est Durandus, in eodem Quarto \*, ponens materiam panis converti in corpus Christi quia incipit informari forma corporis Christi, sicut alimentum informatur forma aliti, panis vero formam desinare esse. — Et haec nova opinio ut erronea a Petro de Palude \* reprobatur. Et erronea convincitur ex hoc quod corpus Christi iam est impassibile: et multo magis eius anima est immutabilis quoad informare et non informare.

Quidam demum, conversionis nomen et rem totaliter admittentes, dicunt panem converti in corpus Christi, non secundum substantiam, sed secundum esse accidentale: ita quod panis convertitur, non in substantiam corporis Christi, sed in illius esse sacramentale. Et hanc opinionem tenet, sine assertionem tamen, Petrus de Palude, in Quarto \*. — Quam opinionem, utpote novam, Auctor non tractavit. Aliena tamen a veritate est: quia transubstantiationem solo nomine salvat. Quoniam secundum rem apud istos substantia panis convertitur in accidens, et non in substantiam corporis Christi: sed secundum vocem salvant transubstantiari, quia convertitur panis substantia in Christi substantiam secundum esse accidentale. Patet siquidem manifeste *transubstantiari* importare conversionem substantiae in substantiam simpliciter et absolute: ut textus expresse inductae \* decretalis dicit: *transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem*.

VI. Communis autem doctrina, quam Auctor sequitur, post Magistrum Sententiarum \*, tenet substantiam panis converti in substantiam corporis Christi absque additione aliqua, absque augmento quoque in substantia corporis Christi; ac per hoc, panem non esse redactum in nihil, sed conversum in substantiam Christi corporis; et ex hoc ipso non esse amplius panem, sed quod erat panis est corpus Christi. Et haec doctrina ex sacris conciliis priscisque doctoribus Ecclesiae clare habetur: ut patet *de Consecr.*, dist. II \*, diffuse, et in allegata \*\* decretali Lateranensis Concilii.

Addit autem doctrina haec quod haec novitas conversionis est ratio novitatis continentiae, et prior illa. Ita quod prius natura est novitas conversionis panis in corpus Christi, et deinde secundum naturae ordinem est corpus Christi sub hostia: utrumque tamen est in uno et eodem instanti temporis. Nec est inter has duas novitates solummodo dictus ordo prioris et posterioris, sed ordo causalitatis: ita quod haec conversio panis in corpus Christi est causa sufficiens in suo ordine existentiae corporis Christi sub hostia. Ita quod, licet sint hic duae novitates, et tot mu-

tationes cum suis propriis terminis; tanta tamen est inter eas necessaria connexio quod ad priorem reliquae necessario sequuntur: hoc est, quod ad conversionem hanc qua transubstantiatur panis in corpus Christi, necessario sequitur corpus Christi contineri sub hostia.

Quocirca quatuor supersunt declaranda. Primo, quod haec conversio est factiva praesentiae corporis Christi sub hostia \*; secundo, quod hoc est necessarium \*\*; tertio, quomodo se habeat haec conversio ad sequentem praesentiam \*; quarto, redibimus ad opiniones relatas \*.

VII. Ad evidentiam primi, scito, et caute, dupliciter de conversione panis in corpus Christi posse nos loqui: vel simpliciter et absolute; vel ut sacramentali. Nam si loquamur simpliciter et absolute de conversione panis in Christi corpus praexistens absque additione, etc., nihil aliud video inde sequi. Quod ex hoc percipere possumus, quod si, absque sacramenti institutione, divina potentia converteret panem in Christi corpus, nihil aliud fateremur effectum nisi quod panis conversus est in corpus Christi. Et hoc est quod doctores dicti, scilicet Scotus etc. \*, sonaverunt, dicentes novitatem conversionis posse esse sine novitate praesentiae Christi ad hostiam. Hoc enim verum esset, si esset sermo de conversione simpliciter et absolute. — Sed si sermo est de conversione sacramentali, secus dicendum est. Et de tali conversione loquuntur doctores prisci, sacri canones, et nos sic de ea nunc loquimur.

Et si quaeras quid addit ly *sacramentalis* supra conversionem: respondeo quod addit aliquid nobis secundum se ignotum, cognitum autem utcumque per hoc quod est illativum huius veritatis, *Hoc est corpus meum*. Et cave ne dixeris quod addit solum respectum ad activam consecrationem per verba sacerdotis in persona Christi.

VIII. Probatur igitur quod conversio sacramentalis, hoc est, quae seu qualis in hoc sacramento fit, est factiva praesentiae corporis Christi sub hostia. Probatur autem tripliciter. Primo, ex hoc quod nulla alia ratione ecclesiastici doctores laboraverunt conversionem in hoc sacramento declarare, nisi ad verificandum *Hoc est corpus meum*. Quod patet tum ex eo quod conversio non explicite habetur in Evangelio: ac per hoc, nisi ad verificandum verba Domini conversio esset, non apparet ubi fundarent conversionem credendam ab omnibus fore. Tum ex eo quod Ambrosius \*, tanto labore insudans ad verificandum *Hoc est corpus meum*, nihil aliud facit nisi quod conatur monstrare hoc quod erat panis, modo esse corpus Christi. Et hoc idem facit Augustinus \*. Et, breviter, *de Consecratione* distinctio secunda plena est istis laboribus.

Secundo patet ex prius \* inducta decretali Lateranensis Concilii, dum dicitur: *Christi corpus et sanguis in sacramento Altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem*: ubi ex ipso modo loquendi apparet prioritas et causalitas transubstantiationis respectu continentiae.

Sed et clarius apertissime tertio patet hoc ex Concilio Florentino \* sub Eugenio IV, ubi sic legimus: *Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur*. Ubi manifeste vides quod ratio et causa quare hoc conficitur sacramentum, est conversio: hoc enim significat illa causalis coniunctio *nam*. Quinimmo ex hac Ecclesiae determinatione habes convenientem loquendi modum, dicendo quod *verba consecrationis, media conversione panis in corpus Christi, conficiunt hoc sacramentum, quod constat ex specie panis et corpore Christi*. Fit enim ex his duobus ineffabili modo unum sacramentum, quo *ima summis* coniunguntur \*. Ita quod ex hac Concilii doctrina, scilicet, *Quia virtute verborum fit conversio, sacerdos proferens verba hoc conficit sacramentum*, manifeste habemus conversionem efficere hoc sacramentum: quod nihil aliud est quam facere unum ex corpore Christi et specie panis; ex his enim duobus cuilibet fidei certum est constare hoc sacramentum.

Et potest formari sic ratio talis. Conficere hoc sacra-

\* Cf. num. vii, viii.  
\*\* Cf. num. ix.  
\* Cf. num. x.  
\* Cf. num. xi.

\* Cf. art. 2, Comment. num. iii sqq.

\* De *Mysteriis*, cap. ix; IV de *Sacram.*, cap. iv.

\* Cf. de *Consecr.*, dist. II, cann. *Corpus et Sanguis*; *Non omnis*; *Utrum sub figura*.  
\* Num. ii, *Alterum autem*.

\* In *Decret. pro Armen.*

\* S. Greg. M. *Dialog.* lib. IV, cap. LVIII.

\* Num. xii.

\* Cap. *Quidam vero*.

\* Qu. i, iv.  
\*\* Qu. iv.

\* Dist. xi, qu. iii.

\* IV *Sent.*, dist. xi, qu. iii, art. 1.

\* *Ibid.*, art. 2, ad arg. 1<sup>m</sup> Durandi.

\* Num. ii, *Alterum autem*.

\* IV *Sent.*, dist. xi, cap. *Si autem* sqq.

\* Cann. *Quia corpus*; *Ego Be-rengarius*; *Panis est*; *Non omnis*; *Revera*.  
\*\* Num. ii, *Alterum autem*.

\* Cf. num. iv.

mentum est facere novitatem continentiae \*. Sed conversio sacramentalis est ratio confectionis sacramenti. Ergo conversio sacramentalis est ratio novitatis continentiae. — Maior propositio est per se nota, quasi a definito ad definitionem: quia hoc sacramentum significat constans ex accidentibus panis et corpore Christi. — Minor vero patet ex auctoritate Concilii, reddentis pro causa quare verba conficiunt hoc sacramentum, quia ipsorum virtute fit conversio. Et hinc habere quoque potes quod novitas conversionis non concurrat per accidens ad novitatem continentiae, ex quo a sacro Concilio pro causa affertur: causae enim per accidens ab arte relinquuntur \*. — Haec de primo.

\* Aristot. *Metaphys.* lib. V, cap. II, n. 8. — S. Th. lib. VI, lect. II.  
\* Num. vi, *Quocirca*.

IX. Quoad secundum \*, sciendum est quod, sicut *necessarium* dicitur dupliciter in naturalibus, vel secundum naturae ordinem, ut quod homo generetur ex concubitu maris et feminae, vel secundum habitudinem terminorum, ut circulum esse rotundum, ita in ecclesiasticis mysteriis dupliciter potest dici necessarium: vel secundum ordinem sacramentalem, ut infantem baptizatum mundum esse a culpa et poena; vel quia impossibile est etiam per divinam potentiam aliter fieri, ut quod altare consecratum non fuerit consecratum. In proposito non est disputandum de divina potentia, ubi de sacramentis tractatur: sed est attendendum quid sacramentalis ordo exigit. Et sicut in naturalibus necessaria secundum naturae ordinem appellantur necessaria sine additione aliqua, ita in sacramentalibus appellanda sunt necessaria quae secundum sacramentalem ordinem sunt necessaria: debet enim quaelibet disciplina uti *necessario et contingenti, possibili et impossibili*, secundum proprium ordinem sui generis. Et propterea, quia novitas conversionis, secundum sacramentalem ordinem a Deo institutum et ab Ecclesia explicatum, est necessaria ad novitatem continentiae, dicendum est simpliciter et absolute quod conversio sacramentalis est necessaria ad continentiam corporis Christi sub specie panis.

\* Num. praeced.

Probatur autem necessitas secundum ordinem sacramentalem ex supra \* dictis, ex quibus apparet clare quod conversio per se concurrat ad verificandum *Hoc est corpus meum*, seu ad confectionem huius sacramenti. Si enim concurreret per accidens, non oportuisset doctores priscos tantum pro ipsa laborare; nec licuisset sacro Concilio ipsam pro ratione confectionis sacramenti reddere; ea enim quae sunt per accidens, ut dictum est \*, a doctrina repelluntur. Constat autem quod, si conversio per se concurrat, necessario concurrat: ut norunt exercitati in *Posterioribus Analyticis* \*. — Haec de secundo.

\* Ibid., fin.

\* Lib. I, cap. IV, n. 7. — S. Th. lect. x.  
\* Num. vi, *Quocirca*.

X. Quoad tertium \*, videtur mihi conversionem habere se ad hoc sacramentum sicut fieri ad factum esse: ita tamen ut non requiras hic omnimodam similitudinem. Sed ea ratione moveor, quia sacramenta novae legis efficiunt quod significant. Ac per hoc, verba Christi, *Hoc est corpus meum*, quia efficiunt utramque novitatem, scilicet conversionis et continentiae, ut expresse dicta sacri Concilii \* auctoritas testatur; consequens est ut eadem Christi verba significant utramque novitatem; alioquin, plura efficerent quam significant, immo efficerent quod non significant. Intelligendo autem conversionem habere se ad hoc esse corpus Christi sicut fieri ad factum esse, optime intelligimus verba Christi significare utramque novitatem, explicando posteriorem ut in termino. Sicut enim in naturalibus dicendo, *Hoc est lumen novum*, significatur illuminatio et illuminatum esse ut in termino, ita in Salvatoris verbis virtutem habentibus factivam conversionis panis in corpus Christi, conversionis inquam unientis corpus Christi et accidentia panis ad unum sacramentum, significatur et conversio panis in corpus Christi, et corpus Christi contineri sub accidentibus panis ut in termino. Et sic verba Christi utrumque significant, et utrumque efficiunt.

\* Florent., *Decret. pro Armen.*, cf. num. viii.

Suadetur autem rationabiliter hoc dici, ex eo quod huic dicto omnia consonant dicta Sanctorum, et sacrorum Conciliorum. Et hinc facile solvuntur obiectiones, manifestiorque fit doctrina communis, ut patere potest applicando. — Haec de tertio.

\* Num. vi, *Quocirca*.  
\*\* Cf. num. v.

XI. Quoad quartum \*, circa aliorum opiniones \*\* duo

sunt advertenda. Primum est quod omnes videntur fugisse veram transubstantiationem panis in corpus Christi quia non videtur intelligibile absque aliqua novitate in substantia Christi.

Secundum est quod duplex excessus apparet in eis. Alter, recurrenti ad possibile secundum divinam potentiam: cum debuissent suavi tractatu discurrere secundum potentiam sacramentorum eorumque ordinem \*. Et ex hoc excessu orta est illa repulsa opinio Ioannis Parisiensis de assumptione panitatis ad unitatem hypostasis Christi \*, quam a pluribus doctoribus recitatam videre potes, si vis. — Alter excessus est, nimis metiendo res fidei secundum lumen humani ingenii sibi praestiti. Ex hoc enim transubstantiationem evitarunt: cum multo melius ac perspicacius sensissent si, Magistrum Sententiarum \* secuti, cum admiratione illam verissime tenuissent.

\* Cf. num. ix.

\* Cf. D'Argentrée, *Collect. Indic. de Novis Error.* etc., ad ann. 1299.

\* IV *Sent.*, dist. xi, cap. *Si vero quaeris*.

XII. Nunc ad praesentem articulum redeamus, quo conclusum est corpus Christi veraciter esse in hoc sacramento, dicente ipso, *Hoc est corpus meum*. Et, ut iam \* diximus, in hoc omnes fideles conveniunt: sed modus quo est, in disputationem vertitur.

\* Num. v, in princip.

Scotus \* putavit corpus Christi, absque deperditione proprii loci, acquirere quandam praesentiam ad species panis, quae praesentia est quidam respectus, quasi de genere *ubi*.

\* IV *Sent.*, dist. xi, qu. iv.

Durandus \* putavit corpus Christi, absque recessu a proprio loco, esse praesens accidentibus dictis sicut angelus est praesens corpori prius natura quam moveat ipsum, dante Deo Christi corpori secundum substantiam immediatum ordinem ad accidentia panis conversi in ipsum, non minus quam si absque quantitate pura substantia esset.

\* IV *Sent.*, dist. xi, qu. i.

Sed neutra harum opinionum sufficiens apparet ad verificandum id quod communiter fatemur, scilicet, sumendo hostiam consecratam sumere nos verum Christi corpus: sed solum esset verum nos sumere accidentia praesentia corpori Christi. Patet enim haec sequela, primo, ratione: quia sumens unum praesens alteri, non oportet sumere alterum. Deinde proprio exemplo secundae opinionis: quia sumens panem cui est praesens angelus, non propterea sumit angelum. Et similiter quoad primam opinionem: quia sumens panem locatum, etiam si inde non moveretur, non propterea sumeret locum eius; et tamen inter panem et eius locum est mutua praesentia. Non videtur ergo sufficienter salvari veritas huius ex hoc solum quod ponitur simplex Christi corporis praesentia ad accidentia panis, quamvis verum sit corpus Christi esse illis praesens.

XIII. Unde convenientius, cum Augustino et Gregorio, recitatis a Magistro Sententiarum \*, dicimus ex corpore Christi et accidentibus panis constare unum sacramentum, non praecise sicut ex signo et signato, sed quodam ineffabili modo: qui a sacro Concilio Lateranensi \* vocatus est *ex continente et contento*; quo etiam nomine appellavit eum Magister Sententiarum \*, quem modum Auctor in hac littera, in responsione ad argumenta \*, appellavit *spiritualem, et modum proprium huic sacramento*.

\* IV *Sent.*, dist. x, cap. *Quae ex eadem; Haec et his; dist. xi, cap. Quidam vero.*  
\* Cf. num. viii, *Secundo*.

\* IV *Sent.*, dist. x, cap. *Haec et his.*  
\* Ad 3; cf. not. p.

Monstratur autem huiusmodi convenientia ex ipsis Domini verbis. Nam et forma sacramenti, *Hoc est corpus meum*, idest, *Contentum sub hac specie est corpus meum*, ut communiter exponitur, monstrat corpus Christi contineri sub accidentibus istis: praesertim quod *ly hoc* non demonstrat substantiam simpliciter et absolute, sed ut connotat ipsius continentiam sub istis accidentibus. Quod convincitur ex eo quod oportet, durantibus accidentibus, semper verificari contentum sub his accidentibus esse corpus Christi.

Ex aliis autem verbis Domini, Ioan. vi \*, *Verba quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, apparet spiritualis coniunctio verae carnis Christi cum accidentibus panis. Intellexerant siquidem discipuli Christi carnem carnaliter comedendam, ac per hoc, morte intercedente: non vescimur siquidem carnibus nisi mortuis. Salvator autem noster utrumque errorem abstulit, dicendo quod *spiritus et vita sunt: vita*, contra mortem; *spiritus*, contra carnem, idest carnalem modum; ac si aperte dixisset: *Dicta mea sic intelligite quod viva mea caro spiritualiter vobis offeretur in cibum*.

\* Vers. 64.

Merito demum modus iste proprius dicitur huic sacramento: non solum propter differentiam a ceteris sacramentis; sed etiam quia in toto universo non apparet unus

aliquis modus huic similis. Propter quod cum admiratione et veneratione fateamur defectum cognitionis nostrae circa hoc.

## ARTICULUS SECUNDUS

## UTRUM IN HOC SACRAMENTO REMANEAT SUBSTANTIA PANIS ET VINI POST CONSECRATIONEM

IV *Sent.*, dist. xi, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIII; *In Matth.*, cap. xxvi; I *ad Cor.*, cap. xi, lect. iv.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem. Dicit enim Damascenus, in libro IV\*:

\* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. xiii.

α

β

Quia consuetudo est hominibus comedere panem et vinum<sup>α</sup>, coniugavit eis deitatem, et fecit ea corpus et sanguinem suum. Et infra<sup>β</sup>: Panis communicationis non panis simplex est, sed unitus deitati. Sed coniugatio est rerum actu existentium. Ergo panis et vinum simul sunt in hoc sacramento cum corpore et sanguine Christi.

γ

2. PRAETEREA, inter Ecclesiae sacramenta debet esse conformitas. Sed in aliis sacramentis substantia materiae<sup>γ</sup> manet: sicut in baptismo substantia aquae, et in confirmatione substantia chrismatis. Ergo et in hoc sacramento substantia panis et vini manet.

δ

3. PRAETEREA, panis et vinum assumitur in hoc sacramento in quantum significat<sup>δ</sup> ecclesiasticam unitatem, prout unus panis fit ex multis granis, et unum vinum ex multis racemis, ut Augustinus dicit, in libro de Symbolo\*. Sed hoc pertinet ad ipsam substantiam panis et vini. Ergo substantia panis et vini remanet in hoc sacramento.

\* *In Ioan. Evang.*, tract. XXVI, n. 17.

\* *Can. Omnia quaecumque, de Consecr.*, dist. II.

\* *Rupert. Comment. in Ioan.*, lib. VI, de *Divin. Offic.*, lib. II, cap. II, IX; *Guido de Chivigny*, in *Quodlibet*. (Cf. *d'Argentrée, de Novis Error.*, an. 1265.)

ε

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in libro de Sacramentis\*: Licet figura panis et vini videatur, nihil tamen aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam\* posuerunt post consecrationem substantiam panis et vini in hoc sacramento remanere. — Sed haec positio stare non potest. Primo quidem, quia per hanc positionem tollitur veritas huius sacramenti, ad quam pertinet ut verum corpus Christi in hoc sacramento existat. Quod quidem ibi non est ante consecrationem. Non autem aliquid potest esse alicubi ubi prius non erat, nisi per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum: sicut in domo aliqua de novo incipit esse ignis aut quod<sup>ε</sup> illuc defertur, aut quod ibi generatur. Manifestum est autem quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem. Primo quidem, quia sequeretur quod de-

sineret esse in caelo: non enim quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundo, quia omne corpus localiter motum pertransit omnia media: quod hic dici non potest. Tertio, quia impossibile est quod unus motus eiusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca: cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat. Et propter hoc relinquitur quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento nisi per conversionem substantiae panis in ipsum. Quod autem convertitur in aliquid, facta conversione, non manet. Unde relinquitur quod, salva veritate huius sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non possit.

Secundo, quia haec positio<sup>ζ</sup> contrariatur formae huius sacramenti, in qua dicitur, *Hoc est corpus meum*. Quod non esset verum si substantia panis ibi remaneret: nunquam enim substantia panis<sup>η</sup> est corpus Christi. Sed potius esset dicendum, *Hic<sup>θ</sup> est corpus meum*.

Tertio, quia contrariaretur<sup>ι</sup> venerationi huius sacramenti, si aliqua substantia esset ibi quae non posset adorari adoratione laetiae.

Quarto, quia contrariaretur ritui Ecclesiae, secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi: cum tamen post unam hostiam consecratam liceat sumere aliam.

Unde haec positio<sup>κ</sup> vitanda est tanquam haeretica.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Deus coniugavit *divinitatem suam*, id est divinam virtutem, panis et vino, non ut remaneant in hoc sacramento, sed ut faciat inde corpus et sanguinem suum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in aliis sacramentis non est ipse Christus realiter, sicut in hoc sacramento. Et ideo in sacramentis aliis manet substantia materiae, non autem in isto.

AD TERTIUM DICENDUM quod species quae remanent in hoc sacramento, ut infra\* dicitur, sufficiunt ad significationem huius sacramenti: nam per accidentia cognoscitur ratio substantiae.

\* Art. 5-

α) vinum. — bibere addit P. — eis F et tertia; in eis E, enim eis ceteri.

β) infra. — ita PDFa et forte ABC.

γ) substantia materiae. — PFsE; substantiae materiae pE, materia I, substantiae materia ceteri.

δ) assumitur... significat. — assumuntur... significat Hlb, assumuntur... significant PsG et c.

ε) aut quod. — aut quia D et tertia, aut F; altero loco aut PF, aut quia D et cetera tertia.

ζ) haec positio. — F et tertia; hoc ipsum ed. a, hoc ipso ceteri.

η) panis. — sE a et tertia (praeter I?); om. ABCDpE; ibi... panis vel panis ibi... substantia om. I; nunquam... corpus meum om. F.

θ) Hic. — PDIac; Hoc ABCHpE et b, Hoc non sE, Haec G; pro F vide η.

ι) contrariaretur. — contrariatur tertia hic et statim. — Post substantia PI addunt creata.

κ) positio. — propositio ABCpE. Pro vitanda, vitanta pAG, in tantum B, in tanta C.

Commentaria Cardinalis Caietani

**TITULUS clarus.** — In corpore duo facit: primo, recitat opinionem affirmativam; secundo, reprobatur eam quatuor rationibus, per hoc concludendo negativam.

Et quia rationes Auctoris a posterioribus fuerunt valde discussae ac improbatæ, quamvis teneant conclusionem cum Auctore; ideo afferenda sunt motiva quæ contra has rationes adducuntur \*.

\* Cf. num. II, XIV, XVII.

II. Circa primam rationem, multa obiiciuntur contra illam maiorem: *Non potest aliquid esse ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum.* Arguitur enim contra ipsam tripliciter: primo, contra ipsam absolute; secundo, contra ipsam applicatam ad hanc materiam \*; et tertio, contra perseitatem illius \*. Scotus in primis, in IV *Sent.*, dist. X, qq. I, III et IV, et dist. XI, qu. II, multipliciter obiicit. Durandus quoque, in XI distinctione \* Quarti, obiicit.

\* Num. III.

\* Num. IV.

\* Qu. I.

\* Cf. num. VII.

\*\* Loc. cit.

Quadrupliciter ergo contra maiorem universaliter intellectam arguitur \*. *Primo*, a Durando \*\*. Quia Deus posset creare novum caelum supra ultimam nunc sphaeram. Et tunc ultima nunc sphaera inciperet esse ubi prius non erat, absque hoc quod moveretur, et absque hoc quod aliquid converteretur in ipsam. Falsa est ergo maior assumpta.

\* Durand., *ibid.*; Scot. IV *Sent.*, dist. X, qu. I.

*Secundo*, ab utroque \*. Quia Deus posset facere corpus suum esse praesens sacramento Altaris simul cum substantia panis, cum hoc non implicet contradictionem: et tunc corpus Christi inciperet esse sub sacramento absque motu locali, et absque conversione alicuius in ipsum. — Assumptum probatur a Scoto \*. Quia non est maior repugnantia corpus Christi esse simul cum substantia panis, quam sub quantitate eius: quia non magis repugnat substantia substantiae quam substantia quantitati, quoad talem simultatem.

\* *Ibid.*, qu. III.

\* *Ibid.*, qu. IV, ad argg. principal.

*Tertio*, a Scoto \*. Quia de facto quantitas corporis Christi et anima eius incipiunt esse in hoc sacramento absque hoc quod aliquid convertatur in ipsas.

Et si glossetur maior, arctando ipsam ad id quod primo incipit esse alicubi, et dicendo quod non habet locum in his quæ incipiunt esse alicubi concomitanter: contra instat Scotus dupliciter. *Primo*, quia ex hoc habeo quod non est propria mutatio, nec propria formalis ratio, nec praecisa, ad esse alibi rem immotam localiter, conversio alicuius in ipsam. — *Secundo*, quia alia est praesentia animæ hic, et alia praesentia corporis, quia aliud et aliud est fundamentum: sed praesentia animæ non habetur per conversionem in ipsam, nec per motum localem: ergo maior est falsa.

\* Scot. *ibid.*, qu. III.

*Quarto* \*. Deus potest facere in creatura aliquid sine eo quod non est sibi ratio essendi, nec aliquo modo de essentia eius. Sed nec conversio nec sacramentum est formalis ratio corpori Christi essendi hic, nec aliquo modo de essentia eius. Ergo Deus potest facere corpus Christi esse hic sine utroque istorum. — Probatur minor. Quia conversio non est ratio formalis essendi: nec ut praesens, quia praeterit, corpore Christi existente hic; nec ut praeterita, quia tunc Deus non posset subtrahere hinc corpus Christi, sicut nec facere quod non praeterit conversio. Similiter nec sacramentales species: quia non sunt in corpore Christi, nec per eas aliquid inest formaliter corpori Christi.

\* Scot. *ibid.*, qu. II.

\* Cf. num. VI.

*Quinto*, arguitur ex alio capite \*, ex hoc scilicet quod corpus Christi immotum potest simul esse in diversis locis localiter. Sed de hoc alias \*.

\* Cf. num. II, init.  
\*\* Cf. num. VIII.  
\*\*\* IV *Sent.*, dist. XI, qu. I.

III. Circa applicationem vero maioris ad hanc materiam \*, tripliciter arguitur \*\*. *Primo*, a Durando \*\*\*. Corpus Christi esse in sacramento non est esse alicubi: quia non est esse in loco. Male ergo applicatur illa maior de ubi et alicubi ad esse in sacramento: et falsa est minor dicens quod corpus Christi incipit esse ubi prius non erat, essendo in sacramento.

*Secundo*, a Scoto \*. Genitum esse in loco corrupti est verum propter materiam communem utrique: propterea enim ignis incipit esse ubi erat aer conversus in ignem, quia ex materia quæ fuit aeris, remanente ibidem, et forma ignis fit compositum ibidem. In proposito autem, quia non remanet materia panis, non habet locum maior, dicens quod per conversionem corpus Christi est ubi erat panis.

\* IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, ad argg. in opposit.

*Tertio*, ab eodem \* et Durando \*\*. Quia aliud est loqui de conversione absolute, et aliud de conversione in praesens. Nam quod convertitur in praesens, trahitur ad conditiones praesentis, et non e contra: ut patet in alimento et alito. Et propterea hinc sequitur quod panis est ubi est corpus Christi, et non e converso.

\* IV *Sent.*, dist. X, qu. I.  
\*\* IV *Sent.*, dist. XI, qu. I.

IV. Contra perseitatem \*, hoc est, necessitatem conversionis ad existentiam corporis Christi in hoc sacramento, quod scilicet impossibile sit corpus Christi, non motum localiter, incipere esse in hoc sacramento absque conversione alicuius, puta panis, multipliciter arguitur \*.

\* Cf. num. II, init.

*Primo*, a Scoto \*. Per nullam mutationem habetur per se illud quod est aliud et posterius suo per se termino. Sed praesentia corporis Christi hic, idest in hoc sacramento, est quid aliud et posterius corpore Christi, quod est proprius terminus transubstantiationis. Ergo per conversionem panis in corpus Christi non habetur per se huiusmodi praesentia.

\* Cf. num. IX.  
\* IV *Sent.*, dist. X, qu. I.

*Secundo* \*: et supponitur Deum posse facere corpus Christi praesens hostiae, manente substantia panis \*. Quod probatur: quia novitas posterioris non infert novitatem prioris, ex VIII *Physic.* \*, ubi ponitur motus localis in caelo sine mutatione secundum formam absolutam. Arguitur ergo sic. Sine mutatione substantiali potest esse nova praesentia corporis Christi ad panem. Ergo oportet dare aliquam mutationem ad huiusmodi praesentiam. Ergo huiusmodi praesentia non habetur per conversionem: et probatur sequela. Quia terminus unius rationis, cuiusmodi est praesentia, non proprie per se est terminus duarum mutationum distinctarum secundum genus.

\* *Ibid.* - Cf. num. XI, XII.  
\* Cf. num. II, *Secundo*.  
\* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. VII, cap. IV, n. 6. - S. Th. lib. VIII, lect. IV.

Et si dicatur, inquit Scotus \*, corpus Christi posse esse praesens cum substantia panis sine mutatione substantiali, tamen nunc de facto fit praesens per substantialem mutationem panis in corpus Christi, et non per aliam, contra: — In corpus Christi prius factum praesens panis, posset Deus convertere panem: quia non esset magis contradictio tunc quam nunc. Ergo talis conversio vel non faceret corpus Christi praesens: vel fieret praesens postquam fuit praesens, et sic eadem praesentia terminaret duas dictas mutationes.

\* Loc. prox. cit.

V. Deinde extenduntur argumentationes ad hoc quod conversio nihil facit ad praesentiam corporis Christi in sacramento \*. Et arguitur *primo* \*\* sic. Deus posset convertere panem in corpus Christi ut habens esse in caelo: quia non est ibi maior contradictio quam in conversione quæ nunc ponitur. Sed tunc non haberetur corpus Christi sub specie panis ex ipsa conversione. Ergo nec nunc.

\* Cf. num. XIII.  
\*\* Scot., IV *Sent.*, dist. X, qu. I.

*Secundo* \*. Si panis quantus converteretur in corpus Christi quantum, ita quod substantia in substantiam et quantitas in quantitatem verteretur, tunc corpus Christi quantum non haberet *ubi circumscriptive* quod fuit circumscriptive panis quanti. Ergo nunc non habet *ubi definitivum* substantiae panis. — Et probatur sequela. Quia ita se habent substantiae quæ subsunt quantitativis ad loca definitive, sicut substantiae quantæ ad loca circumscriptive. Ac per hoc, quod facit conversio substantiae in substantiam ad ubi definitive, hoc facit ad ubi circumscriptive conversio substantiae quantæ in substantiam quantam.

\* *Ibid.*

*Tertio* \*. Si per conversionem fit terminus ad quem ubi fuit terminus a quo, ergo modus essendi utriusque erit similis: ille saltem modus qui potest esse commu-

\* *Ibid.*

nis utriusque. Sed panis erat hic quantitative. Ergo corpus Christi erit hic quantitative. Quod est inconueniens.

\* IV Sent., dist. XI, qu. I.

Quarto, arguit Durandus \*. Sicut se habet substantia ad substantiam, sic se habet quantitas ad quantitatem. Sed si quantitas panis converteretur in quantitatem corporis Christi, non propter hoc quantitas corporis Christi fieret ubi fuit quantitas panis. Ergo non propter conversionem corpus Christi fit ubi erat panis.

\* Cf. num. II, Quinto.

VI. Reliqua argumenta, quae contra hanc eandem Auctoris rationem ex alio capite militant \*, hoc est ex suppositione quod unum corpus potest esse simul localiter in diversis locis, cum rationibus probantibus ipsam suppositionem, ideo pro nunc omitto, quia constat corpus Christi non esse in sacramento localiter. Hinc enim huiusmodi quaestio a proposito remota apparet. Fiet autem de hoc quaestio specialis \*.

\* Qu. LXXVI, art. 5.

Haec igitur sunt quae contra primam litterae rationem obiciuntur.

VII. Ad evidentiam horum, praemittendum est quod non est hic quaestio de divina potentia; non enim ad hunc tractatum haec spectat quaestio: sed quaerimus quid institutus ordo causarum habeat. Unde, cum dicitur in littera \*, *Impossibile est* etc., non est sermo de impossibili secundum divinam potentiam absolute: sed secundum potentiam ordinatam, secundum quam attenditur possibile vel impossibile in ecclesiasticis mysteriis. Et hinc multorum argumentorum quae adduximus solutio pendet.

\* In corpore.

\* Num. II, Quadrupliciter.

Unde ad obiecta contra Auctoris propositionem maiorem absolute et universaliter intellectam \* respondendo, dicitur quod duo prima argumenta, quia aequivocant de possibili, dum de divina potentia absolute loquuntur, non militant contra Auctorem. — Prima tamen obiectio, de ultima sphaera, praeter hoc dupliciter deficit. Primo, quia maior litterae manifeste loquitur de locis praexistentibus: obiectio autem creat de novo locum praesistenti locali. Secundo deficit quia, si crearetur alia sphaera, ista quae nunc est suprema, proprie loquendo, esset in eodem loco in quo nunc est: varietas autem esset de loco imaginario in locum realem, et de loco potenciali in locum actuale. Unde, proprie loquendo, non acquireret novum locum, sed novum continens. Sermo autem litterae est de loco novo totaliter, et non secundum quid.

Ad tertium vero dicitur quod responsio recitata non est mala. Melius tamen diceretur: *Nihil immotum potest esse ubi prius non fuit, nisi per conversionem in ipsum, aut aliquid sibi realiter coniunctum*. Et per hoc excluditur prima instantia Scoti, dicendo quod conversio est propria mutatio afferens praesentiam proprii termini primo, et coniunctorum illi concomitanter. Sic enim nulla fit exceptio ab illa maiore, sed declaratur vim conversionis extendere se ad praesentiam non solum proprii termini, sed concomitantium illum. — Ad secundam autem instantiam, negatur aliam esse praesentiam animae, et aliam corporis in hoc sacramento. Eadem enim numero praesentia qua corpus Christi praesens est sacramento, anima eius, corpus concomitans, denominative dicitur praesens. Unde falsum est esse aliud et aliud fundamentum praesentiae in anima et corpore. Sicut etiam anima mea est in hoc loco quia corpus meum est hic, et a corporis praesentia in loco denominatur anima mea praesens; nec oportet ponere aliam propriam in anima mea praesentiam ad locum hunc.

Ad quartum dicitur quod maior est diminuta: debet enim addi, *nec necessario connexum*. — Et ultra hoc, minor est etiam diminuta, quantum ad conversionem. Quoniam connexio praesentiae ad conversionem nec est ut ad praesentem, nec ut ad praeteritam, sed ut ad viam in ipsam: habet enim se ut factum esse in termino ad fieri. — Illud quoque quod additur de speciebus, diminutum est. Datur enim tertium, scilicet quod sub illis corpus Christi habet praesentiam quam sine illis haberi non est intelligibile, quia implicat contradictionem. Nam si corpus Christi esset sacramentaliter sine aliquo sensibili signo, integraret et non integraret sacramentum; et similiter contineretur sub signo sensibili et non contineretur; et similiter esset praesens sensibili signo, et nulli sensibili signo esset praesens. Et

tenent sequelae: quia de ratione sacramenti est sensibile signum; ac per hoc, sacramentale esse intelligi nequit absque sensibili signo.

VIII. Ad obiecta autem contra applicationem dictae maioris ad hanc materiam \* respondendo, dicitur ad primum quod tripliciter deficit. Primo, quia in littera non subsumitur quod esse in sacramento sit esse alicubi, ut patet intuitu. — Secundo, quia licuit, philosophorum more, latentes res per comitantia accidentia declarare. Constat autem quod esse in sacramento est esse valde latens, verificans locum eundem de sacramento et existente sub sacramento. Licuit igitur uti propositione de ubi et alicubi pro maiore; et subsumere de esse in sacramento tanquam verificante ubi et alicubi de corpore Christi existente in sacramento. — Et hinc patet tertium: quod scilicet vere, quamvis per accidens, per esse in sacramento acquirit novum ubi, puta altare, quod est locus specierum. Et potest unico verbo dici quod esse in sacramento, licet non sit esse in loco formaliter, est tamen causaliter, pro quanto per illud esse Christus est ubi est sacramentum.

\* Cf. num. III.

Ad secundum vero dicitur quod, formaliter loquendo, materia, in quantum remanens ibidem sub utroque termino, facit quod genitum sit in loco corrupti. Et ex hoc habetur quod quodcumque quantum remanens alicubi sub utroque termino, sufficit ad hoc quod genitum sit in loco corrupti. Et quia sic contingit in proposito, nam eadem numero species panis quanta ibidem remanet sub utroque termino; ideo sufficienter habetur unde corpus Christi sit in loco panis conversi in ipsum, quamvis materia nulla communis remanserit: species enim quanta remanens aequivalet materiae quoad hoc.

Ad tertium autem dicitur quod in hac mirabili transubstantiatione concurrunt duae rationes, scilicet ratio conversionis, et ratio praesistentis. Et pro quanto invenitur in hoc sacramento ratio conversionis, qua id quod erat panis substantia est substantia corporis Christi, habemus, iuxta generalem regulam conversorum in naturam aliam, corpus Christi esse ubi erat panis. Et hoc est quod littera sonat, quod ignis incipit esse alicubi quia id quod est ibi convertitur in ignem. Et hoc est clarum, et expedit ad manducandum intellectum. Qui si solum attenderet quod ex pane hic existente fit corpus Christi, ita quod contentum sub accidentibus panis acquisivit substantialiter integram naturam Christi corporis per conversionem in ipsum, facile intelligeret corpus Christi esse ubi erat panis conversus in Christi corpus, sicut ignis est ubi erat lignum conversum in ignem. Sed quia rationi conversionis adiungitur ratio praesistentis Christi corporis, impeditur videtur quod dictum est haberi ex ratione conversionis: quoniam ipsum praesistentem trahere videtur ad se quod convertitur in ipsum. Veruntamen oportet in huiusmodi mirabilibus hominem esse persuasibilem, et conceptus nostros sacris adaequare mysteriis, et non e contra. Et propterea dicimus quod ex ratione conversionis habemus corpus Christi esse ubi fuit panis: hoc enim, ut ex supra \* dictis patet, tam Ecclesiae quam sacrorum doctorum tradidit auctoritas. Ex ratione vero praesistentis Christi corporis absque additione mutationeque aliqua in ipsius substantia, habemus, non quod panis, sed *id quod fuit panis* est ubi est corpus Christi: quia est ipsum corpus Christi verum, quod est in caelo. Et ex hac parte concedendum est quod conversum acquirit conditiones eius in quod est conversum. Nec potest hinc inconueniens aliquod inferri: sed duo mirabilia conspiciuntur ex hac mirabili conversione, scilicet, corpus Christi esse ubi fuit panis, et id quod fuit panis esse ubi est corpus Christi.

\* Art. I, Comment. num. VIII.

IX. Ad obiecta contra necessitatem conversionis ad corpus Christi esse in sacramento \* respondendo, dicitur ad primum quod, ut supra \* diximus, dupliciter de conversione panis in corpus Christi loqui possumus, hoc est, vel absolute, vel sacramentali. Et si sit sermo de conversione absolute, fateor me non videre necessitatem. Et sic arguentes fere omnes de conversione loquuntur. Et propterea non est mirum si contra Auctorem communemque doctrinam non militant: quia non de conversione absolute,

\* Num. IV.

\* Art. I, Comment. num. VII.

sed de conversione sacramentali intelligenda est communis doctrina. Haec enim necessaria est ad verificandum sacramentum Eucharistiae.

Unde ad primam obiectionem Scoti, quae est maximum eius fundamentum, dicitur quod tam maior quam minor est falsa. Maior quidem, quoniam in naturalibus videmus quod per eandem mutationem habetur per se non solum substantia per se primo terminans, sed concomitans passio. Nam per unam et eandem generationem habetur per se terra et eius gravitas, et similiter ignis et eius levitas: in tantum quod gravia et levia dicuntur ab Aristotele \* moveri per se a generante. Et similiter per eandem mutationem habetur substantia Socratis et eius filiatio, cum Socrates generatur. Falsa est ergo maior in absolutis et relativis.

Minor autem, univoce loquendo de conversione, non est usquequaque vera, pro tanto quia, licet conversionis absolute terminus proprius sit solummodo corpus Christi, conversionis tamen sacramentalis proprius et per se terminus est corpus Christi verificans Christi verbum, *Hoc est corpus meum*: sic enim, ut ex superius \* dictis apparet, ab Ecclesia et priscis doctoribus docti sumus. Et quia incognitum nobis est quid addit supra corpus Christi *ly verificans, Hoc est corpus meum*, quoniam vires humani intellectus excedit quomodo corpus Christi est in sacramento hoc, ideo pro frivolis molestiis potius quam rationabilibus argumentis habendae sunt obiectiones quae contra hoc fierent ex eo quod corpus Christi in hoc sacramento non est per se unum, sed aggregatum per accidens, et similia. Sufficiat nobis *addiscentibus* in hac via *credere* \* Ecclesiae et doctoribus priscis quia sic est. — Veruntamen, pro aliquali quiete humani intellectus, scito merito frivola haec dici: quia manifeste constat terram et gravitatem non constituere unum per se, utpote res diversorum praedicamentorum, et tamen per eandem haberi mutationem.

X. Posset quoque aliter solvi dicta Scoti ratio, significando illum essendi modum nomine relativo, puta, *contineri sub specie panis*: et dicendo quod conversio sacramentalis in hoc differt a conversione absolute, quod sacramentalis conversio est in corpus Christi non solum secundum se, sed ut consequitur inter ipsum et accidentia panis respectus contenti et continentis; ita quod, sicut generatio est illativa substantiae geniti cum filiatione consequente, ita conversio sacramentalis habet vim illativam ex pane corporis Christi cum relatione contenti sub accidentibus panis.

Et secundum hoc, ad rationem Scoti dicendum esset quod duo sunt genera rerum: quaedam enim sunt quae secundum se ex suo genere per se primo fiunt et sunt, et haec apud Aristotelem sunt sola composita, ut patet VII *Metaphys.* \*; *quaedam vero sunt quae*, ut Aristotele \*\* utar, *sunt et non sunt absque hoc quod generentur vel corrumpantur*, et, extensori vocabulo loquendo, absque hoc quod fiant; et hae sunt formae omnes, et praecipue relationes, quae regulariter aliorum factionem consequuntur. Quocirca, dato quod maior Scoti sit vera loquendo de primo genere rerum, falsa tamen est miscendo omnia genera simul: quoniam falsa est de relationibus concomitantibus proprium mutationis terminum; et universaliter falsa est de consequentibus proprium mutationis terminum. Quodlibet enim horum concomitantium, licet sit aliud et posterius proprio mutationis termino, per eandem tamen mutationem per se secundo haberi potest, quamvis non habeatur per illam per se primo.

Et sequendo haec, dicitur in proposito quod conversio sacramentalis per se primo terminatur ad corpus Christi, inferendo per se secundo continentiam corporis Christi sub accidentibus panis, quae continentia, licet sit aliud quid et posterius Christi corpore, est tamen necessario necessitate sacramenti consequens corpus Christi ut terminum conversionis sacramentalis.

XI. Antequam autem respondeatur aliis argumentis \*, quia superius \* declaratas mutationes duas supponunt, praemonstrandum est quid sentiendum sit de his mutationibus. Scito igitur, recolendo ante dicta, duplicem opinionem

de eis esse posse. Altera, quae est Scoti, ponit duas in hoc sacramento mutationes intervenire: prima est conversio panis in corpus Christi; secunda est qua corpus Christi de non praesente seu non contento fit praesens seu contentum sub specie panis. — Altera vero opinio est quod non est hic nisi una sola mutatio, qua ex pane fit corpus Christi: sed ad istam mutationem sequuntur utrinque relationes; in accidentibus siquidem panis ex hac mutatione sequitur relatio continentis, et in corpore Christi ex eadem mutatione sequitur relatio contenti; et sic haec mutatio sufficit ad faciendum corpus Christi veraciter contineri sub specie panis.

Monstratur autem multipliciter rationabilitas huius opinionis, simul cum destructione alterius, cum ex hoc quod pluralitas non est ponenda sine necessitate \*: ac per hoc, cum una mutatio hic sufficiat, non sunt ponendae duae. — Tum quia, secundum philosophorum doctrinam, relationes fiunt consecutive ad mutationes absolutorum, et non per alias proprias mutationes. — Tum quia tam Ecclesiae quam priscorum doctorum doctrina \* tradit conversionis mutationem pro ratione verificante corpus Christi contineri sub specie panis. Quae doctrina non verificaretur, nisi forte per accidens, si intervenirent hic duae mutationes: quoniam, si duae mutationes sunt, prima per accidens se haberet; quod etiam adversarii fatentur \*. Sed tunc sequitur maximum inconveniens: quod tam Ecclesia quam prisci doctores laboraverunt ad reddendam rationem per accidens, quae ab arte et doctrina resecanda est \*. Dicamus igitur quod una sola hic intervenit mutatio, inferens novitatem continentiae.

An autem sacramentalis conversionis mutatio inferat in utroque extremo relationes reales continentiae activae et passivae; vel solum ex parte corporis Christi sit relatio realis ad species, qua continetur sub speciebus, et per hoc denominantur species continere corpus Christi quia corpus Christi continetur sub illis; vel in speciebus ipsis reales continentiae relatio ad corpus Christi consurgit, ex qua corpus Christi cointelligitur referri ad species ut contentum ad continens, non quia ipsum referatur ad species, sed quia species referuntur ad ipsum, sicut Deus realiter dicitur Dominus creaturae non quia ipse referatur ad creaturam servam, sed quia creatura refertur ad ipsum: — non facile dixerim: quia ignotus est modus quo corpus Christi continetur sub specie panis.

Cum his tamen omnibus, conclude ita esse hic unam solam mutationem ut, affirmando unicam, perspicias ita intervenire in hoc sacramento unicam mutationem in actu ut non negetur esse plures in potentia, non naturali aut sacramentali, sed divina absolute: hoc est, quod id quod de facto fit per unicam mutationem, posset Deus facere per plures mutationes; posset enim mutare panem in corpus Christi una mutatione, et facere corpus Christi contentum sub specie panis alia mutatione. Sed quoniam hoc ad potentiam absolutam Dei respicit, simpliciter et absolute loquendo, unicam dicito intervenire mutationem.

Et haec dicta de his mutationibus actu vel potentia in ordine ad relationes, non aliter dicta intellige quam considerando esse sacramentale corporis Christi relative secundum relationes contenti et continentis. Nam secundum rem longe altius est quam huiusmodi relativa significant. Et magis reverenter ac eminentius de illo sentitur et dicitur, cum de illo secundum se sentimus, et dicimus quod se habet ad conversionem ut factum esse in termino ad fieri, ut superius \* explicavimus.

XII. Communicando tamen in consideratione respectiva cum adversariis, ne fugere difficultates videamur, his praemissis, ad secundum Scoti \* dicitur, admissio praesupposito, quod consequentia prima nihil valet, utpote inferens a possibili logico necessarium, dum dicit, *Potest esse, Ergo oportet*. — Et per hoc patet quod secunda consequentia, dicens, *Ergo huiusmodi praesentia non habetur per conversionem*, non infertur ex primo antecedente. Et ad probationem dicitur quod terminus unius rationis, cuiusmodi est praesentia, non est terminus per se duarum mutationum, quia non intervenit nisi una mutatio: quamvis per potentiam divinam possit esse terminus duarum mutatio-

\* *Physic.* lib. VIII, cap. IV, n. 7. — S. Th. lect. VIII.

\* Art. 1, Comment. num. VIII.

\* Cf. Aristot. *Sophist. Elench.*, cap. II, n. 2.

\* Cap. V, n. 1. — S. Th. lib. VIII, lect. IV. — \*\* *Ibid.*

\* Num. IV, *Secundo*. — \* Num. IV, IX, X.

\* Cf. Aristot. *Topic.* lib. VIII, cap. IX, n. 18.

\* Cf. art. 1, Comment. num. VIII.

\* Cf. Scot. IV *Sent.*, dist. X, qu. I.

\* Aristot. *Metaphys.* lib. V, cap. II, n. 8. — S. Th. lib. VI, lect. II.

\* Art. 1, Comment. num. X.

\* Num. IV, *Secundo*.

num, substantialis quidem consecutive, accidentalis autem secundum se.

\* Num. iv, Et si dicatur.

Ad tertium \* autem, contra bonam responsionem de facto vel potentia, dicitur quod, si panis converteretur in Christi corpus prius praesens factum, corpus Christi esset duplici vinculo praesens, hoc est, ex vi conversionis sacramentalis, et ex vi prioris actionis divinae omnipotentiae. Unde nihil aliud sequitur nisi quod huiusmodi praesentia potest per divinam omnipotentiam terminare duas mutationes: quod gratis concessum fuit.

\* Num. v.

XIII. Ad obiecta demum contra efficaciam conversionis ad praesentiam corporis Christi in sacramento \*, respondendo per conditionales, ut in praecedenti fecimus responsione, dicitur quod, si Deus converteret panem in corpus Christi ut habens esse in caelo, non esset conversio eiusdem rationis cum ista sacramentali. Ac per hoc, non est ad propositum quicquid inde sequeretur.

Et per idem respondetur ad secundum. — In quo sunt multi alii defectus: puta quod corpus Christi nunc de facto acquirit ubi definitivum substantiae panis; et quod substantia subiecta quantitati habet suum ubi definitive praeter ubi circumscriptive. Nam substantia, seclusa quantitate virtualique contactu, nusquam est: et esse corporis Christi sub sacramento non est esse alicubi.

Ad tertium, negatur sequela: quia voluntarie affertur.

Ad quartum, quod est Durandi, dicitur quod argumentum a *sicut* saepe claudicat: et in proposito nihil valet. Et ratio est quia non esset conversio eiusdem rationis cum ista sacramentali, si quantitas converteretur in quantitatem. Et propterea non est mirum si aliud inde sequeretur, et aliud sequitur hinc.

\* Cf. num. i.

XIV. Contra secundam rationem litterae \*, scilicet, *Si substantia panis remaneret, non esset verum quod Christus dixit, Hoc est corpus meum etc., sed fuisset potius dicendum, Hic est corpus meum*: contra hanc, inquam, rationem Scotus \* et Durandus \*\* arguunt. Scotus quidem, quia tunc *ly hoc* non demonstraret substantiam panis, sed contentum sub pane: sicut modo demonstrat non accidentia, sed contentum sub accidentibus. Et utrumque esset verum, *Hoc est corpus meum*, et, *Hic est corpus meum*.

\* IV Sent., dist. xi, qu. iii, art. 1 principal. — Cf. num. xvi.  
\*\* IV Sent., dist. xi, qu. i. — Cf. num. xvi.

Durandus vero, quia *indefinita verificatur pro uno solo*: ac per hoc, si esset ibi panis et corpus Christi, posset reddi locutio vera pro solo corpore Christi.

XV. Ad haec dicitur quod veritas enuntiationum proprie significantium ex communi sensu proprie intelligentium, et terminis utentium proprie, pendet: et non est attendendum ad quid iste vel ille posset eandem enuntiationem applicare. Constat autem quod, proprie loquendo et intelligendo, cum dicitur, a quocumque dicatur, sive sacramentaliter sive non sacramentaliter, *Hoc est corpus meum*, *ly hoc* demonstrat hanc substantiam. Quod patet ex hoc quod, si aliquis, demonstrando seipsum, dicat, *Hoc est corpus meum*, significatur apud omnes intelligentes quod *haec substantia est corpus meum*.

Et ad hoc suffragatur ratio, secundum quam talia sunt subiecta enuntiationum, qualia permittunt praedicata. Et propterea, quia praedicatum est substantia, nam *corpus meum* significat substantiam; identitas praedicati cum subiecto, significata per *ly est*, cogit *ly hoc* ad demonstrandam hanc substantiam, ut propositio sit proprie vera. —

Et hinc excluditur — quod in hac propositione *ly hoc* non demonstrat accidentia, sed substantiam sub accidentibus.

Et ad hoc suffragatur quod *ly hoc* est pronomen demonstrativum substantiae, apud grammaticos.

Rursus *ly hoc*, quia demonstrat non vage aut indefinite, sed singulariter, oportet, absolute prolatum super certo sensibili demonstrato, demonstrare non vage hanc vel illam, sed singularem substantiam sub illis accidentibus existentem. Et si quidem una sola substantia subsit, sola demonstratur. Si vero multae subsint, omnes per modum unius singularis demonstrantur, secundum communem intellectum propriamque significationem nominum ac pronominum, ut patet in exemplo allato: nam, me dicente, *Hoc est corpus meum*, significo hanc substantiam, comprehendentem carnes, nervos et ossa, esse corpus meum. Ex quibus sequitur quod, si remaneret substantia panis cum corpore Christi, *ly hoc* demonstraret hanc substantiam, comprehendentem panem et corpus Christi, per modum unius singularis substantiae. Et sic propositio esset falsa, proprie loquendo: quia significaret panis substantiam esse corpus Christi, quod constat esse falsum.

XVI. Unde ad Scoti obiectionem \* dicitur quod non est varianda demonstratio quam facit *ly hoc* in ista enuntiatione sacramentali, ex aliqua hypothesi: sed standum est in proprietate suae demonstrationis, secundum quam *ly hoc* non significat contentum sub hoc pane, sed significat hanc substantiam, quae scilicet continetur sub his accidentibus; haec enim substantia est corpus Christi. Et notanter dico, *haec substantia*, et non dico, *hic panis*: quia, ut dictum est \*, demonstratur haec substantia sine qualitate.

\* Num. xiv.

Ad Durandum vero dicitur quod chimaericum est singulare facere indefinitum. Et praeterea est abuti vocabulis: oportet enim secundum propria iudicare.

XVII. Contra tertiam rationem litterae \*, scilicet, *Si esset alia substantia quam corporis Christi, contrariaretur venerationi Eucharistiae*, obstat Scotus \*, quia nunc est ibi aliqua creatura, puta species sacramentalis: et tamen adoratio Eucharistiae refertur ad Christum, et non ad sensibile continens. Ergo eodem modo, si non remaneret panis, adoraretur Christus contentus sub pane quanto et quali ut in signo.

\* Num. praeced.

\* Cf. num. i.

\* IV Sent., dist. xi, qu. iii, art. 1 principal.

Ad hoc dicitur quod ratio litterae stat solida. Quoniam quaecumque substantia alia a Christo, contrariatur venerationi qua veneramur Eucharistiam. Nam adoramus simpliciter et absolute substantiam existentem sub illis accidentibus. Constat autem huiusmodi adorationi contrariari quaecumque aliam substantiam esse sub illis accidentibus. Sed arguentes falluntur in hoc, quoniam divertunt ab adoratione quae nunc fit, ad eam quae tunc fieret si esset etiam ibi substantia panis. Auctor autem ex adoratione quam de facto exhibemus Eucharistiae, infert non esse ibi aliam substantiam a Christo.

Unde ad argumentum Scoti, concesso toto, dicitur quod non impugnatur ratio litterae: quia ad adorationem quae posset fieri, divertit; et non sistit in adoratione quae de facto fit, qua adoramus substantiam contentam sub his speciebus. Quod tunc non fieret, nisi partialiter: puta, aliquam substantiam contentam adorando, distinguendo inter substantiam panis et substantiam Christi. Constat enim nunc absque distinctione aliqua substantiam ibi contentam adorari ab Ecclesia.

## ARTICULUS TERTIUS

### UTRUM SUBSTANTIA PANIS, POST CONSECRATIONEM HUIUS SACRAMENTI, ANNIHILETUR, AUT IN PRISTINAM MATERIAM RESOLVATUR

IV Sent., dist. xi, qu. i, art. 2; IV Cont. Gent., cap. LXIII; Quodl. V, qu. vi, art. 1; In Matth., cap. xxvi; I ad Cor., cap. xi, lect. v.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod substantia panis, post consecrationem huius sacramenti, annihilatur, aut in pristinam materiam resolvatur. Quod

enim est aliquid corporale, oportet alicubi esse. Sed substantia panis, quae est quiddam corporale, non manet in hoc sacramento, ut dictum est \*: nec etiam est dare aliquem locum ubi sit.

\* Art. praeced.

Ergo non est aliquid post consecrationem. Igitur aut est annihilata, aut in praeiacentem materiam resoluta.

2. PRAETEREA, illud quod est terminus a quo in qualibet mutatione, non remanet, nisi forte in potentia materiae: sicut, quando ex aere fit ignis, forma aeris non manet nisi in potentia materiae; et similiter quando ex albo fit nigrum. Sed in hoc sacramento substantia panis et vini se habet sicut terminus a quo, corpus autem vel sanguis Christi sicut terminus ad quem: dicit enim Ambrosius, in libro *de Officiis* \*: *Ante benedictionem alia<sup>a</sup> species nominatur, post benedictionem corpus significatur.* Ergo, facta consecratione, substantia panis vel vini non manet, nisi forte resoluta in suam materiam.

3. PRAETEREA, oportet alterum contradictorium esse verum. Sed haec est falsa: *Facta consecratione, substantia panis vel vini est aliquid.* Ergo haec est vera: *Substantia panis vel vini est nihil.*

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaestionum* \*: *Deus non est causa tendendi in non esse.* Sed hoc sacramentum divina virtute perficitur. Ergo in hoc sacramento non annihilatur substantia panis aut vini.

RESPONDEO DICENDUM quod, quia substantia panis vel vini non manet in hoc sacramento, quidam, impossibile reputantes quod substantia panis vel vini in corpus vel sanguinem Christi convertatur, posuerunt quod per consecrationem substantia panis vel vini vel resolvitur in praeiacentem materiam, vel quod annihiletur \*.

Praeiacens autem materia in quam corpora mixta resolvi possunt, sunt quatuor elementa: non enim potest fieri resolutio in materiam primam, ita quod sine forma existat, quia materia sine forma esse non potest. Cum autem post consecrationem nihil sub speciebus sacramenti remaneat nisi corpus et sanguis <sup>β</sup>, oportebit dicere quod elementa in quae resoluta est substantia panis et vini, inde discedant per motum localem. Quod sensu perciperetur. — Similiter etiam substantia panis vel vini manet usque ad ultimum instans consecrationis. In ultimo autem instanti consecrationis iam est ibi substantia vel <sup>γ</sup> corporis vel sanguinis Christi: sicut in ultimo

instanti generationis iam inest forma. Unde non erit dare aliquid instans in quo sit ibi praeiacens materia. Non enim potest dici quod paulatim substantia panis vel vini resolvatur in praeiacentem materiam, vel successive egrediatur de loco specierum. Quia, si hoc inciperet fieri in ultimo instanti suae consecrationis, simul sub aliqua parte hostiae esset corpus Christi cum substantia panis: quod est contra praedicta \*. Si vero incipiat fieri ante consecrationem, erit dare aliquid tempus in quo sub aliqua parte hostiae neque erit substantia panis, neque erit corpus Christi: quod est inconveniens.

Et hoc ipsimet perpensis videntur. Unde posuerunt aliud sub disiunctione, scilicet quod annihiletur <sup>δ</sup>. — Sed nec hoc potest esse. Quia non erit <sup>ε</sup> dare aliquem modum quo corpus Christi verum incipiat esse in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum: quae quidem conversio tollitur, posita vel annihilatione panis <sup>ζ</sup>, vel resolutione in praeiacentem materiam. — Similiter etiam non est dare unde talis resolutio vel annihilatio in hoc sacramento causetur: cum effectus sacramenti significetur per formam; neutrum autem horum significatur per haec verba formae, *Hoc est corpus meum.*

Unde patet praedictam positionem esse falsam.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod substantia panis vel vini, facta consecratione, neque sub speciebus sacramenti manet, neque alibi. Non tamen sequitur quod annihiletur: convertitur enim in corpus Christi. Sicut non sequitur, si aer ex quo generatus est ignis, non sit ibi vel alibi, quod sit annihilatus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod forma quae est terminus a quo, non convertitur in aliam formam, sed una forma succedit alteri in subiecto <sup>η</sup>: et ideo prima forma non remanet nisi in potentia materiae. Sed hic <sup>θ</sup> substantia panis convertitur in corpus Christi, ut supra \* dictum est. Unde ratio non sequitur.

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet post consecrationem haec sit falsa, *Substantia panis est aliquid*; id tamen in quod substantia panis conversa est, est aliquid. Et ideo substantia panis non est annihilata.

\* De Myster. sive de Eucharistia, cap. IX, n. 54. — Cf. can. Antie benedictionem et can. Revera, de Consecr., dist. II.

\* Qu. XXI.

\* Vide Guillelm. Paris., de Sacram. Eucharistia, cap. I; Roland., Sent. p. 226 (Freib. 1891); Mag., IV Sent., dist. XI, cap. Quidam vero.

β

γ

α) alia. — illa P.  
β) sanguis. — Christi addit tertia.  
γ) vel. — Om. sE et tertia.  
δ) quod annihiletur. — Vel, quod in praeiacentem materiam resolvatur margo P.

ε) erit. — est P.  
ζ) panis. — substantiae panis F et tertia.  
η) subiecto. — PG; substantia.  
θ) hic. — PDic; haec.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore articuli, primo recitatur opinio disiunctiva; secundo, tractatur prima disiunctionis pars \*; tertio, tractatur reliqua pars \*\*; et quarto, tractantur ambae simul, concludendo opinionem esse falsam \*.

II. Primum satis patet in littera. Sed circa secundum, scilicet quod panis seu vinum per consecrationem resolvitur in praeiacentem materiam, Auctor procedit utens implicite hac distinctione. Hanc resolutionem fieri in praeiacentem materiam, potest intelligi dupliciter: vel in materiam primam; vel in elementa, manentia vel egredientia \*. Propterea primo improbat primum membrum — scilicet, quod

ista resolutio non fit in materiam primam. Quia materia non potest esse sine forma.

Ubi scito quod, quia opinio ista ponit resolutionem puram, quoniam nullius meminit generationis, cum nullum ponat generans; si ponit resolutionem in materiam primam, ponit consequenter materiam primam sine forma; quod est impossibile secundum causas secundas et potentiam Dei ordinariam, quidquid sit de possibili secundum potentiam Dei absolutam. Quoniam hoc est extra propositum: quoniam stultum est ponere in hoc sacramento quidquid Deus potest facere. Unde non oportet aliter hic

\* Num. seq.  
\*\* Cf. num. VI.  
\* Ibid., Et de- mum.

\* Cf. num. seq.

\* Art. 2.

δ

ε

ζ

η

θ

\* In corp. et art. 2.



\* IV Sent., dist. XI, qu. III, art. 1 principal.

respondere Scoto \*, et continue digredi de genere in genus.

III. Postea excludit Auctor secundum membrum, scilicet, resolutionem fieri in elementa. Et primo, in elementa manentia. Quia sub speciebus sacramenti nihil remanet nisi corpus et sanguis Christi.

Secundo, in elementa egredientia. Quia egressus fieret per motum localem: et sic sensu perciperetur.

\* Loc. cit. num. praeced.

Et utraque exclusio optima est. Nec ex molestia Scotica \* concutitur, dum obstat ex divina omnipotentia potente facere cum corpore Christi manere aliam substantiam, et non percipi localem egressum. Saepe enim iam dictum est \* quod non tractamus de divina omnipotentia: sed quid ordo institutus a Deo habeat, tam in mysteriis quam in naturalibus.

\* Cf. art. 1, Comment. num. IX, XI; art. 2, Comment. num. VII.

IV. Rursus impugnat Auctor huiusmodi praeiacentem materiam ex aliis capitibus. Et primo, manentem: ex hoc quod non est dare aliquod instans in quo sit ibi praeiacens materia. Quod probatur ex eo quod, usque ad ultimum instans consecrationis, est ibi panis; et in ultimo instanti est ibi corpus Christi; ac per hoc patet quod non est dare aliquod instans in quo sit ibi praeiacens materia.

Et scito quod Auctor, claritati studens, non fuit sollicitus ut loqueretur philosophice, ut ab omnibus intelligeretur. Ex exemplo tamen generationis, ab exercitatis in philosophia rem ipsam intelligi voluit more philosophico: sciebat enim non dari ultimum instans generationis. Et philosophico more dicendum fuit: In toto tempore consecrationis est ibi substantia panis; et in termino illius est corpus Christi, qui terminus est primum esse corporis Christi in sacramento, et primum non-esse panis; sicut in termino generationis est primum esse rei genitae, et primum non-esse rei corruptae. Et si sic Auctor dixisset, pauci intellexissent ipsum.

V. Secundo, impugnat praeiacentem materiam in motu: et, brevitatis gratia, simul impugnat tam motum localem sive panis sive materiae, quam motum resolutionis; quoniam utrobique una et eadem est ratio ex motu sumpta. Et est ratio talis. Si huiusmodi motus interveniret, aut inciperet in instanti terminante consecrationem, aut ante illud instans. Si incipiat in instanti terminante consecrationem, cum in illo instanti corpus Christi sit sub hostia, et in eodem sit panis incipiens moveri motu locali vel resolutionis, sequeretur quod simul essent corpus Christi et substantia panis. Quod autem panis in illo instanti esset, probatur ex eo quod motus incipit per negationem de praesenti et positionem de futuro: hoc est, quia verum esset dicere, *Panis nunc non movetur, et immediate post hoc movebitur*. Et quia motus non fit in instanti, sed prius mobile relinquit unam partem quam aliam, sequeretur ulterius, praeter simultatem instantaneam praedictam, simultas temporalis. Et sic sub aliqua parte hostiae esset simul tempore corpus Christi cum substantia panis. Et ad viam hanc respexisse videtur Auctor in littera explicans *partem hostiae*.

Si vero huiusmodi motus incipiat ante terminum consecrationis, tunc, cum inter quaelibet instantia sit tempus intermedium, in quo fiet iste motus, et in quo mobile relinquet successive partes hostiae: sequetur quod in illo tempore quo aliqua hostiae pars relicta est, neque erit substantia panis, quae iam particulam illam reliquit, neque corpus Christi, quod, ante instans quod terminat totum hoc tempus medium, non est sub hostia.

Et vide, Novitiae, ex contextu litterae, hanc argumentationem induci excludendo responsionem dicentem fieri resolutionis vel egressus motum paulatim deserendo partes hostiae. At si posuissent resolutionis motum fieri successive quidem et per partes intensivas tantum, ita quod in termino tota simul hostia deserta esset (*contingit enim, inquit Aristoteles \*, totum simul coagulari*): tunc militat praecedens argumentum, quod praeiacens materia nunquam esset sub hostia. Et si hoc affirmatur, succurrunt postremae duae rationes, scilicet quod tollitur conversio, et quod ponitur effectus sine causa.

\* Meteor. lib. I, cap. XII, n. 12, 13. - Continuat. Comment. S.Th. lect. xv.

\* Num. I.

VI. Quoad tertium \*, de altero disiunctionis membro,

scilicet annihilatione, improbat quia tollit veram conversionem substantiae panis in corpus Christi: ac per hoc, tollit modum quo corpus Christi est in hoc sacramento. Et in hoc convenire dicitur cum primo membro, scilicet resolutione.

Et demum utrumque Auctor reprobatur \*: quia forma sacramenti neutrum horum effectuum significat. \* Cf. ibid.

VII. Circa responsionem ad tertium, adverte quod Scotus, non contentus huiusmodi responsione, quia sola voce conversionem affirmat, tenens panem, quamvis per accidens, redigi in nihilum, duo potissima videtur habere fundamenta, in quaestione quarta XI distinctionis \*. Primum est, quia invenitur hic transitus per se ab esse panis ad non-esse panis; et alius transitus a non-praesentia corporis Christi hic ad praesentiam ipsius hic. Et tunc arguitur sic. Si secundus transitus non concomitaretur primum, primus esset annihilatio. Ergo et modo formaliter est annihilatio: quia ratio eius non variatur propter illud quod per accidens concomitatur.

\* Quarti Sent.

Secundo, sic. Si panis annihilaretur, et corpus Christi poneretur hic praesens, omni eodem modo se haberet tam panis quam corpus Christi, quantum ad omnem conditionem tam esse quam non esse, sicut modo se habet. Sed quod fuit, et omni eodem modo se habet sicut si esset annihilatum, est annihilatum. Ergo panis redigitur in nihilum. - Prima propositio manifesta est: quia, si panis esset annihilatus, nec forma nec materia eius maneret; eodem autem modo nec nunc manet.

VIII. Ad horum et similibus evidentiis, doctrina sanctorum Patrum resumenda est. Ambrosius siquidem, *de Sacramentis \**, et habetur in Decretis, *de Consecr.*, dist. II, in cap. *Revera*, et clarius in cap. *Panis est*, docet unde figmenta haec et similia eliduntur, dicens: *Si tanta vis est in sermone Domini Iesu ut inciperet esse quod non erat, quanto magis operatorius est ut sint quae erant et in aliud commutentur? Et sic quod erat panis, iam corpus Christi est, quia sermo Christi creaturam mutat, etc.*

\* Lib. IV, cap. IV. - Cf. de Myster. sive de Initiand., cap. IX.

Ubi nota, primo, *ly ut sint quae erant et in aliud commutentur*. Hic enim manifeste habes Ambrosium dicere quod sunt quae erant, et in aliud sunt commutata. Et hinc apparet figmentum esse dicere quod quae erant et in aliud sunt commutata, nihil sunt. Nam, si sunt, ut Ambrosius asserit, sequitur quod non sunt nihil.

Secundo, nota declarationem et sensum prioris dicti, dum immediate subditur, *Et sic quod erat panis, iam corpus Christi est*. Hinc enim apparet quanta perspicacia haec viderit Ambrosius, dum non dixit quod *panis est* post consecrationem, nec dixit quod *panis qui fuit, est corpus Christi*: sed dixit quod *id quod erat panis, iam est corpus Christi*. Et *ly id quod* demonstrat et refert substantiam: quoniam substantia est quae est commutata in corpus Christi.

IX. Unde non aliunde quam ex Ambrosii doctrina excludenda sunt et detegenda figmenta haec. Falsum est igitur quod primo assumitur a Scoto \*, intervenire hic transitum per se ab esse panis ad non-esse panis. Nam per se terminus ad quem est esse corporis Christi: est enim conversio ista inter terminos positivos per se primo, hoc est, ab esse panis ad corpus Christi, et ad illum per se primo terminum, ad quem non sequitur sola negatio esse panis, sed sequitur affirmatio seu positio *eius quod fuit panis*. Sunt enim post consecrationem propositiones istae ambae verae, scilicet: *Panis non est*, et, *Id quod fuit panis, est*, quia est corpus Christi. Ad argumentum ergo dicitur quod falsum assumit seu supponit, scilicet inveniri hic mutationem seu transitum per se ab esse panis ad non-esse illius.

\* Num. VII.

Ad secundum autem dicitur quod conditionalis assumpta est falsa. Et ad probationem illius, scilicet quia nunc nec remanet materia panis nec forma, et similiter esset si annihilaretur: respondetur negando quod similiter esset si annihilaretur. Quoniam plus requiritur ad annihilationem, sive per se sive per accidens: exigitur enim quod id quod erat illud, sit modo nihil, seu, non sit aliquid. Cuius contrarium in proposito invenitur: nam, secundum Ambro-

sium, id quod erat panis, est corpus Christi. Ubi, ad claritatem doctrinae, observa caute varietatem verarum propositionum. Et, ut exemplariter dicatur, quando aer naturaliter convertitur in ignem, licet verae sint istae tres enuntiationes post conversionem aeris in ignem, scilicet, *Aer non est, Aer non est aliquid, Aer est nihil*: quia tamen materia quae fuit aeris, modo est materia ignis, falsa est ista quarta, *Aer est annihilatus*. Et similiter in proposito, quamvis alia ratione, verae sunt post conversionem istae tres, scilicet, *Panis non est, Panis non est aliquid, Panis est nihil*: falsa autem est quarta, scilicet, *Id quod erat panis, non est aliquid, seu, est nihil*, quia sua contradictoria est verissima, scilicet, *Id quod erat panis, est corpus Christi*. Ideo falsissimum est panem, sive per se sive per accidens, redigi in nihil. Unde, si panis annihilaretur in hoc sacramento, non omni eodem modo se haberet quo nunc se habet. Quia nunc sic se habet ad esse et non-esse quod ita non est quod id quod erat panis, est res realissima, scilicet corpus Christi. Si autem esset redactus in nihilum, ita panis non esset quod id quod erat panis, nulla res esset. Procul sint ergo a Patrum doctrina huiusmodi figmenta.

X. Circa verba Auctoris in hac responsione ad tertium, cave ne fallaris, putans Auctorem Ambrosio contrarium, vel me exposuisse inepto vocabulo Ambrosii verbum, dum in hac littera dicitur quod *post consecrationem haec est falsa, Substantia panis est aliquid*; et, Ambrosio dicente,

*Id quod erat panis, est aliquid*, scilicet corpus Christi, ego exposui \* quod *ly id quod* demonstrat et refert substantiam, quoniam substantia quae erat panis est corpus Christi, quia mutata est in corpus Christi. Diversimode siquidem *substantiae* nomine Auctor et nos usi sumus. Nam Auctor substantiae nomine usus est loco nominis specifici panis, supponendo panem esse substantiam. Et fecit hoc Auctor ut praeservaret se ab accidentibus panis. Ita quod panem ponit in obliquo, et distinguit substantiam panis contra accidentia panis: ac si dixisset, *Post consecrationem haec est falsa, Panis est aliquid*. Nos autem substantiae nomine absolute utimur, abstrahendo a qualitate differentiarum: et propterea utimur pane in recto, dicentes, *Substantia quae erat panis*. Quam substantiam Ambrosius per relativum substantiae significavit, dicens: *Et sic quod erat panis, iam est corpus Christi, quia sermo Christi creaturam mutat, et sic ex pane fit corpus Christi*. Non enim potest dici quod *ly quod erat panis* referat accidentia panis remanentia: quia illa non sunt corpus Christi, nec sunt mutata in corpus Christi; quorum utrumque Ambrosius dicit de eo quod erat panis, scilicet, *Quod erat panis, est corpus Christi, quia mutatum est in corpus Christi virtute sermonis Christi*.

Hanc eodem modo sumptam substantiam Salvator significavit ac demonstravit per *ly hoc*, dicens, *Hoc est corpus meum*. Est enim propriissimus sensus: *Haec substantia est corpus meum*, ut inferius \* amplius patebit.

\* Num. viii.

\* Cf art. 4, Comment. num. vii.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PANIS POSSIT CONVERTI IN CORPUS CHRISTI

IV Sent., dist. xi, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 1; IV Cont. Gent., cap. LXIII; Quodl. V, qu. vi, art. 1; Cont. Graec., Armen., etc., cap. viii; I ad Cor., cap. xi, lect. iv, v.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod panis non possit converti in corpus Christi. Conversio enim quaedam mutatio est. Sed in omni mutatione oportet esse aliquod subiectum, quod prius est in potentia et postea est in actu: ut enim dicitur in III *Physic.* \*, *motus est actus existentis in potentia*. Non est autem dare aliquod subiectum substantiae panis et corporis Christi: quia de ratione substantiae est quod *non sit in subiecto*, ut dicitur in *Praedicamentis* \*. Non ergo potest esse quod tota substantia panis convertatur in corpus Christi.

2. PRAETEREA, forma illius in quod aliquid convertitur, de novo incipit esse in materia eius quod in ipsum convertitur: sicut, cum aer convertitur in ignem prius non existentem, forma ignis incipit de novo esse in materia aeris; et similiter, cum cibus convertitur in hominem prius non existentem, forma hominis incipit esse de novo in materia cibi. Si ergo panis convertitur in corpus Christi, necesse est quod forma corporis Christi de novo incipiat esse in materia panis: quod est falsum. Non ergo panis convertitur in substantiam corporis Christi.

3. PRAETEREA, quae sunt secundum se divisa <sup>α</sup>, nunquam unum eorum fit alterum: sicut albedo nunquam fit nigredo, sed subiectum albedinis fit subiectum nigredinis, ut dicitur in I *Physic.* \*. Sed,

sicut duae formae contrariae sunt <sup>β</sup> secundum se divisae, utpote principia formalis differentiae existentes; ita duae materiae signatae sunt secundum se divisae, utpote existentes principium <sup>γ</sup> materialis divisionis. Ergo non potest esse quod haec materia panis fiat haec materia qua individuatur corpus Christi. Et ita non potest esse quod substantia huius panis convertatur in substantiam corporis Christi.

SED CONTRA EST quod Eusebius Emesenus \* dicit: *Novum tibi et impossibile esse non debet quod in Christi substantiam terrena et mortalia convertuntur*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, cum in hoc sacramento sit verum corpus Christi, nec incipiat ibi esse de novo per motum localem; cum etiam nec corpus Christi sit ibi sicut in loco, ut ex dictis \* patet: necesse est dicere quod ibi incipiat esse per conversionem substantiae panis in ipsum.

Haec tamen conversio non est similis conversionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis, sola Dei virtute effecta. Unde Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* \*: *Liquet quod praeter naturae ordinem Virgo generavit. Et hoc quod conficimus, corpus ex Virgine est. Quid igitur quaeris naturae ordinem in Christi corpore: cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?* Et super illud Ioan. vi \*, *Verba quae*

\* Cap. I, n. 6. - S. Th. lect. II.

\* Cap. III, n. 1, 12.

\* Cap. V, n. 2 sqq.; cap. VI, n. 2. - S. Th. lect. x, xi.

α) *divisa*. - *diversa* D et editiones; cf. β γ.  
β) *sunt*. - Om. HpG et b. - Pro *divisae* utroque loco, *diversae* P; *signatae sunt secundum se divisae* om. HpG et bc.

γ) *principium*. - *principia* editiones, om. A. Pro *divisionis, distinctionis* P.

\* Inter Opp. Hieron. Ep. XXXIX; Pseudo-Isidor. Homil. IV, de Corp. et Sang. Dom., in Pascha. - Cf. can. Quia corpus, de Consecr., dist. II. \* Art. 2.

\* Art. 1, ad 3.

\* De Myster. sive de Initiand., cap. IX, n. 53. - Cf. can. Revera, de Consecr., dist. II.

\* Vers. 64.

\* Hom. XLVII, aliter XLVI, in Ioan., n. 2.

*ego locutus sum vobis*, scilicet de hoc sacramento, *spiritus et vita sunt*, dicit Chrysostomus \*: *Idest: spiritualia sunt, nihil habentia carnale neque consequentiam naturalem, sed eruta sunt ab omni tali necessitate quae in terra, et a legibus quae hic posita sunt.*

\* D. 446.

\* Qu. VII, art. 1; qu. XXV, art. 2.

Manifestum est enim quod omne agens agit in quantum est actu. Quodlibet autem agens creatum est determinatum in suo actu: cum sit determinati generis et speciei. Et ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum. Determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali est per eius formam. Unde nullum agens naturale vel creatum potest agere nisi ad immutationem formae \*. Et propter hoc omnis conversio quae fit secundum leges naturae, est formalis. Sed Deus est infinitus actus, ut in Prima Parte \* habitum est. Unde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem, ut scilicet diversae formae sibi in eodem subiecto succedant: sed conversionem totius entis, ut scilicet tota substantia huius convertatur in totam substantiam illius.

Et hoc agitur divina virtute in hoc sacramento. Nam tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia

vini in totam substantiam sanguinis Christi. Unde haec conversio non est formalis, sed substantialis. Nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici *transubstantiatio*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod obiectio illa procedit de mutatione formali: quia formae proprium est in materia vel subiecto esse. Non autem habet locum in conversione totius substantiae. Unde, cum haec conversio substantialis importet quendam ordinem substantiarum quarum una convertitur in alteram, est sicut in subiecto in utraque substantia \*, sicut ordo et numerus. \* D. 576.

AD SECUNDUM DICENDUM quod etiam illa obiectio procedit de conversione formali, seu mutatione: quia oportet, sicut dictum est \*, formam esse in materia vel subiecto. Non autem habet locum in conversione totius substantiae, cuius non est accipere aliquod subiectum. \* Ad 1.

AD TERTIUM DICENDUM quod virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam. Sed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, potest talis conversio fieri: quia utrique formae et utrique materiae est communis natura entis; et id quod entitatis est in una, potest auctor entis convertere ad id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur.

δ) ad. - in P.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Concil. Lateran. IV, cap. Firmiter credimus, de Summa Trinitate, et Fide Cathol.

TITULUS intelligitur de conversione substantiali, qua panis substantialiter sumptus transubstantiatur in corpus Christi: sic enim Ecclesia intelligit conversionem \*. Et propterea Auctor quaerit utrum sit possibilis huiusmodi conversio.

In corpore articuli duo fiunt: primo, dicitur quod oportet ponere conversionem; secundo, tractatur qualis est ista conversio.

Quoad primum, ex repetitione supra dictorum ac discussorum, concluditur conversio.

Quoad secundum, duo de hac conversione dicuntur. Primum est, quod non est similis conversionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis. Secundum est quod sola Dei virtute fit. Et primum quidem auctoritatibus Ambrosii et Chrysostomi probat. Secundum autem, simul cum primo, ratione probat.

II. Ubi scito distingui conversionem in formalem et substantialem; et naturales appellari formales, non ea ratione quia forma convertitur in formam, sed quia secundum deperditionem unius formae et acquisitionem alterius, dicitur totum categorematicè converti in totum, ut cum dicimus quod aer conversus est in ignem. Conversio autem substantialis appellatur, qua totum etiam syncategorematicè convertitur in totum: puta, si aer sic converteretur in ignem quod etiam partes essentielles aeris converterentur in partes essentielles ignis. Et talem esse hanc conversionem Auctor ponens, hinc manifestat differentiam inter conversionem istam et naturales: et ex differentia inter actum infinitum et actum finitum, procedit ad probandum quod agens creatum, quia ex finito agit actu, ad solas formales conversiones se extendit; Deus autem, quia ex infinito agit actu, ad totum ens se extendit, ac per hoc, ad conversionem substantialem. Et inde infertur quod haec conversio nec continetur sub genere naturalis motus seu mutationis, nec nomen aliarum suscipit proprie, sed nomine proprio vocari potest *transubstantiatio*: sic enim

a sacro Concilio Lateranensi, sub Innoc. III, appellatam legimus \*.

III. Circa hanc materiam, advertit quod Scotus, in XI distinctione Quarti, qu. III, reputans impossibilem conversionem panis in corpus Christi praeeexistens et manens secundum suum esse antiquum, triplicem imaginatur transubstantiationem. Prima est quae iam dicta est \*, scilicet quia tota substantia convertitur in totam substantiam praeeistentem ac manentem secundum esse antiquum. - Secunda est, quia tota substantia sic convertitur in aliam ut alia producat in esse. Et hanc vocat Scotus transubstantiationem *productivam*: quia per eam producit terminus ad quem. Et haec potest subdividi in *productivam* termini secundum esse substantiale: vel secundum esse accidentale, qualem posuit hic, ut diximus \*, Petrus de Palude, *sine assertionem tamen*. - Tertia est *adductiva* termini ad quem illo ubi erat terminus a quo. Et in hanc declinat Scotus \*. In qua secundum veritatem nulla est transubstantiatio, nulla conversio: quia ponitur panem redigi in nihil, et sola vox *conversionis* et *transubstantiationis*, cum ordine successionis corporis Christi in loco panis, affirmatur.

Relicta autem transubstantiatione productiva, tanquam non habente in hoc sacramento locum, nititur Scotus \* probare primam esse impossibilem, et deinde tertiam esse rationabilem.

Arguit igitur ad impossibilitatem transubstantiationis primae \*, quam credimus vere in hoc sacramento salvari. Nihil est terminus novae actionis proprie dictae nisi per illam actionem accipiat esse substantiale vel accidentale secundum quod est formalis terminus illius actionis. Sed corpus Christi praeeexistens, etc., nullum esse accipit in sua substantia per huiusmodi transubstantiationem. Ergo corpus Christi secundum suam substantiam non est terminus novae actionis transubstantiativae panis in ipsum. - Minor supponitur clara. - Maior vero probatur dupliciter. Primo quia, si nullum esse accipit per illam, non videtur

\* Loc. cit. num. 1.

\* Num. praec.

\* Art. 1, Comment. num. v.

\* IV Sent., dist. IX, qu. IV.

\* Ibid., qu. III, art. 2 principal.

\* Cf. num. VI.

intelligibile quomodo sit ibi aliquid terminans realem actionem substantialem, etc. Secundo, quia etiam Filius Dei terminans aeternam generationem, per illam accipit esse, et personam esse, et Deum esse.

Tertiam autem transubstantiationem probabilem esse in proposito probat \*, quia eo modo terminus prior convertitur in terminum posteriorem, quo terminus posterior succedit termino priori. Sed terminus posterior, idest Christi corpus, non succedit secundum esse simpliciter, sed secundum esse praesens hic, termino priori, idest pani praesistenti. Ergo nec panis convertitur, nec transit in corpus Christi, nisi secundum esse hic praesens pani praesistenti.

IV. Pro solutione harum obiectionum, et ampliori notitia tam occulti mysterii, duo praelibanda sunt: alterum ex philosophia; alterum ex Ambrosio \*. Ex physicis \*\* siquidem habemus quod, cum de substantiali mutatione inter positivos terminos est sermo, ipsum instans mutationis, in quo substantialis mutatio simul fit et facta est, est primum esse termini ad quem, et primum non-esse termini a quo. Verbi gratia, cum aer convertitur in ignem, instans illud in quo ignis simul fit et factus est, est primum esse ignis, quia ignis tunc est et immediate ante illud *tunc* non erat; et est primum non-esse aeris, quia aer tunc non est et immediate ante illud *tunc* erat.

V. A divo autem Ambrosio superius \* relata habemus verba, scilicet: *Quod erat panis* ante consecrationem, *iam corpus Christi est* post consecrationem, *quia sermo Christi creaturam mutat*, etc. Ex his enim, simul iunctis et perspicaciter consideratis, habemus actionem transubstantiativam circa panem versari, et in panem terminari hoc modo: videlicet, quod in instanti conversionis panis in corpus Christi, quod erat panis, ut sic, idest secundum esse panis, habet rationem termini a quo; et rursus quod erat panis, quod iam est corpus Christi, ut incipiens esse corpus Christi, habet rationem termini ad quem; ita quod terminus ad quem non est corpus Christi absolute, sed *hoc quod erat panis esse corpus Christi*, ut patet exponendo pro illo instanti quo ista transubstantiatio simul fit et facta est. Ex falsitate siquidem istius, *Corpus Christi nunc est et immediate ante hoc non erat*, habetur quod corpus Christi absolute non est terminus huius transubstantiationis. Ex eo autem quod ista est vera, *Hoc quod erat panis nunc est corpus Christi, et immediate ante hoc quod erat panis non erat corpus Christi*, manifeste habetur quod terminus ad quem actionis et mutationis huius est *hoc quod erat panis esse de novo corpus Christi*: sicut ex veritate istius alterius, scilicet, *Hoc quod erat panis nunc non est panis, et immediate ante erat panis*, habetur terminum a quo esse *hoc quod erat panis sub esse panis*.

Ubi videre potes in eo quod est panis ante consecrationem, efficaciam habere consecrationem, seu divinam actionem, quantum ad vim utriusque termini, scilicet a quo et ad quem: quoniam actio conversiva acquirit ei quod erat panis esse corpus Christi, convertendo id in corpus Christi; et ad hoc concomitatur deperditio termini a quo, dum quod simul convertitur et conversum est in corpus Christi, desinit esse panis. Et hinc suspiciendo conicere potes quod non oportet, propter novam hanc actionem, mutationem aliquam effici in substantia corporis Christi: quia quod erat panis de novo est corpus Christi, non per mutationem corporis Christi, sed per mutationem panis in corpus Christi.

Et ad ampliorem fidelium intellectuum consolationem, habemus non solum dictas enuntiationes noviter veras quasi se tenentes ex parte panis: sed habemus redundantem seu resultantem aliam propositionem noviter veram quasi ex parte corporis Christi. Est enim de novo vera haec, scilicet: *Corpus Christi est id quod erat panis*. Nec hanc ego somniavi, sed ex propositione divi Ambrosii per conversionem simplicem illam habemus. Dicente enim Ambrosio, *Quod erat panis est corpus Christi*, infertur optime per conversionem simplicem, *Ergo corpus Christi est quod erat panis*. Et similiter sequitur, consequenter loquendo,

quod *corpus Christi est quod erat iste panis*. Quo fit ut admirabilem veritatem novam in Christi corpore ex hoc sacramento fateamur. Nam ante institutionem huius sacramenti, ista erat falsa, *Corpus Christi est quod erat panis*, quia sua convertens erat falsa, *Quod erat panis est corpus Christi*: post consecrationem vero corporis Christi, fuerunt ambae verae. Et similiter in qualibet quae quotidie fit consecratione hostiae in missa, consecratione facta, ambae istae noviter sunt verae, *Quod erat iste panis est corpus Christi*, et, *Corpus Christi est quod erat iste panis*. — Nec quaeras a me ulteriorem modum *quomodo fiat istud*: sed satis sit, supposita verae transubstantiationis fide, qua panis in corpus Christi immutatum mutatur, videre nos veritatem dictarum enuntiationum.

VI. Ex his autem ad Scoti rationem contra possibilitatem huius conversionis \*, dicitur argumentum supponere falsum, scilicet, corpus Christi absolute esse terminum actionis seu mutationis huius. Terminatur enim tam mutatio quam actio ut ad terminum ad quem et qui fit, ad *hoc quod erat panis esse corpus Christi*. Hoc enim de novo fit et est per actionem istam conversivam panis in corpus Christi. Unde, concessa maiore, ad minorem dicendum est quod male assumit aut supponit corpus Christi absolute esse terminum actionis, ut patet ex dictis. — Nec obstat quod saepissime dicitur, et repetitur infinities, quod haec conversio habet panem pro termino a quo, et corpus Christi pro termino ad quem: quoniam brevitatis causa hos terminos absolute proferimus, *cum grano tamen salis* ab eruditissimis intelligendos, ut exposuimus.

Ad rationem Scoti pro transubstantiatione adductiva \*, facile respondetur negando minorem. Quoniam corpus Christi succedit pani et secundum esse simpliciter, idest substantiale, et secundum esse hic, idest sub accidentibus panis. Sed non est mirum de arguente. Quoniam, sola voce dicens conversionem substantiae panis in substantiam corporis Christi, consequenter assumit quod corpus Christi non succedit pani secundum esse simpliciter: cum, secundum veritatem, substantia corporis Christi sit id quod erat panis, et per hoc sit ubi erat panis, idest, continetur sub accidentibus quae continebant panem; ut saepe inducta decretalis Lateranensis, cum doctrina Concilii Florentini, testatur \*.

VII. Nec obstat dictis quod Auctor, in IV *Sent.*, dist. XI, qu. I, art. 4, videtur locare huiusmodi propositiones quibus uti sumus, inter improprias. Nam dupliciter potest iudicari et examinari propositio ista, *Quod erat panis est corpus Christi*: primo, ad exprimendam conversionem hanc; secundo, ad exprimendum conversionis huius proprios terminos. Et si quidem ad exprimendam mutationem quae est conversio assumatur, infra latitudinem generis mutationis intelligenda est. Et propterea ly *quod* sonat subiectum unum et idem sub duobus successive terminis, scilicet pane et corpore Christi, manere. Quod in proposito non nisi metaphorice, aut ratione accidentium remanentium, verificatur. Et sic ab Auctore inter improprias computatur ibidem \*, ubi de conversione loquitur.

Si vero haec propositio ad exprimendos terminos conversionis huius assumatur, tunc propositio est et vera et propria. Et quod sit vera, patet ex ipsa eius expositione, qua Auctor eam ibi, in responsione ad primum, exponit de ipsis terminis, dicens: *Verbum Ambrosii est exponendum, « Quod erat panis est corpus Christi », idest, « Quod est sub speciebus panis, primo fuit panis, et postea corpus Christi »*: ubi vides Auctorem exponendo asserere de ly *quod est sub specie panis* prius fuisse panem et postea corpus Christi; nihil enim aliud significat Ambrosii propositio, de terminis conversionis intellecta, dicendo, *Quod erat panis, est corpus Christi*, ut patet intuitu. — Quod autem sit propria, et hinc patet, quia expositio ab Auctore data est propria: et ex ratione probatur. Quia ly *quod* est relativum identitatis substantiae, et sufficienter refert eandem substantiam referendo substantiam eandem sine qualitate. Sic enim contingit in proposito: illud enim idem refert ly *quod* dicendo *Quod erat panis est corpus Christi*, quod demonstratur per ly *hoc* dicendo, *Hoc est*

\* Cf. num. VI, Ad rationem.

\* Cf. num. seq. \*\* Aristot. *Physic.* ib. VIII, cap. VIII, n. 6. — S. Th. lect. XVII.

\* Art. 3, Comment. num. VIII.

\* Num. III, Arguit igitur.

\* Num. III, Tertiam autem.

\* Cf. art. I, Comment. num. II, VIII.

\* Qu\* 1.

\* Num. v.

*corpus meum*. Stant ergo solida et proprie dicta quae ex Ambrosio diximus\*: quoniam ad terminos conversionis exprimendos usi sumus auctoritate dicta, et ad hoc idem Ambrosius ad litteram locutus est, ut patet eius textum intuenti.

VIII. In responsione ad tertium, adverte dici in illa duo: scilicet rationem convertibilitatis totalis, de qua est sermo, unius rei in aliam; et modum quo fit huiusmodi conversio. Et quoniam eximia ac latentia sunt haec, nec ab omnibus concessa, primo declaranda sunt ambo; deinde conferendum est primum cum aliorum opinionibus\*.

\* Cf. num. x.

\* Cf. num. seq.

Ratio igitur convertibilitatis assignatur in littera *communicatio in natura entis*.— Modus autem subditur\*, et est, quod *potest auctor entis id quod est entitatis in una re, convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab ea distinguebatur*.

Ubi, circa rationem convertibilitatis, docilis esto interpres, plures vitando errores ex illo verbo, *communis natura entis*.

Errares primo, si per communem naturam entis intelligeres ens communissime sumptum commune Deo et creaturis. Et manifesta esset erroris ratio. Quia hinc sequeretur convertibilitatem etiam posse esse inter rem creatam et increatam, quia communis est eis huiusmodi natura entis. Quod constat non solum esse falsum, sed fatuum.

Errares quoque si per communem entis naturam intelligeres gradum aliquem, seu naturam aliquam, supra specificas genericasque rerum naturas. Nam, ut dicitur IV *Metaphys.*\*, *idem est homo et ens homo*, et sic de aliis. Non enim se habent ens et homo sicut animal et homo: nam animal et homo duas formaliter naturas significant, scilicet rationalitatis et animalitatis; ens autem et homo unam tantum naturam significant, eam scilicet quam significat homo, et non aliam.

\* S. Th. lect. II. Did. lib. III, cap. II, n. 5.

Sed hoc metaphysico relinquentes negotio, quoniam ad propositum non refert utro modo dixeris, dicimus quod per naturam entis intelligit Auctor *ens commune solis creaturis*. Quod nomine *naturae* in littera appellatum est quia huiusmodi ens, secundum Auctoris doctrinam\*, secundum naturas generum et specierum definitur: et per hoc differt ab ente increato, in quo esse non definitur natura aliqua, sed ipsum esse in seipso subsistens vocatur *natura Dei*, et *deitas*, et *Deus*. Est igitur ratio convertibilitatis totius unius rei in totam alteram rem, communicatio earum in natura entis communis omnibus creaturis tantum. Et hinc habes, secundum Auctorem, quod secundum totalem conversionem quaelibet creatura potest per divinam omnipotentiam converti in quamcumque aliam creaturam, quia creaturis omnibus communis est huiusmodi natura.

\* Part. I, qu. III, art. 3 sqq.; I *Cont. Gent.*, cap. XXI sqq.; I *Sent.*, dist. XXII, art. 3, ad 2.

IX. Circa modum quoque conversionis\*, cautum oportet esse lectorem. Erraretur siquidem primo, si intelligeretur per modum divisionis seu separationis unius naturae ab altera: sicut animalitas separatur a rationalitate, dum fit animal sine ratione. — Et similiter erraretur si intelligeretur per modum abstractionis: sicut res una et eadem secundum priorem rationem abstrahit a seipsa secundum rationem posteriorem; sicut color albus in quantum color, abstrahit a seipso in quantum albus.

\* Num. praec., Ratio igitur.

Et patet ratio erroris utrobique, ex hoc quod neutro modo panis converteretur in corpus Christi: sed sola natura entis inventa in pane converteretur in corpus Christi, formaliter loquendo.

Contrariatur etiam directe intento hic sensus. Quoniam directe intentum ab Auctore est quod totum convertatur in totum: et non quod una res, aut una natura, sub una ratione tantum convertatur in aliam. Haec enim interpretatio ad hoc tandem tendit quod convertibilitas rerum est secundum id in quo communicant, et non secundum ea in quibus differunt. Quod contrariatur non solum Auctoris, sed fidei doctrinae, asserenti panem converti in corpus Christi; et non solum entitatem panis in entitatem corporis Christi converti, sed panem converti in corpus Christi.

Unde litterae verba, quae superficie tenus favere videntur dicto reprobato sensui, dum sonant, *Id quod est entitatis in una re, potest auctor entis convertere in id quod est*

*entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur*, intelligenda sunt sic ut tota res, puta panis, convertatur in totam rem, puta corpus Christi: hoc enim important illa verba, *id quod est entitatis in una, in id quod est entitatis in altera*; nam tota res est entitatis in una, et tota res est entitatis in altera. Quod autem subditur, *sublato eo per quod ab illa distinguebatur*, procul dubio ad differentiam proprii distinctivi a communi natura entis subiunctum est. Sed huiusmodi differentia non consistit in hoc quod entitas rei, puta panis, convertatur in entitatem alterius rei, puta corporis Christi; panis vero proprium constitutum, per quod specie distinguitur ab altera re, puta corpore Christi, non convertatur in alteram rem, puta corpus Christi, sed tollatur, non conservando ipsum in esse. Sed consistit huiusmodi differentia in hoc quod, dum tota res quae est panis, convertitur in corpus Christi, formalis ratio naturae entis salvatur, formalis vero ratio proprii constitutivi et distinctivi panis non salvatur. Post conversionem enim panis in corpus Christi, panis entitas conversa entitas quaedam est, panis vero conversus panis non est. Sic enim verificatur quod sit conversio entitatis in entitatem, sublato eo per quod distinguebatur. Perinde est enim ac si dictum fuisset quod conversio fit per totius quidem rei conversionem in totam rem alteram, sed inter rationes seu conditiones substantiales communes vel proprias disparitas est: quia res conversa sic secundum communia quasi salvatur quod iterum suscipit eorum praedicationem, secundum vero propria non subit eorum praedicationem. Hoc enim modo intelligitur sublato id per quod distinguebatur, et totam rem converti in totam rem, ita quod nihil eius secundum se remaneat, aut in nihilum decidat.

Et si instetur quod, si tota res totaliter convertitur in totam aliam rem, frustra Auctor laboravit ad distinguendum in rebus convertibilibus naturam entis, in qua conveniunt, a propriis distinctivis rerum, etc.: respondetur non frustra, sed utiliter Auctorem laborasse ad reddendam rationem convertibilitatis totalis supernaturalis proportionaliter ad rationem conversionis substantialis naturalis. Dupliciter siquidem naturali conversione inventa, scilicet vel per modum generationis, sicut cum aer convertitur in novum ignem, vel per modum aggenerationis, sicut cum alimentum convertitur in substantiam eius quod nutritur; communis ratio utrique conversioni est convenientia in materia et differentia in formis, quibus fiebat distinctio; et in ipsa conversione materia utrobique remanet, et forma rei quae convertitur non remanet. Unde, ut proportionaliter de totali conversione doctrina traderetur, posuit Auctor in convertibilibus huiusmodi naturam entis, in qua convenirent, et constitutiva specifica, quibus distinguuntur; et rursus posuit naturam in qua res quae convertitur communicat cum altera, remanere in illa altera, non in seipsa, quia sic non converteretur in alteram rem, sed in sibi simile. Et propterea dicitur salvari rationem formalem eius, specificum autem distinctivum ita converti quod nec in se nec in suo simili remaneat. Et propterea auferri dicitur, et non salvari, secundum suam rationem formalem. Duplex propterea necessitas doctrinae huius fuit. Altera, ut conversio supernaturalis proportionalis conversionibus naturalibus sit monstrata. Altera, ut intellectus noster ex naturalibus conversionibus quas novit, manuducatur ad supernaturalia, etsi non penetranda, saltem cogitanda, ut non impossibilia existimentur. — Et haec pro expositione litterae sint dicta.

X. Conferendo autem Auctoris rationem de convertibilitate cuiusque creaturae in quamcumque aliam\*, occurrunt Petrus de Palude\*, ambiguus; et Durandus, obstans manifeste, in qu. II, dist. XI\*, dupliciter, scilicet solvendo rationem Auctoris, et arguendo contra dictam positionem\*.

Ratio igitur Auctoris, scilicet, *Agens virtutis infinitae, quod habet actionem in totum ens, potest convertere, etc.*, solvitur a Durando\* dicente quod ex hoc non potest convertere nisi communicantia in materia, ratione cuius unum potest dici manere in altero.

XI. Contra positionem autem arguit multipliciter\*. *Primo*. Conversum manet in eo in quod conversum est. Ergo

\* Cf. num. VIII, init.  
\* IV *Sent.*, dist. XI, qu. III, art. 3, conclus. 2.  
\* Quarti *Sent.*  
\* Cf. num. seq.

\* Cf. num. XIV, *Unde singillatim*.

\* Cf. *ibid.*, *Et in hoc*.

non possunt invicem converti nisi communicantia in materia. — Antecedens probatur. Quia per hoc differt conversio ab annihilatione. — Consequentia etiam probatur: ex eo quod non manet in eo actu, quia tunc non esset conversum. Ergo manet in eo in potentia: non activa, sed passiva. Haec autem est potentia materiae.

*Secundo.* Absurdum est angelum converti in lapidem, aut e contra: nisi diceretur illa absurditas, ab antiquo reprobata \*, quod una natura posset fieri alia, puta quod albedo possit fieri nigredo. Quod implicat contradictionem in omnibus naturis contrariis sive disparatis.

*Tertio.* Si unus angelus posset converti in alium, sequeretur quod angelus posset desinere esse sine annihilatione, scilicet per conversionem in alium. Consequens est falsum: quia angelus non potest incipere esse nisi per creationem; igitur nec potest desinere esse nisi per annihilationem.

Arguitur *quarto*, auctoritate Augustini, VII *super Gen.* \*, dicentis quod *corpus posse mutari in spiritum aut naturam incorpoream, nec aliquos sensisse scio, nec fides habet.*

*Quinto*, auctoritate Boetii, in libro *de duab. Naturis et una Persona Christi* \*, dicentis: *Illa sola inter se transmutari possunt quae habent unius materiae communem substantiam.*

XII. Deinde idem Durandus, in qu. III, arguit specialiter contra conversionem materiae in materiam \*, quam Auctor in hac littera ponit. Arguit autem sic. Si materia converteretur in materiam, conversio fieret per hoc quod materia desineret esse in se, et esset in suo simili, scilicet in materia alterius, in quam conversa dicitur. Sed hoc non potest dici. Quia sic conversio non differret ab annihilatione: nam, annihilata materia in aliquo, nihilominus remanet similis materia in alio, sine aliqua conversione. Et rursus sequeretur secundum hoc, quod non diceretur materia unius magis converti in materiam alicuius determinati, quam in materiam cuiuscumque alterius: quia quaelibet est similis cuilibet.

XIII. Demum arguit Durandus idem, ibidem, contra modum conversionis in littera positum, scilicet quod totum convertitur in totum, ita quod materia in materiam, et forma in formam convertuntur \*. Primo, quia ex hac positione sequitur substantiam panis vere annihilari. Et probatur sequela. *Primo.* Quia id quod prius fuit aliquid et postea est nihil, est vere annihilatum. Sed secundum hunc conversionis modum, substantia panis ante consecrationem fuit aliquid, et post consecrationem est nihil. Ergo substantia panis est vere annihilata. — Maior patet ex ratione terminorum. — Minor probatur. Quia id quod non est aliquid in se vel in alio, est nihil. Sed substantia panis post consecrationem non est aliquid in se, ut patet: nec in alio, scilicet corpore Christi, quia nihil plus est in corpore Christi quam ante.

*Secundo.* Quia, si in corruptione materia desineret esse quemadmodum et forma, iam non esset corruptio, sed annihilatio. Sed in hoc modo conversionis tam materia quam forma panis desinit esse. Ergo est vera annihilatio.

*Tertio.* Si, remanente corpore Christi immutato, rediret eadem substantia panis, oporteret panem illum creari: quia de nihilo fieret, quia non de substantia corporis Christi, nec de aliqua alia substantia fieret. Ergo si, praeeistente corpore Christi, et nihil de substantia panis in eo remanente, panis desinat esse, ut in proposito ponitur, vere annihilaretur. — Et probatur consequentia, ex eo quod eodem modo se habet aliquid ut sit terminus ad quem annihilationis, et terminus a quo creationis. Ac per hoc, sicut corpus Christi, redeunte pane per creationem, non impedit veram creationem; ita idem Christi corpus, desinente pane ita quod nihil eius maneat in se aut Christi corpore, non impedit quin sit vera annihilatio.

Unde infert Durandus quod, duobus existentibus modis conversionis in praeeistens, scilicet per modum quo alimentum convertitur in id quod alitur \*, et per modum imaginatum nulli intelligibilem, scilicet quo totum convertitur in totum praeeistens modo superius expresso; nec unus istorum per Ecclesiam sit magis approbatus aut reprobatus

quam alius: videtur probabiliter quod ille modus qui est possibilis et intelligibilis, esset eligendus et tenendus.

XIV. Ad horum evidentiam, non oportet alia iacere fundamenta: sed, si superius dicta \* recolantur, omnia fere patent. Si consideretur enim differentia inter aliquid esse seu remanere in alio, et id quod fuit aliquid esse illud aliud, elucescet solutio nodi. Imaginatur Durandus, et male, oportere conversum manere in eo in quod est conversum: cum, secundum veritatem, conversum non maneat in eo in quod est conversum, sed est ipsum in quod est conversum. Et propterea panis non annihilatur, nec remanet in corpore Christi: sed *id quod erat panis est corpus Christi.*

Unde, singillatim respondendo, confutatur solutio ad rationem Auctoris a Durando allata \*: quoniam innititur huic falso fundamento: Conversum oportet manere in eo in quod convertitur.

Et in hoc quoque peccat primum argumentum contra positionem Auctoris \*: nam hoc falsum assumit pro antecedente. — Et ad probationem eius respondetur falsissimum esse quod per hoc conversio differat ab annihilatione: differt enim ab illa per hoc quod *id quod erat panis est corpus Christi.*

Ad secundum dicitur quod, licet sit secundum naturalem potentiam absurdum angelum posse converti in lapidem, aut e contra; non est tamen absurdum secundum potentiam obedientiae ad divinam omnipotentiam. Et licet optime sit reprobatum albedinem fieri nigredinem, sicut etiam reprobatum est panem fieri corpus Christi; non tamen reprobatum est albedinem posse per divinam omnipotentiam converti in nigredinem; non enim implicat contradictionem. Et similiter panis potest converti in corpus Christi.

Ad tertium dicitur concedendo quod angelus possit desinere esse sine annihilatione per conversionem in alium. Et cum obiicitur quod non potest incipere esse nisi per creationem: respondetur quod, si *ly potest* attenditur secundum potentiam ordinariam, verum est; quia modus incipiendi per creationem est tanquam naturalis modus quo incipit esse angelus; cui responderet annihilatio, si tanquam naturali modo perderet esse. Verum, sicut supernaturaliter potest perdere esse per conversionem in aliam creaturam, non video quare supernaturaliter non possit incipere esse per conversionem alterius in ipsum, non praeeistentem, sed acquirentem esse. Et moveor ad hoc, quia facilius videtur convertere unam creaturam in aliam non praeeistentem et acquirentem esse, quam in eandem praeeistentem. Unde non admittitur ultimo assumptum a Durando in hoc argumento. Quod si admittendum putas, tanquam impertinens, nega sequelam ad praesentem difficultatem pertinentem.

Ad quartum et quintum simul dicitur quod tam Augustinus quam Boetius de mutationibus naturalibus, et quae de facto secundum fidem fiunt, loquuntur. Nos autem loquimur secundum divinae omnipotentiae amplitudinem.

XV. Ad obiecta deinde eiusdem contra conversionem materiae in materiam \*, respondetur, communicando in vocabulis cum arguente, quod remanere in suo simili contingit dupliciter: vel per solam similis remansionem; vel per remansionem similis sic quod est quod erat reliquum. Et in conversione quidem de qua est sermo, materia conversa remanet in suo simili secundo modo: quia materia corporis Christi est quod erat materia panis. Arguens vero accipit remanere in suo simili primo modo: secundum quem procedere consequentias, et non secundum alterum modum, clare patet.

XVI. Ad obiecta demum eiusdem Durandi, in qu. III, contra modum conversionis iam declaratae \*, negatur sequela annihilationis. Et ad primam probationem dicitur quod plus requiritur ad veritatem maioris: scilicet, quod id quod fuit res illa, postea sit nihil. Quod in proposito est falsum. Quia, licet panis ante consecrationem fuerit aliquid, et post consecrationem non sit aliquid, quia non est: quod tamen erat panis ante consecrationem, est post consecrationem aliquid, scilicet corpus Christi.

\* Cf. Arist. *Physic.* lib. I, cap. V, n. 2; cap. VI, n. 2 sqq. — S. Th. lect. x, xi.

\* Cap. XII.

\* Cap. VI. — Ed. Teubner, Lipsiae 1871.

\* Cf. num. xv.

\* Cf. num. xvi.

\* Cf. art. I, Comment. num. V, *Quidam autem.*

\* Num. v; art. 3, Comment. num. VII, *Secundo nota.*

\* Num. x.

\* Num. xi.

\* Num. XII.

\* Num. XIII.

Vel potes distinguere, maiorem dupliciter posse intelligi: scilicet, cum praecisione, vel sine praecisione. Et si quidem intelligatur cum praecisione, hoc est, praecidendo a quocumque alio non significato per eam, dicitur quod propositio est vera, et patet ex ratione terminorum: sed non esset admittenda minor cum huiusmodi praecisione. — Si vero intelligatur absque praecisione compossibilium cum ipsius veritate, quamvis non significatorum per eam: dicitur quod propositio potest esse et vera et falsa. Quia rem, puta panem, prius fuisse aliquid et postea nihil, pluribus modis contingere potest. Inter quos, unus est per totalem conversionem ipsius in corpus Christi. Secundum quem modum, falsa est propositio: quia quod erat panis est corpus Christi. Et quia in minore exprimitur iste modus, ideo simpliciter maior est falsa.

Ad secundum, negatur consequentia: quoniam, ut iam patet, plus requiritur ad annihilationem quam desinere esse materiam et formam\*.

\* Art. 3, Comment. num. IX, Ad secundum autem.

Et potes ad utrumque argumentum, et similia, altius respondere, dicendo quod *esse nihil, non esse aliquid, desinere esse*, et si quid huiusmodi significatur, contingit dupliciter. Uno modo, per se: et sic verificantur omnia assumpta. Alio modo, concomitanter ad conversionem in aliud: et sic omnia sunt falsa. Et quia in proposito panis concomitanter ad conversionem sui in corpus Christi non est aliquid, est nihil, desinit esse; et non per se est nihil, non est aliquid, desinit esse: ideo non annihilatur; annihilatio enim per se est ad nihil, ad non-aliquid, et ad non esse.

Ad tertium, negatur assumpta primo conditionalis, dicendo quod, si divina omnipotentia restitueret eundem panem numero, posset forte dupliciter illum restituere: scilicet vel per modum creationis, vel per modum reconversionis. Et si fieret per modum creationis, impertinentia sunt omnia quae adducuntur: quia corpus Christi non esset terminus a quo creationis, quod tamen fuit terminus ad quem conversionis. Et si sic fieret, essent verae ambae istae propositiones, *Hic panis est; et, Corpus Christi est quod fuit iste panis*. — Si vero fieret per reconversionem, ita quod corpus Christi, in quantum est quod erat panis, converteretur in panem: tunc verum esset quod *panis qui fuerat, iterum est*; sed non esset vera enuntiatio dicens, *Corpus Christi est quod erat iste panis*. — *Factus sum insipiens: sed Durandus me coegit*.

Quocirca illata a Durando de probabilitate suae phantasiae\*, manifeste convincuntur falsa ex decretali Lateranensi, *de Summa Trin. et Fide Cathol., Firmiter credimus*, cum dicitur: *transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem Christi*. Constat enim quod transubstantiatio importat aliud quam unionem materierum, quam finxit Durandus\*, fieri sub forma corporis Christi. Sonat namque, apud omnes fideles, mutationem quandam panis in corpus Christi ineffabilem, ita quod, mutatione facta, corpus Christi est quod erat panis, et ubi erat panis. Unde praestat, cum universali Ecclesia, *in captivitate redigere intellectum in obsequium Christi\**, quam, contra Ambrosii praeccepta\*, naturae vires, ordinem aut potentiam in hoc mysterio quaerere.

\* Num. xiii, Unde infert.

\* Cf. loc. cit. ibid.

\* II ad Cor., cap. x, vers. 5.  
\* De Mysteriis sive de Initand., cap. ix. — Cf. can. Revera, de Consecr., dist. II.

## ARTICULUS QUINTUS

### UTRUM IN HOC SACRAMENTO REMANEANT ACCIDENTIA PANIS ET VINI

IV Sent., dist. xi, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 2; dist. xii, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 2; IV Cont. Gent., cap. LXII, LXIII, LXV; Cont. Graec., Armen. etc., cap. viii; I ad Cor., cap. xi, lect. v.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in hoc sacramento non remaneant accidentia panis et vini. Remoto enim priori, removetur posterius. Sed substantia est naturaliter prior accidente, ut probatur VII *Metaphys.*\* Cum ergo, facta consecratione, non remaneat substantia panis in hoc sacramento, videtur quod non possint remanere accidentia eius.

\* S. Th. lect. 1. — Did. lib. VI, cap. 1, n. 6.

2. PRAETEREA, in sacramento veritatis non debet esse aliqua deceptio. Sed per accidentia iudicamus de substantia. Videtur ergo<sup>α</sup> quod decipiatur humanum iudicium, si, remanentibus accidentibus, substantia panis non remaneat. Non ergo hoc est conveniens huic sacramento.

\* Part. I, qu. 1, art. 6, ad 2; art. 8. — Cf. Sent., Prolog., art. 3, ad ult. β

3. PRAETEREA, quamvis fides non sit subiecta rationi, non tamen est contra rationem, sed supra ipsam: ut in principio huius Operis\* dictum est. Sed ratio nostra habet ortum a sensu. Ergo fides nostra non debet esse contra sensum<sup>β</sup>, dum sensus noster iudicat esse panem, et fides nostra credit esse substantiam corporis Christi. Non ergo hoc est conveniens huic sacramento, quod accidentia panis subiecta sensibus maneant, et substantia panis non maneat.

α) ergo. — P; om. I, autem ceteri.  
β) sensum. — Est autem contra sensum addunt E et tertia; noster et nostra om. tertia.

4. PRAETEREA, illud quod manet, conversione facta, videtur esse subiectum mutationis. Si ergo accidentia panis manent conversione facta, videtur quod ipsa accidentia sint conversionis subiectum. Quod est impossibile: nam *accidentis non est accidens\**. Non ergo in hoc sacramento debent remanere accidentia panis et vini.

\* Aristot. *Metaphys.*, lib. III, cap. IV, nn. 14, 15. — S. Th. lib. IV, lect. vii.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *Sententiarum Prosperii\**: *Nos in specie panis et vini, quam videmus, res invisibiles, idest carnem et sanguinem, honoramus*.

\* Lanfranc. *De Corp. et Sang. Dom.* cap. xii. — Cf. can. *Nos autem, de Consecr.*, dist. II.

RESPONDEO DICENDUM quod sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis et vini remanere. Quod quidem rationabiliter per divinam providentiam fit. Primo quidem, quia non est consuetum hominibus, sed horribile, carnem hominis comedere et sanguinem bibere, proponitur<sup>γ</sup> nobis caro et sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum quae frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis et vini.

Secundo, ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Dominum nostrum manducemus.

Tertio ut, dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

γ) proponitur. — et proponitur E, et ideo proponitur F, (et ideo P) proponuntur tertia.

\* Prop. 1. - Inter Opp. Aristot.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut dicitur in libro *de Causis* \*, effectus plus dependet a causa prima quam a causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest ut remaneant posteriora, sublatis prioribus <sup>δ</sup>.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in hoc sacramento nulla est deceptio: sunt enim <sup>ε</sup> secundum rei veritatem accidentia, quae sensibus diiudicantur. Intellectus autem, cuius est proprium obiectum

substantia \*, ut dicitur in III *de Anima* \*\*, per fidem a deceptione praeservatur.

Et sic patet responsio ad tertium. Nam fides non est contra sensum, sed est de eo ad quod sensus non attingit.

AD QUARTUM DICENDUM quod haec conversio non proprie habet subiectum \*, ut dictum est \*\*. Sed tamen accidentia, quae remanent, habent aliquam similitudinem subiecti.

\* D. 752.  
\*\* Cap. vi, n. 7. - S. Th. lect. xi.

\* D. 576.  
\*\* Art. 4, ad 1.

<sup>δ</sup>) posteriora, sublatis prioribus. - I; posteriora prioribus sublatis PsGH, priora sublatis posterioribus (posterioribus sublatis bc) ceteri.

<sup>ε</sup>) enim. - ibi addit tertia.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM, FACTA CONSECRATIONE, REMANEAT IN HOC SACRAMENTO FORMA SUBSTANTIALIS PANIS

IV *Sent.*, dist. xi, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; I *ad Cor.*, cap. xi, lect. iv.

\* Art. praeced.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis. Dicitur enim \* quod, facta consecratione, remaneant accidentia. Sed, cum panis sit quiddam artificiale, etiam forma eius est accidens. Ergo remanet, facta consecratione.

\* Cap. 1, n. 5. - S. Th. lect. 1.

2. PRAETEREA, forma corporis Christi est anima: dicitur enim in II *de Anima* \*, quod anima est *actus corporis physici potentia vitam habentis*. Sed non potest dici quod forma substantialis panis convertatur in animam. Ergo videtur quod remaneat, facta consecratione.

3. PRAETEREA, propria operatio rei sequitur formam substantialem eius. Sed illud quod remanet in hoc sacramento, nutrit, et omnem operationem facit quam faceret panis existens. Ergo forma substantialis panis remanet in hoc sacramento, facta consecratione.

\* Art. 2, 3, 4.

SED CONTRA, forma substantialis panis est de substantia panis. Sed substantia panis convertitur in corpus Christi, sicut dictum est \*. Ergo forma substantialis panis non manet.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam posuerunt quod, facta consecratione, non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis eius. - Sed hoc esse non potest. Primo quidem quia, si forma substantialis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Christi nisi sola materia. Et ita sequeretur quod non converteretur in corpus Christi totum, sed in eius materiam. Quod repugnat formae sacramenti, qua dicitur, *Hoc est corpus meum*.

\* Art. 2.

Secundo quia, si forma substantialis panis remaneret, aut remaneret in materia, aut a materia separata. Primum autem esse non potest. Quia, si remaneret in materia panis, tunc tota substantia panis remaneret: quod est contra praedicta \*. In alia autem materia remanere non posset: quia propria forma non est nisi in propria

materia. - Si autem remaneret a materia separata, iam esset forma intelligibilis actu, et etiam intellectus <sup>α</sup>: nam omnes formae a materia separatae sunt tales.

Tertio, esset inconueniens huic sacramento. Nam accidentia panis in hoc sacramento remanent ut sub eis videatur corpus Christi, non autem sub propria specie, sicut supra \* dictum est.

Et ideo dicendum est quod forma substantialis panis non manet.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod nihil prohibet arte fieri aliquid cuius forma non est accidens, sed forma substantialis \*: sicut arte possunt produci ranae et serpentes. Talem enim formam non producit ars virtute propria, sed virtute naturalium principiorum. Et hoc modo producit formam substantialem panis, virtute ignis decoquentis materiam ex farina et aqua confectam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod anima est forma corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, et esse corporeum, et esse animatum, et sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi \* secundum quod dat esse corporeum: non autem secundum quod dat esse animatum tali anima.

AD TERTIUM DICENDUM quod operationum panis quaedam consequuntur ipsum ratione accidentium, sicut immutare sensum. Et tales operationes inveniuntur in speciebus panis post consecrationem, propter ipsa accidentia, quae remanent.

Quaedam autem operationes consequuntur panem vel ratione materiae, sicut quod convertitur in aliquid; vel ratione formae substantialis, sicut est operatio consequens speciem eius, puta quod *confirmat cor hominis* \*. Et tales operationes inveniuntur in hoc sacramento, non propter formam vel materiam quae remaneat, sed quia miraculose conferuntur ipsis <sup>β</sup> accidentibus, ut infra \* dicitur.

<sup>α</sup>) etiam intellectus. - (etiam Pl) intelligens tertia.

<sup>β</sup>) ipsis. - FsE et tertia; in ipsis.

\* Ps. ciii, vers. 15.

\* Qu. LXXVII, art. 3, ad 2, 3; art. 5, 6.



## Commentaria Cardinalis Caietani

\* Hoc Comment. PAB art. quinto subiungunt.

\* Cf. qu. LXXIV, art. 3, Comment. num. iv.

In hoc articulo \*, et reliquis eiusdem septuagesimaequintae quaestionis, duo solum notanda occurrunt. Primum est in articulo sexto, ad primum, quod forma panis est forma substantialis \*, specie differens a pasta, secundum Auctorem, dum dicit quod *ars producit formam substantialem panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina et aqua confectam*.

Persuadetur autem sic esse, quia ex fide tenemus conversionem solius substantiae panis in substantiam corporis Christi. Si enim forma panis esset accidens, non per se, sed per aliud, scilicet subiectum, converteretur panis in corpus Christi. — Et rursus, nihil prohiberet, facta consecratione, remanere formam panis cum ceteris accidentibus remanentibus. Quod constat esse falsum.

II. In responsione ad secundum eiusdem sexti articuli, occurrit secundum, quod est ex Scoto, in IV *Sent.*, dist. xi, qu. iii \*, contra hanc litteram ponentem *formam panis converti in animam Christi secundum quod dat esse corporeum*. Arguitque dupliciter. Si hostia consecrata a Christo in Cena fuisset triduo mortis servata, permansisset eadem forma corporis Christi constituens illud corpus. Sed anima Christi non permansit in constituendo corpus illud: quia fuit separata a corpore. Ergo conversio non fuit facta in animam Christi. — Omnia sunt clara. Et prima consequentia patet ex eo quod res primo contenta est corpus Christi.

\* Art. 2.

\* Cf. num. v.

Praeterea \*, conversio realis debet fieri in rem realem ut realem. Sed anima intellectiva ut dat esse corporeum, distinguendo contra esse animatum, non est quid reale ut reale, sed potius ut ratio: sicut commune non est aliquid praeter singularia. Ergo ista conversio non est in animam Christi sub tali ratione.

III. Ad hoc dicitur quod, quia corpus Christi unum et idem est quod continetur sub hostia, et quod est secundum se, eadem est sententia de identitate corporis Christi in rerum natura, et in sacramento: non enim oportet magis servare identitatem corporis Christi in sacramento quam in rerum natura. Et propterea dicitur ad assumptam conditionalem quod res primo contenta fuisset in illo triduo eadem triplici identitate numerali, scilicet hypostasis, esse actualis existentiae, et materiae, et fuisset non eadem formaliter: sicut in rerum natura corpus Christi in illo triduo erat idem numero hypostasi, existentia et materia, non autem forma \*, quia forma cadaveris genita in morte Christi dabat tunc esse corporeum.

\* Cf. qu. xvii, art. 2, cum Comm.; qu. L, art. 5, cum Comment.  
\* Aristot. *Physic.* lib. III, cap. viii, n. 1, s. Th. lect. xiii; *de Gen. et Corrupt.* lib. III, cap. vii, n. 7, s. Th. lect. vii.  
\* Aristot. *de Partib. Animal.* lib. I, cap. 1; *de Generat. Animal.* lib. II, cap. 1.

Et hoc est philosophiae consentaneum, immo secundum illius principia necessarium: quia *corruptio unius est generatio alterius* \*. Nec minus exercitatis in philosophia absurdum videatur ponere formam cadaveris in corpore Christi: sicut nec absurdum eis videri debet quod oculi Christi mortui non erant oculi nisi aequivoce \*, et sic de aliis membris similibus. Non dedecent siquidem haec Salvatore nostrum, apud penetrantes quod dignatus est etiam

mori, et usque ad resurrectionem suam poenalitibus finem non imponere: ut separatio animae a corpore evidenter testatur, durans usque ad dictam resurrectionem.

IV. Et si contra hanc responsionem obiiciatur ex eodem Scoto, in vi qu. dist. x, quod sequeretur sub hostia servata illo triduo non esse corpus Christi: quia non contenta fuisset sub hostia materia sola, quoniam materia continetur sub sacramento ut pars totius, hoc est, corporis, materia autem sola non est pars corporis; nec materia cum anima Christi, quia erat separata ab illa; nec materia sub nova forma, quia sequerentur duo contradictoria, scilicet quod materia haberet simul novam formam et non haberet illam, nam in esse naturae haberet illam, et in sacramento non haberet illam: — respondendum est quod fuisset in illo triduo materia cum forma nova sub sacramento. Ita quod, quia secundum veritatem, praesupposita unitate formae in composito, corpus Christi in illo triduo constituebatur per novam formam, ideo in sacramento continebatur corpus per novam formam constitutum.

Et si instetur quod in illam formam nunquam facta est conversio: respondetur quod sufficit fuisse factam conversionem in corpus Christi remanens semper idem numero, per quamcumque formam constituatur, quia semper remanet non solum eadem materia, sed eadem hypostasis, et, quod plus est, idem esse; nam nova forma non dedit novum esse, sicut nec constituit novam hypostasim.

Et ista, licet sint mirabilia, sunt tamen vera singulariter in Christo. Et propterea corpus Christi in triduo, propter diversitatem formae non nisi secundum quid efficitur aliud: simpliciter enim et absolute loquendo, remanet et est semper idem numero.

Videtur tamen quod nova illa forma sicut adventitiae pertinet ad corpus Christi, in supplementum separatae ad tempus propriae animae; ita potius concomitanter quam ex vi sacramenti, nova illa forma contenta fuisset sub servata tunc hostia.

V. Ad secundum \* dicitur concedendo quod terminus conversionis est quid reale ut reale. Et propterea negatur animam dantem esse corporeum, ut sic, esse rationem, aut minimam aliquam diminutionem realitatis sonare. Licet enim distinctio ipsius dantis esse corporeum a seipsa dante esse animatum, sit ratio, seu rationis ens; ipsa tamen, tam dans esse corporeum ut sic, quam dans esse animatum ut sic, non minus est realis ut realis quam si distingueretur a seipsa realiter. Distinctio enim vel indistinctio huiusmodi per accidens se habent ad realitatem ipsius dantis hoc et dantis illud.

\* Num. ii, Praeterea.

VI. Et tu, Novitie, scito non referre ad fidei doctrinam, sed ad philosophicas opiniones, sic vel aliter sentire de identitate formali corporis Christi in triduo. Tenentes enim unam tantum formam substantialem in composito, de quorum numero est Auctor \*, consequenter dicunt sic. Opinantes autem esse plures formas substantiales in composito, aliter dicerent.

\* Part. I, qu. LXXVI, art. 4, et loc. ibi cit.

## ARTICULUS SEPTIMUS

## UTRUM ISTA CONVERSIO FIAT IN INSTANTI, VEL FIAT SUCCESSIVE

IV *Sent.*, dist. xi, qu. i, art. 3, qu<sup>a</sup> 2; *Quodl.* VII, qu. iv, art. 2.



AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ista conversio non fiat in instanti, sed fiat successive <sup>a</sup>. In hac enim conversione prius est substantia panis, et post-

ea substantia corporis Christi. Non ergo utrumque est in eodem instanti, sed in duobus instantibus. Sed inter quaelibet duo instantia est tempus medium \*. Ergo oportet quod haec conver-

\* D. 741.

<sup>a</sup>) fiat successive. — successive F, sit successiva tertia.

sio fiat secundum successionem temporis quod est inter ultimum instans quo est ibi panis, et primum instans quo est ibi corpus Christi.

2. PRAETEREA, in omni conversione est fieri et factum esse. Sed haec duo non sunt simul: quia quod fit, non est; quod autem factum est, iam est. Ergo in hac conversione est prius et posterius. Et ita oportet quod non sit instantanea, sed successiva.

3. PRAETEREA, Ambrosius dicit, in libro *de Sacram.* \*, quod istud sacramentum *Christi sermone conficitur*. Sed sermo Christi successive proferitur. Ergo haec conversio fit successive.

SED CONTRA EST quod haec conversio perficitur virtute infinita, cuius est subito operari.

RESPONDEO DICENDUM quod aliqua mutatio est instantanea triplici ratione. Uno quidem modo, ex parte formae, quae est terminus mutationis. Si enim sit aliqua forma quae recipiat magis aut  $\beta$  minus, successive acquiritur subiecto, sicut sanitas. Et ideo, quia forma substantialis *non recipit magis et minus* \*, inde est quod subito fit eius introductio in materia. – Alio modo, ex parte subiecti, quod quandoque successive praeparatur ad susceptionem  $\gamma$  formae: et ideo aqua successive calefit. Quando vero ipsum subiectum est in ultima dispositione ad formam, subito recipit ipsam: sicut diaphanum subito illuminatur. – Tertio, ex parte agentis, quod est infinitae virtutis: unde statim potest materiam ad  $\delta$  formam disponere. Sicut dicitur Marc. vii \*, quod, cum Christus dixisset, *Ephphetha, quod est adaperire*  $\epsilon$ , *statim apertae sunt aures hominis, et solutum est vinculum linguae eius*.

Et his tribus rationibus haec conversio est instantanea. Primo quidem, quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur ista conversio, non suscipit magis neque minus. – Secundo, quia in hac conversione non est aliquod subiectum \*, quod successive praeparatur. – Tertio, quia agitur Dei virtute infinita.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod quidam \* non simpliciter concedunt quod inter quaelibet duo instantia sit tempus medium. Dicunt enim quod hoc habet locum in duobus instantibus quae referuntur ad eundem motum, non autem in duobus instantibus quae referuntur ad diversa. Unde inter instans quod mensurat finem quietis, et aliud instans quod mensurat principium motus, non est tempus medium. – Sed in hoc decipiuntur. Quia unitas temporis et instantis, vel etiam pluralitas eorum, non accipitur secundum quoscumque motus, sed secundum primum motum caeli, qui est mensura omnis motus \* et quietis.

Et ideo alii hoc concedunt in tempore quod

mensurat motum dependentem ex motu caeli. Sunt autem quidam motus ex motu caeli non dependentes, nec ab eo mensurati: sicut in Prima Parte \* dictum est de motibus angelorum. Unde inter duo instantia illis motibus respondentia, non est tempus medium \*. – Sed hoc non habet locum in proposito. Quia, quamvis ista conversio secundum se non habeat ordinem ad motum caeli, consequitur tamen prolationem verborum, quam necesse est motu caeli mensurari. Et ideo necesse est inter quaelibet duo instantia circa istam conversionem signata esse tempus medium.

Quidam ergo dicunt quod instans in quo ultimo est panis, et instans in quo primo est corpus Christi, sunt quidem duo per comparationem ad mensurata  $\zeta$ , sed sunt unum per comparationem ad tempus mensurans: sicut, cum duae lineae se contingunt, sunt duo puncta ex parte duarum linearum, unum autem punctum ex parte loci continentis  $\eta$ . – Sed hoc non est simile. Quia instans et tempus particularibus motibus non est mensura intrinseca, sicut linea et punctus corporibus: sed solum extrinseca, sicut corporibus locus.

Unde alii dicunt quod est idem instans re, sed aliud ratione. – Sed secundum hoc sequeretur quod realiter opposita essent simul. Nam diversitas rationis non variat aliquid ex parte rei.

Et ideo dicendum est quod haec conversio, sicut dictum est \*, perficitur per verba Christi, quae a sacerdote proferuntur, ita quod  $\theta$  ultimum instans prolationis verborum est primum instans in quo est in sacramento corpus Christi, in toto autem tempore praecedente est ibi substantia panis. Cuius temporis non est accipere aliquod instans proximo praecedens ultimum: quia tempus non componitur ex instantibus consequenter se habentibus, ut probatur in VI *Physic.* \* Et ideo est quidem dare instans  $\iota$  in quo est corpus Christi, non est autem dare ultimum instans in quo sit substantia panis, sed est dare ultimum tempus. Et idem est in mutationibus naturalibus \*: ut patet per Philosophum, in VIII *Physicorum* \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in mutationibus instantaneis simul est fieri et factum esse: sicut simul est illuminari et illuminatum esse. Dicitur enim in talibus factum esse secundum quod iam est: fieri autem, secundum quod ante non fuit.

AD TERTIUM DICENDUM quod ista conversio, sicut dictum est \*, fit in ultimo instanti prolationis verborum: tunc enim completur \* verborum significatio, quae est efficax in sacramentorum formis. Et ideo non sequitur quod ista conversio sit successiva.

\* Lib. IV, cap. IV, n. 14.

\* Cf. Aristot. *Ca-*  
*leg.* cap. III, n. 20.

\* Vers. 34, 35.

\* D. 576.

\* Cf. Albert. M.  
IV *Sent.*, dist. XI  
B, art. 3, opin.  
ult. ; S. Bonav.  
IV *Sent.*, dist. XI,  
part. I, art. unic.,  
qu. v, in fine.

\* Aristot. *Physic.*  
lib. IV, cap. XIV,  
n. 5, s. Th. lect.  
XXIII; *De Caelo*,  
lib. II, cap. IV, n.  
7, s. Th. lect. VI.

$\beta$ ) *aut.* – et tertia et a.  
 $\gamma$ ) *susceptionem.* – FsE et tertia praeter I; *successionem.*  
 $\delta$ ) *ad.* – FIsG; *aut.*  
 $\epsilon$ ) *adaperire.* – *aperire* CDEFa.  
 $\zeta$ ) *ad mensurata.* – F et tertia praeter I; *commensurata* ACpD, *mensurata* BsD, *ad commensurata* E, *ad mensuram* I, *mensurati* ed. a.

$\eta$ ) *loci continentis.* – E et tertia praeter b; *lineae gntis* (idest *consequentis*) D, *lineae continentis* ceteri.  
 $\theta$ ) *quod.* – EFIsG et editiones; et ABCD, ut ed. a, om. HpG.  
 $\iota$ ) *instans.* – *primum instans* PEI, (*ideo est dare quoddam*) *instans* ed. a.  
 $\kappa$ ) *completur.* – FsE a et tertia; *recompletur* ABCpD, *re completur* sD; *tunc... verborum* om. pE.

\* Qu. LIII, art. 3.

\* D. 741.

$\zeta$

$\eta$

\* Art. 3.

$\theta$

\* Cap. I, n. 2. -  
S. Th. lect. I.

\* D. 744.

\* Cap. VIII, n. 6. -  
S. Th. lect. XVII.

\* Resp. ad 1.

$\kappa$

## ARTICULUS OCTAVUS

## UTRUM HAEC SIT VERA: EX PANE FIT CORPUS CHRISTI

IV Sent., dist. xi, qu. 1, art. 4.

**A**D OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod haec sit falsa: *Ex pane fit corpus Christi*. Omne enim id ex quo fit aliquid, est id quod fit illud <sup>α</sup>, sed non convertitur: dicimus enim quod ex albo fit nigrum, et quod album fit nigrum; et licet dicamus quod homo fiat niger, non tamen dicimus quod ex homine fiat nigrum; ut patet in I *Physic.* \* Si ergo verum est quod ex pane fiat corpus Christi, verum erit dicere quod panis fiat corpus Christi. Quod videtur esse falsum: quia panis non est subiectum factionis, sed magis est terminus. Ergo non vere dicitur quod ex pane fiat corpus Christi.

2. PRAETEREA, fieri terminatur ad esse, vel ad factum esse. Sed haec nunquam est vera, *Panis est corpus Christi*, vel, *Panis est factus corpus Christi*, vel etiam, *Panis erit corpus Christi*. Ergo videtur quod nec haec sit vera, *Ex pane fit corpus Christi*.

3. PRAETEREA, omne id ex quo fit aliquid, convertitur in id quod fit ex eo. Sed haec videtur esse falsa, *Panis convertitur in corpus Christi*: quia haec conversio <sup>β</sup> videtur esse miraculosior quam creatio; in qua tamen non dicitur quod non ens convertatur in ens. Ergo videtur quod etiam haec sit falsa, *Ex pane fit corpus Christi*.

4. PRAETEREA, illud ex quo fit aliquid, potest esse illud. Sed haec est falsa, *Panis potest esse corpus Christi*. Ergo etiam haec est falsa, *Ex pane fit corpus Christi*.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* \*: *Ubi accedit consecratio, de pane fit corpus Christi*.

RESPONDEO DICENDUM quod haec conversio panis in corpus Christi, quantum ad aliquid convenit cum creatione et cum transmutatione naturali, et quantum ad aliquid differt ab utroque. Est enim commune his tribus ordo terminorum, scilicet ut post hoc sit hoc, in creatione enim est esse post non esse, in hoc sacramento corpus Christi post substantiam panis, in transmutatione naturali album post nigrum vel ignis post aerem; et quod praedicti termini non sint simul.

Convenit autem conversio de qua nunc loquimur cum creatione, quia in neutra earum est aliquod commune subiectum utrique extremorum. Cuius contrarium apparet in omni transmutatione naturali.

Convenit vero haec conversio cum transmutatione naturali in duobus, licet non similiter. Primo quidem, quia in utraque unum extremorum transit in aliud, sicut panis in corpus Christi,

et aer in ignem: non autem non ens convertitur in ens. Aliter tamen hoc accidit utrobique. Nam in hoc sacramento tota substantia panis transit in totum corpus Christi: sed in transmutatione naturali materia unius suscipit formam alterius, priori forma deposita. – Secundo conveniunt in hoc, quod utrobique remanet aliquid idem: quod non accidit in creatione. Differenter tamen: nam in transmutatione naturali remanet eadem materia vel subiectum; in hoc autem sacramento remanent eadem accidentia.

Et ex his accipi potest qualiter differenter in talibus loqui debeamus. Quia enim in nullo praedictorum trium extrema sunt simul, ideo in nullo eorum potest unum extremum de alio praedicari per verbum substantivum praesentis temporis: non enim dicimus, *Non ens est ens*, vel, *Panis est corpus Christi*, vel, *Aer est ignis aut album nigrum*.

Propter ordinem vero extremorum, possumus uti in omnibus hac praepositione *ex*, quae ordinem designat <sup>δ</sup>. Possumus enim vere et proprie dicere quod *ex non ente fit ens*, et *ex pane corpus Christi*, et *ex aere ignis vel ex albo nigrum*.

Quia vero in creatione unum extremorum non transit in alterum, non possumus in creatione uti verbo *conversionis*, ut dicamus quod *non ens convertitur in ens*. Quo tamen verbo uti possumus in hoc sacramento, sicut et in transmutatione naturali. Sed quia in hoc sacramento tota substantia in totam <sup>ε</sup> mutatur, propter hoc haec conversio proprie *transsubstantiatio* vocatur.

Rursus, quia huius conversionis non est accipere aliquod subiectum, ea quae verificantur in conversione naturali ratione subiecti, non sunt concedenda in hac conversione. Et primo quidem, manifestum est quod potentia ad oppositum consequitur subiectum: ratione cuius dicimus quod *album potest esse nigrum*, vel *aer potest esse ignis*. Licet haec non sit ita propria sicut prima: nam subiectum albi, in quo est potentia ad nigredinem, est tota substantia albi, non enim albedo est pars eius; subiectum autem formae aeris est pars eius; unde, cum dicitur, *Aer potest esse ignis*, verificatur ratione partis per synecdochen. Sed in hac conversione, et similiter in creatione, quia nullum est subiectum \*, non dicitur quod unum extremum possit esse aliud, sicut quod *non ens possit esse ens*, vel quod *panis possit esse corpus Christi*. – Et eadem ratione non potest proprie dici quod *de non ente fiat ens*, vel quod *de pane fiat corpus Christi*: quia

<sup>α</sup>) est id quod fit illud. – est idem quod fit illud ABA, etiam quod (quod expungit) fit illud E, est id quod fit F.  
<sup>β</sup>) haec conversio. – FlsG et editiones; haec DEHpG et a, hoc ABC. – Post creatio G et editiones addunt mundi.

<sup>γ</sup>) aut album. – vel album GHbc, vel album est PF.  
<sup>δ</sup>) designat. – EF et tertia; denotat D, significat ante ordinem ed. a, om. ABC.  
<sup>ε</sup>) totam. – substantiam addit tertia praeter I.

\* Cap. V, n. 3. S. Th. lect. x.

\* Lib. IV, cap. IV, n. 14.

\* D. 576.

haec praepositio *de* designat <sup>ζ</sup> causam consubstantialitatem; quae quidem consubstantialitas extremorum in transmutationibus naturalibus attenditur penes convenientiam in subiecto. — Et simili ratione non conceditur quod *panis erit corpus Christi*, vel quod *fiat corpus Christi*, sicut neque conceditur in creatione quod *non ens erit ens* <sup>η</sup>, vel quod *non ens fiat ens*: quia hic modus loquendi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subiecti, puta cum dicimus quod *album fit nigrum*, vel *album erit nigrum*.

\* In hoc art., et art. 5.

Quia tamen in hoc sacramento, facta conversione, aliquid idem manet, scilicet accidentia panis, ut supra \* dictum est, secundum quandam similitudinem aliquae harum locutionum possunt concedi: scilicet quod *panis sit corpus Christi*, vel, *panis erit corpus Christi*, vel, *de pane fit corpus Christi*; ut nomine *panis* non intelligatur substantia panis, sed in universali *hoc quod sub speciebus panis continetur*, sub quibus prius continetur substantia panis, et postea corpus Christi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illud ex quo aliquid fit, quandoque quidem importat simul subiectum cum uno extremorum transmutationis: sicut cum dicitur, *Ex albo fit nigrum* <sup>θ</sup>. Quandoque vero importat solum oppositum, vel extremum: sicut cum dicitur, *Ex mane fit dies*. Et sic non conceditur quod hoc fiat illud, idest quod *mane fiat dies*. Et ita etiam <sup>ι</sup> in proposito,

licet proprie dicatur quod *ex pane fiat corpus Christi*, non tamen proprie dicitur quod *panis fiat corpus Christi*, nisi secundum quandam similitudinem, ut dictum est \*.

\* In corpore, fin.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illud ex quo fit aliquid, quandoque erit illud, propter subiectum quod importatur. Et ideo, cum huius conversionis non sit aliquid subiectum, non est similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod in hac conversione sunt plura difficilia quam in creatione, in qua hoc solum difficile est, quod aliquid fit ex nihilo: quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primae causae, quae nihil aliud praesupponit. Sed in hac conversione non solum est difficile quod hoc totum convertitur in illud totum, ita quod nihil prioris remaneat, quod non pertinet ad communem modum productionis alicuius causae: sed etiam habet hoc difficile, quod accidentia remanent corrupta substantia, et multa alia, de quibus in sequentibus \* agetur. Tamen verbum *conversionis* recipitur in hoc sacramento, non autem in creatione, sicut dictum est \*.

\* Qu. LXXVII.

\* In corpore.

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut dictum est \*, potentia pertinet ad subiectum, quod non est accipere in hac conversione. Et ideo non conceditur quod panis possit esse corpus Christi: non enim haec conversio fit per potentiam passivam creaturae, sed per solam potentiam activam Creatoris.

\* Ibid.

ζ) *de designat*. — PF; *designat b, de signat vel de significat* ceteri.  
η) *ens*. — Ea et tertia; om. ABCD; *erit ens vel quod non ens* om. F.

θ) *nigrum*. — et sic etiam dici potest: hoc fit illud, idest album fit nigrum addunt PI.

ι) *etiam*. — Tertia praeter I; om. DI, *est* ceteri.



## QUAESTIO SEPTUAGESIMASEXTA

### DE MODO QUO CHRISTUS EXISTIT IN HOC SACRAMENTO

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXIV, Introd.

**D**EINDE considerandum est de modo quo Christus existit in hoc sacramento\*.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum totus Christus sit sub hoc sacramento.

Secundo: utrum totus Christus sit sub utraque specie<sup>a</sup> sacramenti.

Tertio: utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Quarto: utrum dimensiones corporis Christi totae sint in hoc sacramento.

Quinto: utrum corpus Christi sit in hoc sacramento localiter.

Sexto: utrum corpus Christi moveatur ad motum hostiae vel calicis post consecrationem.

Septimo: utrum corpus Christi sub hoc sacramento possit ab aliquo oculo videri<sup>β</sup>.

Octavo: utrum verum corpus Christi remaneat in hoc sacramento quando miraculose apparet sub specie pueri vel carnis.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM TOTUS CHRISTUS CONTINEATUR SUB HOC SACRAMENTO

IV *Sent.*, dist. x, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIV; *Quodl.* VII, qu. IV, art. 1; *In Matth.*, cap. XXVI; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VI.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non totus Christus contineatur sub hoc sacramento. Christus enim incipit esse in hoc sacramento per conversionem panis et vini<sup>γ</sup>. Sed manifestum est quod panis et vinum non possunt converti neque in divinitatem Christi, neque in eius animam. Cum ergo Christus existat ex tribus substantiis, scilicet divinitate, anima et corpore, ut supra\* habitum est; videtur quod Christus totus non sit in hoc sacramento.

\* Qu. II, art. 5; qu. V, art. 1, 3.

2. PRAETEREA, Christus est in hoc sacramento secundum quod competit refectioni fidelium, quae in cibo et potu consistit, sicut supra\* dictum est. Sed Dominus dicit, Ioan. VI\*: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Ergo solum caro et sanguis Christi continetur<sup>δ</sup> in hoc sacramento. Sunt autem multae aliae partes corporis Christi: puta nervi et ossa et alia huiusmodi. Non ergo totus Christus continetur sub hoc sacramento.

\* Qu. LXXIV, art. 1.  
\* Vers. 56.

3. PRAETEREA, corpus maioris quantitatis non potest totum contineri sub minoris quantitatis mensura. Sed mensura panis et vini consecrati est multo minor quam propria mensura corporis Christi. Non potest ergo esse quod totus Christus sit sub hoc sacramento.

\* Can. *Ante benedict.*, de *Consecr.*, dist. II.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in libro *de Offic.*\*: *In illo sacramento Christus est*.

RESPONDEO DICENDUM quod omnino necesse est confiteri secundum fidem Catholicam quod totus Christus sit in hoc sacramento. Sciendum tamen quod aliquid Christi est in hoc sacramento dupliciter: uno modo, quasi ex vi sacramenti; alio modo, ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti, est sub speciebus huius sacramenti id in quod directe convertitur substantia panis et vini praeeexistens, prout significatur per verba formae, quae sunt effectiva in hoc sacramento sicut et in ceteris: puta cum dicitur, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud quod realiter est coniunctum ei in quod praedicta conversio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse: sola enim operatione animae discernuntur quae realiter sunt coniuncta.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia conversio panis et vini non terminatur ad divinitatem vel animam Christi, consequens est quod divinitas vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Quia enim divinitas corpus assumptum nunquam deposuit, ubicumque est corpus Christi, necesse est et eius divinitatem esse. Et ideo in hoc sacramento necesse est esse divinitatem Christi concomitantem eius corpus. Unde in

a) specie. — PFI; parte CDEHbc; AB legunt: *sit sub qualibet vel utraque parte sacramenti specierum*, sed in A *specierum* expungitur; G: *sit sub aliqua parte vel utraque parte specierum sacramenti*, sed aliqua parte vel expungitur; ed. a: *sit sub utraque parte specierum*.

β) sub... videri. — prout est in hoc sacramento possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato tertia praeter I.

γ) vini. — in ipsum sicut dictum est addunt EI, sicut dictum est addunt editiones.

δ) continetur. — continentur P.

\*Act. Conc. Eph., part. I, cap. xxvi, Epist. Cyrill. ad Nestor., cap. vii. - Cf. can. Necessarie, de Consecr., dist. II.

Symbolo Ephesino \* legitur: *Participes effici-mur corporis et sanguinis Christi, non ut communem carnem percipientes, nec viri sanctificati et Verbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam.*

\* Qu. L, art. 5.

Anima vero realiter separata fuit a corpore, ut supra \* dictum est. Et ideo, si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima, nec ex vi sacramenti nec ex reali concomitantia. Sed quia *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*, ut dicitur Rom. VI \*, anima eius semper est realiter corpori unita. Et ideo in hoc sacramento corpus quidem Christi est ex vi sacramenti, anima autem ex reali concomitantia.

\* Vers. 9.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ex vi sacramenti sub hoc sacramento continetur, quantum ad species panis, non solum caro, sed totum corpus Christi, idest ossa et nervi et alia huiusmodi. Et hoc apparet ex forma huius sacramenti, in qua non dicitur, *Haec est caro mea*, sed, *Hoc est corpus meum*. Et ideo, cum Dominus dixit, Ioan. VI, *Caro mea vere est cibus*, caro ponitur ibi pro toto

corpore, quia, secundum consuetudinem humanam, videtur esse magis manducationi accommodata \*: prout scilicet homines carnibus animalium vescuntur communiter, non ossibus vel aliis huiusmodi.

\* Qu. LXXV, art. 5.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dictum est \*, facta conversione panis in corpus Christi vel vini in sanguinem, accidentia utriusque remanent. Ex quo patet quod dimensiones panis vel vini non convertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam. Et sic substantia corporis Christi vel sanguinis est in hoc sacramento ex vi sacramenti, non autem dimensiones corporis vel sanguinis Christi. Unde patet quod corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae, et non per modum quantitatis. Propria autem totalitas substantiae continetur indifferenter in parva vel magna quantitate: sicut tota natura aeris in magno vel parvo aere, et tota natura hominis in magno vel parvo homine. Unde et tota substantia corporis Christi et sanguinis continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi substantia panis et vini.

e) accommodata. — accommoda CDISG.

z) Christi et sanguinis. — et sanguinis Christi P. Cf. qu. LXXVII art. 4. corp. post med.

η) substantia. — tota substantia tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo primi articuli *ly totus Christus* importat eius divinitatem et humanitatem, animam et corpus, partesque corporis omnes.

In corpore eiusdem articuli dubium occurrit ex Durando, in IV Sent., dist. X, qu. II, contra hanc propositionem communem arguente, scilicet: *Si aliqua duo sunt realiter coniuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et reliquum esse*. Solvit enim primo eam, dicens esse veram de existentia in loco localiter: non autem de existentia in loco alicubi per habitudinem praesentiae, qualiter contingit in proposito. Et ratio est, quia duorum realiter coniunctorum potest alterum habitudinem habere praesentiae ad aliquid, et reliquum non habere illam.

Affert deinde instantiam. Quia corpori Christi coniunctum realiter est de facto esse in caelo. Et tamen illud esse in caelo non est sub hoc sacramento, etiam concomitanter.

II. Ad hoc dicitur quod aliud est loqui de habitudine in communi: et aliud est loqui de habitudine tali, puta contenti ad continens. Licet enim duorum coniunctorum realiter unum possit habere habitudinem ad aliquid, et reliquum non; tamen non potest unum eorum habere habitudinem contenti ad continens, et reliquum non. Et quia de tali habitudine est praesens sermo, quoniam credimus Christum veraciter contineri sub specie panis; ideo solida stat communis propositio assumpta in littera, et vera non solum de existentia alicubi localiter, sed etiam de existentia reali sacramentaliter, quam significamus per *contineri sub sacramento*.

Ad instantiam autem dicitur quod propositio dicta ab omnibus intelligitur de his quae insunt Christo absolute: et non per respectum ad extrinsecum, de quorum numero est esse in loco. Et hanc limitationem subintellectam explicat inferius Auctor in articulo quinto, ad tertium.

III. In eodem articulo, in responsione ad tertium, nota, Novitiae, novos terminos, scilicet: *per modum substantiae, per modum quantitatis*. Et adverte, pro hoc loco et pro articulo tertio et quarto specialiter, ne oporteat idem sae-

pius repetere, tria haberi in littera ab Auctore de istis modis.

Primum attribuitur modo substantiae quod *propria totalitas substantiae continetur indifferenter in parva vel in magna quantitate*. Et per hoc intellige quoque suum oppositum: scilicet quod modo quantitatis attribuitur quod *totalitas quantitativa non continetur indifferenter in parva vel in magna quantitate, sed praecise in aequali*.

Secundum, quod explicatur in articulo tertio, est quod modo substantiae attribuitur quod *natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur*. Et per oppositum intellige attribui modo quantitatis quod *tota quantitas non est sub qualibet parte dimensionum loci sub quibus continetur*.

Tertium, explicativum utriusque, quod in articulo quarto, ad primum, ponitur, est quod modo substantiae attribuitur quod *eius natura est tota in toto et tota in qualibet parte*. Et per oppositum modo quantitatis attribuitur ut sit *tota in toto loco, et singulae partes in singulis partibus*.

IV. In quibus omnibus esto semper cautus, cum de *tota substantia* aut *tota natura* sermo est. Quoniam non de totalitate partium quantitativarum, sed partium essentialium, loquimur. Et perinde est dicere, *tota substantia*, ac si diceretur, *integra species substantiae*. Integritas enim speciei vocatur propria totalitas substantiae: non quia in sola substantia invenitur, cum inveniatur etiam in accidentibus integritas specifica; sed quia primo invenitur in substantia. Et directè distinguitur contra totalitatem quantitativam: ita quod oppositae conditiones utriusque utramque nobis manifestant.

Est igitur sensus primae differentiae in littera attributae his modis, scilicet per modum quantitatis et per modum substantiae, quod integritas specifica substantiae potest contineri in magna et in parva quantitate, ut patet in homogeneis et heterogeneis in littera: totum autem quantitativum, ut sic, non nisi sub aequali primo continetur; oportet enim locum et locatum aequari.

V. Et similiter sensus tam secundae quam tertiae differentiae est quod integritas specifica substantiae est tota, idest *secundum suam integritatem*, in toto quantitativo, et in qualibet quantitatis parte.

Sed est hic dubitationis locus. Quoniam evidenter constat in substantiis heterogeneis non esse has conditiones veras, sed in homogeneis tantum. Licet enim integritas naturae ignis, aeris, panis, et cuiuscumque alterius homogenei, sit tota, idest secundum suam integritatem specificam, sub tota quantitate sua, et similiter sub qualibet eius parte, quaelibet enim pars ignis est ignis, et quaelibet pars panis est panis, etc.: integritas tamen naturae humanae est ita secundum suam integritatem in toto quod non est secundum suam integritatem in qualibet parte; unde non quaelibet pars hominis est homo. Et propterea videtur quod istae duae differentiae non sint substantiae, sed substantiae talis, hoc est homogeneae: et incaute locutus videtur Auctor, seu false, attribuendo hoc modo substantiae absolute.

Ad hoc dicitur sermonem Auctoris esse formalem de substantia et substantiae modo absolute: ut patet ex eo quod, sive substantia sit simplex sive ex materia et forma composita, semper specifica integritas substantiae salvatur in tota quantitate et in qualibet eius parte. Et de simplici quidem liquet. De composita vero ex materia et forma, manifestatur ex eo quod non respondet forma uni parti quantitativae, et materia alteri parti quantitativae. Nec ex ratione compositi ex materia et forma aliquid invenitur obviare ad hoc quod integrum compositum sit in qualibet parte: alioquin hoc non salvaretur in substantiis homogeneis, quas constat compositas esse ex materia et forma. Unde accidit substantiae ex hoc quod heterogenea est, quod non sit tota in qualibet parte. Et accidit hoc ex parte materiae, quam oportet difformem esse in talibus substantiis.

VI. Dubium alterum superest, an per modum substantiae intelligat Auctor id quod communiter dicitur, *esse indivisibiliter*. Et est ratio dubii, quia in articulo tertio Auctor, declarando modum substantiae, dicit: *per modum*

*substantiae, idest per modum quo substantia est sub dimensionibus*. Ex hac enim declaratione habetur quod modus substantiae non importat indivisibilitatem: nam substantia sub dimensionibus non est indivisibiliter, immo extenditur.

Ad hoc breviter dicitur quod esse per modum substantiae importat id quod communiter dicitur, *esse indivisibiliter*. Ad hunc enim modum spectant omnes conditiones et differentiae supra \* positae. Sed caute attendendum est quod indivisibilitas respicit propriam totalitatem substantiae, hoc est, integritatem naturae. Ita quod dicere quod substantia est indivisibiliter, est dicere quod integritas specifica substantiae non dividitur secundum divisionem dimensionum seu partium quantitativarum: quia non respondet una pars specifica naturae uni parti quantitativae et altera alteri, sed integritas naturae ita est sub totis dimensionibus quod etiam integra natura est sub qualibet parte dimensionum. Est ergo substantia per modum substantiae, idest, indivisibiliter secundum integritatem naturae, sub dimensionibus.

Et cum hoc stat quod extendatur sub dimensionibus. Quoniam huiusmodi extensio non tollit indivisibilitatem integritatis naturae, sed ponit solam divisionem quantitativam, ex eo quod afficit illam solam ut subiectum: quam etiam non poneret in illa substantia existente sub ipsa, si non afficeret illam. Et propterea corpus Christi, succedens substantiae panis quantum ad subesse dimensionibus remanentibus, et non quantum ad affici dimensionibus illis, non extenditur ad extensionem dimensionum: sicut extendebatur per illas substantia panis ex hoc quod afficiebatur illis ut subiectum ipsarum.

Conclude ergo, et tene, quod *substantiam per modum substantiae existere in aliquo* est substantiam indivisibiliter esse in illo. Et non dico substantiam esse *indivisibilem*; sed, substantiam *esse indivisibiliter in illo*: hoc est, substantiam se habere ad illud indivisibiliter, et non quantitative seu divisibiliter, hoc est coextense, sicut quantitas locati coextenditur quantitati loci.

\* Num. III.

## ARTICULUS SECUNDUS

## UTRUM SUB UTRAQUE SPECIE HUIUS SACRAMENTI TOTUS CHRISTUS CONTINEATUR

Infra, qu. LXXVIII, art. 6, ad 1; IV *Sent.*, dist. x, art. 2, qu<sup>a</sup> 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIV; In *Ioan.*, cap. vi, lect. vi; I *ad Cor.*, cap. xi, lect. vi.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEditUR. Videtur quod non sub utraque specie huius sacramenti totus Christus contineatur. Hoc enim sacramentum ad salutem fidelium ordinatur, non virtute specierum, sed virtute eius quod sub speciebus continetur: quia species erant etiam ante consecrationem, ex qua est virtus huius sacramenti. Si ergo nihil continetur sub una specie quod non contineatur sub alia, et totus Christus continetur sub utraque, videtur quod altera illarum superfluat in hoc sacramento.

2. PRAETEREA, dictum est \* quod sub nomine *carnis* omnes aliae partes corporis continentur, sicut ossa, nervi et alia huiusmodi. Sed sanguis est una partium humani corporis: sicut patet per Aristotelem, in libro *Animalium* <sup>α</sup> \*. Si ergo sanguis Christi continetur sub specie panis, sicut continentur ibi aliae partes corporis, non deberet

seorsum sanguis consecrari: sicut neque seorsum consecratur alia <sup>β</sup> pars corporis.

3. PRAETEREA, quod iam factum <sup>γ</sup> est, iterum fieri non potest. Sed corpus Christi iam incoepit esse in hoc sacramento per consecrationem panis. Ergo non potest esse quod denuo <sup>δ</sup> incipiat esse per consecrationem vini. Et ita sub specie vini non continebitur corpus Christi; et per consequens nec totus Christus. Non ergo sub utraque specie totus Christus continetur.

SED CONTRA EST quod, I *Cor.* xi, super illud \*, *calicem* <sup>ε</sup>, dicit Glossa \* quod *sub utraque specie*, scilicet panis et vini, *idem sumitur*. Et ita videtur quod sub utraque specie totus Christus sit.

RESPONDEO DICENDUM certissime ex supra \* dictis <sup>ζ</sup> tenendum esse quod sub utraque specie sacramenti totus est Christus: aliter tamen et aliter. Nam sub speciebus panis est quidem cor-

\* Art. 1, ad 1.

<sup>α</sup> De *Animalib. Histor.* lib. I, cap. iv, n. 3; lib. III, cap. xix, n. 3 sqq.; de *Partib. Animal.*, lib. II, cap. II.

α) *Animalium*. — de *Animalibus* PIsG.β) *alia*. — GHbc; *aliqua alia* PFIa, *aliqua* ceteri. Cf. x.γ) *factum*. — *perfectum* AB.δ) *denuo*. — *de novo* F et *tertia* praeter I.ε) *calicem*. — *et calicem* PFIc, *a calicem* E.ζ) *ex supra dictis*. — *et ex supra dictis bc*, om. P; F legit: *dicendum quod certissime ex supra dictis patet et tenendum est*; I: *dicendum quod certissime tenendum esse*; A etiam habet *quod* et tamen esse.

β

γ

δ

\* Vers. 25.

\* Ord. et Lomb.

\* Art. 1.

ζ

\* Ibid., ad 1.

pus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia: sicut supra \* dictum est de anima et divinitate Christi. Sub speciebus vero vini est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima et divinitas: eo quod nunc sanguis Christi non est ab eius corpore separatus, sicut fuit tempore passionis et mortis. Unde, si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine, et sub specie <sup>7</sup> vini sanguis sine corpore: sicut erat in rei veritate.

7

0

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra. Nam primo quidem, hoc valet ad repraesentandam passionem Christi, in qua seorsum sanguis fuit a corpore <sup>0</sup>. Unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de eius effusione.

Secundo, hoc est conveniens usui huius sacramenti: ut seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, et sanguis in potum.

Tertio, quantum ad effectum: secundum quod supra \* dictum est quod *corpus exhibetur pro salute corporis, sanguis pro salute animae*.

\* Qu. LXXIV, art. 1, ex Pseudo-Ambros.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in passione Christi, cuius hoc sacramentum est memoriale, non fuerunt aliae partes corporis ab invicem separatae, sicut sanguis, sed corpus indissolubile permansit: secundum quod legitur *Exod. XII* <sup>1</sup> \* : *Os non comminuetis ex eo*. Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis a corpore, non autem alia \* pars ab alia.

\* Vers. 46; Ioan. cap. XIX, vers. 36.

x  
\* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dictum est \*, corpus Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Et ideo per consecrationem vini non fit ibi corpus Christi per se, sed concomitanter.

<sup>7</sup>) *specie*. - *speciebus* tertia (sed H om. *panis fuisset... specie*).  
<sup>0</sup>) *a corpore*. - *separatus* addit tertia praeter I.

<sup>1</sup>) XII. - PE; spat. ABCD, om. F et cetera tertia, XIII ed. a; pro *Os... eo, Nec os illius confringetis* P.  
x) *alia*. - *aliqua alia* tertia, *aliqua* ceteri.

### Commentaria Cardinalis Caietani

IN secundo articulo, circa id quod in calce corporis dicitur, *sicut erat in rei veritate*, chimaera potius quam dubitatio ex Scoto, in dist. x, qu. 4, Quarti *Sent.*; occurrit, tenente quod non sequitur simpliciter necessario, si corpus Christi habet partes et proprietates suas sub modo sacramentali, quod habeat eas sub existentia naturali. Et in tantum procedit quod ponit quod ante incarnationem Verbi Dei, potuit ita vere Eucharistia fuisse sicut et nunc \*: et hoc tam quantum ad significationem, quam quantum ad rem signatam et contentam. Et rursus, si corpus Christi annihilaretur secundum suum esse naturale, Eucharistia tamen vere posset manere, etiam quantum ad rem contentam. Si tamen corpus Christi corrumpere corruptione naturali, puta quia forma corporeitatis separaretur a materia prima, non remaneret Eucharistia quoad rem contentam.

\* Cf. num. ix.

II. Et fundamentum Scoti est \*. Quando existentia aliqua est indifferens ad duos modos, potest simpliciter haberi sub uno modo sic quod non sub alio. Sed existentia corporis Christi simpliciter, seu realiter, indifferens est ad istos duos modos, scilicet naturalem et sacramentalem. Ergo potest haberi sub uno sine altero.

\* Cf. num. vi.

Et si dicatur, inquit Scotus, quod maior propositio intelligitur quando neuter modus dependet ab altero; modus autem sacramentalis dependet a naturali: - contra. Existentia sub modo naturali non est de essentia existentiae sub modo sacramentali, nec est eius causa. Ergo ista non dependet ab illa. - Prima pars huius antecedentis patet. Quia res Eucharistiae non habet ibi modum existendi naturalem, scilicet extensivum. Haberet autem, si esset de essentia illius existentiae: quia omne habens aliquid habet illud quod est de essentia eius. - Secunda pars probatur. Quia Deus est causa immediata illius existentiae, scilicet corporis Christi in sacramento.

\* Cf. num. vii.

III. Praeterea \*, Eucharistia non dependet a modo naturali ut a sacramento, vel re sacramenti. - Quod ultimum probatur. Quia res sacramenti est existentia sub alio modo disparato, idest sacramentali.

\* Cf. num. viii.

IV. Praeterea \*, Deus potest sine quocumque causato extrinseco alicui, illud causare. Sed existentia modo naturali non est intrinseca Eucharistiae. Ergo, etc.

Et si dicas quod maior est vera de absolutis, et non de respectu, quia respectus sine fundamento et termino fieri nequit, Eucharistia autem includit respectum cuius

terminus est existentia modo naturali: - contra. Existentia, licet sit eadem sub duobus modis, scilicet naturali et sacramentali, tamen non est terminus relationis quae includitur in Eucharistia sub modo naturali, sed sub modo disparato. - Quod probatur. Eo modo est res contenta in Eucharistia, quo modo est primum signatum huius signi. Sed existentia sub modo naturali non continetur hic realiter, sed sub modo alio disparato, scilicet sacramentali. Ergo.

Multa alia affert Scotus, quae etiam referre pudet, ne tanto tempore in chimaeris verser.

V. Ad aliqualem claritatem horum, scito dignum admiratione esse quod, cum Scotus supra corpus Christi verum quod est in caelo, nihil addere ponat esse in hoc sacramento nisi terminum extrinsecus advenientem, puta respectum praesentiae ad species panis \*, - quomodo potuerit etiam fingere, si auferretur corpus Christi per annihilationem, remanere aliud, etiam per divinam omnipotentiam, quam illum respectum praesentiae, Deo illum conservante. Nam, si nihil aliud remaneret nisi dictus respectus, quomodo fingi potest quod remaneant partes et proprietates corporis Christi? Et si aliquid aliud quam ille respectus remanet, oportet quod esse sub sacramento plus addat supra corpus Christi quam illum respectum. Quocirca, si conservaretur a Deo respectus ille non conservato Christi corpore in rerum natura, non esset corpus Christi sub sacramento: quemadmodum, si conservaretur respectus ubicalis quo corpus Christi est in caelo non conservato corpore Christi, non esset corpus Christi in caelo. Aliud quippe est conservari respectus istos extrinsecos: et aliud conservari corpora quorum sunt. Magnaque differentia est inter requisita et concomitantia ad verificationem respectuum tantummodo: et inter requisita et concomitantia ad verificationem denominatorum corporum ab illis respectibus. Ad verificandum siquidem respectum illum conservatum, sufficit quod respectus ipse sit: nec inde sequitur quod res quae denominabatur, amplius denominetur. Si enim respectus praesentiae solus conservaretur, esset praesentia sine corpore aliquo praesente: sicut, si esse in caelo tantum conservaretur, esset esse in loco sine aliquo existente in loco.

\* Scot. loc. cit., qu. I. - Cf. qu. LXXV, art. 1, Comment. num. XII.

Et haec sint dicta ad claritatem doctrinae, et secundum veritates conditionales, non curando de possibilitate vel impossibilitate antecedentium et consequentium.



\* Num. II.

VI. Et ut omnibus satisfiat, singillatim respondendum est rationibus Scoti. Ad primam \* igitur dicitur primo, quod minor est falsissima, scilicet quod existentia corporis Christi est indifferens ad modum naturalem et modum sacramentalem. Nulla enim substantia est indifferens ad esse absolutum vel respectivum: nisi absolutum sit indifferens ad se et ad genus aliud, quod implicat contradictionem. Unde corpus Christi est ita determinatum ad modum essendi naturalem, sicut est determinatum ad esse seipsum: quia tunc perdit esse seipsum, cum perdit esse modo naturali. Ad modum enim sacramentalem se habet corpus Christi ut ad esse superveniens tanquam accidentale quoddam.

Et propterea responsio recitata, quod modus sacramentalis dependet a naturali, vera est: non solum ea ratione qua superveniens dependet ab eo cui supervenit; sed ea ratione qua denominatio dependet a re denominata, et respectus a termino seu fundamento, et includens ab incluso.

Et ad obiectionem Scoti dicitur quod aliud est loqui de ipsa existentia, idest praesentia, in sacramento: et aliud est loqui de re existente, idest praesente, in sacramento. Si enim sit sermo de ipsa existentia seu praesentia, tunc, consequenter loquendo de ipsa, secundum naturam respectuum loquendum est. Et sic consequentia inducta a Scoto non valet: quia respectus dependet ab aliquo quod nec est de essentia eius nec causa eius; dependet enim a termino, seu ad terminum, et non potest esse sine termino, qui nec est de essentia eius nec causa eius.

Si autem est sermo de toto hoc, scilicet re existente seu re praesente, tunc falsum est antecedens pro prima parte: quia de essentia rei praesentis sacramento est ipsamet res praesens, scilicet corpus Christi habens suum esse naturale.

Et cum contra hoc sophisticè instatur: Si corpus Christi habens suum esse materiale, esset res Eucharistiae, haberet ibi modum essendi naturalem, idest extensivum: — clarissima patet responsio, quod mutatur *res praesens* in

*modum praesentiae*. Est siquidem res praesens Eucharistiae modus Christi naturalis: sed modus praesentiae non est modus ille naturalis, sed modus sacramentalis. Et propterea diximus quod est *de essentia rei praesentis*: et non diximus quod est *de essentia modi praesentiae*.

VII. Ad tertium \* dicitur quod corpus Christi verum in suo esse naturali est Eucharistia, et sacramentum, et res sacramenti: ut patet in Magistro Sententiarum, IV lib., dist. VIII \*, et Augustino ibidem allegato.

VIII. Ad quartum \*, sustinendo responsionem recitatum, dicitur quod terminus seu fundamentum respectus praesentiae est corpus Christi in esse suo naturali. Et ad probationem in oppositum dicitur quod committit manifeste sophisma *figurae dictionis*, divertendo a re ad modum rei, hoc est, a re praesente ad modum praesentiae, a re contenta ad modum quo continetur. Existentia enim corporis Christi in suo modo naturali est res primo contenta et significata, dicente Christo, *Hoc est corpus meum*: dicendo enim *corpus meum* sine additione aliqua, procul dubio significavit corpus suum in suo esse naturali. Modus autem quo continetur, non est res significata neque contenta in hoc sacramento, sed modus continendi. Et constat non valere argumentum: *Corpus Christi non continetur modo naturali, idest extensivo: Ergo res contenta non est ipse modus naturalis et extensivus corporis Christi*, ut patet.

IX. Et hinc manifestum est chimaeram esse quod ante incarnationem Christi potuerit vere esse hoc sacramentum sicut nunc \*. Dato enim quod Deus potuisset efficere sub accidentibus panis eundem respectum praesentiae qui nunc fieri dicitur, nulla tamen res inveniretur propterea praesens: quia nec corpus Christi, quod non erat; nec alia res. Et propterea falsa fuisset haec propositio, *Hoc est corpus meum*: nulla enim alia veritatis eius ratio assignatur nisi quia hoc est corpus illud quod est in caelo; ita quod illud quod est in caelo, veraciter continetur sub specie panis. Ac per hoc, si corpus Christi quod est in caelo, in seipso annihilaretur, nullum remaneret fundamentum veritatis huius, *Hoc est corpus meum*.

## ARTICULUS TERTIUS

## UTRUM SIT TOTUS CHRISTUS SUB QUALIBET PARTE SPECIERUM PANIS VEL VINI

IV Sent., dist. x, art. 3, qu. 3; IV Cont. Gent., cap. LXVII; Quodl. VII, qu. IV, art. 1; In Matth., cap. xxvi; I ad Cor., cap. xi, lect. v.

\* Vide Comment. Caiet. post art. 1, num. III sqq.

α

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod non sit totus Christus sub qualibet parte specierum <sup>α</sup> panis vel vini. Species enim illae dividi possunt in infinitum. Si ergo Christus totus est sub qualibet parte specierum praedictarum, sequeretur quod infinities esset in hoc sacramento. Quod est inconveniens: nam infinitum non solum repugnat naturae, sed etiam gratiae.

2. PRAETEREA, corpus Christi, cum sit organicum, habet partes determinate distantes: est enim de ratione organici corporis determinata distantia singularum partium ad invicem, sicut oculi ab oculo, et oculi ab aure. Sed hoc non posset esse si sub qualibet parte specierum <sup>β</sup> esset totus Christus: oporteret enim quod sub qualibet parte esset quaelibet pars; et ita, ubi esset una pars, esset et alia. Non ergo potest esse quod totus

Christus sit sub qualibet parte hostiae vel vini contenti in calice.

3. PRAETEREA, corpus Christi semper veram retinet corporis naturam, nec unquam mutatur in spiritum. Sed de ratione corporis est ut sit *quantitas positionem habens*, ut patet in *Praedicationis* \*. Sed ad rationem huius quantitatis pertinet quod diversae partes in diversis partibus loci existant. Non ergo potest esse, ut videtur, quod totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in quodam Sermone \*: *Singuli accipiunt Christum Dominum: et in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se praebet in singulis*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex supra \* dicitis patet, quia <sup>γ</sup> in hoc sacramento substantia corporis Christi est ex vi sacramenti, quantitas

α) parte specierum. — PsCG; specie I, parte ceteri.  
β) parte specierum. — G et editiones; si... esset om. I; specierum parte F, specierum ceteri.

γ) quia. — quod BDGHib, om. F. — est primo loco ed. a et tertia; om.

\* Num. III.

\* Cap. Nunc quid ibi.

\* Num. IV.

\* Cf. num. I.

\* Cap. IV, n. 8.

\* Gregor. Sacramentar. Dom. V post Theophan. Praefat. Miss. Cf. can. Singuli, de Consecr. dist. II.

\* Art. 1, ad 3.

γ

autem dimensioniva ex vi realis concomitantiae, corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae, idest, per modum quo substantia est sub dimensionibus: non autem per modum dimensionum, idest, non per illum modum quo quantitas dimensioniva alicuius corporis est sub quantitate dimensioniva loci. Manifestum est autem quod natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur: sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferenter sive dimensiones sint actu divisae, sicut cum aer dividitur vel panis secatur: vel etiam sint actu indivisae, divisibiles vero potentia. Et ideo manifestum est quod Christus totus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente: et non solum cum frangitur, sicut quidam \* dicunt, ponentes exemplum de imagine quae apparet in speculo, quae una apparet in speculo integro, infracto autem speculo <sup>δ</sup> apparet singulae in singulis partibus. Quod quidem non est omnino simile. Quia multiplicatio huiusmodi imaginum accidit in speculo fracto propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi: hic autem non est nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in sacramento.

\* Autiss. Summ. lib. IV, tract. de Sacram. Euch., cap. IV. Cf. Innoc. III, de S. Altar. Myster. lib. IV, cap. VIII.

δ) infracto autem speculo. — A; in (om. Pl) speculo autem fracto tertia, in fracto autem speculo ceteri.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod numerus sequitur divisionem. Et ideo, quandiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis. Et per consequens neque infinities: sed toties in quot partes dividitur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illa determinata distantia partium in corpore organico fundatur super quantitatem dimensionivam ipsius: ipsa autem natura substantiae <sup>ε</sup> praecedit etiam quantitatem dimensionivam. Et quia conversio substantiae panis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, secundum cuius modum proprie et directe est in hoc sacramento corpus Christi, talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero, sed non secundum hanc distantiam comparatur ad hoc sacramento, sed secundum modum suae substantiae, ut dictum est \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod ratio illa procedit de natura corporis quam habet secundum quantitatem dimensionivam. Dictum est autem \* quod corpus Christi non comparatur ad hoc sacramento ratione quantitatis dimensionivae, sed ratione substantiae, ut dictum est \*.

\* In corp., et art. 1, ad 3.

\* In corp. et ad 2.

\* Ibid.

ε) substantiae. — PFI; speciei sD et abc, semper G, specie ceteri. — etiam om. GHbc.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo tertio duo occurrunt dubia: primum circa rem ipsam, ex Durando; secundum circa rationem in littera redditam \*, ex Scoto et Durando. Durandus \*\* contra communem opinionem tenentem non solum substantiam corporis Christi, sed etiam quantitatem eius naturali concomitantia contineri, indivisibiliter tamen, in hoc sacramento, obiicit dupliciter \*. Primo. Nihil potest comparari ad aliud modo impossibili suae naturae. Sed indivisibilitas est impossibilis naturae quantitatis: quia ipsa de natura sua intrinseca est divisibilis. Ergo quantitas corporis Christi non potest comparari ad quantitatem hostiae indivisibiliter: hoc est, ut sit tota sub toto et tota sub qualibet parte.

Secundo. Ubi quomodo est substantia in se realiter, ibi est substantialiter, quia iste modus est ab ea inseparabilis. Ergo similiter, ubi quomodo est quantitas in se realiter, ibi est quantitative, quia iste modus est inseparabilis a quantitate. Non est ergo Christi quantitas per modum substantiae in hoc sacramento.

II. Circa rationem vero in littera redditam, quia scilicet ex vi sacramenti sola corporis Christi substantia continetur sub hostia, quantitas autem concomitanter, Scotus, in IV Sent., dist. x, qu. 1, improbando occurrit sic arguens \*. Unumquodque, sive sit primus terminus conversionis sive secundus, si tamen est ibi, habet proprietates suas quae sibi necessario et naturaliter conveniunt. Ergo quantitas corporis Christi, sive per conversionem sit sub sacramento primo vel secundo, si est ibi, habet suum modum naturalem, quod est esse modo quantitativo.

Consequentia clara. — Et antecedens probatur dupliciter: scilicet exemplo, et ratione. Exemplum est quia, si Deus vel natura causaret substantiam quantam ita quod quantitas concomitetur substantiam, nihilominus quantitas habebit suum modum naturalem. Unde apparet quod concomitantia non mutat modum naturalem quantitatis concomitantis.

\* Cf. num. II, III. \*\* IV Sent., dist. x, qu. II.

\* Cf. num. v.

\* Cf. num. vi.

Ratio vero est quia diversa habitudo ad agens, scilicet primaria vel secundaria, mediata vel immediata, non variat naturam rei, dum tamen producat. Ergo nec carebit quantitas suo modo naturali propter hoc tantum quia non est primus terminus conversionis, dum tamen sit ibi realiter, sive primo sive concomitanter, per illam conversionem.

III. Durandus vero \* alia via contra hanc rationem procedit, arguens \*: Quantitas de ratione sua intrinseca est divisibilis. Ergo nullo modo potest sibi competere, ratione cuiuscumque alterius, indivisibiliter se habere. Ergo non potest comparari ad locum modo substantiae.

Et confirmatur. Quia anima rationalis, licet sit in loco mediante humano corpore quanto, ipsa tamen est indivisibiliter in loco: est enim tota in toto loco et tota in qualibet parte eius; et hoc ideo quia animae rationali repugnat divisibilitas. Ergo, per oppositum, non obstante quod quantitas Christi sit in sacramento mediante substantia, est divisibiliter, quia quantitati repugnat indivisibilitas.

IV. Pro faciliiori intellectu eorum quae tractantur, ne obscuritate nominum impossibile reputetur quod credimus, scito idem esse quantitatem corporis Christi indivisibiliter se habere ad quantitatem hostiae; et inter quantitatem corporis Christi praesentem hostiae, et quantitatem hostiae, non esse positionem quae unum inter decem praedicamenta ponitur \*. Ita quod corpus Christi quantum, sub hostia contentum, in seipso quidem est divisibile et habens positionem in partibus: positionem autem dico illam quae ponitur differentia quantitatis cum distinguitur quantitas in quantitatem habentem positionem in partibus, et quantitatem carentem illa \*: — ut continetur vero sub hostia, caret positione, seu situ, uno ex decem generibus. Dicit enim huiusmodi positio ordinem partium in loco: quo ordine constat carere corpus Christi quantum ut est sub hostia, quia non est in ea localiter; ordo enim partium in loco sine esse localiter non est intelligibilis. Et quia

\* IV Sent., dist. x, qu. II, art. 2.

\* Cf. num. VII.

\* Aristot. Categ., cap. II, n. 7.

\* Ibid., cap. IV, n. 4, 8.

huiusmodi situs sive positio non est de ratione quantitatis dimensionis; sed sola positio quae est differentia quantitatis, est de dimensionum ratione: ideo attente oportet perspicere quod divisibilitas quae est de ratione quantitatis, non opponitur indivisibilitati quae consistit in negatione positionis specialis praedicamenti.

Nec propterea fallaris, putans me dicere quod modus essendi indivisibiliter sit pura negatio positionis specialis generis, hoc enim nec somniavi: sed ut intelligas quae dicimus per huiusmodi negationem annexam positivae praesentiae Christi corporis quanti ad hostiam. Continetur enim veraciter Christi corpus quantum sub hostia, absque situ seu positione speciali praedicamento. Haec enim negatio includitur in eo quod significatur per contineri indivisibiliter in hoc sacramento.

V. Hac ergo manifestatione supposita, ex qua apparet quod quantitas Christi corporis nec perdit suam divisibilitatem; nec induit modum aliquem sibi repugnantem; nec perdit in se suum modum naturalem; sed in hoc quod continetur sub hostia, caret modo illo qui importatur per *positionem* seu *situm*: respondetur ad obiecta.

Et ad primum Durandi contra positionem ipsam\*, neganda est minor, univoce loquendo. Quoniam modus istiusmodi indivisibilitatis non repugnat divisibilitati quantitatis.

Ad secundum vero facile dici potest quod *argumentum a simili claudicat*. Veruntamen, servata univocatione terminorum, respondendo dicitur falsum assumi in antecedente. Quoniam substantia alicubi est, non per modum substantiae, sed per modum quantitatis, ut patet in substantiis extensis: sunt enim in loco quantitative. Et rursus substantia heterogenea, puta bos, non est per modum substantiae in qualibet suae quantitatis parte: non est enim tota natura bovis in qualibet eius parte quantitativa\*.

VI. Ad obiecta secundi dubii\* respondendo, dicitur primo, ad Scoti argumentum, quod procedit ex falsa interpretatione rationis allatae ab Auctore, ac si Auctor adduxisset pro causa quare quantitas est in hoc sacramento per modum substantiae, quia est quasi secundarius terminus mutationis. Hoc autem procul est ab Auctoris sensu.

Non enim consistit eius ratio in differentia inter primum et secundum terminum in fieri, ut argumentum usurpavit: sed inter per se rationem essendi in sacramento, et id quod per accidens concomitatur; ut patet expresse in hoc articulo quarto, in responsione ad primum, ubi videre potes quantum distet sensus iste verus a sensu illo usurpato. Et fefellit forte arguentem quia Auctor declarat quid est illud quod est per se ratio essendi reliquis in hoc sacramento, ex hoc quod est per se primo terminus conversionis.

Quia igitur Auctoris ratio non consistit in differentia inter primo vel secundo fieri, sed inter per se existens in sacramento et per accidens existens ibidem, ideo non oportet aliter ad argumenta Scoti respondere, sed tanquam impertinentia et extranea relinquere. Posset tamen, gratia materiae, hoc est, talis mutationis qualis est conversio panis in corpus Christi, sustineri ratio formata a Scoto ex differentia inter primum et secundum terminum conversionis, contra quam arguit. Et sic dicendum esset quod, licet in creatione et generatione et similibus secundarius terminus suum naturalem modum assequatur, et non induat modum primi termini; in hac tamen conversione secundarius terminus, idest concomitans, induit modum primi termini. Et si quaeratur quare potius in hac quam in aliis mutationibus hoc inveniatur: respondetur, quia hoc est singularissimum in hac mutatione, quod primus terminus est sola ratio in essendo quibuscumque concomitantibus; hoc est, quod ratio essendi in hoc sacramento quibuscumque existentibus in eo, est res primo terminans conversionem. Et haec defensio in idem redit cum prima responsione, ut patet. Et ideo non oportet sollicitare de diversa habitudine ad agens: quoniam est extra propositum.

VII. Ad objectionem autem Durandi\*, dicitur falsum assumi, scilicet quod contineri indivisibiliter repugnet quantitati divisibili.

Et ad confirmationem, negatur similitudo. Quoniam animae rationali repugnat et esse divisibilem, et divisibiliter contineri: quantitati autem, licet repugnet esse indivisibilem, non tamen repugnat indivisibiliter contineri.

Et haec sufficiant etiam pro articulo quinto.

## ARTICULUS QUARTUS

### UTRUM TOTA QUANTITAS DIMENSIVA CORPORIS CHRISTI SIT IN HOC SACRAMENTO

IV *Sent.*, dist. x, art. 2, qu<sup>a</sup> 3, 4; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIII, LXIV, LXVII; *Quodl.* VII, qu. iv, art. 1.

\* Vide Comment. Caiet. post. art. 1, num. iii sqq.

\* Art. 3.

\* S. Th. lect. vii; Did. lib. II, cap. II, n. 21, 22. - Cf. *Physic.* lib. IV, cap. viii, n. 13; s. Th. lect. xiii.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR\*. Videtur quod non tota quantitas dimensionis corporis Christi sit in hoc sacramento. Dictum est enim\* quod totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostiae consecratae. Sed nulla quantitas dimensionis tota continetur in aliquo toto et in qualibet parte eius. Est ergo impossibile quod tota quantitas dimensionis corporis Christi contineatur in hoc sacramento.

2. PRAETEREA, impossibile est duas quantitates dimensionis esse simul, etiam si una sit separata et alia in corpore naturali: ut patet per Philosophum, in III *Metaphys.*\* Sed in hoc sacramento remanet quantitas dimensionis panis, ut sensu apparet. Non ergo est ibi quantitas dimensionis corporis Christi.

3. PRAETEREA, si duae quantitates dimensionis inaequales iuxta se ponantur, maior extenditur

ultra minorem. Sed quantitas dimensionis corporis Christi est multo maior quam quantitas dimensionis hostiae eius<sup>a</sup> consecratae, secundum omnem dimensionem. Si ergo in hoc sacramento sit quantitas dimensionis corporis Christi cum quantitate dimensionis hostiae, quantitas dimensionis corporis Christi extenditur ultra quantitatem hostiae. Quae tamen non est sine substantia corporis Christi. Ergo substantia corporis Christi erit in hoc sacramento etiam praeter species panis. Quod est inconveniens: cum substantia corporis Christi non sit in hoc sacramento nisi per consecrationem panis, ut dictum est\*. Impossibile est ergo quod tota quantitas<sup>β</sup> corporis Christi sit in hoc sacramento.

SED CONTRA EST QUOD QUANTITAS DIMENSIVA CORPORIS ALICUIUS NON SEPARATUR SECUNDUM ESSE A SUBSTANTIA EIUS. Sed in hoc sacramento est tota substantia corporis Christi, ut supra\* habitum

<sup>a</sup>) eius. - Om. PEFISG et a.

<sup>β</sup>) quantitas. - dimensionis addunt PFsG.

est. Ergo tota quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento.

\* Art. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, dupliciter aliquid Christi est in hoc sacramento: uno modo, ex vi sacramenti; alio modo, ex naturali  $\gamma$  concomitantia. Ex vi quidem sacramenti quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento. Ex vi enim sacramenti est in hoc sacramento illud in quod directe conversio terminatur. Conversio autem quae fit in hoc sacramento, terminatur directe ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones eius. Quod patet ex hoc quod quantitas dimensiva  $\delta$  remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte. — Quia tamen substantia corporis Christi realiter non denudatur  $\epsilon$  a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, inde est quod, ex vi realis concomitantiae, est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi, et omnia alia accidentia eius.

$\delta$

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod modus existendi  $\zeta$  cuiuslibet rei determinatur secundum illud quod est ei per se, non autem secundum illud quod est ei per accidens: sicut corpus est in visu secundum quod est album, non autem secundum quod est dulce, licet idem corpus sit

$\zeta$

album et dulce. Unde et dulcedo est in visu secundum modum albedinis, et non secundum modum dulcedinis. Quia igitur ex vi sacramenti huius  $\eta$  est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiva eius est ibi concomitanter et quasi per accidens, ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento, non secundum proprium modum, ut scilicet sit totum  $\theta$  in toto et singulae partes in singulis partibus; sed per modum substantiae, cuius natura est tota in toto et tota in qualibet parte.

$\eta$

$\theta$

AD SECUNDUM DICENDUM quod duae quantitates dimensivae non possunt naturaliter simul esse in eodem ita quod utraque sit secundum proprium modum quantitatis dimensivae. In hoc autem sacramento quantitas dimensiva panis est secundum proprium modum, scilicet secundum commensurationem quandam: non autem quantitas dimensiva corporis Christi, sed est ibi per modum substantiae, ut dictum est \*.

\* Resp. ad 1.

AD TERTIUM DICENDUM quod quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento secundum modum commensurationis, qui est proprius quantitati, ad quem pertinet quod maior quantitas extendatur ultra minorem: sed est ibi per modum iam \* dictum.

\* Resp. ad 1, 2.

$\gamma$ ) naturali. — reali tertia.  
 $\delta$ ) dimensiva. — panis addunt E et tertia. — sola PF; sola autem.  
 $\epsilon$ ) denudatur. — PEIsG; dividatur ABCpG, dividitur D (et Cor-dub. 444), dividitur FHabc et margo P per Alias.

$\zeta$ ) existendi. — essendi tertia praeter pG.  
 $\eta$ ) sacramenti huius. — huius sacramenti Pl.  
 $\theta$ ) totum. — tota P.

## ARTICULUS QUINTUS

### UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN HOC SACRAMENTO SICUT IN LOCO

Supra, qu. LXXV, art. 1, ad 3; IV Sent., dist. x, art. 1, ad 5 sqq.; art. 2, qu<sup>a</sup> 3, ad 4; art. 3, qu<sup>a</sup> 1, 2; IV Cont. Gent., cap. LXII, LXIV, LXVII; Opusc. XI, de XXXVI Artic., art. xxxiii.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 3, num. vii, fin.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco. Esse enim in aliquo definitive vel circumscriptive est pars eius quod est esse in loco. Sed corpus Christi videtur esse definitive in hoc sacramento: quia ita est ubi sunt species panis vel vini, quod non est in alio loco altaris. Videtur etiam ibi esse circumscriptive: quia ita continetur superficie hostiae consecratae quod nec excedit nec exceditur. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento sicut in loco.

\* Qu. LXXV, art. 2.

2. PRAETEREA, locus specierum panis non est vacuus: natura enim non patitur vacuum. Nec est ibi substantia panis, ut supra \* habitum est, sed est ibi solum corpus Christi. Ergo corpus Christi replet locum illum. Sed omne quod replet locum aliquem, est in eo localiter. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

\* Art. 4.

3. PRAETEREA, in hoc sacramento, sicut dictum est \*, corpus Christi est cum sua quantitate di-

mensiva et cum omnibus suis accidentibus. Sed esse in loco est accidens corporis: unde et *ubi*  $\alpha$  connumeratur inter novem genera accidentium \*. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

\* Cf. Aristot. Categ. cap. II, n. 6.

SED CONTRA EST quod oportet locum et locatum esse aequalia: ut patet per Philosophum, in IV Physic. \* Sed locus ubi est hoc sacramentum, est multo minor quam corpus Christi. Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco.

\* Cap. IV, n. 1. — S. Th. lect. v.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut iam \* dictum est, corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensivae, sed magis secundum modum substantiae. Omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensivae, in quantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensivam. Unde relinquitur quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut  $\beta$  in loco, sed per modum substantiae: eo scilicet

\* Art. 1, ad 3; art. 3.

$\beta$

$\alpha$ ) ubi. — ibi P, non (continuatur inter) F.

$\beta$ ) sicut. — Ea et tertia; scilicet sicut.

modo quo substantia continetur a dimensionibus. Succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiae panis. Unde, sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiae, ita nec substantia corporis Christi est subiectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis. Et ideo panis  $\gamma$  ratione suarum dimensionum localiter erat ibi: quia comparabatur ad locum  $\delta$  mediantibus propriis dimensionibus. Substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis: ita quod e converso dimensiones propriae  $\epsilon$  corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia. Quod est contra rationem corporis locati. Unde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod corpus Christi non est in hoc sacramento definitive: quia sic non esset alibi quam in hoc altari ubi conficitur hoc sacramentum; cum tamen sit et in caelo in propria specie, et in multis aliis altaribus sub specie sacramenti. Similiter etiam patet quod non

est in hoc sacramento circumscriptive: quia non est ibi secundum commensurationem propriae quantitatis, ut dictum est \*. Quod autem non est extra superficiem sacramenti, nec est in alia parte altaris, non pertinet ad hoc quod sit ibi definitive vel circumscriptive: sed ad hoc quod incoepit ibi esse per consecrationem et conversionem panis et vini, ut supra \* dictum est.

AD SECUNDUM DICENDUM quod locus ille in quo est corpus Christi, non est vacuus. Neque tamen proprie est repletus substantia corporis Christi, quae non est ibi localiter, sicut dictum est \*. Sed est repletus speciebus sacramentorum, quae habent replere locum vel propter naturam dimensionum; vel saltem miraculose  $\zeta$ , sicut et miraculose subsistunt per modum substantiae.

AD TERTIUM DICENDUM quod accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento, sicut supra \* dictum est, secundum realem concomitantiam. Et ideo illa accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento quae sunt ei intrinseca. Esse autem in loco est accidens per comparisonem ad extrinsecum continens. Et ideo non oportet quod Christus sit in hoc sacramento sicut in loco.

$\gamma$ ) panis. — substantia panis editiones.  
 $\delta$ ) locum. — illum addunt PFsG.  
 $\epsilon$ ) propriae. — Om. CDEa.

$\zeta$ ) miraculose. — quia miraculose E; sicut et miraculose om. CDEFIa.

## ARTICULUS SEXTUS

### UTRUM CORPUS CHRISTI SIT MOBILITER IN HOC SACRAMENTO

IV Sent., dist. x, art. 3, qu<sup>a</sup> 4; Opusc. XI, de XXXVI Artic., art. xxxiv.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento. Dicit enim Philosophus, in II Topic. \*, quod, *moventibus  $\alpha$  nobis, moventur ea quae in nobis sunt*. Quod quidem verum est etiam de spirituali substantia animae. Sed Christus est in hoc sacramento, ut supra \* habitum est. Ergo movetur ad motum ipsius.

2. PRAETEREA, veritas debet respondere figurae. Sed de agno paschali, qui erat figura huius sacramenti, *non remanebat quidquam usque mane*, sicut praecipitur Exod. xii \*. Ergo neque etiam, si hoc sacramentum reservetur in crastinum, erit ibi corpus Christi. Et ita non est immobiliter in hoc sacramento.

3. PRAETEREA, si corpus Christi remaneat sub hoc sacramento etiam in crastino, pari ratione remanebit et per totum sequens tempus: non enim potest dici quod desinat ibi esse cessantibus speciebus, quia esse corporis Christi non dependet a speciebus illis. Non autem remanet sub hoc sacramento Christus per totum tempus futurum. Videtur ergo quod statim in crastino, vel

post modicum tempus, desinat esse sub hoc sacramento. Et ita videtur quod Christus mobiliter sit in hoc sacramento.

SED CONTRA, impossibile est idem esse motum et quietum: quia sic contradictoria verificarentur de eodem. Sed corpus Christi in caelo quietum residet. Non ergo est mobiliter in hoc sacramento.

RESPONDEO DICENDUM quod, cum aliquid est unum subiecto et multiplex secundum esse, nihil prohibet secundum aliquid moveri, et secundum aliud immobile permanere: sicut corpori aliud est esse album, et aliud est esse magnum, unde potest moveri secundum albedinem, et permanere immobile secundum magnitudinem. Christo  $\beta$  autem non est idem esse secundum se, et esse sub sacramento: quia per hoc ipsum  $\gamma$  quod dicimus ipsum esse sub sacramento, significatur quaedam habitudo eius ad hoc sacramentum. Secundum igitur hoc esse non movetur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens. Quia Christus non est in hoc sacramento sicut in loco, sicut praedictum est \*: quod autem non est in loco, non movetur per se in loco, sed solum ad motum eius in quo est.

$\alpha$ ) *moventibus*. — motis P.  
 $\beta$ ) *Christo*. — Tertia; *Christus*.

$\gamma$ ) *ipsum*. — Om. PI.

\* In corp. — Cf. art. 4, resp. ad arg.

\* Art. 1; qu. LXXV, art. 2 sqq.

\* In corpore.

\* Art. 4.

\* Cap. VII, n. 3.

\* Qu. LXXIV, art. 1.

\* Vers. 10.

\* Art. 5.

Similiter autem neque per se movetur, secundum esse quod habet in hoc sacramento, quacumque alia mutatione: puta quantum ad hoc quod desinat esse sub hoc sacramento. Quia illud quod de se habet esse indeficiens, non potest esse deficienti principium: sed, alio deficiente, hoc desinit esse in eo; sicut Deus, cuius esse est indeficiens et immortale, desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc quod creatura corruptibilis desinit esse. Et hoc modo, cum Christus habeat <sup>δ</sup> esse indeficiens et incorruptibile, non desinit esse sub sacramento neque per hoc quod ipsum <sup>ε</sup> desinat esse, neque etiam per motum localem sui, ut ex dictis patet: sed solum per hoc quod species huius sacramenti desinunt esse.

Unde patet quod Christus, per se loquendo, immobiliter est in hoc sacramento.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa procedit de motu per accidens, quo ad motum nostri moventur ea quae in nobis sunt. Aliter tamen ea quae per se possunt esse in loco, sicut corpora: et aliter ea quae per se non possunt esse in loco, sicut formae et spirituales substantiae. Ad quem modum potest reduci quod di-

cimus Christum moveri per accidens secundum esse quod habet in hoc sacramento, in quo non est sicut in loco.

AD SECUNDUM DICENDUM quod hac ratione moti videntur fuisse quidam ponentes quod corpus Christi non remanet sub hoc sacramento si in crastinum reservetur. Contra quos Cyrillus dicit\*: *Insaniunt quidam dicentes mysticam benedictionem a sanctificatione cessare si quae reliquiae remanserint eius in diem subsequentem. Non enim mutabitur <sup>ζ</sup> sacrosanctum corpus Christi, sed virtus benedictionis et vivificativa gratia iugis in eo est.* Sicut et omnes aliae consecrationes immobiliter manent, permanentibus rebus consecratis: propter quod non iterantur. — Veritas autem licet figurae respondeat, tamen figura non potest eam adaequare.

AD TERTIUM DICENDUM quod corpus Christi remanet in hoc sacramento non solum in crastinum, sed etiam in futurum <sup>η</sup>, quousque species sacramentales manent. Quibus cessantibus, desinit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species. Per quem modum Deus desinit esse Dominus creaturae desinentis.

\* Ep. LXXXIII, ad Calosyr. — Cf. Cat. Aur. in Luc., cap. xxii, vers. 19.

δ) habeat. — habeat in se bc, habeat de se F et cetera tertia.

ε) ipsum. — ipsi E, ipse F.

ζ) mutabitur. — mutatur P. Pro sacrosanctum corpus, sacramentum

corpus AC, sacramentum in corpus B, sacratum corpus PI, sacramentum corporis DEFGHabc.

η) crastinum... futurum. — crastino... futurum GIBC, crastino... futuro PH.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo ly *mobiliter* extenditur tam ad motum quam ad mutationem. Dupliciter enim cum possit dubitari de mobilitate corporis Christi in sacramento, vel de motu locali ad motum hostiae, vel de mutatione qua desineret esse in sacramento, ad utrumque modum extendit se ly *mobiliter*.

II. Circa doctrinam traditam in hoc articulo, adverte primo, Auctorem sentire quod Christum esse sub hoc sacramento est esse quoddam relativum, dum dicit: *Per hoc ipsum quod dicimus ipsum esse sub sacramento, significatur quaedam habitudo eius ad hoc sacramentum.* Hinc enim manifestat non esse idem esse Christi corporis in se, et esse eiusdem in sacramento. Quod sub aliis verbis explicatur dicendo: *Aliud est esse Christi corpus in seipso, et aliud est contineri sub sacramento ipsum idem Christi corpus in seipso existens.* Non discedes ergo ab Auctoris doctrina loquendo seorsum de conversione panis in substantiam corporis Christi, et de habitudine Christi ad hoc sacramentum, ut superius \* fecimus. — Nec propterea putes explicatum esse modum quo Christus est in hoc sacramento. Nam explanatio huiusmodi est per communia valde, scilicet per relationem seu habitudinem: nescitur autem res aliqua nisi per propria cognoscatur \*.

III. Circa conclusionem illam, *Corpus Christi ad motum hostiae movetur per accidens*, duplex occurrit obiectio. Prima ex Durando, opinante oppositum, in lib. IV *Sent.*, dist. x, qu. iii. Secunda ex Scoto \*, eadem distinctione, qu. vi \*, opinante non contra motum, sed contra motorem.

Arguit ergo Durandus corpus Christi nullo modo moveri ad motum hostiae, nec per se nec per accidens \*. Quia corpus Christi et hostia non sunt unum secundum subiectum; nec se habent ut continens et contentum; nec habent colligationem vel contactum.

Et quia corpus Christi existens in caelo localiter, fit de novo existens in hoc sacramento absque motu locali,

tam per se quam per accidens. Ergo, a fortiori, existens in hoc sacramento non movetur ad motum hostiae.

IV. Scotus autem \*, putans corpus Christi ad motum hostiae moveri quidem per accidens, sed non nisi immediate a Deo, probat hoc ultimum hac ratione. Quando aliqua coniunguntur praecise per actum voluntatis contingenter se habentis ad illam coniunctionem, si unum illorum secundum se sit mobile omnino improportionatum, et reliquum proportionatum, illud movens non eadem motione potest movere utrumque coniunctorum.

Probatum ista ratione et exemplo. Ratio est quia, si movet unum quod est sibi proportionatum, non propterea movet per accidens reliquum: quia reliquum non est praesens illi moto sicut actus potentiae aut e converso; nec simpliciter ex aliqua alia necessitate naturali, sicut grave est praesens navi vel currui cui innititur, et propter hoc simul movetur cum illo; sed est praesens sola voluntate, quae potest non velle coniunctionem illam, stante tamen motione alterius.

Exemplum est. Si angelus voluntarie faceret se esse praesentem lapidi, si moveo lapidem, non propterea moveo angelum: qui non est per se mobilis a virtute mea; nec per accidens in proposito, quia nec forma nec pars est lapidis mobilis per se a me. Unde angelus in termino motus lapidis per propriam suam actionem esset ibi ubi est lapis, et non per actum meum.

Et tunc subsumitur minor. Sed corpus Christi est praesens speciei sacramentali tantum per actus voluntatis animae. Ergo, etc.

V. Ad evidentiam horum, videtur mihi quod cum Durando \* nulla sit quaestio secundum rem, sed forte in solis verbis. Si enim perspiciatur ex una parte distinctio facta in littera de duplici esse corporis Christi, vel in se vel in sacramento; et dictum esse quod corpus Christi in se non movetur neque per se neque per accidens; et quod secundum esse in sacramento movetur non per se,

\* Qu. LXXV, art. 1, Comment. num. iii sqq.

\* Aristot. *Analyt. Poster.*, lib. I, cap. ix, n. 7. — S. Th. lect. xviii.

\* Cf. num. seq.

\* Conclus. 4.

\* Cf. num. v.

\* Cf. num. vi.

\* Num. iii.

sed per accidens; et si cum his simul perspecta fuerit vis rationum Durandi: manifestum erit quod nulla est diversitas in sententia; quoniam ad hoc tendunt argumenta, quod corpus Christi secundum se non movetur per accidens ad motum hostiae, quod Auctor fatetur.

Verum si quis contendat his argumentis Christi corpus secundum nullum esse moveri per accidens ad motum hostiae, facile inveniet responsionem, dicendo ad primum quod inter corpus Christi et hostiam est colligatio secundum esse sacramentale; et ita quod se habent ut veraciter contentum et continens, ut patet Extra, *de Summa Trin. et Fide Cathol.*, cap. *Firmiter*.

Ad secundum, negatur sequela. Quia ad rem antecedentis nec est opus motu, nec concomitatur motus. Sed ad motum sacramenti concomitatur motus rei quae est sacramentum secundum esse sacramentale, per accidens tamen.

\* Num. iv.

VI. Ad Scotum \* autem, directe loquentem de Christi corpore ut est in sacramento, dicitur quod ratio aut implicat contradictoria, aut subsumit falsum.

Ad cuius intellectum, adverte duo assumi a Scoto: scilicet, coniunctionem inter aliqua duo; et rationem coniunctionis, scilicet actum voluntatis contingenter se habentem. Et oportet alterum duorum sequentium Scotum dicere: vel coniunctionem illam nullum nexum ponere inter coniuncta ultra actum voluntatis contingenter se habentem; aut aliquem nexum inter illa ponere causatum a tali actu voluntatis. Non potest dici primum. Quia ipsemet Scotus ponit coniunctionem illam actu voluntatis volitam contingenter. Et minor etiam esset falsa, ut patet; et similiter exemplum de angelo: quia praesentia angeli ad lapidem, et corporis Christi ad sacramentum, non est formaliter per actum voluntatis.

Oportet ergo intelligi quod coniunctio addit nexum quandam inter coniuncta. Et tunc apparet aut implicari contradictoria, puta quod sit nexus aliquis inter duo creata, et quod ille nexus nullo modo coniungat illa nisi praecise per actum voluntatis, quod non est intelligibile: aut minorem esse falsam. Quia inter corpus Christi et hostiam est coniunctio sacramentalis, quae licet effective sit a solo Deo, in se tamen est coniunctiva corporis Christi cum hostia naturali necessitate sacramenti: nam ex vi sacramenti per se habetur esse sacramentale corporis Christi

in hostia; et esse sacramentale coniungit corpus Christi et hostiam, non quia volitum, sed quia in se est tale.

Ad exemplum autem de angelo dicitur quod, licet angelus posset subtrahere praesentiam suam a lapide, si tamen illam non subtrahit, movente me lapidem et transferente illum in domum, angelus movetur, non a se, sed ad motum lapidis: quia angelus nunc est ubi est lapis, et non est ubi erat lapis.

Et, ad excludendas fugas, pone casum quod angelus fecerit se praesentem lapidi voluntate illius praesentiae continuandae per unam horam tantum: et, stante casu, forma conditionalem. Si angelus, factus praesens lapidi, dormiret per tres horas, et ego moverem lapidem illum per duas horas: in fine motus, angelus esset ubi est lapis; et non per actum angeli; ergo per motum lapidis a me.

VII. Et quamvis haec sufficerent, ad dicta Scoti facilius tamen potest responderi, dicendo maiorem posse forte habere locum quando utrumque coniunctorum est per se mobile, puta quia ambo sunt corpora: sed quando duorum coniunctorum alterum tantum est mobile secundum se, alterum vero non nisi per accidens mobile est, maior nullum habet locum, quoniam non potest de eis dici quod unum est mobile improprietate et alterum mobile proprietate. Sic autem invenitur in proposito: quoniam hostia est mobilis secundum se; esse autem sacramentale, seu Christi corpus secundum esse sacramentale in hostia, non est mobile per se, sed solum per accidens, ut in littera haec dicit Auctor, et communiter omnes fatentur, dum dicunt esse quoddam esse relativum; respectus enim non nisi per accidens possunt moveri localiter.

Et hinc apparet quid dicendum est ad exemplum de angelo. Quoniam dum moveo lapidem, moveo per accidens praesentiam inter lapidem et angelum. Et similiter, dum moveo hostiam consecratam, moveo praesentiam inter hostiam et corpus Christi: ita quod, translata hostia de altari in plateam, transfertur etiam praesentia, quia corpus Christi de praesente in altari fit praesens in platea, absque hoc quod corpus Christi in se moveatur. Et similiter angelus fieret praesens in domo ad quam translatus est lapis, non quod ipse angelus sit motus a se vel a me, sed quia, transferendo lapidem, transtuli praesentiam eius in lapide.

## ARTICULUS SEPTIMUS

### UTRUM CORPUS CHRISTI PROUT EST IN HOC SACRAMENTO, POSSIT VIDERI AB ALIQUO OCULO, SALTEM GLORIFICATO

Infra, art. 8; IV *Sent.*, dist. x, art. 4, qu<sup>a</sup> 1, 4, 5.

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato. Oculus enim noster impeditur a visione corporis Christi in hoc sacramento existentis, propter species sacramentales ipsum circumvelantes. Sed oculus glorificatus non potest ab aliquo impediri, quin corpora quae libet videat prout sunt. Ergo oculus glorificatus potest videre corpus Christi prout est in hoc sacramento.

\* Vers. 21.

2. PRAETEREA, corpora gloriosa sanctorum erunt *configurata corpori claritatis Christi*, ut dicitur *Philipp.* III \*. Sed oculus Christi videt seipsum prout est in hoc sacramento. Ergo pari ratione quilibet alius oculus glorificatus potest ipsum videre.

\* Vers. 36.

3. PRAETEREA, sancti in resurrectione erunt *aequales angelis*, ut dicitur *Luc.* XX \*. Sed angeli

vident corpus Christi prout est in hoc sacramento: quia etiam daemones inveniuntur huic sacramento reverentiam exhibere, et ipsum timere. Ergo pari ratione oculus glorificatus potest ipsum videre prout est in hoc sacramento.

SED CONTRA, nihil idem existens potest simul ab eodem videri in diversis speciebus. Sed oculus glorificatus semper videt Christum prout est in sua specie: secundum illud *Isaiae xxxiii* \*: *Regem in decore suo videbunt*. Ergo videtur quod non videat Christum prout est sub specie huius sacramenti.

\* Vers. 17.

RESPONDEO DICENDUM quod duplex est oculus: scilicet corporalis, proprie dictus; et intellectualis, qui per similitudinem dicitur. A nullo autem oculo corporali corpus Christi potest videri prout est in hoc sacramento. Primo quidem, quia corpus visibile per sua accidentia immutat medium. Accidentia autem corporis Christi sunt in hoc

sacramento mediante substantia: ita scilicet quod accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem neque ad hoc sacramentum, neque ad corpora quae ipsum circumstant. Et ideo non possunt immutare medium, ut sic ab aliquo corporali oculo videri possint <sup>α</sup>.

\* Art. 1, ad 3; art. 3.

Secundo quia, sicut supra \* dictum est, corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae. Substantia autem, in quantum huiusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subiacet alicui sensui, neque <sup>β</sup> imaginationi, sed soli intellectui, cuius obiectum est *quod quid est* \*, ut dicitur in III *de Anima* \*. Et ideo, proprie loquendo, corpus Christi, secundum modum essendi quem habet in hoc sacramento, neque sensu neque imaginatione perceptibile est: sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis.

\* D. 75<sup>a</sup>.  
\* Cap. vi, n. 7; S. Th. lect. xi.

Percipitur autem diversimode a diversis intellectibus. Quia enim modus essendi quo Christus est in hoc sacramento, est penitus supernaturalis <sup>γ</sup>, a supernaturali intellectu, scilicet divino, secundum se visibilis est: et per consequens ab intellectu beato vel angeli vel hominis, qui secundum participatam claritatem divini intellectus videt ea quae supernaturalia sunt, per visionem divinae essentiae. Ab intellectu autem hominis viatoris non potest conspici nisi per fidem: sicut et cetera supernaturalia. Sed nec etiam intelle-

γ

<sup>α</sup>) possint. — PF; possit GH, possunt ceteri (sed D om. immutare... possint).  
<sup>β</sup>) neque. — sed nec etiam tertia.  
<sup>γ</sup>) supernaturalis. — PlsG; spiritualis. — supernaturali tertia; spe-

ctus angelicus, secundum sua naturalia, sufficit ad hoc intuendum. Unde daemones non possunt videre per intellectum Christum in hoc sacramento, nisi per fidem: cui non voluntate <sup>δ</sup> assentiunt, sed ad eam signorum evidentia convincuntur \*, prout dicitur, Iac. II \*\*, quod *daemones credunt et contremiscunt*.

\* D. 607.  
\*\* Vers. 19.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod oculus noster corporeus per species sacramentales impeditur a visione corporis Christi sub eis existentis, non solum per modum tegumenti, sicut impedimur videre id quod est velatum quocumque corporali velamine: sed quia corpus Christi non habet habitudinem ad medium quod circumstat hoc sacramentum mediantibus propriis accidentibus, sed mediantibus speciebus sacramentalibus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod oculus corporalis Christi videt seipsum sub sacramento existentem: non tamen potest videre ipsum modum essendi quo est sub sacramento <sup>ε</sup>, quod pertinet ad intellectum <sup>ζ</sup>. Nec tamen est simile de alio oculo glorioso: quia et ipse oculus Christi est sub hoc sacramento; in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus.

δ

ε

ζ

AD TERTIUM DICENDUM quod angelus bonus vel malus non potest aliquid videre oculo corporeo, sed solum oculo intellectuali. Unde non est similis ratio, ut ex dictis \* patet.

\* In corpore.

ciali F, spirituali ceteri. — supernaturalia primo loco tertia, altero PlsG; spiritualia.  
<sup>δ</sup>) voluntate. — voluntarie P.  
<sup>ε</sup>) existentem... sacramento. — PI; om.  
<sup>ζ</sup>) intellectum. — solum addunt E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN corpore articuli multa occurrunt notanda et dubitanda. In primis, circa rationes conclusionis primae, scilicet, *Corpus Christi secundum esse quod habet in sacramento, non est visibile oculo corporali*, advertendum est quod, licet Scotus, in ult. qu. dist. x IV *Sent.*, impugnet multas rationes quae afferuntur pro hac conclusione; quia tamen neutram istarum quae in littera afferuntur improbat, immo potius utraque quodammodo utitur: — et secunda quidem, se tenente ex parte visibilis ut terminus est visionis, expresse utitur; prima quoque, considerante visibile in quantum causa est visionis, quodammodo utitur: — ideo extraneum a praesentis operis proposito duxi defendere rationes alias, quae hic non ponuntur.

\* *De Anima*, lib. II, lect. XIII; Opusc. XXIX, de Princip. Individuat.  
\*\* II *de Anima*, text. comm. LXIII.

II. In secunda ratione, adverte diligenter terminos, ut non fluctues, quasi contraria in Auctoris doctrina inveniens, dum alibi \* dicit, cum Averroae \*\*, substantiam particularem percipi a cogitativa, hic vero dicit a solo intellectu substantiam cognosci. Nec loquitur de substantia in communi, sed de substantia singulari: quia loquitur de corpore Christi ut est in hoc sacramento; constat autem corpus Christi esse quoddam singulare, et modum essendi in hoc sacramento esse rem singularem. Utrumque siquidem est verum: illud quidem de substantia individuali secundum materiam signatam quantitate; hoc autem de substantia individuali ut habet modum essendi purae substantiae, idest substantiae in quantum substantiae, ut patet ex superius \* declaratis de modo substantiae. Et propterea hic dicit: *Substantia autem, in quantum huiusmodi, subiacet solum intellectui*, etc.

\* Art. 1, Comment. num. III sqq.

III. Circa secundam partem huius articuli, in qua agitur de visione intellectuali, adverte dici quatuor. Primum,

quod corpus Christi secundum esse in hoc sacramento, non videtur ab intellectu viatoris hominis. — Secundum, quod nec etiam ab intellectu angelico naturaliter. — Tertium, quod videtur ab intellectu beato angeli vel hominis per visionem divinae essentiae. — Quartum, quod est omnium praedictorum ratio, quia iste modus essendi est penitus supernaturalis, ac per hoc secundum se intelligibilis est a supernaturali intellectu, scilicet divino.

Contra tria autem horum Scotus arguit, in IV *Sent.* dist. x, qu. VIII \*. Et primo, contra secundum \*\*, intendens quod tam intellectus angelicus, quam animae separatae, quam etiam hominis beati, potest naturaliter videre existentiam corporis Christi in Eucharistia. *Primo*, quia intellectus se habens ad intelligibilia sicut ipsa sunt in se intelligibilia, intelligit prius substantiam quam quemcumque modum eius. Ergo nullus modus sub quo est substantia, potest impedire intellectionem substantiae a tali intellectu, qui non dependet in intelligendo a sensibilibus.

\* Conclus. 2.  
\*\* Cf. num. VII.

*Secundo*. Totum ens creatum est obiectum proportionatum tali intellectui quantum ad cognitionem tam abstractivam quam intuitivam. Si ergo quodcumque ens potest abstractivae cognosci a tali intellectu quando non est sibi praesens, sequitur quod potest intuitive intelligi ab eodem quando est sibi perfecte praesens in propria existentia actuali.

*Tertio*. Virtus potens cognoscere obiectum intuitive dum est praesens, potest cognoscere eius absentiam dum est absens. Sed talis intellectus potest cognoscere praesentiam panis quando est praesens. Ergo potest cognoscere absentiam eius quando est absens. Ergo, eadem ratione, potest cognoscere praesentiam substantiae corporis Christi: quia



corpus Christi in se est obiectum proportionatum etiam intellectui tali ut intuenti; ergo modus accidentalis ipsius corporis non impedit quin sit obiectum intuitibile eidem intellectui.

*Quarto.* Anima Christi novit naturaliter se esse ubicumque est. Et per consequens novit naturaliter se esse in Eucharistia. Et ita naturaliter potest nosse existentiam corporis sui ibi, quae est sibi ratio quod sit in sacramento.

*Quinto.* Existencia talis non est excellentius cognoscibile quam existens cuius est existencia. Sed Christus est naturaliter cognoscibilis a tali intellectu creato. Ergo et quaelibet eius existencia. — Probatum maior. Quia non potest aliquis modus impropotionaliter excedere illud cuius est modus.

*Sexto.* Beatus naturaliter videt in alio beato actum beatificum. Et tamen illa beatitudo non est minus supernaturalis quam existencia corporis Christi in Eucharistia. — Antecedens probatur. Quia substantia ipsius beati est excellentius cognoscibile quam eius beatitudo.

IV. Contra tertium \* vero idem arguit \*\*, intendens quod intellectus beatus nullo modo per actum beatificum videt corpus Christi in Eucharistia \*. Beatus non distinguitur a non beato nisi videndo obiectum beatificum ut sic, et ea quae includuntur in eo ut sic. Sed corpus Christi esse in Eucharistia non est obiectum beatificum, ut patet: nec inclusum in obiecto beatifico. Quod probatur. Quia aequae essentialiter pertinet ad obiectum beatificum includere in ratione obiecti unam rem vel veritatem unius sacramenti sicut alterius: sicut aequae pertinet ad veritatem fidei credere veritatem unius articuli sicut alterius. Sed in obiecto beatifico non clauditur gratiam infundi tali baptizato, aut suscipienti sacramentum poenitentiae. Ergo, etc.

V. Contra quartum \*, rationem scilicet qua modus essendi est penitus supernaturalis, arguit ibidem \* Scotus, quia naturale et supernaturale non distinguunt ens in se, sed tantum in comparatione ad agens. Et propterea, licet res aliqua supernaturaliter fiat, postquam facta est, naturaliter cognoscitur.

Et confirmatur assumptum. Quia supernaturale et naturale possunt se habere sicut imperfectum et perfectius: puta accidens et substantia.

Et confirmatur rursus subiunctum. Quia fides, spes et caritas sunt habitus supernaturales. Et tamen angeli naturaliter cognoscunt eos, secundum illos qui ponunt in angelo naturaliter rationes cognoscendi omnes species entium.

VI. Ad evidentiam horum, praelibandum est quod *parva distantia in principio magna valde apparet in principiatis* \*. Et hinc est quod ex diversa opinione circa modum intelligendi, tot quaestiones emanant. Opinantes siquidem intellectum non alligatum phantasmati intelligere per motionem ab ipsis rebus quae intelligi dicuntur, consequenter opinantur intellectus abstractos intueri res praesentes sicut nos videmus corporaliter colores praesentes. Tenentes autem, cum Peripateticis et philosophis, intellectus abstractos moveri tantum a seipsis seu suis substantiis, vel etiam a superioribus eorum, et non ab aliquo inferiori, consequenter ponunt intellectus abstractos cognoscere quidquid cognoscunt naturaliter, aut per substantiam propriam solam \*, quod nos credimus in solo Deo verificari \*\*; aut per substantiam perfectam speciebus intelligibilibus inditatis \*; aut etiam, ut quibusdam placuit, per substantiam superiorem. Et per consequens intellectus abstracti cognitio naturalis non se potest extendere nisi ad ea quae naturaliter relucunt in his quae sunt apud intellectum abstractum. Et quoniam haec non sunt nisi pertinentia ad naturalem ordinem universi, quoniam solae res pertinentes ad opera sex dierum fuerunt productae a Deo in mentibus angelicis et in rerum natura, quando *vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona* \*; quaecumque non ad naturae, sed gratiae ordinem per se spectant, eximuntur a naturali cognitione angelorum secundum hanc viam. Secundum quam etiam naturale et supernaturale sunt et differentiae entis, et differentiae modi faciendi. Nam oculi dati caeco nato \*, et vinum factum in nuptiis \*\*, differe-

bant ab aliis oculis et vinis secundum naturale et supernaturale quoad modum fieri tantum. Sed caritas, et incarnatio Christi, et Christum esse sub sacramento, et lumen gloriae, et similia, differunt a virtutibus naturalibus et aliis quae entia naturalia vocamus, penes supernaturale et naturale quantum ad ipsa entia: sunt enim haec ex suo genere supernaturalia entia, quia nulli possunt entia esse aut fieri connaturalia, ut alibi \* declaravimus.

VII. His praelibatis, *ad primum* Scoti \* dicitur falsam esse minorem, scilicet intellectum abstractum habere se ad omne intelligibile secundum ordinem intelligibilitatis. Hoc enim patet esse falsum. Tum quia non sic se habet ad primum intelligibile, quod est Deus. — Tum quia quilibet intellectus abstractus intelligit et quod est supra se et quod est infra se, per modum sui.

Dicitur nihilominus quod, licet intellectus abstractus videat corpus Christi, non propterea sequitur: Ergo videt eius modum essendi in sacramento. Et hoc, non quia iste modus essendi est excellentioris cognoscibilitatis in se: sed quia est cognoscibile alterius ordinis, scilicet supernaturalis, et propter hoc est extra totum ordinem rerum praesentium cognitionibus naturalibus \*.

Et hinc patet responsio *ad secundum*. Quia falsum est totum ens creatum esse obiectum proportionatum tali intellectui. Et intuitive quidem: quia quaedam, scilicet supernaturalia, sunt de ordine non praesentium cognitioni naturali. Abstractive vero: quia incarnationis mysterium latet, quoad perfectam quidditativam cognitionem, omnis intellectus creati cognitionem naturalem, quia illius nulla indita species est praesentativa perfecte. Et idem videtur de esse corporis Christi in sacramento. Supponit igitur argumentum hoc falsum, scilicet modum essendi in sacramento praesentem quandoque esse naturali cognitioni intellectus abstracti.

*Ad tertium* dicitur negando eadem vel simili ratione posse cognosci praesentiam corporis Christi. Et ad subiunctam probationem iterum dicitur quod modus accidentalis, non quatenus accidentalis, sed quatenus est alterius ordinis, impedit se intueri ab intellectu cui ordo ille non est praesens: qualis est intellectus angelicus naturaliter.

*Ad quartum*, de anima Christi, dupliciter dici potest. Primo, excipiendo Christi animam: ea ratione quia ad ipsam spectat, quamvis concomitanter, talis modus essendi. Ita quod, sicut dicimus cogitationes cordis mei latere naturalem cognitionem angelorum, manifestas tamen esse animae meae, quia ad ipsam spectant, et per hoc fiunt sibi praesentes, quae non sunt praesentes angelis; sic in proposito modus iste essendi est praesens naturali cognitioni animae Christi per hoc quod ad ipsum spectat. Nec est simile de aliis intellectibus, ut patet.

Secundo dicitur negando animam Christi cognitione naturali intueri modum quo corpus Christi est in hoc sacramento: sicut cognitione naturali non intuetur mysterium incarnationis. Unde Auctor dicit hic quod, quia modus essendi in hoc sacramento est penitus supernaturalis, non nisi a supernaturali intellectu, vel ipsius participatione, est in se intelligibilis. Et haec responsio solidior videtur.

*Ad quintum*, iam patet ex dictis \* quod non ratione excellentiae, sed ratione absentiae seu non-praesentiae, existencia in sacramento latet; et tamen corpus Christi patet.

*Ad sextum*, negatur assumptum, scilicet actum beatificum unius beati videri naturali cognitione ab altero. Et ratio est saepe dicta: non propter excellentiam cognoscibilis, sed propter absentiam. Quia naturalis cognitio contenta est spectantibus ad ordinem naturalem: actus autem beatificus spectat ad ordinem supernaturalem.

VIII. Ad obiecta contra visionem huius sacramenti per actum beatificum \* respondendo, distinguitur quod de actu beatifico possumus dupliciter loqui. Vel praecise secundum necessaria ad beatitudinem. Et sic procul dubio verum est per actum beatificum non videri Christi corpus in sacramento, nec mysterium incarnationis, immo nec aliquid quod scit Deus scientia visionis: ut patet ex eo

\* Num. III, init.  
\*\* Loc. cit., conclus. 3. — Cf. Part. I, qu. LVII, art. 5, Comment. num. IV, v.  
\* Cf. num. VIII.

\* Num. III, init.  
\* Loc. cit., post conclus. 2. — Cf. num. IX.

\* Aristot. *de Caelo*, lib. I, cap. v, n. 1, 2. — S. Th. lect. IX.

\* Cf. Autissiod. *Summ.* lib. II, tract. v, qu. 5.  
\*\* Cf. Part. I, qu. LIV, art. 1.  
\* Cf. *ibid.*, art. 2.

\* *Gen.* cap. I, vers. 31. — Cf. Part. I, qu. LVI, art. 2; qu. LVII, art. 5.

\* *Ioan.* cap. IX, n. 6. sqq.  
\*\* *Ioan.* cap. II, n. 6. sqq.

\* Opusc. Caiet. tom. III, Tract. III, de *Potent. Neutr.*, qu. II (Ed. Lugdun. 1562).  
\* Num. III.

\* Cf. infra *Ad quintum*.

\* *Supra*, *Dicitur nihilominus*.

\* Num. IV.

quod, si unum tantum intellectum Deus creasset et ille videret Deum, esset procul dubio beatus, et nihil horum sciret quae ad scientiam visionis spectant, quia nihil horum fuisset, esset, aut futurum esset.

Vel de actu beatifico loquimur secundum quod de facto divina largitas illum ditavit, seu extendit. Et sic visio beata extendit se ad multa alia quae non sunt simpliciter necessaria cognitu ad beatitudinem. Inter quae opinamur esse mysterium incarnationis et Eucharistiae: ea ratione, quia sunt difficillima inter omnia creata credenda, ac per hoc, a mentibus fidelium valde desiderata ut videantur; beatitudo autem satiativa est fidelium, ut fidelium, desideriorum tam arduorum.

Et Scotus quidem in primo sensu loqui videtur, et non in secundo: quoniam ratio sua in primo tantum sensu militat; et pluries repetit necessitatem ad beatitudinem. Unde non oportet aliter respondere.

\* Num. v.

IX. Ad obiecta demum de supernaturalitate \* respondetur dicendo quod naturale et supernaturale sunt differentiae quandoque solum secundum respectum ad agens: quandoque vero sunt differentiae entis. Et propterea falsum est quodcumque ens, postquam factum est, esse naturale: de aliquo enim est verum, et de aliquo non, ut supra \* diximus.

\* Num. vi.

Et ad confirmationem, de differentia imperfecti et perfectioris, dicitur quod est impertinens: quoniam non est quaestio de perfectione vel imperfectione, sed de naturalitate vel supernaturalitate. — Posset tamen dici quod qualitates supernaturales sunt perfectioris ordinis quam totus ordo naturalium: quia sunt ordinis divini, ut caritas et lumen gloriae testantur.

Ad ultimam confirmationem dicitur quod angelis non sunt inditae species omnium specierum, sed earum tantum quae ad naturalem ordinem universi spectant. Et propterea fidem, spem et caritatem non per naturalem cognitionem in proprio genere noverunt, nisi habentes illas in seipsis, utpote ad eos spectantes \*.

\* Cf. num. vii, Ad quartum.

X. In responsione ad secundum, intellige differentiam inter oculum corporalem Christi et corporalem oculum aliorum sanctorum, non respectu visibilis per se, quoniam in corpore articuli iam dictum erat modum essendi Christi corporis in hoc sacramento esse invisibilem, soloque intellectu intuibilem: sed respectu visibilis per accidens. Ita quod Christus dicitur corporali oculo videre seipsum sub hoc sacramento, quia sic seipsum videt ut statim intellectu videat suum essendi modum in sacramento; sicut post resurrectionem dicemur videre Deum corporalibus oculis, ut in qu. xii \* Primae Partis Auctor declaravit.

\* Art. 3, ad 2.

## ARTICULUS OCTAVUS

### UTRUM, QUANDO IN HOC SACRAMENTO MIRACULOSE APPARET VEL CARO VEL PUER, SIT IBI VERE CORPUS CHRISTI

IV Sent., dist. x, art. 3, qu<sup>a</sup> 2; De Ven. Sacram. Altar., serm. xi.

**A**D OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, quando in hoc sacramento miraculose apparet vel <sup>α</sup> caro vel puer, quod non sit ibi vere corpus Christi. Corpus enim Christi desinit esse sub hoc sacramento quando desinunt esse species sacramentales, ut dictum est \*. Sed quando apparet caro vel puer, desinunt esse species sacramentales. Ergo non est ibi vere corpus Christi.

\* Art. 6.

2. PRAETEREA, ubicumque est corpus Christi, vel est ibi sub specie propria, vel sub specie sacramenti. Sed quando tales apparitiones fiunt, manifestum est quod non est ibi Christus sub specie propria: quia in hoc sacramento totus Christus continetur, qui permanet integer in forma qua ascendit in caelum; cum tamen id quod miraculose apparet in hoc sacramento, quandoque videatur ut quaedam parva caro, quandoque autem ut parvus puer. Manifestum est etiam quod non est ibi sub specie sacramenti, quae est species panis vel vini. Ergo videtur quod corpus Christi nullo modo sit ibi.

\* Art. 1; qu. LXXV, art. 2 sqq.

3. PRAETEREA, corpus Christi incipit esse in hoc sacramento per consecrationem et conversionem, ut supra \* dictum est. Sed caro aut sanguis miraculose apparens non sunt consecrata, nec conversa in verum corpus et sanguinem Christi. Non ergo sub his speciebus est corpus vel sanguis Christi.

SED CONTRA EST quod, tali apparitione facta, eadem reverentia exhibetur ei quod apparet,

quae et prius exhibebatur. Quod quidem non fieret si non vere esset ibi Christus, cui reverentiam laetiae exhibemus. Ergo, etiam tali apparitione facta, Christus est sub hoc sacramento.

RESPONDEO DICENDUM quod dupliciter contingit talis apparitio, qua quandoque in hoc sacramento miraculose videtur caro aut sanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione ac si expresse viderent exterius carnem aut sanguinem vel puerum \*, nulla tamen immutatione <sup>β</sup> facta ex parte sacramenti. Et hoc quidem videtur contingere quando uni videtur sub specie carnis vel pueri, aliis tamen videtur, sicut et prius, sub specie panis; vel quando eadem <sup>γ</sup> ad horam videtur sub specie carnis vel pueri, et postmodum sub specie panis. Nec tamen hoc pertinet ad aliquam deceptionem, sicut accidit in magorum praestigiis: quia talis species divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc scilicet quod manifestetur vere corpus Christi esse sub hoc sacramento; sicut etiam Christus absque deceptione apparuit discipulis euntibus in Emmaus \*. Dicit enim Augustinus, in libro *de Quaestionibus Evangelii* \*, quod, *cum fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis*. Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte sacramenti, manifestum est quod non desinit esse Christus sub hoc sacramento, tali apparitione facta.

\* Cf. Paschas. Rabbert., *de Corp. et Sang. Dom.*, cap. xiv. β

γ

\* Luc. cap. xxiv, vers. 13 sqq. \* Lib. II, qu. ult.

α) vel. — Om. PHsG et c. — quod ante non om. PsB.  
β) tamen immutatione. — transmutatione CDEa.

γ) eidem. — PFIsG; om. H, idem ceteri.

Quandoque vero contingit talis apparitio non per solam immutationem videntium, sed specie quae videtur realiter exterius existente. Et hoc quidem <sup>δ</sup> videtur esse quando sub tali specie ab omnibus videtur; et non ad horam, sed per longum tempus ita permanet. Et in hoc casu quidam dicunt quod est propria species corporis Christi. Nec obstat quod quandoque non videtur ibi totus Christus, sed aliqua pars carnis \*; vel etiam videtur non in specie iuvenili, sed in effigie puerili \*: quia in potestate est corporis gloriosi, ut infra \* dicitur <sup>ε</sup>, quod videatur ab oculo non glorificato vel secundum totum vel secundum partem, et in effigie vel propria vel aliena, ut infra dicitur.

Sed hoc videtur esse inconueniens. Primo quidem, quia corpus Christi non potest in propria specie videri nisi in uno loco, in quo definitive continetur. Unde, cum videatur in propria specie et adoretur in caelo, sub propria specie non videtur in hoc sacramento. – Secundo, quia corpus gloriosum, quod apparet ut vult, post apparitionem cum voluerit disparet: sicut dicitur, Luc. ult. \*, quod Dominus *ab oculis discipulorum evanuit*. Hoc autem quod sub specie carnis in hoc sacramento apparet, diu permanet: quinimmo quandoque legitur esse inclusum, et multorum episcoporum consilio <sup>ζ</sup> in pixide reservatum \*;

\* Cf. Vit. S. Greg. M., auct. Ioan. Diac., lib. II, num. 41.  
\* Cf. Paschas. Ratbert., loc. cit.  
\* Cf. Supplem., qu. LXXXV, art. 2, ad 3; art. 3. – Cf. supra, qu. LIV, art. 1, ad 2, 3; art. 3.

\* Vers. 31.

ζ Cf. Guitmund., de Verit. Corp. et Sang. Dom. in Euch. Sacr. lib. II.

δ) quidem. – PFG; idem.  
ε) ut infra dicitur. – Om. Pa.  
ζ) consilio. – concilio Ea.

quod nefas est de Christo sentire secundum propriam speciem.

Et ideo dicendum quod, manentibus dimensionibus quae prius fuerunt, fit miraculose quaedam immutatio circa alia accidentia, puta figuram et colorem et alia huiusmodi, ut videatur caro vel sanguis, aut etiam puer. Et, sicut prius dictum est, hoc non est deceptio: quia fit *in figuram cuiusdam veritatis*, scilicet ad ostendendum per hanc miraculosam apparitionem quod in hoc sacramento est vere corpus Christi et sanguis <sup>η</sup>. Et sic patet quod, remanentibus dimensionibus, quae sunt fundamenta aliorum accidentium, ut infra \* dicitur, remanet vere <sup>θ</sup> corpus Christi in hoc sacramento.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, facta tali apparitione, species sacramentales quandoque quidem totaliter manent in seipsis, quandoque autem secundum illud quod est principale in eis, ut dictum est \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in huiusmodi apparitionibus, sicut dictum est \*, non videtur propria species Christi: sed species miraculose formata vel in oculis intuentium, vel etiam in ipsis sacramentalibus dimensionibus, ut dictum est \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod dimensiones panis et vini consecrati manent, immutatione circa eas miraculose facta quantum ad alia accidentia, ut dictum est \*.

η) Christi et sanguis. – et sanguis Christi PI; cf. art. 1. ζ.  
θ) vere. – Om. P.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo octavo, adverte circa veras apparentias ex miraculo in hoc sacramento, quod distinguendum videtur de magnitudine speciei apparentis. Nam si res apparens fuerit tam magnarum dimensionum ut sint impossibiles substantiae conversae, puta si, consecrato modico vino in fundo calicis, ut fieri consuevit, appareat et permaneat totus calix magnus plenus specie sanguinis, tunc non videtur remanere verus Christi sanguis sub illis speciebus: quoniam non manent dimensiones vini conversi. Et in hoc casu species sanguinis significat Christi sanguinem verum contineri sub sacramento, et non contineri sub seipsa.

Si vero dimensiones non sint ita in veritate extensae

quin afficerent conversam substantiam si subesset, sentiendum est ut littera tradit. Quoniam tandiu manet veritas sacramenti, quandiu maneret panis aut vinum si subesset. Constat autem quod, quandiu manent dimensiones illae sine subiecto, manet corpus aut sanguis Christi.

Unde, cum tam extensive dimensiones immutantur, immutatio non est solum accidentalis, sed substantialis. Auctor autem loquitur quando mutatio est solum in accidentibus.

Et si quaeratur qua adoratione venerandus esset huiusmodi sanguis miraculosus, dicendum videtur idem esse iudicium de ipso et de veste Christi \*.

\* Cf. qu. xxv, art. 4, ad 3.



QUAESTIO SEPTUAGESIMASEPTIMA

DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC SACRAMENTO

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXIV, Introd.

DEINDE considerandum est de accidentibus remanentibus in hoc sacramento \*.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum accidentia quae remanent, sint sine subiecto.

Secundo: utrum quantitas dimensiona sit subiectum aliorum accidentium.

Tertio: utrum huiusmodi accidentia possint immutare aliquod corpus extrinsecum.

Quarto: utrum possint corrumpi.

Quinto: utrum ex eis possit aliquid generari.

Sexto: utrum possint nutrire.

Septimo: de fractione panis consecrati.

Octavo: utrum vino consecrato possit aliquid admisceri.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM ACCIDENTIA REMANEANT IN HOC SACRAMENTO SINE SUBIECTO

Supra, qu. LXXV, art. 5; I *Sent.*, dist. XLVII, art. 4; IV, dist. XII, qu. 1, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXII, LXIII, LXV; *Quodl.* III, art. 1, ad arg.; *Quodl.* IX, qu. III; *Cont. Graec., Armen.* etc., cap. VIII; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod accidentia non remaneant in hoc sacramento sine subiecto. Nihil enim inordinatum aut fallax debet esse in hoc sacramento veritatis. Sed accidentia esse sine subiecto est contra rerum ordinem, quem Deus naturae indidit. Videtur etiam ad quandam fallaciam pertinere: cum accidentia sint <sup>α</sup> signa naturae subiecti. Ergo in hoc sacramento non sunt accidentia sine subiecto.

2. PRAETEREA, fieri non potest, etiam miraculose, quod definitio rei ab ea separetur; vel quod uni rei conveniat definitio alterius, puta quod homo, manens homo, sit animal irrationale. Ad hoc enim sequeretur contradictoria esse simul: hoc enim quod significat nomen rei, est definitio, ut dicitur in IV *Metaphys.* \* Sed ad definitionem accidentis pertinet quod sit in subiecto: ad definitionem vero substantiae, quod per se subsistat non in subiecto. Non potest ergo miraculose fieri quod in hoc sacramento sint accidentia sine subiecto.

3. PRAETEREA, accidens individuatur ex subiecto. Si ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subiecto, non erunt individua, sed universalia. Quod patet esse falsum: quia sic non essent sensibilia, sed intelligibilia tantum.

4. PRAETEREA, accidentia per consecrationem huius sacramenti non adipiscuntur aliquam compositionem. Sed ante consecrationem non erant composita neque ex materia et forma, neque ex quo est et quod est. Ergo etiam post consecrationem non sunt composita altero horum modorum. Quod est inconveniens: quia sic essent simpliciora quam angeli; cum tamen haec acci-

dentia sint sensibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subiecto.

SED CONTRA EST quod Gregorius dicit, in Homilia Paschali \*, quod *species sacramentales sunt illarum rerum vocabula quae ante fuerunt, scilicet panis et vini.* Et ita, cum non remaneat substantia panis et vini, videtur quod huiusmodi species sint sine subiecto.

RESPONDEO DICENDUM quod accidentia panis et vini, quae sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt sicut in subiecto in substantia panis et vini, quae non remanet, ut supra \* habitum est. Neque etiam in forma substantiali, quae non manet \*; et, si remaneret, *subiectum esse non posset*, ut patet per Boetium, in libro *de Trin.* \* Manifestum est etiam quod huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subiecto \*: quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile quod corpus Christi, gloriosum et impassibile existens, alteretur ad suscipiendas huiusmodi qualitates.

Dicunt autem quidam \* quod sunt, sicut in subiecto, in aere circumstante. — Sed nec hoc esse potest. Primo quidem, quia aer non est huiusmodi accidentium susceptivus. — Secundo, quia huiusmodi accidentia non sunt ubi est aer. Quinimmo ad motum harum specierum aer de pellitur. — Tertio, quia *accidentia non transeunt de subiecto in subiectum* \*: ut scilicet idem accidens numero quod β primo fuit in uno subiecto, postmodum fiat in alio. Accidens enim numerum accipit a subiecto. Unde non potest esse quod, idem numero manens, sit quandoque in hoc,

\* S.Th. lect. xvi. — *Did.* lib. III, cap. VII, n. 9.

\* Lanfranc. *de Corp. et Sang. Dom.*, cap. XX; *Can. Species, de Consecrat.*, dist. II.

\* Qu. LXXV, art. 2. \* *Ibid.*, art. 6.

\* Lib. I, cap. II.

\* Vide Abaelard. loc. cit. infra. — Cf. *Mag. IV Sent.*, dist. XII, cap. *Sed quia corpus.*

\* Vide Guillelm. S. Theodor., *Disput. advers. Abaelard.*, ad *Gaufrid.*, cap. IX; Abaelard. *Epitome Theol. Christian.*, cap. XXIX.

\* Boet. *Comment. in Categ. Arist.* lib. I.

β

α) sint. — naturaliter sint PI.

β) quod. — PI; sit quod.

quandoque in alio subiecto. – Quarto quia, cum aer non spoliatur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena. – Nec potest dici quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis: quia verba consecrationis hoc non significant; quae tamen non efficiunt nisi significatum  $\gamma$ .

Et ideo relinquitur quod accidentia in hoc sacramento manent sine subiecto. Quod quidem virtute divina fieri potest \*. Cum enim effectus magis dependeat a causa prima quam a causa secunda \*, potest Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare in esse accidens subtracta substantia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis; sicut corpus humanum formavit in utero Virginis *sine virili semine* \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod nihil prohibet aliquid esse ordinatum secundum communem legem naturae, cuius tamen contrarium est ordinatum secundum speciale privilegium gratiae, ut patet in resuscitatione mortuorum, et in illuminatione caecorum: prout etiam in rebus humanis quaedam aliquibus conceduntur ex speciali privilegio praeter communem legem. Et ita, licet sit secundum communem naturae ordinem quod accidens sit in subiecto, ex speciali tamen ratione, secundum ordinem gratiae, accidentia

sunt in hoc sacramento sine subiecto, propter rationes supra \* inductas.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse, non potest esse essentia vel substantiae vel accidentis. Non ergo definitio substantiae est *ens per se sine subiecto*, nec definitio accidentis *ens in subiecto*: sed quidditati seu essentiae substantiae *competit habere esse non in subiecto*; quidditati autem sive essentiae accidentis *competit habere esse in subiecto*. In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suae essentiae sint sine subiecto, sed ex divina virtute sustentante. Et ideo non desinunt esse accidentia: quia nec separatur ab eis definitio accidentis  $\delta$ , nec competit eis definitio substantiae.

AD TERTIUM DICENDUM quod huiusmodi accidentia acquisierunt esse individuum in substantia panis et vini: qua conversa in corpus et sanguinem Christi, remanent virtute divina accidentia in illo esse individuato quod prius habebant. Unde sunt singularia et sensibilia.

AD QUARTUM DICENDUM quod accidentia huiusmodi, manente substantia panis et vini, non habebant ipsa esse nec  $\epsilon$  alia accidentia: sed substantia eorum habebat  $\zeta$  huiusmodi esse per ea; sicut nix est alba per albedinem. Sed post consecrationem ipsa accidentia quae remanent, habent esse. Unde sunt composita ex *esse et quod est*, sicut in Prima Parte \* de angelis dictum est. Et cum hoc, habent compositionem partium quantitativarum.

\* D. 15.

\* Lib. de Causis, prop. 1. – Inter Opp. Aristot.

\* Hymn. S. Ambros. ad prim. Vesp. Nativ.

\* Qu. LXXV, art. 5.

 $\delta$  $\epsilon$  $\zeta$ 

\* Qu. I, art. 2, ad 3; qu. LXXV, art. 5, ad 4.

$\gamma$ ) significatum. – suum significatum PFI, unum significatum GpH et bc.  
 $\delta$ ) accidentis. – Post Pianam coeptum est addi: quae est aptitudo ad subiectum quae semper manet in iis, non actualis inhaerentia quod quae editio prima intruserit nos latet.

$\epsilon$ ) nec. – sicut nec FGI.

$\zeta$ ) substantia eorum habebat. – sbā (subiecta P) eorum habebant PIsH, (sbā expungit) eorum subiecta habebant F, sbā eorum habebant huiusmodi esse habebat huiusmodi esse G, sed tria ultima verba expunguntur.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN quaestione ista, de accidentibus Eucharistiae, omissa tanta opinionum varietate, ut solidior rationabiliorque via appareat, notandum duxi duplicem esse opinionem de modo essendi istorum accidentium sine subiecto. Prima opinio est accidentia ista esse sine subiecto per solam conservationem a Deo sine subiecto: ita quod, cum prius haberent duo, scilicet esse in subiecto, et utrumque conservabatur a Deo; postea, desinente Deo conservare ly *in subiecto*, et conservante esse quod habebant, ipsa sunt sine subiecto. Et hanc opinionem sequitur Scotus, in XII distinctione \* Quarti.

Altera autem opinio tenet, ultra conservationem, addi novam actionem divinam conferentem accidentibus his novum modum essendi, scilicet per modum substantiae. Et hanc opinionem sequitur divus Thomas, in hac quaestione, dicens collatum esse dimensionibus habere substantiae proprietatem, actum, vim atque virtutem.

II. Et ut plenius quod dicitur intelligatur, manifestemus ex differentia seu differentiis inter has opiniones. Primo, *quoad esse*. Nam, cum accidens in subiecto non sit *quod est sed quo est*, ex sola conservatione accidentis in suo esse non conservato subiecto, non acquirit accidens novum modum essendi, sed perdit priorem modum significatum per ly *in*: desinit enim esse actualiter inhaerens. – Sed ubi conservationi apponitur collatio novi modi, accidens non solum perdit actualiter inhaerere, sed acquirit novum essendi modum, ut quod prius fuerat *quo est*, modo sit *quod est*. Et hic est modus essendi substantiae.

Et huic differentiae annectitur altera: quod conservatio sola accidentium sine subiecto est velut violenta; hoc est quod, si fieret ab agente secundo, esset violenta; quemadmodum si lapis absque aliquo fulcimento sola agentis virtute sustineretur in loco superiori. Et ratio violentiae est, quia accidens cum suo esse, separatum ab inesse, sustinetur ut prius erat, scilicet ut quo est: ex quo non acquisivit alium essendi modum. – Sed si accidens cum modo essendi per modum substantiae conservatur sine subiecto, naturaliter conservatur in supernaturaliter acquisito essendi modo.

Secundo differunt *quoad esse subiectum*. Nam ex sola conservatione accidentium sine subiecto, dimensiones non sunt plus subiectum aliorum accidentium quam prius erant. Prius autem erant solum receptivae accidentium: et non sustentativae eorundem. Post separationem igitur tam dimensiones quam reliqua accidentia remanent sine subiecto sustentante. Et inter dimensiones et alia accidentia hoc interest, quod accidentia alia retinent subiectum receptivum, scilicet ipsas dimensiones: ipsa vero quantitas caret etiam receptivo. – Sed ubi quantitati collatus ponitur modus substantiae, ipsa quidem nec sustentativo eget, quoniam est per modum substantiae: reliquorum vero accidentium ipsa est et receptivum et sustentativum; receptivum quidem ex se, sustentativum vero ex acquisito modo substantiae.

Tertio differunt *secundum actionem*. Quia sola conservatio non constituit activum substantiae et per modum

\* Qu. I.

substantiae. — Sed modus essendi per modum substantiae constituit activum *ut quod* respectu omnis producibilis cuius ibi salvatur activum *ut quo*.

Quarto differunt *quoad passionem*, seu *potentiam passivam*. Quoniam per solam conservationem non acquirunt novam aliquam potentiam passivam. — Sed si collatus ponitur modus substantiae, collata consequenter ponitur vis atque potentia substantiae, ut possit scilicet inde fieri quidquid posset ex substantia si esset.

III. Quod rationabilior autem sit opinio ponens conferri dimensionibus modum vimque substantiae, ex duobus apparet. Primo, quia sic salvantur naturaliter omnes quae ad sensum apparent mutationes a naturalibus agentibus circa Eucharistiam. Nam, supposito hoc uno miraculo, quaecumque fiunt, naturaliter salvantur ac si fierent in substantia: quoniam supponitur *vice-substantia*, quantitas scilicet habens modum, vim proprietatemque substantiae.

Secundo apparet, quia non est hic affirmandum miraculum quod non sequatur ex consecratione: et paucitas miraculorum praeeligenda est potius quam multitudo. Sed, sic ponendo, unum solum miraculum ponitur, quod etiam consecrationi est annexum. Nam ad sensum convincitur quod ex speciebus illis educibilis est de potentia ad actum per agens naturale raritas. Quae non est educibilis de potentia dimensionum et reliquorum accidentium ibi existentium nisi sicut medio: quoniam constat raritatem educi de potentia materiae parvificabilis sub amplioribus dimensionibus. Ex eo enim quod ibi non est materia, nisi ponatur aliquid vice materiae, oportet dicere aut huiusmodi species non esse rarefactibiles: aut, per agens naturale educi raritatem de potentia ad actum absque aliquo ex quo sit educibilis raritas de potentia ad actum; quod non est intelligibile absque novo miraculo. — Et hinc quoque apparet soliditas huius opinionis: dum unico miraculo salvat omnia apparentia, et naturalitatem omnium actionum et passionum.

Nec immediata conservatio horum a Deo prohibet corruptionem naturalem eorundem: quoniam non plus ex immediata conservatione manentur quam cum mediante substantia conservantur. Est enim conservatio Dei *suavis* rebus conservatis \*. Et ideo non conservatio divina, sed res conservata succumbit agenti naturali corrumpenti.

IV. Nec oportet sollicitum esse circa entitatem praedictorum \*, scilicet modi essendi, proprietatis, vis virtutisque substantiae. Ipsa siquidem res de genere accidentium, puta quantitas cum suo esse, fit a Deo vis virtusque substantiae, habens actum modumque substantiae.

Manifestatur autem hoc esse non solum possibile, sed rationabile, discurrendo per ea quae apparent, et opinata in philosophia. Videmus in primis in elementis quaedam non semina, sed proportionalia seminibus, cum generantur animalia ex putrefactione. Videmus quoque imperfectissima entia, qualia sunt semina, vicem gerere perfectorum animalium, cum generantur animalia perfecta per propagationem. Opinamur quoque dari proportionalia membra: puta in carentibus corde, aliquid proportionale loco cordis. Credimus quoque lumen effici vim astri illius in quo recipitur, puta lunae. Tenent multi, ut infra \* patebit, accidentia propria esse vires ipsas substantiarum. Ex quibus omnibus, si adverterimus quantitatem esse rem propinqua et quasi proportionalis naturae cum materia, non appa-

rebit impossibile, aut a ratione alienum, quod ipsamet res quae est quantitas fiat *vice-materia* et sit, ac suppleat materiae officium, velut quoddam proportionale materiae, sicut proportionale cordi facit officium cordis. Nec oportet aliam entitatem quaerere. Quoniam sicut accidentia fluentia a principiis essentialibus substantiae, ex hoc ipso quod a principiis illis fluunt, sunt non solum accidentia, puta calor, sed sunt vis et virtus substantiae, ita quod possunt producere substantiam, ut inferius \* amplius patebit (quamvis quidam sentiant contrarium): ita quantitas Eucharistiae potest sortiri a suprema omnium substantiarum ut ipsamet quantitas sit vice-substantia, etc. Multo enim vehementioris ac intimioris efficaciae est primae substantiae actio quam quicumque fluxus accidentis a principiis substantialibus subiecti.

Hic est ergo modus quo facillime, absque multiplicatione tam miraculorum quam entitatum, salvantur apparentia circa accidentia Eucharistiae inter agendum et patiendum.

V. Quibus praelibatis, ad singula descendendo, perspice in primo articulo huius litterae, in responsione ad quartum, primum quod diximus \*: scilicet quod accidens transit de *quo est* in *quod est*, et est deinceps compositum ex *quod est* et *quo est*.

Perspice secundo, in articulo secundo, in responsione ad primum, quantitatem transire de subiecto medio in recipiendo, in subiectum in sustentando \*.

Perspice tertio, in articulo tertio, in responsione ad tertium, id quod diximus \* de accidentibus fluentibus a substantia.

VI. Sed occurrunt in hoc loco duo intolerabilia Scoto, in XII distinctione \* Quarti. Primum est quod forma substantialis geniti non fit immediate a forma substantiali generantis. — Secundum est quod qualitates agunt in virtute formae substantialis, producendo substantiam.

Et Scotus quidem longum circa haec processum facit. Ego autem, quia de sacramentis tracto, et huiusmodi disputatio non est necessaria ad sacramenti notitiam, pertranseundum censeo, declarando tamen sensum Auctoris. Quem noluit forte intelligere Scotus: quoniam, si illum intellexisset, non sic arguisset.

Cum dicimus qualitates agere in virtute formae substantialis, non somniamus rem aliam, absolutam aut respectivam, sed ipsam qualitatem esse virtutem illius substantiae: sicut dicimus semen esse virtutem generantis. Et propterea sicut, conservato semine, semen bovis generat bovem, et semen hominis generat hominem, procul dubio in virtute hominis a quo fluxit, *sol enim et homo generant hominem*, ut dicitur II *Physic.* \*; et tamen non oportet semen illud subordinari defuncto homini ita quod referatur ad illum aut moveatur ab illo, sat est enim servari sicut fluxit ab illo: ita qualitas vini conversi in sanguinem Christi, quia erat virtus vini, si (pro *quia*) conservatur sicut erat, productiva est vini; converteret enim guttam aquae in vinum, non minus quam si substantia vini subesset. Nec oportet subordinari vino converso, nec moveri ab illo: sed dicitur agere in virtute illius, quia est virtus quae fluxit ab ipso. Sed haec metaphysicis resolutionibus reservemus.

VII. Reliqua quae supra \* diximus, in articulo quinto et octavo clare habentur.

\* Cf. Sap. cap. viii, vers. 1.

\* Num. 1, Altera.

\* Num. vi. - Vide art. 8, ad 1.

\* Art. 5.

\* Num. II.

\* Cf. ibid., Secundo.

\* Num. praeced.

\* Qu. III.

\* Cap. II, n. 11. - S. Th. lect. IV.

\* Num. II, Tertio, Quarto.

## ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN HOC SACRAMENTO QUANTITAS DIMENSIVA PANIS VEL VINI  
SIT ALIORUM ACCIDENTIUM SUBIECTUM

IV *Sent.*, dist. XII, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIII, LXV; *Quodl.* VII, qu. IV, art. 3; *In Matth.*, cap. XXVI;  
I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

\* Vid. Comment.  
Caiet. post art. 1.

\* Cf. Aristot. *Meta-*  
*phys.* lib. III,  
cap. IV, n. 14, 15.  
S. Th. lib. IV,  
lect. VII.

\* Cap. IX, n. 6, 7;  
S. Th. lect. XIV.  
Cf. *de Caelo*, lib.  
III, cap. I, n. 10;  
S. Th. lect. III.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod in hoc sacramento quantitas dimensiva panis vel vini non sit aliorum accidentium subiectum. *Accidentis enim non est accidens* \*: nulla enim forma potest esse subiectum, cum subiici pertineat ad proprietatem materiae. Sed quantitas dimensiva est quoddam accidens. Ergo quantitas dimensiva non potest esse subiectum aliorum accidentium.

2. PRAETEREA, sicut quantitas individuatur ex substantia, ita etiam et alia accidentia. Si ergo quantitas dimensiva panis aut vini remanet individuata secundum esse prius habitum, in quo conservatur, pari ratione et alia accidentia remanent individuata secundum esse quod prius habebant in substantia. Non ergo sunt in quantitate dimensiva sicut in subiecto: cum omne accidens individuatur per suum subiectum.

3. PRAETEREA, inter alia accidentia panis et vini quae remanent, deprehenduntur etiam sensu rarum et densum. Quae non possunt esse in quantitate dimensiva praeter materiam existente<sup>β</sup>: quia rarum est quod habet parum de materia sub dimensionibus magnis; densum autem quod habet multum de materia sub dimensionibus parvis, ut dicitur in IV *Physic.* \* Ergo videtur quod quantitas dimensiva non γ possit esse subiectum accidentium quae remanent in hoc sacramento.

4. PRAETEREA, quantitas a subiecto separata videtur esse quantitas mathematica, quae non est subiectum qualitatum sensibilium. Cum ergo accidentia quae remanent in hoc sacramento sint sensibilia, videtur quod non possint esse in hoc sacramento sicut in subiecto in quantitate<sup>δ</sup> panis et vini remanente post consecrationem.

SED CONTRA EST quod qualitates non sunt divisibiles nisi per accidens, scilicet ratione subiecti. Dividuntur autem qualitates remanentes in hoc sacramento per divisionem quantitatis dimensivae: sicut patet ad sensum. Ergo quantitas dimensiva est subiectum accidentium quae remanent in hoc sacramento.

RESPONDEO DICENDUM quod necesse est dicere accidentia alia quae remanent in hoc sacramento, esse sicut in subiecto in quantitate dimensiva panis vel vini remanente. Primo quidem, per hoc quod ad sensum apparet aliquod quantum

esse ibi coloratum et aliis accidentibus affectum: nec in talibus sensus decipitur.

Secundo, quia prima dispositio materiae est quantitas dimensiva: unde et Plato posuit primas differentias materiae *magnum et parvum* \*. Et quia primum subiectum est materia, consequens est quod omnia alia accidentia referantur ad subiectum mediante quantitate dimensiva, sicut et primum subiectum coloris dicitur superficies \* esse: ratione cuius quidam posuerunt dimensiones esse substantias corporum, ut dicitur in III *Metaphys.* \* Et quia, subtracto subiecto, remanent accidentia secundum esse quod prius habebant, consequens est quod omnia accidentia remanent fundata super quantitatem dimensivam.

Tertio quia, cum subiectum sit principium individuationis accidentium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium subiectum esse<sup>ε</sup>, aliquo modo esse individuationis principium. Est enim de ratione individui quod non possit in pluribus esse. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, quia non est natum in aliquo esse: et hoc modo formae immateriales separatae, per se subsistentes, sunt etiam per seipsas individuae. Alio modo, ex eo quod forma substantialis vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus: sicut haec albedo, quae est in hoc corpore. Quantum igitur ad primum, materia est individuationis principium omnibus formis inhaerentibus: quia, cum huiusmodi formae, quantum est de se, sint natae in aliquo esse sicut in subiecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quae non est in alio, iam nec ipsa forma sic existens potest in alio esse. Quantum autem ad secundum, dicendum est quod individuationis principium est quantitas dimensiva. Ex hoc enim aliquid est natum esse in uno solo, quod illud est in se indivisum et divisum ab omnibus aliis \*. Divisio autem accidit substantiae ratione quantitatis, ut dicitur in I *Physic.* \* Et ideo ipsa quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium huiusmodi formis, in quantum scilicet diversae formae numero sunt in diversis partibus materiae. Unde ipsa quantitas dimensiva secundum se habet quandam individuationem: ita quod possumus imaginari plures lineas ζ eiusdem speciei differentes positione, quae cadit in ratione quantitatis huius η; convenit enim dimensionem quod sit *quantitas positionem ha-*

α) *Accidentis enim.* - Subiectum enim accidentis P.  
β) *existente.* - P; *existentem.*  
γ) *non.* - DsBEH et a; ante *Ergo* ponunt PlsG et c, om. ceteri.  
δ) *quantitate.* - *dimensiva* addunt F et tertia.  
ε) *esse.* - Om. a; statim om. tertia.

ζ) *lineas.* - *separatas* addit P; *Alias non habetur ly separatas* margo P.  
η) *quantitatis huius.* - *quantitatis huiusmodi CDEabc, huius quantitatis Pl.*

\* Cf. Arist. *Physic.* lib. I, cap. IV, n. 1; S. Th. lect. VIII: *Metaphys.* lib. I, cap. VII, n. 2; S. Th. lect. XI.

\* D. 1145.

\* S. Th. lect. XIII. - *Did.* lib. II, cap. V.

\* D. 728.

\* Cf. cap. II, n. 10, 13. - S. Th. lect. III.

\* Aristot. *Categ.* cap. IV, n. 1.

*bens* \*. Et ideo potius quantitas dimensiva potest esse subiectum aliorum accidentium quam e converso.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod accidens per se non potest esse subiectum alterius accidentis: quia non per se est. Secundum vero quod est in alio, unum accidens dicitur esse subiectum alterius, in quantum unum accidens recipitur in subiecto alio mediante: sicut superficies dicitur esse subiectum coloris. Unde, quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis esse subiectum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod alia accidentia, etiam secundum quod erant in substantia panis, individuabantur mediante quantitate dimensiva, sicut dictum est \*. Et ideo potius quantitas dimensiva est subiectum aliorum accidentium remanentium in hoc sacramento quam e converso.

\* In corpore.

θ) *Et*. — *Et ideo P*.

AD TERTIUM DICENDUM quod rarum et densum sunt quaedam qualitates consequentes corpora ex hoc quod habent multum vel parum de materia sub dimensionibus: sicut etiam omnia alia accidentia consequuntur ex principiis substantiae. Et θ sicut, subtracta substantia, divina virtute conservantur alia accidentia; ita, subtracta materia, divina virtute conservantur qualitates materiam consequentes, sicut rarum et densum.

AD QUARTUM DICENDUM quod quantitas mathematica <sup>1</sup> non abstrahit a materia intelligibili, sed a materia sensibili, ut dicitur VII *Metaphys.* \*. Dicitur autem materia sensibilis ex hoc quod subiicitur sensibilibus qualitibus. Et ideo manifestum est quod quantitas dimensiva quae remanet in hoc sacramento sine subiecto, non est quantitas mathematica.

\* S. Th. lect. x. — Did. lib. VI, cap. x, n. 13.

<sup>1</sup>) *mathematica*. — Tertia praeter I; *dimensiva*. — Pro *abstrahit*, *abstrahitur* GHabc, *obstabit* C.

### ARTICULUS TERTIUS

#### UTRUM SPECIES QUAE REMANENT IN HOC SACRAMENTO, POSSINT IMMUTARE ALIQUOD EXTRINSECUM

IV *Sent.*, dist. XII, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2; *Respp. ad Lector. Venet.*, resp. xxxv.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1.

\* S. Th. lect. VII. — Did. lib. VI, cap. VIII, n. 5 sqq.

\* Art. 1.

\* Qu. LXXV, art. 6.

\* Cap. VII, n. 6; cap. XII, n. 1. — S. Th. lect. XV, xxiv.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod species quae remanent in hoc sacramento, non possint immutare aliquod extrinsecum. Probatum enim in VII *Metaphys.* \* quod formae quae sunt in materia, fiunt a formis quae sunt in materia, non autem a formis quae sunt sine materia: eo quod simile agit sibi simile. Sed species sacramentales sunt species sine materia: quia α remanent sine subiecto, ut ex dictis \* patet. Non ergo possunt immutare materiam exterioriorem, inducendo aliquam formam.

2. PRAETEREA, cessante actione primi β agentis, necesse est quod cesset actio instrumenti: sicut, quiescente fabro, non movetur martellus. Sed omnes formae accidentales agunt instrumentaliter in virtute formae substantialis tanquam principalis agentis. Cum ergo in hoc sacramento non remaneat forma substantialis panis et vini, sicut supra \* habitum est, videtur quod formae accidentales remanentes agere non possunt ad immutationem exterioris materiae.

3. PRAETEREA, nihil agit extra γ suam speciem: quia effectus non potest esse potior causa. Sed species sacramentales omnes sunt accidentia. Non ergo possunt exterioriorem materiam immutare, ad minus ad formam substantialem.

SED CONTRA EST quod, si non possent immutare exteriora corpora, non possent sentiri: sentitur enim aliquid per hoc quod immutatur sensus a sensibili, ut dicitur II *de Anima* \*.

RESPONDEO DICENDUM quod, quia unumquodque agit in quantum est ens actu \*, consequens est quod unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere. Quia igitur, secundum praedicta \*, speciebus sacramentalibus datum est divina virtute ut remaneant in suo esse quod habebant substantia panis et vini existente, consequens est quod etiam remaneant in suo agere. Et ideo omnem actionem quam poterant agere substantia panis et vini existente, possunt etiam agere substantia panis et vini transeunte in corpus et sanguinem Christi \*. Unde non est dubium quod possunt immutare exteriora corpora.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod species sacramentales, licet sint formae sine materia existentes, retinent tamen idem esse quod habebant prius in materia. Et ideo secundum suum esse assimilantur formis quae sunt in materia.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ita actio formae accidentalis dependet ab actione formae substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiae. Et ideo, sicut divina virtute datur speciebus sacramentalibus ut possint esse sine substantia, ita datur eis ut possint agere sine forma substantiali, virtute Dei, a quo sicut a primo agente dependet omnis actio formae et substantialis et accidentalis.

AD TERTIUM DICENDUM quod immutatio quae est ad formam substantialem, non fit a forma substantiali immediate, sed mediantibus qualitibus

\* Aristot. *Metaphys.* lib. VIII, cap. VIII, n. 3. — S. Th. lib. IX, lect. VII.

\* Art. 1, ad 3.

\* D. 65.

α) *quia*. — Tertia praeter H; *quae*.  
β) *primi*. — *principalis* PI.

γ) *extra*. — *ultra* PI.



activis et passivis, quae agunt in virtute formae substantialis. Haec autem virtus instrumentalis conservatur in speciebus sacramentalibus divina virtute sicut et prius erat. Et ideo possunt agere

ad formam substantialem instrumentaliter: per quem modum aliquid potest agere ultra suam speciem, non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis\*.

\* D. 92.

## ARTICULUS QUARTUS

## UTRUM SPECIES SACRAMENTALES CORRUMPI POSSINT

IV Sent., dist. XII, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 3; IV Cont. Gent., cap. LXVI; Respp. ad Lect. Venet., resp. xxxv.

\* Vide Comment. Caiet. post art. 1.

**A**D QUARTUM SIC PROCEditur\*. Videtur quod species sacramentales corrumpi non possunt. Corruptio enim accidit per separationem formae a materia. Sed materia panis non remanet in hoc sacramento, ut ex supra\* dictis patet. Ergo huiusmodi species non possunt corrumpi.

\* Qu. LXXV, art. 4, 8.

2. PRAETEREA, nulla forma corrumpitur nisi per accidens, corrupto subiecto: unde formae per se subsistentes incorruptibiles sunt, sicut patet in substantiis spiritualibus. Sed species sacramentales sunt formae sine subiecto. Ergo corrumpi non possunt.

3. PRAETEREA, si corrumpuntur, aut hoc erit naturaliter, aut miraculose. Sed non naturaliter: quia non est ibi assignare aliquod corruptionis subiectum, quod maneat corruptione terminata. Similiter etiam nec miraculose: quia miracula quae sunt in hoc sacramento, fiunt virtute consecrationis, per quam species sacramentales conservantur; non est autem idem causa conservationis et corruptionis. Ergo nullo modo species sacramentales corrumpi possunt.

SED CONTRA EST quod sensu deprehenditur hostias<sup>α</sup> consecratas putrefieri et corrumpi.

\* Aristot. Physic. lib. V, cap. II, n. 7. - S. Th. lect. II. \*\* Art. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod corruptio est *motus ex esse in non esse*\*. Dictum est autem supra\*\* quod species sacramentales retinent idem esse quod prius habebant substantia panis et vini existente. Et ideo, sicut esse horum accidentium poterat corrumpi substantia panis et vini existente, ita etiam potest corrumpi illa substantia abeunte.

Poterant autem huiusmodi accidentia primo corrumpi dupliciter: uno modo, per se; alio modo, per accidens. Per se quidem, sicut per alterationem qualitatum, et augmentum vel diminutionem quantitatis: non quidem per modum augmenti vel diminutionis, qui invenitur in solis corporibus animatis, qualia non sunt substantia panis et vini, sed per additionem<sup>β</sup> vel divisionem\*; nam, sicut dicitur in III *Metaphys.*\*\*, per divisionem una dimensio corrumpitur et fiunt duae, per additionem autem e converso ex duabus fit una. Et per hunc modum manifeste

\* D. 515. \*\* S. Th. lect. XIII, - Did. lib. II, cap. V, n. 10.

possunt corrumpi huiusmodi accidentia post consecrationem: quia et ipsa quantitas dimensiva remanens potest divisionem et additionem recipere; et, cum sit subiectum qualitatum sensibilium, sicut dictum est\*, potest etiam esse subiectum alterationis eorum<sup>γ</sup>, puta si alteretur color aut sapor panis aut vini.

\* Art. 2.

Alio modo poterant corrumpi per accidens, per corruptionem subiecti. Et hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem. Quamvis enim subiectum non remaneat, remanet tamen esse quod habebant huiusmodi accidentia in subiecto, quod quidem est proprium et conforme subiecto. Et ideo huiusmodi esse potest corrumpi a contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis vel vini: quae etiam non corrumpebatur nisi praecedente alteratione circa accidentia.

Distinguendum tamen est inter utramque praedictarum corruptionum. Quia, cum corpus Christi et sanguis succedant in hoc sacramento substantiae panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium quae non suffecisset ad corruptionem panis et vini, propter talem immutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento: sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color aut sapor vini aut panis; sive ex parte quantitatis, sicut cum dividitur panis aut vinum in tales partes quod adhuc in eis possit salvari natura panis aut vini. - Si vero fiat tanta immutatio quod fuisset corrupta substantia panis aut vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento. Et hoc tam<sup>δ</sup> ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color et sapor et aliae qualitates panis aut vini quod nullo modo posset compati natura<sup>ε</sup> panis aut vini: sive etiam ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis, vel vinum in minimas<sup>ζ</sup> partes dividatur, ut iam non remaneant species panis vel vini.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia ad corruptionem per se pertinet quod auferatur esse rei<sup>η</sup> in quantum esse alicuius formae est in materia, consequens est quod per corruptionem separetur forma a materia. Si vero huiusmodi esse

α) hostias. - PsB; post consecrationem hostias sD, post hostias ceteri.

β) additionem. - EF et tertia; diminutionem.

γ) eorum. - earum tertia.

δ) tam. - tamen Fb, sive P.

ε) posset compati natura. - posset hoc pati natura b, possent compati naturam P; quod nullo... aut vini om. Hl.

ζ) minimas. - tam minimas c, tam minutas P. - Pro remaneant, remaneat F et tertia praeter H.

η) quia ad corruptionem... auferatur esse rei. - ad corruptionem... auferat esse rei. Unde PFIsg; auferat etiam HpG et bc.

non esset in materia, simile tamen ei quod est in materia, posset per corruptionem auferri etiam materia non existente: sicut accidit in hoc sacramento, ut ex dictis \* patet.

AD SECUNDUM DICENDUM quod species sacramentales, licet sint formae non in materia, habent tamen esse quod prius in materia habebant.

AD TERTIUM DICENDUM quod corruptio illa specierum non est miraculosa, sed naturalis: praesupponit tamen miraculum \* quod est factum in consecratione, scilicet quod illae species sacramentales retineant esse sine subiecto quod prius habebant in subiecto; sicut et caecus miraculose illuminatus naturaliter videt \*.

\* In corpore.

\* D. 23.

\* D. 27.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quarto, ubi de corruptione horum accidentium agitur, perspice caute Auctorem loqui de eorum accidentium corruptione per modum termini. Et hoc tam cum corrumpuntur quasi ad corruptionem subiecti, hoc est, sicut corrumpuntur ad corruptionem subiecti; quam cum corrumpuntur directe, seu per se. Hoc enim perspicendo, clara reddetur littera, tam in corpore quam in responsione ad primum, ubi separationem formae a materia quasi per accidens in termino corruptionis ponit, quia

annectitur dicta separatio deperditioni sui esse in materia. Hinc enim surgit quod, quia esse illud, etiam sequestratum a materia, est corruptibile ut prius, quia retinet naturam priorem: — ut terminare corruptionem possit sine separationem formae a materia, quae non est. Et similiter, quia huiusmodi esse sic separatur, et separatum conservatur, ut proprium erat et conforme subiecto, puta pani vel vino; ita potest terminative corrumpi quasi ad corruptionem subiecti, sicut prius, ut in corpore articuli dicitur.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM EX SPECIEBUS SACRAMENTALIBUS ALIQUID POSSIT GENERARI

IV Sent., dist. XII, qu. I, art. 2, qu. 4; IV Cont. Gent., cap. LXVI; Quodl. IX, art. 5, ad 3; I ad Cor., cap. XI, lect. IV.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari. Omne enim quod generatur, ex aliqua materia generatur: ex nihilo enim nihil generatur, quamvis ex nihilo fiat aliquid per creationem. Sed speciebus sacramentalibus non subest aliqua materia nisi corporis Christi, quod est incorruptibile. Ergo videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari.

2. PRAETEREA, ea quae non sunt unius generis, non possunt ex invicem fieri: non enim ex albedine fit linea. Sed accidens et substantia differunt genere. Cum ergo species sacramentales sint accidentia, videtur quod ex eis non possit aliqua substantia generari.

3. PRAETEREA, si ex eis generatur aliqua substantia corporea, non  $\alpha$  erit sine accidente. Si ergo ex speciebus sacramentalibus generatur aliqua substantia corporea, oportet quod ex accidente generetur substantia et accidens, duo scilicet ex uno: quod est impossibile. Ergo impossibile est quod ex speciebus sacramentalibus aliqua substantia corporea generetur.

SED CONTRA EST quod ad sensum videri potest ex speciebus sacramentalibus aliquid generari: vel cinerem, si comburantur; vel vermes, si putrefiant; vel pulverem  $\beta$ , si conterantur.

RESPONDEO DICENDUM quod, cum corruptio unius sit generatio alterius, ut dicitur in I de Generat. \*, necesse est quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur, ut dictum est \*. Non enim sic corrumpuntur ut omnino dispareant  $\gamma$ , quasi in nihilum redigantur: sed manifeste aliquid sensibile eis succedit.

Quomodo autem ex eis aliquid generari possit, difficile est videre. Manifestum est enim quod ex corpore et sanguine Christi, quae ibi veraciter sunt, non generatur aliquid: cum sint incorruptibilia. Si autem substantia panis aut vini remaneret in hoc sacramento, vel eorum materia, facile esset assignare quod ex eis generatur illud sensibile quod succedit, ut quidam posuerunt. Sed hoc est falsum, ut supra \* habitum est.

Et ideo quidam dixerunt quod ea quae generantur, non fiunt ex speciebus sacramentalibus, sed ex aere circumstante. — Quod quidem multipliciter apparet esse impossibile. Primo quidem, quia ex eo generatur aliquid quod prius alteratum et corruptum apparet. Nulla autem alteratio et corruptio prius apparuit in aere circumstante. Unde ex eo vermes aut cineres non generantur. — Secundo, quia natura aeris non est talis quod ex eo per tales alterationes talia generentur. — Tertio, quia potest contingere in magna quantitate hostias consecratas comburi vel putrefieri: nec esset possibile tantum de corpore terreo  $\delta$  ex aere generari, nisi magna et etiam valde sensibili inspissatione aeris facta. — Quarto, quia idem potest accidere corporibus solidis circumstantibus, puta ferro aut lapidibus: quae integra remanent post praedictorum generationem. — Unde haec positio stare non potest: quia contrariatur ei quod ad sensum apparet.

Et ideo alii \* dixerunt quod redit substantia panis et vini in ipsa corruptione specierum, et sic ex substantia panis et vini redeunte generantur cineres aut vermes aut aliquid huiusmodi. — Sed haec positio non videtur esse possibilis. Primo quidem quia, si substantia panis et vini con-

\* Qu. LXXV, art. 2, 4, 8.

\* Cf. Innoc. III, de S. Altar. Myst. lib. IV, cap. XI; Halens. Summ. lib. IV, qu. x, m. 7, art. 2, § 2; S. Bonavent. IV Sent., dist. XII, p. 1, art. 2, qu. 1.

\* Cap. III, n. 7; s. Th. lect. VII. — Cf. Physic. lib. III, cap. VIII, n. 1; s. Th. lect. XIII; de Part. Animal. lib. I, cap. 1; de Generat. Anim. lib. II, cap. 1. \* Art. 4.

$\alpha$ ) non. — illa substantia non PI; Praeterea... accidente om. H.  
 $\beta$ ) cinerem... pulverem. — cineres... pulveres editiones.  
 $\gamma$ ) dispareant. — Ita plene ac; dispareant Pb, ambigui codices.

$\delta$ ) terreo. — terreno Da et editiones, terrea I, om. HpG. — Pro et etiam, et Psl, om. pl, vel etiam ceteri.

\* Qu. LXXV, art. 2, 4.

ε

ζ

\* Art. praeced.; qu. LXXVI, art. 6, ad 3.

η

\* Qu. LXXV, art. 2.

θ  
\* Cf. Petr. Tarrantas., IV Sent., dist. XII, qu. III, art. 2.

versa est in corpus et sanguinem, ut supra \* habitum est, non potest substantia panis vel vini redire ε nisi corpore aut sanguine Christi iterum converso in substantiam panis et vini, quod est impossibile: sicut, si aer sit conversus in ignem, non potest aer redire nisi iterum ignis convertatur in aerem. Si vero substantia panis aut vini sit annihilata, non potest iterum redire, quia quod in nihilum decidit, non redit idem numero: nisi forte dicatur redire praedicta substantia, quia Deus de novo creat novam ζ substantiam loco primae. — Secundo videtur hoc esse impossibile, quia non est dare quando substantia panis redeat. Manifestum est enim ex supra \* dictis quod, manentibus speciebus η panis et vini, manet corpus et sanguis Christi, quae non sunt simul cum substantia panis et vini in hoc sacramento, secundum praehabita \*. Unde substantia panis et vini non potest redire, speciebus sacramentalibus manentibus. Similiter etiam nec eis cessantibus: quia iam substantia panis et vini esset sine propriis accidentibus, quod est impossibile. — Nisi forte dicatur quod in ipso ultimo instanti corruptionis specierum redit, non quidem substantia panis et vini, quia illud idem instans est in quo primo habent esse substantiae generatae ex speciebus: sed materia panis et vini magis quasi θ de novo creata diceretur quam rediens \*, proprie

ε) redire. — PEesG; remanere. — converso Dia et editiones; conversis F, conversa ceteri.

ζ) novam. — aliam novam tertia, om. a.

η) speciebus. — Fa et tertia; speciebus scilicet.

loquendo. Et secundum hoc, posset sustineri praedicta positio.

Verum, quia non rationabiliter videtur dici quod miraculose aliquid accidit in hoc sacramento nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quod materia creetur vel redeat; melius videtur dicendum quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensionis panis et vini quod sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiae. Et ideo ex consequenti datur praedictae quantitati dimensionis omne id quod ad materiam pertinet. Et ideo quidquid posset generari ex materia panis si esset \*, totum potest generari ex praedicta quantitate dimensionis panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quamvis non sit ibi materia ex qua aliquid generetur, quantitas tamen dimensionis supplet vicem materiae, ut dictum est \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illae species sacramentales sunt quidem accidentia, habent tamen actum et vim substantiae, ut dictum est \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod quantitas dimensionis panis et vini et retinet naturam propriam, et accipit miraculose vim et proprietatem substantiae. Et ideo potest transire in utrumque, idest in substantiam et dimensionem.

θ) magis quasi. — quae magis P; als' sed materia panis magis, quasi de novo creata, etc. margo P.

ι) non. — EF et tertia; ante accidit ponit a, om. ceteri.

κ) si esset. — vel vini si esset (adesset P) Pa.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Art. 1, Comment.

\* Cf. num. seq.

\* IV Sent., dist. XII, qu. IV, art. 2, conclus. 3. — Cf. num. III.

IN articulo quinto, in quo fere omnia supra \* dicta continentur, advertit, in responsione ad tertium, tres esse opiniones de modo quo in instanti generationis novae substantiae ex speciebus sacramentalibus fit materia: vel per creationem; vel per reparationem; vel per conversionem \*. Et multi quidem tenent quod per creationem redit materia. Et ratio affertur a Petro de Palude \*, quia nullum fit propterea opus novum, quod scilicet non fuerit factum in operibus sex dierum. Nam creatio antiquum opus est, et continue admiscetur in generatione hominis.

Auctori autem haec via non placet, ut patet in corpore huius articuli: quia ex ipsa consecratione non est ut materia creetur vel recreetur.

II. Et propterea tenet aliam viam, scilicet quod per modum conversionis, seu transitionis, quantitas transit in materiam: ita quod virtute primi miraculi datum est quantitati ut sit vice-materia durante sacramento, et in termino sacramenti, hoc est in primo non-esse sacramenti, sit vere materia; quemadmodum in politicis princeps unico imperio constitueret aliquem proconsulem vivente consule, ita quod in obitu consulis sit consul.

Nec propterea putes sentire Auctorem quod agens naturale faciat de dimensionibus materiam. Hoc enim stultum est: quoniam agens naturale non facit primum subiectum suae actionis, sed supponit illud. Sed perspicendum est quod agens naturale agit in vice-materiam, disponendo illam, tanquam si esset materia, ad formam substantiae generandae: et hoc usque ad instanti generationis exclusive. In instanti autem generationis, quod est primum non-esse sacramenti, dimensio, actione divina, virtute primi miraculi, transit in materiam dispositam pro forma illa ac si praefuisset. Et sic in eodem instanti na-

turale agens introducit in illam formam substantialem cum quantitate simili priori immediate ante illud existenti. — Et sic inveniuntur consonare omnia reliquis generationibus naturalibus. Nam naturale agens generando et agit in quantum usque ad instanti generationis; et in instanti generationis attingit nudam essentiam materiae, educendo de illa formam substantialem, et generando compositum de genere substantiae, corrumpendoque vice-panem; ut sic semper generatio unius sit corruptio alterius \*, et e contra.

Ultra autem rationem allatam ab Auctore, in promptu est alia ratio: scilicet quia idem debet esse patiens et quod passum est in generatione substantiali; nam eadem materia est quae disponitur ad formam ignis, et quae recipit illam. Sed secundum alias opiniones non est idem quod patitur et quod passum est: nam patitur species sacramentalis; et passum deforis venit, per creationem vel reparationem. Secundum hanc autem viam, idem est patiens et quod passum est: nam patiens est dimensio ut vice-materia; et quod passum est est ipsamet dimensio iam vera materia.

III. Ad rationem autem pro altera opinione \*, dicendum est quod secundum istam viam minus ponitur de novitate: immo ponitur res simillima miraculo transubstantiationis. Quoniam transitus dimensionis vice-materiae in veram materiam facillimus est, utpote de uno proportionali in aliud: et, ut dictum est, non est opus novum, supposita transubstantiatione panis in corpus Christi.

Praevalet autem nostra haec opinio ex alio capite in littera allato: quia scilicet nihil ponitur quod ex vi primi miraculi non fiat. Et hoc potissimum erat considerandum.

IV. Nec fallaris in refutatione aliarum opinionum, dum in corpore huius articuli legis multa asserta impossibilia,

\* D. 23.

\* D. 23.

\* In corpore.

\* Ibid., et art. 3.

\* Aristot. Physic. lib. III, cap. VIII, n. 1, s. Th. lect. XIII; de Gen. et Corr. lib. I, cap. III, n. 7, s. Th. lect. VII; de Part. Animal., lib. I, cap. I; de Gen. Animal., lib. II, cap. I.

\* Num. 1.

quae, secundum Auctoris doctrinam, possunt per divinam omnipotentiam fieri. Oportet siquidem memorem esse consuetudinis Auctoris. Consuevit siquidem in quolibet genere loqui et iudicare et asserere secundum ordinem illius generis. Et propterea, cum tractetur hic de sacramentis, possibile vel impossibile censet et asserit secundum ordinem sacramentalem, ut etiam superius \* diximus. Secundum quem ordinem dicitur quod annihilatum non potest redire; et similiter quod corpus Christi non potest converti in substantiam panis et vini. Non sis ergo sollicitus ut respondeas obiicientibus Auctori quod contradicat sibi; aut quod abbreviet divinam omnipotentiam, tanquam deficientem in potentia conversiva corporis Christi in panem. Docuit enim Auctor superius \* posse Deum convertere quodcumque ens creatum in quodcumque aliud creatum, propter communionem in entitate creata, etc.

\* Qu. LXXV, art. 1, Comment. num. ix.

\* Qu. LXXV, art. 4, ad 3.

\* IV Sent., dist. XII, qu. IV.

\* Cf. num. VII.

V. Circa praedicta superest adhuc dubium, a Scoto \* tractatum, circa rarefactionem specierum sacramentalium: an scilicet nova illa quantitas, seu quantitatis particula, quae per rarefactionem fit, sit naturaliter a naturali agente. Apparet enim hoc impossibile \*. Tum ex parte actionis. Quia nulla actio naturalis agentis est sine subiecto. Huiusmodi autem actio, qua fit nova quantitas, est sine subiecto.

Tum ex parte rei actae. Quia nullum agens naturale producit formam sine subiecto omnino. Quantitas autem illa omnino caret subiecto.

Tum ex parte ordinis. Quia tota raritas est per se terminus illius alterationis, habens pro proprio subiecto totam quantitatem, sicut pars partem. Ergo tota raritas praesupponit totam quantitatem. Ergo illa quantitas est prius naturaliter maior quam ista raritas sit inducta. Non est ergo quantitas illa ab agente naturali.

Tum ex parte agentis naturalis. Quia agens naturale naturaliter requirit patiens ut con-causam materialem receptivam formae seu actus qui fit. Non est ergo absque miraculo novo quod agens naturale agat sine materia, aut cum vice-materia.

Et concludit Scotus oportere dicere vel quod quantitas ista non sit ab agente creato: vel quod agens creatum possit agere sine passo in quod agat. Et quoniam hoc secundum videtur destruere fundamenta philosophiae naturalis \*, in primum declinat.

\* Cf. Arist. Physic. lib. I, cap. IX, n. 4, s. Th. lect. XV; de Gen. et Corr. lib. I, cap. IV, n. 6, s. Th. lect. X.

VI. Mihi autem, Auctoris vestigia sectanti, utrumque facile evitandum apparet, tenendo quod huiusmodi extensio quantitatis sic ab agente naturali fit quemadmodum fieret si conversa substantia subesset. Ubi scito, ex philosophia Peripatetica, quod non omne quod quandoque est et quandoque non est, habet suum proprium fieri. *Quaedam enim sunt et non sunt absque eo quod generentur et corrumpantur* \*, quoniam consequuntur generationem et corruptionem aliorum. Et de eorum numero est nova quantitatis pars quae per rarefactionem fit. Cum enim vinum rarefit, rarefaciens generat raritatem; et, nulla alia actione interveniente, raritas illa fert secum extensionem quantitatis; et non sunt ibi duae actiones, quarum una producat raritatem, et altera extendat quantitatem. Et propterea quantitas nova est absque hoc quod fiat, secundum

\* Aristot. Metaphys. lib. VII, cap. V, n. 1. - S. Th. lib. VIII, lect. V.

veram philosophiam. Et simili modo species vini in Eucharistia si a sole vel igne rarefiant, extendetur quantitas consecutive a rarefaciente.

VII. Ad primam autem obiectionem in oppositum \*, iam patere potest responsio: quod nulla est opus actione sine subiecto. Quoniam sola rarefactio sufficit: rarefactio autem est subiective in quantitate, in qua est raritas.

\* Num. V.

Ad secundam vero ex eadem radice respondetur quod, licet forma quae fit ab agente naturali, fiat in subiecto; quod tamen consequitur ex actione agentis naturalis, eundem potest modum essendi habere quem habet subiectum in quod tale agens agit. Et propterea, si quantitas quae rarefactione extenditur, est in subiecto, nova etiam particula erit in subiecto; et similiter, si quantitas quae rarefactione extenditur, non est in subiecto, sed est vice-subiectum, particula quoque nova erit sine subiecto et vice-subiectum; quoniam quantitas est patiens in huiusmodi alteratione. - Nec intelligas particulam quantitatis novam esse sine subiecto ex novo miraculo, vel ex hoc quod continuatur quantitati praeexistenti: sed ex hoc quod educitur de potentia dimensionis vice-materiae, ipsa vice-materia permanente. Ex vi siquidem primi miraculi, sicut datum est quantitati non solum sustinere praesentia accidentia, sed etiam omnia possible educi de substantia conversa ipsa manente; ita datum esse oportet ut separata existat quantumcumque extensa quanta afficere posset conversam substantiam si subesset. Unde, si species vini in tantum rarefieret ut vini substantia tantam extensionem non sufferet, desineret sacramentum, et nova substantia generaretur.

Ad tertiam dicitur quod ordo naturae est multiplex, iuxta multiplex causarum genus. Et propterea, licet quantitas, sive nova sive antiqua, sit secundum ordinem causae materialis prior raritate, ut recipiens prius dicitur recepto; secundum tamen ordinem causae tam finalis quam formalis quam agentis, raritas est prior: prius enim intendit rarefaciens raritatem quam extensionem concomitantem. - Nec est verum simpliciter et absolute quod rarefactio, seu raritas quae fit, praesupponat maiorem quantitatem: quavis hoc sit verum secundum quid, hoc est cum ista additione, *secundum ordinem causae materialis*. Nam, simpliciter et absolute loquendo, extensio quantitatis praesupponit rarefactionem, sicut consequens id ad quod sequitur. Et rursus simpliciter et absolute dicendum est quod raritas quae fit, cum fit, fert secum receptivum suum, scilicet maiorem quantitatem. Et hoc sive rarefactio fiat in mera substantia, sive in vice-substantia.

Ad quartam dicitur falsum esse quod opus sit novo miraculo ad hoc quod agens naturale naturaliter agat in vice-subiectum seu materiam. Nihil enim refert ex parte agentis an subsit verum subiectum, aut aliquid aequivalens: quoniam de aequipollentibus eadem est ratio, et idem est iudicium. Et propterea, cum dicitur agens naturale naturaliter requirere materiam con-causantem, subintelligitur, *vel aliquid aequipollens*: quoniam, ut dictum est, par est ratio et iudicium de aequipollentibus.

Et haec de tota hac quaestione dicta sufficiant.

## ARTICULUS SEXTUS

### UTRUM SPECIES SACRAMENTALES POSSINT NUTRIRE

IV Sent., dist. XII, qu. I, art. 2, qu. 5; IV Cont. Gent., cap. LXVI; I ad Cor., cap. XI, lect. IV.

\* Vide Comment. Caiet. post art. 1.

\* Lib. V, cap. IV.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod species sacramentales non possint nutrire. Dicit enim Ambrosius, in libro *de Sacramentis* \*: *Non iste panis est qui vadit in corpus: sed panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit*. Sed omne quod nutrit, vadit in corpus. Ergo panis iste non nutrit. Et eadem ratio est de vino.

SUMMAE THROL. D. THOMAE T. IX.

2. PRAETEREA, sicut dicitur in libro *de Generatione* \*. *ex eisdem nutrimur ex quibus sumus*. Species autem sacramentales sunt accidentia, ex quibus homo non constat: non enim accidens est pars substantiae. Ergo videtur quod species sacramentales nutrire non possunt.

\* Lib. II, cap. VIII, n. 4. - Continuat. Comment. s. Th. lect. VIII.

3. PRAETEREA, Philosophus dicit, in II *de Anima* \*, quod *alimentum nutrit prout est quaedam substan-*

\* Cap. IV, n. 13. - S. Th. lect. IX.

tia, auget autem prout est aliquid quantum. Sed species sacramentales non sunt substantia. Ergo non possunt nutrire.

\* Vers. 21.

\* Lomb. et Ord.

α

SED CONTRA EST quod Apostolus, I Cor. xi \*, loquens de hoc sacramento, dicit: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est: ubi dicit Glossa \* quod notat illos qui, post celebrationem sacri mysterii et consecrationem panis et vini, suas oblationes vindicabant, et, aliis non communicantes, sibi solis α sumebant, ita ut inde etiam inebriarentur.* Quod quidem non potest contingere si sacramentales species non nutrent. Ergo species sacramentales nutriunt.

\* Cap. iv, n. 12. - S. Th. lect. ix.

\* Art. 5.

β

RESPONDEO DICENDUM quod haec quaestio difficultatem non habet, praecedenti quaestione soluta. Ex hoc enim, ut dicitur in II de Anima \*, cibus nutrit, quod convertitur in substantiam nutriti. Dictum est autem \* quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam quae ex eis β generatur. Per eandem autem rationem possunt converti in corpus humanum, per quam possunt converti in cineres vel in vermes. Et ideo manifestum est quod nutriunt.

\* Alger. de Sacrament. lib. II, cap. 1; Gulielm. Paris. de Eucharist., cap. 1, Ed. Venet. 1591.

Quod autem quidam \* dicunt, quod non vere nutriunt, quasi in corpus humanum convertantur, sed reficiunt et confortant quadam sensuum immutatione, sicut homo confortatur ex odore cibi et inebriatur ex odore vini, ad sensum patet esse falsum. Talis enim refectio non diu sufficit homini, cuius corpus, propter continuam deperditionem, restauratione indiget. Et tamen homo

diu sustentari posset, si hostias et vinum consecratum sumeret in magna quantitate.

Similiter etiam non potest stare quod quidam dicunt, quod species sacramentales nutriunt per formam substantialem panis et vini, quae remanet. Tum quia non remanet, ut supra \* habitum est. - Tum quia non est actus formae nutrire, sed magis materiae, quae accipit formam nutriti, recedente forma nutrimenti. Unde dicitur in II de Anima \*, quod nutrimentum in principio est dissimile, in fine autem simile.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, facta consecratione, dupliciter potest dici panis in hoc sacramento. Uno modo, ipsae species panis, quae retinent nomen prioris substantiae: ut Gregorius dicit, in Homilia Paschali \*. Alio modo, potest dici panis ipsum corpus Christi, quod est panis mysticus de caelo descendens \*. Ambrosius ergo, cum dicit quod *iste panis non transit in corpus*, accipit panem secundo modo: quia scilicet corpus Christi non convertitur in corpus hominis, sed reficit mentem eius. Non autem loquitur de pane primo modo dicto.

AD SECUNDUM DICENDUM quod species sacramentales, etsi non sint ea ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur, sicut dictum est \*.

AD TERTIUM DICENDUM quod species sacramentales, quamvis non sint substantia, habent tamen virtutem substantiae, ut dictum est \*.

α) sibi solis. - sed soli F, sibi soli b, soli cetera tertia.

β) eis. - FsD et editiones; ea.

## ARTICULUS SEPTIMUS

### UTRUM SPECIES SACRAMENTALES FRANGANTUR IN HOC SACRAMENTO

IV Sent., dist. xii, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 1, 2; IV Cont. Gent., cap. LXVII; I ad Cor., cap. xi, lect. v.



AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod species sacramentales non frangantur in hoc sacramento. Dicit enim Philosophus, in IV Meteor. \*, quod corpora dicuntur frangibilia propter determinatam dispositionem pororum. Quod non potest attribui sacramentalibus speciebus. Ergo sacramentales species non possunt frangi.

\* Cap. ix, n. 12. - Continuat. Comment. s. Th., lect. xi.

2. PRAETEREA, fractionem sequitur sonus. Sed species sacramentales non sunt sonabiles: dicit enim Philosophus, II de Anima \*, quod sonabile est corpus durum habens superficiem levem α. Ergo species sacramentales non franguntur.

\* Cap. viii, n. 1, 2. - S. Th. lect. xvi.

α

β

3. PRAETEREA, eiusdem videtur esse frangi β et masticari. Sed verum corpus Christi est quod manducatur: secundum illud Ioan. vi \*: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem.* Ergo corpus Christi est quod frangitur et masticatur. Unde et in confessione Berengarii \* dici-

\* Vers. 55. 57.

\* Can. Ego Berengarius, de Consecr., dist. II.

tur: *Consentio sanctae Romanae Ecclesiae, et corde et ore profiteor panem et vinum quae in altari ponuntur, post consecrationem verum corpus et sanguinem Christi esse, et in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri.* Non ergo fractio debet attribui sacramentalibus speciebus.

SED CONTRA EST quod fractio fit per divisionem quanti. Sed nullum quantum ibi dividitur nisi species sacramentales: quia neque corpus Christi, quod est incorruptibile; neque substantia panis, quae non manet γ. Ergo species sacramentales franguntur.

RESPONDEO DICENDUM quod apud antiquos circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam \* enim dixerunt quod non erat in hoc sacramento fractio secundum rei veritatem, sed solum secundum aspectum intuentium. - Sed hoc non potest stare. Quia in hoc sacramento veritatis δ sensus non

\* Qu. LXXV, art. 6.

\* Cap. iv, n. 10; s. Th. lect. ix. - Cf. de Gen. et Corrupt. lib. I, cap. v, n. 15; s. Th. lect. xvi.

\* Lanfranc., de Corp. et Sang. Dom., cap. xx. - Cf. can. Species, de Consecr., dist. II.

\* Ioan. cap. vi, vers. 50.

\* In corpore.

\* Art. 3, ad 3; art. 5, ad 2.

α) levem. - lenem PAEGIA.

β) frangi. - manducari frangi P.

γ) manet. - neque substantia vini addunt editiones; alias non

habetur ly neque substantia vini margo P.

δ) veritatis. - PIsG; veritas.

\* Vide Abaelard. Epit. Theolog., cap. xxix; Hug. a S. Vict., Sum. Sent., tr. VI, cap. viii.

decipitur circa ea quorum iudicium ad ipsum pertinet: inter quae est fractio, per quam ex uno fiunt multa, quae quidem sunt sensibilia communia, ut patet in libro *de Anima* \*.

\* Lib. II, cap. vi, n. 2, 3. - S. Th. lect. xiii.

Unde alii dixerunt quod erat ibi vera fractio sine substantia existente <sup>e</sup> \*. - Sed hoc etiam sensui contradicit. Apparet enim in hoc sacramento aliquod quantum, prius unum existens, postea in multa partitum <sup>ζ</sup>: quod quidem oportet esse subiectum fractionis.

\* Cf. Hug. loc. cit.

Non autem potest dici quod ipsum corpus Christi verum frangatur. Primo quidem, quia est incorruptibile et impassibile. - Secundo, quia est totum sub qualibet parte, ut supra \* habitum est: quod est quidem contra rationem eius quod frangitur.

\* Qu. lxxvi, art. 3.

Unde relinquatur quod fractio sit sicut in subiecto in quantitate dimensiva panis, sicut et alia accidentia. Et sicut species sacramentales sunt sacramentum corporis Christi veri, ita fractio huiusmodi specierum est sacramentum Dominicae passionis, quae fuit in corpore Christi vero.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut in spe-

<sup>e</sup>) sine substantia existente. - sine subiecto existente PEa, sine subiecto existens FsG, suae substantiae existens I; alias non habetur by existente margo P.  
<sup>ζ</sup>) partitum. - PEFGLSD et ab; partium.

ciebus sacramentalibus remanet rarum et densum, ut supra \* dictum est, ita etiam remanet ibi porositas: et per consequens frangibilitas.

\* Art. 2, ad 3.

AD SECUNDUM DICENDUM quod densitatem sequitur duritia. Et ideo, ex quo in speciebus sacramentalibus remanet densitas, consequens est quod remaneat ibi duritia: et per consequens sonabilitas.

AD TERTIUM DICENDUM quod illud quod manducatur in propria specie, ipsummet <sup>η</sup> frangitur et masticatur in sua specie. Corpus autem Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali. Unde super illud Ioannis vi \*, *Caro non prodest quidquam*, dicit Augustinus \*: *Hoc est <sup>θ</sup> intelligendum secundum illos qui carnaliter intelligebant. Carnem quippe sic intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur*. Et ideo ipsum corpus Christi non frangitur, nisi secundum speciem sacramentalem. - Et hoc modo intelligenda est confessio Berengarii: ut fractio et contritio <sup>ι</sup> dentium referatur ad speciem sacramentalem, sub qua vere est corpus Christi.

\* Vers. 64.

\* In Ioan. Evang. tract. XXVII, n. 5.

<sup>η</sup>) ipsummet. - ipsumque F, ipsum et P.  
<sup>θ</sup>) est. - esse CDEFIsG et a. Pro illos, illud AB.  
<sup>ι</sup>) contritio. - attritio P.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM VINO CONSECRATO POSSIT ALIQUIS LIQUOR MISCERI

IV Sent., dist. XII, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 6; Quodl. X, qu. I, art. 3.

\* Vid. Comment. Caiet. post. art. 1, num. VIII.

**A**D OCTAVUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod vino consecrato non possit aliquis liquor misceri. Omne enim quod miscetur alicui, recipit qualitatem ipsius. Sed nullus liquor potest recipere qualitatem sacramentalium specierum: quia accidentia illa sunt sine subiecto, ut dictum est \*. Ergo videtur quod nullus liquor possit permisceri speciebus sacramentalibus vini.

\* Art. 1.

2. PRAETEREA, si aliquis liquor permisceatur illis speciebus, oportet quod ex his fiat aliquod unum. Sed non potest fieri aliquod unum neque ex liquore, qui est substantia, et speciebus sacramentalibus, quae sunt accidentia; neque ex liquore et sanguine Christi, qui, ratione suae incorruptibilitatis, neque additionem recipit neque diminutionem. Ergo nullus liquor potest admisceri vino consecrato.

3. PRAETEREA, si aliquis liquor admisceatur vino consecrato, videtur quod etiam ipsum efficiatur consecratum: sicut aqua quae admiscetur aquae benedictae, efficitur etiam benedicta. Sed vinum consecratum est vere sanguis Christi. Ergo etiam liquor permixtus esset sanguis Christi. Et ita aliquid fieret sanguis Christi aliter quam per

<sup>α</sup>) species. - totalis species CDEFa.  
<sup>β</sup>) manifesta. - Da et tertia praeter G; manifestata.

consecrationem: quod est inconveniens. Non ergo vino consecrato potest aliquis liquor permisceri.

4. PRAETEREA, si duorum unum totaliter corrumpatur, non erit mixtio, ut dicitur in I *de Generali* \*. Sed ad permutationem cuiuscumque liquoris videtur corrumpi species <sup>α</sup> sacramentalis vini, ita quod sub ea desinat esse sanguis Christi. Tum quia magnum et parvum sunt differentiae quantitatis et diversificant ipsam, sicut album et nigrum colorem. Tum etiam quia liquor permixtus, cum non habeat obstaculum, videtur undique diffundi per totum: et ita desinit ibi esse sanguis Christi, qui non est ibi simul cum alia substantia. Non ergo aliquis liquor potest permisceri vino consecrato.

\* Cap. x, n. 2. - Continuat. Comment. s. Th., lect. xxiv.

SED CONTRA EST quod ad sensum patet alium liquorem vino permisceri posse post consecrationem, sicut et ante.

RESPONDEO DICENDUM quod istius quaestionis veritas manifesta <sup>β</sup> est ex praemissis. Dictum est enim <sup>γ</sup> supra \* quod species in hoc sacramento permanentes, sicut adipiscuntur virtute consecrationis modum essendi substantiae, ita etiam adipiscuntur <sup>δ</sup> modum agendi et patiendi: ut scilicet

<sup>γ</sup>) Art. 3; art. 5, ad 2.

<sup>γ</sup>) enim. - PEFsG et a, autem B, om. ceteri. Pro permanentes, remanentes tertia.  
<sup>δ</sup>) adipiscuntur. - consequuntur P.

\* D. 22.

agere et pati possint quidquid ageret vel pateretur substantia si ibi praesens existeret \*. Manifestum est autem quod, si esset ibi substantia vini, liquor aliquis posset ei permisceri.

Huius tamen permixtionis diversus esset effectus et secundum formam liquoris, et secundum quantitatem. Si enim permisceretur aliquis liquor in tanta quantitate quod posset diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum. Quod autem est commixtum ex duobus, neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum. Unde sequeretur quod vinum prius existens non remaneret, si liquor permixtus esset alterius speciei <sup>e</sup>. — Si autem esset eiusdem speciei liquor adiunctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum. Quod declarat diversitas accidentium: puta si unum vinum esset album, et aliud rubeum.

ζ

Si vero liquor adiunctus esset tam parvae quantitatis quod non posset perfundi per totum ζ, non fieret totum vinum permixtum, sed aliqua pars eius. Quae quidem non remaneret eadem numero, propter permixtionem extraneae materiae. Remaneret tamen eadem specie, non solum si parvus liquor permixtus esset eiusdem speciei, sed etiam si esset alterius speciei: quia gutta aquae multo vino permixta transit in speciem vini, ut dicitur in I *de Generatione* \*.

\* Cap. v, n. 11; s. Th. lect. xiv. — Cf. cap. v, n. 16; s. Th. lect. xvi. \* Art. 4; qu. LXXVI, art. 6, ad 3.

η

Manifestum est autem ex praedictis \* quod corpus et sanguis Christi remanent in hoc sacramento quandiu illae species manent eadem in numero η: consecratur enim hic panis et hoc vinum. Unde si θ fiat tanta permixtio liquoris cuiuscumque quod pertingat ad totum vinum consecratum et fiat permixtum, et erit aliud numero, et non remanebit ibi sanguis Christi. Si vero fiat tam parva alicuius liquoris adiunctio quod non possit diffundi per totum, sed usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia.

\* Cap. Cum Marthae, de Celebr. Missar.

\* D. 16.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Innocentius III dicit, in quadam Decretali \*, quod *ipsa accidentia vinum appositum videntur afficere: quia, si aqua fuerit apposita, vini saporem assumeret* <sup>ι</sup>. *Contingit igitur accidentia mutare subiectum* \*, *sicut et subiectum contingit accidentia permutare. Cedit quippe natura miraculo, et virtus supra consuetudinem operatur*. Hoc tamen non est sic intelligendum quasi idem numero accidens quod prius fuit in vino ante consecrationem, postmodum

<sup>e</sup>) si liquor... speciei. — sed si (sed om. pG, si om. I) liquor permixtus esset alterius speciei, puta si permisceretur aqua, solveretur species vini et esset liquor alterius speciei tertia.

<sup>ζ</sup>) perfundi per totum. — sF et tertia; diffundi per totum E, perfundi totum ceteri.

<sup>η</sup>) in numero. — numero PBF.

fiat in vino apposito: sed talis permutatio fit per actionem. Nam accidentia vini remanentia retinent actionem substantiae, secundum praedicta \*: et ita immutando afficiunt liquorem appositum.

\* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod liquor appositus vino consecrato nullo modo miscetur substantiae sanguinis Christi. Miscetur tamen speciebus sacramentalibus: ita tamen quod, permixtione facta, corrumpuntur praedictae species, vel in toto vel in parte, secundum modum quo supra \* dictum est quod ex speciebus illis potest aliquid generari. Et si quidem corrumpantur in toto, nulla iam remanet quaestio: quia iam totum erit uniforme. Si autem corrumpantur in parte, erit quidem una dimensio secundum continuitatem quantitatis, non tamen una secundum modum essendi: quia una pars eius est \* sine subiecto, alia erit in subiecto; sicut, si aliquod corpus constituatur ex duobus metallis, erit unum corpus secundum rationem quantitatis, non tamen unum secundum speciem naturae.

\* Art. 5.

x

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Innocentius III dicit, in Decretali praedicta \*, *si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, neque sanguini commiscetur: sed, accidentibus prioris vini commixtum, corpori* <sup>λ</sup> *quod sub eis latet undique circumfunditur, non madidans circumfusum*. Quod quidem intelligendum est quando non fit tanta permixtio liquoris extranei quod sanguis Christi desinat esse sub toto. Tunc enim *undique* dicitur *circumfunditur*, non quia tangat sanguinem Christi secundum eius proprias dimensiones: sed secundum dimensiones sacramentales, sub quibus continetur. — Nec est simile de aqua benedicta: quia illa benedictio nullam immutationem facit circa substantiam aquae, sicut facit consecratio vini.

\* Resp. ad 1.

λ

AD QUARTUM DICENDUM quod quidam posuerunt quod, quantumcumque parva fiat extranei liquoris permixtio, substantia sanguinis Christi desinet esse sub toto. Et hoc ratione inducta \*. Quae tamen non cogit. Quia magnum et parvum diversificant quantitatem dimensionem non quantum ad eius essentiam \*, sed quantum ad determinationem mensurae.

\* In arg.

\* D. 515.

Similiter etiam liquor appositus adeo potest esse parvus quod sua parvitate impeditur ne diffundatur per totum, et non solum dimensionibus: quae, licet sint sine subiecto, tamen obstant <sup>μ</sup> alteri liquori sicut et substantia si ibi esset, secundum ea quae praemissa sunt \*.

\* In princ. corporis.

θ) Unde si. — Si autem GHbc.

ι) assumeret. — assumet HIsG, assumit P.

x) est. — erit tertia, om. D. — erit om. F, alia erit in subiecto om. BEI.

λ) corpori. — PEI; corpus.

μ) obstant. — PI; substant. — Pro esset, adesset tertia.

## QUAESTIO SEPTUAGESIMOCTAVA

### DE FORMA HUIUS SACRAMENTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXIII, Introduct.  
**D**EINDE considerandum est de forma huius sacramenti\*. Et circa hoc quaeruntur sex.  
 Primo: quae sit forma huius sacramenti.  
 Secundo: utrum sit conveniens forma consecrationis panis.

Tertio: utrum sit conveniens forma consecrationis sanguinis.  
 Quarto: de virtute utriusque formae.  
 Quinto: de veritate locutionis.  
 Sexto: de comparatione unius formae ad aliam.

### ARTICULUS PRIMUS

UTRUM HAEC SIT FORMA HUIUS SACRAMENTI, *HOC EST CORPUS MEUM, ET, HIC EST CALIX SANGUINIS MEI*

IV Sent., dist. VIII, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, 2, 5; art. 2, qu<sup>a</sup> 1; art. 4, qu<sup>a</sup> 3; In Matth., cap. XXVI; I ad Cor., cap. XI, lect. V.

\* Cf. Matth. cap. XXVI, vers. 26 sqq.; Marc. cap. XIV, vers. 22 sqq.; Luc. cap. XXII, vers. 19, 20; I ad Cor., cap. XI, vers. 23 sqq.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR\*. Videtur quod haec non sit forma huius sacramenti, *Hoc est corpus meum*, et, *Hic est calix sanguinis mei*. Illa enim verba videntur pertinere ad formam sacramenti quibus Christus corpus suum et sanguinem consecravit. Sed Christus ante benedixit panem acceptum, et postea dixit: *Accipite et comedite: hoc est corpus meum*, ut habetur Matth. XXVI\*; et similiter fecit de calice\*. Ergo praedicta verba non sunt forma huius sacramenti.

\* Vers. 26.  
 \* Vers. 27, 28.

α  
 \*Pseudo-Hieron. Epist. XXXIX; Pseudo-Isid. Homil. IV, de Corp. et Sang. Dom., in Pascha. - Cf. can. Quia corpus, de Consecr., dist. II.

2. PRAETEREA, Eusebius Emesenus α\* dicit quod *invisibilis sacerdos visibiles creaturas in suum corpus convertit, dicens: Accipite et comedite, hoc est corpus meum*. Ergo totum hoc videtur pertinere ad formam sacramenti. Et eadem ratio est de verbis pertinentibus ad sanguinem.

3. PRAETEREA, in forma baptismi exprimitur persona ministri et actus eius, cum dicitur, *Ego te baptizo*. Sed in praemissis verbis nulla fit mentio de persona ministri, nec de actu eius. Ergo non est conveniens forma sacramenti.

4. PRAETEREA, forma sacramenti sufficit ad perfectionem sacramenti: unde sacramentum baptismi quandoque perfici potest solis verbis formae prolatis, et omnibus aliis praetermissis. Si ergo praedicta verba sunt forma huius sacramenti, videtur quod aliquando possit hoc sacramentum perfici his solis verbis prolatis, et omnibus aliis praetermissis quae in missa dicuntur. Quod tamen videtur esse falsum: quia, ubi verba alia β praetermitterentur, praedicta verba acciperentur ex persona sacerdotis proferentis, in cuius corpus et sanguinem panis et vinum non convertuntur. Non ergo praedicta verba sunt forma huius sacramenti.

β  
 \* Lib. IV, cap. IV. - Cf. can. Panis est, de Consecr., dist. II.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in libro de Sacramentis\*: *Consecratio fit verbis et sermo-*

*nibus Domini Iesu. Nam per reliqua omnia quae dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris. Ubi autem sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus sacerdos utitur, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.*

RESPONDEO DICENDUM quod hoc sacramentum ab aliis sacramentis differt in duobus. Primo quidem quantum ad hoc, quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae: alia vero sacramenta perficiuntur in usu materiae consecratae. - Secundo, quia in aliis sacramentis consecratio materiae consistit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quandam spiritualem virtutem, quae per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere. Sed in hoc sacramento consecratio materiae consistit in quadam miraculosa conversione substantiae, quae a solo Deo perfici potest. Unde minister in hoc sacramento perficiendo non habet alium actum nisi prolationem verborum.

Et quia forma debet esse conveniens rei, ideo forma huius sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum in duobus. Primo quidem, quia formae aliorum sacramentorum important usum materiae, puta baptismationem vel consignationem: sed forma huius sacramenti importat solam consecrationem materiae, quae in transubstantiatione consistit; puta cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, vel, *Hic est calix sanguinis mei*. - Secundo, quia formae aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri: sive per modum exercentis actum, sicut cum dicitur, *Ego te baptizo*, vel, *Ego te confirmo*; sive per modum imperantis, sicut in sacramento ordinis dicitur, *Accipe potestatem*, etc.; sive per modum deprecantis, sicut cum

α) Emesenus. - Om. DEI.

β) alia. - ista Aa, illa B.



in sacramento extremae unctionis dicitur, *Per istam unctionem et nostram intercessionem*, etc. Sed forma huius sacramenti profertur ex  $\gamma$  persona ipsius Christi loquentis: ut detur intelligi quod minister in perfectione huius sacramenti nihil agit nisi quod profert verba Christi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam \* enim dixerunt quod Christus, qui habebat potestatem excellentiae in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit; et postea verba protulit sub quibus alii postea consecrarent. Quod videntur sonare verba Innocentii III \* dicentis: *Sane dici potest quod Christus virtute divina confecit, et postea formam expressit sub qua posteri benedicerent*. – Sed contra hoc expresse sunt verba Evangelii, in quibus dicitur quod Christus *benedixit* \*: quae quidem benedictio aliquibus verbis facta est. Unde praedicta verba Innocentii sunt opinative magis dicta quam determinative.

Quidam \* autem dixerunt quod benedictio illa facta est quibusdam aliis verbis nobis ignotis. – Sed nec hoc stare potest. Quia benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum quae tunc acta sunt. Unde, si tunc per haec verba non est facta consecratio, nec modo fieret.

Et ideo alii \* dixerunt quod illa benedictio eisdem etiam verbis facta est quibus modo fit, sed Christus ea bis protulit: primo quidem secreto, ad consecrandum; secundo manifeste, ad instruendum. – Sed nec hoc stare potest. Quia sacerdos consecrat proferens haec verba, non ut a Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice prolata. Unde, cum non habeant vim huiusmodi verba nisi ex Christi prolatione, videtur quod etiam Christus manifeste ea proferens consecraverit.

Et ideo alii \* dixerunt quod Evangelistae non semper eundem ordinem in recitando servaverunt quo res sunt gestae: ut patet per Augustinum, in libro *de Consensu Evangelistarum* \*. Unde intelligendum est ordinem rei gestae sic exprimi posse: *Accipiens panem, benedixit dicens, Hoc est corpus meum, et deinde fregit et dedit discipulis suis*. – Sed idem sensus potest esse in  $\delta$  verbis Evangelii non mutatis. Nam hoc participium

*dicens* concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea quae praecedunt. Non autem oportet quod haec concomitantia intelligatur solum respectu verbi ultimi prolata, quasi Christus tunc ista verba protulerit quando dedit discipulis suis: sed potest intelligi concomitantia respectu totius praecedentis, ut sit sensus: *Dum benediceret et frangeret et daret discipulis suis, haec verba dixit, Accipite etc.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod in his verbis, *Accipite et comedite*, intelligitur usus materiae consecratae, qui non est de necessitate huius sacramenti, ut supra \* habitum est. Et ideo nec haec verba sunt de substantia formae.

Quia tamen ad quandam perfectionem sacramenti pertinet materiae consecratae usus, sicut operatio non est prima, sed secunda perfectio rei; ideo per omnia haec verba exprimitur tota perfectio huius sacramenti. Et hoc modo Eusebius intellexit his verbis confici sacramentum, quantum ad primam et secundam perfectionem ipsius.

AD TERTIUM DICENDUM quod in sacramento baptismi minister aliquem actum exercet circa usum materiae, qui est de essentia sacramenti: quod non est in hoc sacramento. Et ideo non est similis ratio.

AD QUARTUM DICENDUM quod quidam dixerunt hoc sacramentum perfici non posse praedictis verbis prolatis et aliis praetermissis, praecipue quae sunt in canone missae. – Sed hoc patet esse falsum. Tum ex verbis Ambrosii supra \* inductis. Tum etiam quia canon missae non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita.

Unde dicendum est quod, si sacerdos sola verba praedicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum: quia intentio faceret ut haec verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis praecedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesiae non servans. Nec est simile de baptismo, quod est sacramentum necessitatis: defectum autem huius sacramenti potest supplere spiritualis manducatio, ut Augustinus dicit \*.

\* Praepositin. Summ., de Eucharist. - Cod. Vatic. Latin. 1174, fol. 61, vers. 1.

\* De Sacram. Altar. Myst., lib. IV, cap. vi.

\* Matth. cap. xxvi, vers. 26; Marc. cap. xiv, vers. 22.

\* Odo Camaracens. Episc., Sacri Canon. Exposit., dist. III. - Vide Bibliothec. PP. tom. XXI (Lugdun. 1677).

\* Stephan. Eduens. Episc. de Sacram. Altar., cap. xiv. - Bibliothec. PP. tomo XX.

\* Cf. Innocent. III, loc. cit. supra; Autissiod. Summ. Aur. lib. IV, de Eucharist., qu. 2. \* Lib. II, cap. XXI, xxx, XLIV.

$\gamma$ ) ex. - quasi ex tertia.

$\delta$ ) potest esse in. - potest esse etiam G, potest etiam esse H, po-

test haberi in F, haberi potest etiam Pl.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Num. i-v om. P.

\* IV Sent., dist. viii, qu. ii.

\* Vide S. Ioan. Chrys. Missa divina. - Goar, Eucharolog.

CIRCA primos articulos quaestionis septuagesimae octavae, tractandum occurrit dubium de verbis necessariis ad consecrationem sanguinis. Et, omissis argumentis hinc et inde, plana incedendo via, sciendum est Graecos et Latinos non convenire in verbis consecrationis sanguinis. Nam, ut Durandus refert \*, et nos certificati quoque sumus, quatuor dictiones habet forma nostra quibus caret Ecclesia Graeca, scilicet, *calix, aeterni, mysterium, fidei*. Et cum in Ecclesia Graeca tot illustres sancti et doctores floruerint, dubitandum nullo pacto est de sufficientia illius formae, scilicet: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* \*. Hinc enim sufficienter probatur non omnia qui-

bus utimur in forma consecrationis sanguinis esse de necessitate sacramenti.

Et si diligentius perscrutati fuerimus, clarum quoque fiet quod illa verba, *qui pro vobis et pro multis etc.*, non sunt de necessitate sacramenti. Quod ex eo probatur quod Paulus Apostolus, I ad Cor. xi \*, expresse dicit Christum dixisse, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; et Ecclesia Graeca utitur hac forma in consecratione corporis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum* \*; Romana autem Ecclesia in consecratione corporis praedictam adiunctionem, dictam a Christo, omittit. Ex quo facto apparet manifeste quod huiusmodi additio, facta a Christo, et qua utuntur Graeci,

\* Qu. LXXIV, art. 7.

\* In arg. Sed cont.

\* Cf. qu. LXXIII, art. 3, ad 1.

\* Vers. 24.

\* Vide Goar, ubi supra.

non est de necessitate sacramenti. Ac per hoc, eadem ratione, in consecratione sanguinis illa adiunctio, *qui pro vobis* etc., non est de necessitate sacramenti: eadem enim est ratio in utraque forma quoad vim consecrationis, quamvis non sit eadem ratio quoad convenientiam explicandae virtutis; quia convenientius explicatur virtus passionis Christi in consecratione sanguinis quam corporis, ut in littera tertii articuli \* Auctor declarat.

\* Resp. ad 2, 7.

II. Cum autem ex usu Ecclesiae Graecae in consecratione sanguinis habeamus quod non omnia quae nos dicimus sunt necessaria ad consecrationem; et ex usu Ecclesiae Latinae in consecratione corporis habeamus quod non omnia quae tunc Christus dixit sunt necessaria ad consecrationem: oportet ad aliquod solidum fundamentum recurrere, super quod fundari possit certitudo discretiva verborum ad consecrationem necessarium a non necessariis ad illam. Et cum hoc sit communis illa maxima, *Sacramentalia verba significant quod efficitur ex vi sacramenti*, quae, ut patet discurrendo per omnia sacramenta, verissima ac solidissima comprobatur: ideo, ab hac regula non declinando ad dexteram aut ad sinistram, inveniemus non esse necessaria ad consecrationem sanguinis nisi quatuor verba haec, *Hic est sanguis meus*.

\* IV Sent., dist. viii, qu. ii, art. 2.

Et licet Scotus \*, cum multis aliis, dubitet, mihi tamen nulla apparet dubitandi ratio probabilis, sed indubie sentiendum est ut diximus.

\* Lib. IV, cap. v.

Praeter praedicta, multa quoque est sententia haec auctoritate beati Ambrosii, in libro *de Sacramentis* \*, quam habes *de Consecr.*, dist. ii, cap. *Panis*; et Magistri Sententiarum, in viii distinctione \* Quarti, ubi etiam adducit beatum Ambrosium.

\* Cap. *Forma vero*.

III. Verba autem litterae tertii articuli in quibus Auctor videtur sonare oppositum, verificantur distinguendo quod verba aliqua esse de substantia formae contingit dupliciter: primo, quod sine illis non sit forma; alio modo, quod sine illis non est forma perfecta. Et in secundo sensu verificantur verba litterae, non autem in primo.

Unde et in responsione ad secundum eiusdem articuli, cum argumentum esset quod *non sunt maioris efficaciae verba quae proferuntur in consecratione panis quam quae proferuntur in consecratione vini*, etc., responsio ad perfectionem convenientiae recurrit, quare potius fiat additio in consecratione sanguinis: non negando aequalem efficaciam in verbis utriusque formae significantibus quod efficitur.

\* Art. 3, in corp.

IV. Ratio quoque in littera \* allata, scilicet, *Determinationes praedicti pertinent ad integritatem locutionis*, dupliciter intelligi potest. Primo, quod sine huiusmodi determinationibus non sit integra locutio, integritate essentiali, praeiacentis enuntiationis. Et sic in proposito solum illud pronomen *meus* est de integritate enuntiationis, cum dicitur, *Hic est sanguis meus*.

Alio modo, quod ipsae determinationes non habent integrum sensum sine praeiacente enuntiatione. Et sic verificatur ratio in proposito quoad omnia adiuncta. Quoniam constat quod, dicendo, *novi et aeterni testamenti mysterium fidei qui pro vobis* etc., integra non sit locutio

sine praecedenti enuntiatione, *Hic est sanguis meus*. Et huius integritatis signa sunt, quae in littera \* afferuntur, duo: primum, quod *sacerdos eodem ritu et modo omnia haec profert*; secundum, quod *Luc. xxii interponuntur verba sequentia verbis primis*.

\* Ibid.

V. At si quis contendat expositiones has posse convenire litterae verbis, sed non intentioni Auctoris, qui videtur ex proposito docere oppositum: meminerit primo, me ab Auctore didicisse, post Augustinum \*, talem exhibere aliorum lectorem, qualem meorum exopto. In ultimo siquidem praecedentis quaestionis articulo \* Auctor verba Innocentii III, *de Celebratione Missarum*, in cap. *Cum Martine*, ad verum sensum trahit, non curans de intentione opinantis accidens migrare de subiecto in subiectum. — Advertat deinde Auctorem, si oppositum sensit, opinative locutum: incipit enim corpus articuli: *Circa hanc formam est duplex opinio*.

\* Cf. Ep. LXXXII, al. XIX, ad Hieron., cap. iv.

\* Resp. ad 1.

Omissa igitur superflua curiositate quid opinatus fuerit in re clarificata hic vel ille theologus, sufficere nobis debet ex solido fundamento veritatem cognoscere.

IN responsione ad quartum primi articuli, specialiter notandum occurrit quod Scotus, in viii distinctione \* Quarti, in dubium ita vertit quod ambiguum relinquit an sola verba consecrationis prolata a sacerdote conficiant hoc sacramentum, praetermissis aliis quae in canone missae continentur: motus ratione in littera \* allata, scilicet quod verba huiusmodi debent ex vi verborum significare hoc esse corpus Christi, alioquin non significarent quod efficitur in hoc sacramento; sed, praetermissis aliis, hoc non significaretur, sed significaretur hoc esse corpus sacerdotis, ex vi verborum, licet ex intentione significaretur esse corpus Christi.

\* Qu. ii, art. 2.

\* In arg.

II. Scito igitur dupliciter verba haec proferri a sacerdote: scilicet recitative, et significative. Et si ad recitationem spectetur, opinio quam sequitur Scotus, ab Auctore improbata, rationabilis invenitur: quoniam non recitaretur hoc esse corpus Christi nisi prae-recitaretur Christum dixisse, *Hoc est corpus meum*. Et quoad hoc, idest recitationis vim, procedit ratio adducta.

Sed si verba haec significative solum considerentur, cum proferuntur a sacerdote in persona Christi, ex hoc ipso quod sacerdos dicit ea in persona Christi, significant hoc esse corpus Christi.

Et comparando hos duos modos proferendi ad invicem, secundus praeponderat primo, propter duo. Tum quia recitative verba tenentur materialiter.

Tum quia recitative sacerdos non conficit in persona Christi, sed recitat Christum conficientem. In Concilio autem Florentino \*, sub Eugenio IV, legimus haec verba: *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum*. Unde sequitur quod intentio sacerdotis ad gerendum personam Christi \*, in hoc ipso quod intendit conficere sacramentum, sufficiat ad exprimendum ex vi verborum hoc esse corpus Christi, dicendo in persona Christi, *Hoc est corpus meum*. Et hac ratione motus est Auctor, ut patet in littera.

\* In Decret. pro Armen.

\* loquens.... Christi om. P.

## ARTICULUS SECUNDUS

### UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA CONSECRATIONIS PANIS, HOC EST CORPUS MEUM

Supra, qu. LXXV, art. 2; IV Sent., dist. viii, qu. ii, art. 1, qu. 3, 4; In Matth., cap. xxvi; I ad Cor., cap. xi, lect. v.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod haec non sit conveniens forma consecrationis panis: *Hoc est corpus meum*.

Per formam enim sacramenti debet exprimi sacramenti effectus. Sed effectus qui fit in consecratione panis, est conversio substantiae panis in corpus Christi: quae magis exprimitur

per hoc verbum *fit*, quam per hoc verbum *est*. Ergo in forma consecrationis deberet dici: *Hoc fit corpus meum*.

2. PRAETEREA, Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* \*: *Sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi? Hic quo facta sunt omnia: iussit Dominus et facta sunt caeli et*

\* Lib. IV, cap. iv. — Cf. can. *Panis est, de Consecr.*, dist. II.

*terra*. Ergo et forma huius sacramenti convenientior esset per verbum imperativum, ut diceretur: *Hoc sit corpus meum*.

3. PRAETEREA, per subiectum huius locutionis importatur illud quod convertitur: sicut per praedicatum importatur conversionis terminus. Sed, sicut est determinatum id in quod fit conversio, non enim fit conversio nisi in corpus Christi; ita est determinatum id quod convertitur, non enim convertitur in corpus Christi nisi panis. Ergo, sicut ex parte praedicti ponitur nomen, ita ex parte subiecti debet poni nomen, ut dicatur: *Hic panis est corpus meum*.

4. PRAETEREA, sicut id in quod terminatur conversio est determinatae naturae, quia est corpus; ita etiam est determinatae personae. Ergo <sup>α</sup>, ad determinandam personam, debet dici: *Hoc est corpus Christi*.

5. PRAETEREA, in verbis formae non debet poni aliquid quod non sit de substantia eius. Inconvenienter ergo additur in quibusdam libris haec coniunctio *enim*, quae non est de substantia formae.

SED CONTRA EST quod Dominus hac forma in consecrando est usus, ut patet Matth. xxvi \*.

RESPONDEO DICENDUM quod haec est conveniens forma consecrationis panis. Dictum est enim \* quod haec consecratio consistit in conversione substantiae panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacramenti significare id quod in sacramento efficitur. Unde et forma consecrationis panis debet significare ipsam conversionem panis in corpus Christi. In qua tria considerantur: scilicet ipsa conversio, et terminus a quo, et terminus ad quem.

Conversio autem potest considerari dupliciter: uno modo, ut in *feri*; alio modo, ut in *facto esse*. Non autem debuit significari conversio in hac forma ut in *feri*, sed ut in *facto esse*. Primo quidem, quia haec conversio non est successiva, ut supra \* habitum est, sed instantanea: in huiusmodi autem mutationibus fieri non est nisi factum esse. — Secundo, quia ita se habent formae sacramentales ad significandum effectum sacramenti, sicut se habent formae artificiales ad repraesentandum effectum artis. Forma autem artificialis est similitudo ultimi effectus in quem fertur intentio artificis: sicut forma artis in mente aedificatoris est forma domus aedificatae principaliter, aedificationis autem per consequens. Unde

et in hac forma debet exprimi conversio ut in facto esse \*, ad quod fertur intentio.

Et quia ipsa conversio exprimitur in hac forma ut in facto esse, necesse est quod extrema conversionis significantur ut se habent in facto esse conversionis. Tunc autem terminus in <sup>β</sup> quem habet propriam naturam suae substantiae: sed terminus a quo non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia, quibus sensui subiacet, et ad sensum determinari potest. Unde convenienter terminus conversionis a quo exprimitur per pronomen demonstrativum relatum ad accidentia sensibilia, quae manent. Terminus autem ad quem exprimitur per nomen significans naturam eius in quod fit conversio: quod quidem est totum corpus Christi, et non sola caro eius, ut dictum est \*. Unde haec forma est convenientissima: *Hoc est corpus meum*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod fieri non est ultimus effectus huius consecrationis, sed factum esse, ut dictum est \*. Et ideo hoc potius exprimi debet in forma.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sermo Dei operatus est in creatione rerum, qui etiam operatur in hac consecratione: aliter tamen et aliter. Nam hic operatur sacramentaliter <sup>γ</sup>, idest secundum vim significationis. Et ideo oportet in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis per verbum substantivum indicativi modi et praesentis temporis. Sed in creatione rerum operatus est solum effective: quae quidem efficientia est per imperium suae sapientiae. Et ideo in creatione rerum exprimitur sermo Dominicus <sup>δ</sup> per verbum imperativi modi: secundum illud *Gen. I* \*: *Fiat lux, et facta est lux*.

AD TERTIUM DICENDUM quod terminus a quo in ipso facto esse conversionis non retinet naturam suae substantiae, sicut terminus ad quem. Et ideo non est simile.

AD QUARTUM DICENDUM quod per hoc pronomen *meum*, quod includit demonstrationem primae personae, quae est persona loquentis, sufficienter exprimitur persona Christi, ex cuius persona haec proferuntur, ut dictum est \*.

AD QUINTUM DICENDUM quod haec coniunctio *enim* apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae a beato Petro Apostolo derivatam \*. Et hoc propter continuationem ad verba praecedentia. Et ideo non est de forma: sicut nec praecedentia <sup>ε</sup> formam.

\* Vers. 26.

\* Art. 1.

\* Qu. LXXV, art. 7.

α) Ergo. — sicut ad determinandum naturam dicitur corpus ita addunt PFL. — Pro debet, deberet tertia.  
β) in. — ad P.

γ) sacramentaliter. — effective et (et om. HpG) sacramentaliter PFGHI.  
δ) Dominicus. — divinitus Da, divinus P.  
ε) praecedentia. — verba praecedentia editiones.

\* D. 575.

\* Qu. LXXVI, art. 1, ad 2.

\* In corpore.

\* Vers. 3.

\* Art. 1.

\* Cf. Innoc. III, de S. Altar. Myster. lib. IV, cap. IV: cap. Cum Marthae, de Ce-lebr. Miss. 5

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA CONSECRATIONIS VINI,  
HIC EST CALIX SANGUINIS MEI, ETC.

IV Sent., dist. VIII, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2, 3; In Matth., cap. XXVI; I ad Cor., cap. XI, lect. VI.

\* Vjd. Comment. Caiet. post art. 1.

α

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR\*. Videtur quod haec non sit conveniens forma consecrationis vini α: *Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Sicut enim panis convertitur in corpus Christi ex vi consecrationis, ita et vinum in sanguinem Christi, sicut ex praedictis\* patet. Sed in forma consecrationis panis ponitur in recto corpus Christi, nec aliquid aliud additur. Inconvenienter ergo in hac forma ponitur sanguis Christi in obliquo, et additur calix in recto, cum dicitur, *Hic est calix sanguinis mei*.

\* Qu. LXXVI, art. 1, 2.

β

2. PRAETEREA, non sunt maioris efficaciae verba quae proferuntur in consecratione panis quam ea quae proferuntur in consecratione vini: cum utraque sint verba Christi. Sed statim dicto, *Hoc est corpus meum*, est perfecta consecratio panis. Ergo statim cum dictum est, *Hic est calix sanguinis mei*, est perfecta consecratio sanguinis. Et ita ea quae consequuntur β non videntur esse de substantia formae: praesertim cum pertineant ad proprietates huius sacramenti.

\* Vers. 8, 10.

\* Vers. 31, 33.

3. PRAETEREA, Testamentum novum pertinere videtur ad internam inspirationem: ut patet ex hoc quod Apostolus, ad *Heb.* VIII\*, introducit verba quae habentur in *Ierem.* XXXI\*, *Consummabo super domum Israel testamentum novum, dando leges meas in mentibus eorum*. Sacramentum autem exterius visibiliter agitur. Inconvenienter ergo in forma sacramenti dicitur, *novi Testamenti*.

γ

4. PRAETEREA, *novum* dicitur aliquid ex eo quod est prope γ principium sui esse. Aeternum autem non habet principium sui esse. Ergo inconvenienter dicitur *novi et aeterni*: quia videtur contradictionem implicare.

\* Vers. 14.

\* Cf. qu. LXXV, art. 1.

δ

5. PRAETEREA, occasiones erroris sunt hominibus subtrahendae: secundum illud *Isaiae* LVII\*: *Auferite offendicula de via populi mei*. Sed quidam erraverunt aestimantes mystice solum esse corpus et sanguinem Christi in hoc sacramento\*. Ergo in hac forma inconvenienter ponitur *mysterium δ fidei*.

\* Qu. LXXIII, art. 3, ad 3; qu. LXXIV, art. 4, ad 3.

6. PRAETEREA, supra\* dictum est quod, sicut baptismus est *sacramentum fidei*, ita Eucharistia est *sacramentum caritatis*. Ergo in hac forma magis debuit poni *caritas* quam *fides*.

7. PRAETEREA, totum hoc sacramentum, et

α) vini. — videlicet HpG, vini videlicet sG et bc. — Ante novi I addit et. Pro mysterium fidei, ministerium fidei ABCE, om. I.

β) consequuntur. — sequuntur P.  
γ) prope. — sBC a et tertia praeter H; proprie ADEHpB, proprium FpC.

δ) mysterium. — ministerium ABCDpl.  
ε) efficaciam. — efficientiam sG et editiones, suffiam H; omnibus... profuit om. pG. — Pro quod effundetur, qui effundetur P.

quantum ad corpus et quantum ad sanguinem, est memoriale Dominicae passionis: secundum illud I *Cor.* XI\*: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*. Non ergo magis debuit in forma consecrationis sanguinis fieri mentio de passione Christi et de eius fructu, quam in forma consecrationis corporis: praesertim cum, *Luc.* XXII\*, Dominus dixerit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*.

\* Vers. 26.

\* Vers. 19; I ad Cor., cap. XI, vers. 24.

\* Qu. XLVIII, art. 2; qu. XLIX, art. 3.

8. PRAETEREA, passio Christi, ut supra\* habitum est, ad sufficientiam profuit omnibus, quantum vero ad efficaciam ε profuit multis. Debit ergo dici quod *effundetur pro omnibus*, aut *pro multis*, sine hoc quod adderetur *pro vobis*.

9. PRAETEREA, verba quibus hoc sacramentum conficitur, efficaciam habent ex institutione Christi. Sed nullus Evangelista recitat Christum haec omnia verba dixisse. Ergo non est conveniens forma consecrationis vini.

SED CONTRA EST quod Ecclesia, ab Apostolis instructa\*, utitur hac forma in consecratione vini.

\* Cf. cap. Cum Marthae, de Celebrat. Missar.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hanc formam est duplex opinio. Quidam\* enim dixerunt quod de substantia formae huius est hoc solum quod dicitur, *Hic est calix sanguinis mei*, non autem ea quae sequuntur. — Sed hoc videtur inconveniens: quia ea quae sequuntur, sunt quaedam determinationes praedicati, idest sanguinis Christi; unde pertinent ad integritatem locutionis ζ.

\* Halens. Sum. Theol. p. IV, qu. x, memb. iv, art. 2, § 4; s. Bonavent. IV Sent., dist. VIII, p. II, art. 1, qu. 2; Tarrantas. IV Sent., dist. VIII, qu. 3, art. 2.

Et propter hoc sunt alii qui melius dicunt quod η omnia sequentia sunt de substantia formae, usque ad hoc quod postea sequitur, *Hoc quotiescumque feceritis*, quae pertinent ad usum huius sacramenti, unde non sunt de substantia formae. Et inde est quod sacerdos eodem ritu et modo, scilicet tenendo θ calicem in manibus, omnia haec verba profert. Lucae etiam XXII interponuntur verba sequentia verbis primis ι, cum dicitur\*: *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo*.

ζ

η

θ

\* Vers. 20.

Dicendum est ergo quod omnia praedicta verba sunt de substantia formae: sed per prima verba x, *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est\* in forma consecrationis panis; per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quae operatur in hoc sacramento. Quae quidem ad tria ordinatur λ. Primo qui-

x

\* Art. 2.

λ

ζ) locutionis. — eiusdem locutionis PFI; alias non habetur ly eiusdem margo P.

η) sunt alii qui melius dicunt quod. — sicut alii melius dicunt PI; melius om. H.

θ) tenendo. — F et tertia; tenendi.

ι) primis. — praemissis P.

x) verba. — cum dicitur addunt F et tertia.

λ) ordinatur. — ordinantur CEFgpH et ac.

dem, et principaliter, ad adipiscendam aeternam hereditatem: secundum illud *Heb. x* \*: *Habemus fiduciam in introitu sanctorum per sanguinem eius.* Et ad hoc designandum dicitur, *novi Testamenti et aeterni* <sup>μ</sup>. – Secundo, ad iustitiam gratiae, quae est per fidem: secundum illud *Rom. iii* \*: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, ut sit ipse iustus, et iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi.* Et quantum ad hoc subditur, *mysterium fidei*. – Tertio autem, ad removendum impedimenta utriusque praedictorum, scilicet peccata: secundum illud *Heb. ix* \*: *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis*, idest a peccatis. Et quantum ad hoc subditur, *qui pro vobis et pro multis aliis* <sup>ν</sup> *effundetur in remissionem peccatorum.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, cum dicitur, *Hic est calix sanguinis mei*, est locutio figurativa, et potest dupliciter intelligi. Uno modo, secundum metonymiam, quia <sup>ξ</sup> ponitur continens pro contento, ut sit sensus: *Hic est sanguis meus contentus in calice.* De quo fit hic mentio, quia sanguis Christi in hoc sacramento consecratur in quantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione sanguinis: et ideo oportuit hic <sup>ο</sup> designari per vas huic usui accommodatum.

Alio modo potest intelligi secundum metaphoram, prout per calicem similitudinariae intelligitur passio Christi, quae ad similitudinem calicis inebriat, secundum illud *Thren. iii* \*, *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio*: unde et ipse Dominus passionem suam calicem nominat, *Matth. xxvi* \*, dicens, *Transeat a me calix iste*; – ut sit sensus: *Hic est calix passionis meae.* De qua fit mentio in sanguine seorsum a corpore consecrato, quia separatio sanguinis a corpore fuit per passionem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod quia, ut dictum est \*, sanguis seorsum consecratus expresse passionem Christi repraesentat, ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis quam in consecratione corporis, quod est passionis subiectum. Quod etiam designatur in hoc quod Dominus dicit, *quod pro vobis tradetur*: quasi dicat, *quod pro vobis passioni subicietur.*

AD TERTIUM DICENDUM quod testamentum est dispositio hereditatis. Hereditatem autem caelestem Deus disposuit hominibus dandam per virtutem sanguinis Iesu Christi: quia, ut dicitur *Heb. ix* \*: *Ubi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris.* Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus. Primo quidem, in figura: quod pertinet ad vetus Testamentum. Et ideo Apostolus ibidem \* concludit: *Unde nec primum Testamentum sine sanguine dedicatum est*: quod patet ex hoc quod, sicut dicitur *Exod. xxiv* \*

*lecto omni mandato legis a Moyse, omnem populum aspersit, dicens: Hic est sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus.*

Secundo autem est exhibitus in rei veritate: quod pertinet ad novum Testamentum. Et hoc est quod Apostolus ibidem \* praemittit, dicens: *Ideo novi Testamenti mediator est Christus, ut, morte intercedente, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae hereditatis.* Dicitur ergo hic *sanguis novi Testamenti*, quia iam non in figura, sed in veritate exhibetur. Unde subditur, *qui pro vobis effundetur*. – Interna autem inspiratio ex sanguinis <sup>π</sup> virtute procedit secundum quod passione Christi iustificamur.

AD QUARTUM DICENDUM quod hoc testamentum est novum ratione exhibitionis. Dicitur autem aeternum, tam ratione aeternae Dei praedestinationis; quam etiam ratione aeternae hereditatis, quae per hoc testamentum disponitur. Ipsa etiam persona Christi, cuius sanguine testamentum disponitur, est aeterna.

AD QUINTUM DICENDUM quod *mysterium* <sup>ρ</sup> hic ponitur, non quidem ad excludendum rei veritatem, sed ad ostendendum occultationem. Quia et ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc sacramento; et ipsa passio Christi occulte fuit figurata in veteri Testamento.

AD SEXTUM DICENDUM quod dicitur *sacramentum* <sup>σ</sup> *fidei*, quasi fidei obiectum: quia quod sanguis Christi secundum rei veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur. Ipsa etiam passio Christi per fidem iustificat. Baptismus autem dicitur *sacramentum fidei* quia est quaedam fidei protestatio. – Hoc autem est *sacramentum caritatis* quasi figurativum et effectivum.

AD SEPTIMUM DICENDUM quod, sicut dictum est \*, sanguis seorsum consecratus a corpore expressius repraesentat passionem Christi. Et ideo in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi et fructu ipsius, potius <sup>τ</sup> quam in consecratione corporis.

AD OCTAVUM DICENDUM quod sanguis passionis Christi non solum habet efficaciam in Iudaeis electis, quibus exhibitus est sanguis veteris Testamenti, sed etiam in gentilibus; nec solum in sacerdotibus, qui hoc efficiunt <sup>υ</sup> sacramentum, vel aliis qui sumunt, sed etiam in illis pro quibus offertur. Et ideo signanter dicit, *pro vobis Iudaeis, et pro multis*, scilicet gentilibus: vel, *pro vobis manducantibus, et pro multis* pro quibus offertur.

AD NONUM DICENDUM quod Evangelistae non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit Dionysius, in fine *Ecclesiasticae Hierarchiae* \*. Sed intenderunt historiam de Christo texere.

Et tamen omnia haec verba fere ex diversis Scripturae locis accipi possunt. Nam quod dici-

\* Resp. ad 1; qu. lxxxvi, art. 2, ad 1.

\* Vers. 16.

\* Vers. 18.

\* Vers. 7, 8; ad *Heb.*, cap. ix, vers. 19, 20.

μ) Testamenti et aeterni. – et aeterni Testamenti PlsG.

ν) aliis. – Om. F et tertia. Cf. qu. lxxxix art. 7. δ.

ξ) quia. – qua Pl.

ο) hic. – hoc PFHl, vel haec H.

π) sanguinis. – hac sanguinis HpG et bc, huius sanguinis PFIsG.

ρ) mysterium. – ministerium ABpC.

σ) sacramentum. – mysterium F et tertia. – quasi fidei om. E. – rei om. tertia.

τ) potius. – per HpG, post *Et ideo* ponunt editiones.

υ) efficiunt. – conficiunt tertia.

\* Vers. 15.

π

ρ

σ

\* Resp. ad 2.

τ

υ

\* Cap. vii, § 10.

\* Vers. 20.  
\* Vers. 25.  
\*\* Vers. 28.

tur, *Hic est calix*, habetur Luc. xxii \* et I Cor. xi \*. Matthaei autem xxvi \*\* dicitur, *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. — Quod autem

additur, *aeterni*, et iterum, *mysterium* <sup>φ</sup> *fidei*, ex traditione Domini habetur, quae ad Ecclesiam per Apostolos pervenit \*: secundum illud I Cor. xi \*: *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis*.

\* Cf. arg. *Sed cont.*  
\* Vers. 23.

φ) *mysterium*. — *ministerium* ABCD.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PRAEDICTIS VERBIS FORMARUM INSIT ALIQUA VIS CREATA EFFECTIVA CONSECRATIONIS

IV *Sent.*, dist. viii, qu. ii, art. 3; *In Matth.*, cap. xxvi.

\* Cf. art. 1-3.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod praedictis verbis formarum \* non insit aliqua vis creata effectiva consecrationis. Dicit enim Damascenus, in IV libro \*: *Sola virtute Spiritus Sancti fit conversio panis in corpus Christi*. Sed virtus Spiritus Sancti est virtus increata. Ergo nulla virtute creata horum verborum conficitur sacramentum hoc <sup>α</sup>.

\* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. xiii.

α

\* Qu. cx, art. 4.

2. PRAETEREA, opera miraculosa non fiunt aliqua virtute creata, sed sola virtute divina, ut in Prima Parte \* habitum est. Sed conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi est opus non minus miraculosum quam creatio rerum, vel etiam formatio corporis Christi in utero virginali, quae quidem nulla virtute creata fieri potuerunt. Ergo neque hoc sacramentum consecratur virtute creata aliqua <sup>β</sup> dicatorum verborum.

β

\* Qu. lxxv, art. 7.

3. PRAETEREA, praedicta verba non sunt simplicia, sed ex multis composita; nec simul, sed successive proferuntur. Conversio autem praedicta, ut supra \* dictum est, fit in instanti: unde oportet quod fiat per simplicem virtutem. Non ergo fit per virtutem horum verborum.

\* Lib. IV, cap. iv.  
- Cf. can. *Panis est, de Consecr.*, dist. II.

γ

\* Can. cit.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* \*: *Si tanta est vis in sermone Domini Iesu ut inciperet esse quod non erat, quanto magis operativus <sup>γ</sup> est ut sint quae erant, et in aliud commutentur? Et \* sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat*.

\* Cf. qu. lxxii, art. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam \* dixerunt nullam virtutem creatam esse nec in praedictis verbis ad transubstantiationem faciendam, nec etiam in aliis sacramentorum formis, vel etiam in ipsis sacramentis ad inducendos sacramentorum effectus. — Quod, sicut supra \* dictum est, et dictis Sanctorum repugnat, et derogat dignitati sacramentorum novae legis. Unde, cum hoc sacramentum sit prae ceteris dignius, sicut supra \*

\* Ibid.

\* Qu. lxxv, art. 3.

dictum est, consequens est quod in verbis formalibus huius sacramenti sit quaedam virtus creata ad conversionem huius sacramenti faciendam: instrumentalis tamen, sicut et in aliis sacramentis, sicut supra \* dictum est. Cum enim haec verba ex persona Christi proferantur, ex eius mandato consequuntur virtutem instrumentalem a Christo: sicut et cetera eius facta vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem, ut supra \* habitum est.

\* Qu. lxxii, art. 3, 4.

\* Qu. xlvi, art. 6; qu. lvi, art. 1, ad 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, cum dicitur sola virtute Spiritus Sancti panem in corpus Christi converti, non excluditur virtus instrumentalis quae est in forma huius sacramenti: sicut, cum dicitur quod solus faber facit cultellum, non excluditur virtus martelli.

AD SECUNDUM DICENDUM quod opera miraculosa nulla creatura potest facere quasi agens principale: potest tamen ea facere instrumentaliter, sicut ipse tactus manus Christi sanavit leprosum \*. Et per hunc modum verba eius convertunt panem in corpus Christi. Quod quidem non <sup>δ</sup> potuit in conceptione corporis Christi, qua corpus Christi formabatur, ut aliquid a corpore Christi procedens haberet instrumentalem virtutem ad ipsius corporis formationem. In creatione etiam non fuit aliquod extremum in quod instrumentalis actio creaturae posset terminari. Unde non est simile.

\* Matth. cap. viii, vers. 3; Marc. cap. 1, vers. 41, 42; Luc. cap. v, vers. 13; δ

AD TERTIUM DICENDUM quod praedicta verba quibus fit consecratio, sacramentaliter operantur. Unde vis conversiva quae est in formis horum sacramentorum, sequitur significationem, quae in prolatione ultimae dictionis terminatur. Et ideo in ultimo instanti prolationis verborum praedicta verba consequuntur hanc virtutem: in ordine tamen ad praecedentia. Et haec virtus est simplex ratione significati <sup>ε</sup>: licet in ipsis verbis exterius prolatis fit <sup>ζ</sup> quaedam compositio.

ε  
ζ

α) *sacramentum hoc*. — *hoc sacramentum* PGla.  
β) *virtute creata aliqua*. — *aliqua virtute b, aliqua virtute creata*  
F et cetera tertia.  
γ) *operativus*. — *operatus* DF, *operatorius* P.

δ) *non*. — *fieri non* E et tertia.  
ε) *significati*. — *simplicis significati* PFIsG.  
ζ) *fit*. — *sit* EsDFI a et tertia, om. pl.

Commentaria Cardinalis Caietani

\* Cf. num. ii.  
\*\* Cf. num. iii.  
\*\*\* Cf. num. iv.  
\* Cf. num. v.

**I**N articulo quarto eiusdem quaestionis, quinque de virtute verborum sacramentalium notanda sunt, scilicet: an est; quid est \*; cuius est factiva \*\*; quando est \*\*\*; et qualis est \*.

Virtutem habere verba consecrationis, licet sub opinione ponatur \*, si perspexerimus tamen doctrinam in generali Concilio \* traditam sub Eugenio IV, determinata haec quaestio videtur. Nam inter alia legitur ibi: *Sacerdos in per-*

\* Cf. qu. lxxii, art. 1, Comment.  
\* Florent., in *Decret. pro Armen.*

sona Christi loquens hoc conficit sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur. Ubi clare vides virtutem verborum assertam a sacro Concilio.

\* Qu. LXII, art. 4.  
Comment. num.  
iii sqq.

II. Ut autem superius \* diximus de virtute sacramentorum, sic consequenter nunc dicimus de virtute horum verborum, quod non est qualitas aliqua superaddita ut res quaedam distincta realiter ab ipsa oratione significante, sed est ipsa oratio significans ut instrumentum Dei ad consecrationem. Ita quod oratio ipsa, puta, *Hoc est corpus meum*, secundum se quidem non est aliud quam enuntiatio significans *hoc esse corpus meum*; sed ut assumpta a Christo in instrumentum ad consecrationem istam, est non solum enuntiatio significans, sed instrumentaliter efficiens; quod est habere virtutem, immo est esse virtutem.

Et quia esse virtutem est quoddam adventitium orationi absolute, ideo dicitur *orationem habere virtutem*, et *virtutem esse in verbis*, et *virtus verborum*, et similia. Et quia virtus adventitia qualitatis rationem ac nomen induit, ideo qualitas dicitur: cum tamen secundum rem nihil aliud sit quam orationem esse instrumentum Dei; quod nihil aliud est quam Deum uti oratione instrumentaliter ad talem effectum. Sicut enim omnis creatura est in potentia obedientiali ad hoc quod de ea fiat quidquid Deus vult, ita est etiam in potentia obedientiali ad hoc ut sit instrumentum Dei ad quodcumque faciendum Deus illa uti voluerit. Et sicut Deum in sacramento baptismi per Christi baptismum dedisse virtutem aquis inchoative dicimus \*, nulla tamen qualitas superaddita propterea est aquis; et postmodum complete datur virtus aquae in actuali baptismo, per hoc quod Christus baptizans utitur illa aqua: ita in proposito verba ista potius quam alia ab ipso Christo sanctificata sunt inchoative, complete autem vim sortiuntur cum Christus per sacerdotem illa profert ad confectionem huius sacramenti. Talis enim usus verborum est constitutivus instrumentalis efficaciae in oratione qua utitur: nec oportet aliquam superapponeere qualitatem.

\* Cf. ibid.

Et hoc exemplo in artificialibus videtur manifestari. Nam manus assumi potest, et de facto assumitur a multis artibus in instrumentum: nec oportet artem sutoriam, aut fabrillem, aut musicam, aliquam qualitatem superaddere manui cum illa utitur; sed ex hoc ipso quod ars utitur manu, manus est quaedam vis artis illius. Et sic de aliis.

Et hoc multo verius est referendo rem creatam ad divinam omnipotentiam utentem creatura assumendo illam in instrumentum: quanto efficacia divina maior in infinitum est, ut sit intima cuicumque creaturae.

III. Effectus autem virtutis verborum non est dispositio aliqua: sed, ut in allatis \* verbis ex sacro Concilio clare patet, est *conversio panis in corpus Christi*.

\* Num. I.

Nec obstant obiectiones Scoti, in 1 distinctione \* Quarti, de infinitate virtutis requisitae ad transubstantiationem, et de creatione. Primam enim solvit Auctor ad primum, et secundam ad secundum. Exigitur enim infinita virtus in agente principali tantummodo. — Et non est simile de creatione. Quia nulla res in creatione praesupponitur, quam instrumenti actio possit attingere. Hic autem invenitur substantia panis et vini, quae a virtute verborum attingitur, dum convertitur in corpus et sanguinem Christi.

\* Qu. v.

IV. Et quia verba consecrationis, ut efficiunt orationem significantem quod per sacramentum efficitur, in instrumentum divinae actionis assumuntur; ideo, quando utitur Deus per sacerdotis ministerium verbis sacramentalibus, tandiu est virtus sacramentalis, inchoative tamen et in fieri: sicut et ipsa oratio, dum proferuntur partes, inchoative et in fieri est usque ad terminationem. In ipsa namque terminatione orationis oratio perfecte significationem habet: et similiter ista virtus perfecte invenitur. Ideo non prius nec post, sed tunc cum oratio perfecte significans est, virtus instrumentalis praedicta perfecte est et operatur. Unde, cum oratio sit quoddam successivum, cuius existentia non requirit quidquid est eius esse simul, sed ex quocumque eius existente infertur; et significationem non sortiatur nisi in sui termino: propterea dixit Auctor \* quod oratio in sui terminatione tantum significationem simul et virtutem sacramentalem sortitur. Cum quo stant supra dicta: alioquin non tota oratio esset instrumentum Dei; aut instrumentum in actu sine vi instrumentali esset per aliquod tempus.

\* Resp. ad 3.

V. Et sicut significatio huius orationis est quodammodo simplex et quodammodo composita, quoniam ex multis partialibus significationibus consurgit; et simplex esse significat, scilicet hoc esse corpus Christi, absque compositionis, admixtionis, informationis adiunctionisve modo quocumque: ita virtus ista ex parte orationis significantis est quodammodo composita, ex parte autem effectus dicitur simplex in littera, in responsione ad tertium.

## ARTICULUS QUINTUS

### UTRUM PRAEDICTAE LOCUTIONES SINT VERAЕ

IV Sent., dist. viii, qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup> 4; In Matth., cap. xxvi; I ad Cor., cap. xi, lect. v.

\* Cf. art. 1-3.

\* Art. 1; art. 4,  
ad 3; qu. Lxxv,  
art. 2, 7.

α

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod praedictae locutiones \* non sunt verae. Cum enim dicitur, *Hoc est corpus meum*, ly *hoc* est demonstrativum substantiae. Sed secundum praedicta \*, quando profertur hoc pronomen *hoc*, adhuc est substantia panis: quia transubstantiatio fit in ultimo α prolationis verborum. Sed haec est falsa, *Panis est corpus Christi*. Ergo etiam haec est falsa, *Hoc est corpus meum*.

2. PRAETEREA, hoc pronomen *hoc* facit demonstrationem ad sensum. Sed species sensibiles quae sunt in hoc sacramento neque sunt ipsum corpus Christi, neque sunt accidentia corporis Christi. Ergo haec locutio non potest esse vera, *Hoc est corpus meum*.

α) ultimo. — instanti addunt Pa.

3. PRAETEREA, haec verba, sicut supra \* dictum est, sua significatione efficiunt conversionem panis in corpus Christi. Sed causa effectiva praetelligitur effectui. Ergo significatio horum verborum praetelligitur conversioni panis in corpus Christi. Sed ante conversionem haec est falsa, *Hoc est corpus meum*. Ergo simpliciter est iudicandum quod sit falsa. Et eadem ratio est de hac locutione, *Hic est calix sanguinis mei etc.*

\* Art. 4, ad 3.

SED CONTRA EST quod haec verba proferuntur ex persona Christi, qui de se dicit, Ioan. xiv \*: *Ego sum veritas*.

\* Vers. 6.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam \* enim dixerunt quod in hac locutione, *Hoc est corpus meum*, haec dictio *hoc* importat demonstrationem ut conceptam, non ut

\* Innoc. III, de S. Altar. Myster. lib. IV, cap. xvii. Cf. Praepositin. Summ., de Eucharist. (Codic. Vat. Latin. 1174, fol. 61, vers. 1).

exercitam: quia tota ista locutio sumitur materialiter, cum recitative proferatur; recitat enim sacerdos Christum dixisse, *Hoc est corpus meum*.

Sed hoc stare non potest. Quia secundum hoc, verba non applicarentur ad materiam corporalem praesentem, et ita non perficeretur sacramentum: dicit enim Augustinus, *super Ioan.* \*: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum*. — Et  $\beta$  ex hoc totaliter non evitatur difficultas huius quaestionis: quia eadem rationes manent circa primam prolationem qua Christus haec verba protulit; quia  $\gamma$  manifestum est quod non materialiter, sed significative sumebantur. Et ideo dicendum est quod etiam quando proferuntur a sacerdote, significative, et non tantum materialiter accipiuntur. — Nec obstat quod sacerdos etiam  $\delta$  recitative profert quasi a Christo dicta. Quia propter infinitam virtutem Christi, sicut ex contactu carnis suae  $\epsilon$  vis regenerativa pervenit non solum ad illas aquas quae Christum tetigerunt, sed ad omnes ubique terrarum \* per omnia futura saecula; ita etiam ex prolatione ipsius Christi haec verba virtutem consecrativam sunt consecuta a quocumque sacerdote dicantur, ac si Christus ea praesentialiter proferret.

Et ideo alii \* dixerunt quod haec dictio *hoc* in hac locutione facit demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum: ut sit sensus, *Hoc est corpus meum*, idest, *Significatum per hoc  $\zeta$  est corpus meum*.

Sed nec hoc stare potest. Quia, cum in sacramenti hoc efficiatur quod significatur  $\eta$ , non fieret per hanc formam ut corpus Christi sit in hoc sacramento secundum veritatem, sed solum sicut in signo. Quod est haereticum, ut supra \* dictum est.

Et ideo alii dixerunt quod haec dictio *hoc* facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur haec demonstratio non pro illo instanti locutionis quo profertur haec dictio, sed pro ultimo instanti locutionis: sicut, cum aliquis dicit, *Nunc taceo*, hoc adverbium *nunc* facit demonstrationem pro instanti immediate sequenti locutionem; est enim sensus, *Statim dictis his verbis, taceo*.

Sed nec hoc stare potest. Quia secundum hoc, huius locutionis est sensus, *Corpus meum est corpus meum*. Quod praedicta locutio non facit: quia hoc fuit etiam ante prolationem verborum. Unde neque hoc praedicta locutio significat.

Et ideo aliter dicendum est quod, sicut praedictum est \*, haec locutio habet virtutem factivam

conversionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quae habent solum vim significativam et non factivam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quae est factiva rei, conceptioni intellectus nostri speculativi, quae est accepta a rebus: nam *voce sunt signa intellectuum*, secundum Philosophum\*. Et ideo, sicut conceptio intellectus practici non praesupponit rem conceptam, sed facit eam, ita veritas huius locutionis non praesupponit rem significatam, sed facit eam: sic enim se habet verbum Dei ad res factas per verbum. Haec autem conversio non fit successive, sed in instanti, sicut dictum est \*. Et ideo oportet quidem intelligere praedictam locutionem secundum ultimum instans prolationis verborum: non tamen ita quod praesupponatur ex parte subiecti id quod est terminus conversionis, scilicet quod corpus Christi sit corpus Christi; neque etiam illud quod fuit ante conversionem, scilicet panis; sed id quod communiter se habet quantum ad utrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Non enim faciunt haec verba quod corpus Christi sit corpus Christi; neque quod panis sit corpus Christi; sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus, *Hic panis est corpus meum*, quod esset secundum intellectum secundae opinionis; neque, *Hoc corpus meum est corpus meum*, quod esset secundum intellectum tertiae; sed in generali, *Hoc est corpus meum*, nullo nomine apposito ex parte subiecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi sine qualitate, idest forma determinata.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod haec dictio *hoc* demonstrat substantiam, sed absque determinatione propriae naturae, sicut dictum est \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod hoc pronomine *hoc* non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam sub accidentibus contentam, quae primo fuit panis, et postea est corpus Christi: quod, licet non informetur his accidentibus, tamen sub eis continetur.

AD TERTIUM DICENDUM quod significatio huius locutionis praeintelligitur rei significatae ordine naturae, sicut causa naturaliter est prior effectui: non tamen ordine temporis, quia haec  $\theta$  causa simul habet secum suum effectum. Et hoc sufficit ad veritatem locutionis.

\* Tract. LXXX, n. 3.

$\beta$

$\gamma$

$\delta$

$\epsilon$

\* Cf. qu. LXVI, art. 3, ad 4.

\* Cf. Halens. *Summ. Theol.*, p. IV, qu. X, memb. IV, art. 2, § 3.

$\zeta$

$\eta$

\* Qu. LXXV, art. 1.

\* Art. praeced.

$\beta$ ) Et. — praeterea (propterea bc) addit tertia.  
 $\gamma$ ) quia. — D; quare. — Pro significative sumebantur, etiam significative sumuntur F.  
 $\delta$ ) etiam. — etiam ea quae F. in (recitatione) H, ea PI.  
 $\epsilon$ ) carnis suae. — PEFI; suae ABC, suo D, suae carnis ed. a, carnis suae mundissimae GHbc. — regenerativa EFA et tertia; generativa.

$\zeta$ ) Significatum per hoc. — PBFic; per hoc significatum per hoc CE, per hoc quod significatum per hoc A, per significatum hoc ed. a, per hoc significatum hoc HpG et b, significatum per hoc hoc sG.  
 $\eta$ ) significatur. — EF et tertia; significat.  
 $\theta$ ) haec. — hic BC, om. I.

\* Peri Herm. lib. I, cap. 1, n. 2. — S. Th. lect. II.

\* Qu. LXXV, art. 7.

\* In corpore.



## Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quinto eiusdem quaestionis tres difficultates tangendae sunt: prima, de veritate; secunda, de consignificatione\*; tertia, de demonstratione\*\*.

\* Cf. num. II.  
\*\* Cf. num. IV.

De enuntiationis igitur huius sacramentalis, *Hoc est corpus meum*, veritate, scito aliquid esse certum, et aliquid in quaestionem verti. Nam certum est ipsam in quolibet instanti temporis quo est, esse veram vel falsam: quia aut sic est, et est vera; aut non sic est, et est falsa. In dubium autem vertitur an, prius natura quam conversio sit, sit vera aut falsa. Et est ratio dubii, quia sacramentalis haec oratio est conversiva: ac per hoc, prius natura est quam conversio, quae est suus effectus. Et propterea dubitatur an in illo priori naturae sit vera vel falsa.

\* Qu. II, art. 3.

Et Scotus quidem, in VIII distinctione\* Quarti, declinat in opinionem tertiam: quod nec ut vera, nec ut falsa, sed ut neutra se habet.

Auctor autem in hoc articulo, tam in corpore quam in responsione ad tertium, tenet quod oratio ista ut vera, practice tamen seu causaliter, in illo priori naturae concurrat. De intellectu siquidem speculativo solo intelligendum est quod *ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa*\*. Nam, licet de utroque intellectu verificetur quod ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa formaliter; practicus tamen intellectus, priusquam res sit, est verus practice seu causaliter, quia non praesupponit, sed facit rem esse unde denominatur verus formaliter.

\* Aristot. *Categor.*, cap. IX, n. 6.

\* Cf. num. I, princip.

II. Circa consignificationem autem\*, omnes convenire in hoc videntur quod haec locutio, *Hoc est corpus meum*, intelligitur secundum ultimum instans prolotionis verborum. Sed diversitas opinionum est: quia alii putant contingere hoc ex virtute sermonis; alii autem opinantur non esse hoc ex virtute sermonis, sed ex intentione sacramentali. Et quoniam obscura ob confusionem redditur difficultas haec, distinguendum est, ut clara fiat.

Distingue igitur de tempore seu instanti quo oratio significat: vel de tempore seu instanti pro quo oratio significat. Aliud est enim *quando oratio significat*, et aliud est *quando per orationem consignificatum*, ut patet dicendo, *Petrus crucifixus est*: quando enim oratio ista significat, tunc est cum profertur; sed *quando consignificatum* est tempus praeteritum, ut patet.

Significatio autem orationis non est nisi oratio sit integra integritate essentiali: quoniam oratio non essentialiter integra non est oratio, et consequenter non significat. Integra autem non est oratio nisi in termino prolotionis. Et propterea oratio non significat nisi in termino suae prolotionis. Et quia consignificare praesupponit significare, utpote adiacens illi, ideo oratio, sicut non significat, ita nec consignificat, nisi in termino suae prolotionis.

Nec est hoc solum verum de tota oratione, sed et de partibus ut integrant totam. Et de copula quidem declaratur dupliciter. Tum ex eo quod *ly est* significat compositionem, quam sine extremis non est intelligere: non enim potest intelligi compositio prior his quae componuntur. — Tum quia experimur quod huius orationis, *Lignum est album*, postquam prolatae sunt primae dictiones, scilicet *Lignum est*, antequam proferatur *ly album*, *ly est* non significat compositionem ligni cum albo. Quod convincitur si ponamus orationem sistere: tunc enim manifeste apparet non praesignificatam esse compositionem dictam per *ly est*. Significat ergo ipsam compositionem, non quando profertur, sed quando coniungit praedicatum subiecto: quod nihil aliud est dicere quam cum oratio est integra. — Et quia prius natura significat quam consignificat, ideo *ly est*, sicut non significat compositionem ante integritatem orationis, ita nec consignificat tunc quando profertur, sed tunc quando integratur oratio.

De subiecto autem dupliciter etiam idem manifestatur in proposito. Tum quia *talia sunt subiecta qualia permittuntur a praedicatis*. Et propterea ante praedicata non

habent suppositionem suam. — Tum quia clare perspicimus quod, dictis istis duabus dictionibus, *Homo est*, ut formetur propositio de tertio adiacente, nullus intellectus habetur tam subiecti quam copulae, sed variabitur utriusque sensus iuxta varietatem praedicati, ut patet formando duas propositiones quarum una sit, *Homo est albus*, et altera, *Homo est species*: clare enim in his liquet et subiectum et copulam praedicatum expectare, ita quod varietas praedicati varietatem inducit et in tota oratione, et in subiecto, et copula, ut patet discurrenti.

Et similiter oratio ista, *Hoc est corpus meum*. *Ly hoc* non demonstrat tunc cum profertur, neque *ly est* significat aut consignificat tunc cum profertur, compositionem seu coniunctionem inter *ly hoc* et corpus Christi: ut ex hoc convincitur quod, si quis subiungendo non apponeret *corpus meum*, sed *ly panis* aut *ly pronomen*, enuntiation non esset falsa; quarum tamen utramque oporteret esse falsam si *ly est* significasset tunc cum proferebatur, coniunctionem inter *hoc* et corpus Christi.

Loquendo igitur de quando oratio seu verbalis copula significat aut consignificat, sentiendum est quod tunc primo significat aut consignificat cum primo oratio integratur. Et hoc non ex intentione proferentis, sed ex vi ipsius orationis: ut patere potest ex dictis. Nec istud *quando* significatur aut consignificatur per orationem seu copulam verbalem, sed est *quando* adiacens seu mensurans significationem et consignificationem: attenditur enim secundum mensuram orationis significantis et consignificantis, ut patet in orationibus de praeterito. Et, ut hoc concludamus, istud *quando* se tenet ex parte mensurae seu durationis enuntiationis significantis et consignificantis: illud vero *quando* quod per copulam seu orationem consignificatur, se tenet ex parte mensurae seu durationis rei significatae. Et propterea clare patet haec duo *quando* maxime ab invicem posse distare, quantum distat mensura integrae orationis a mensura rei significatae.

Et hinc patet commune esse omni enuntiationi significare et consignificare tunc cum integratur: quia tunc primo est oratio, et per hoc, tunc primo significat et consignificat. Sed, sicut orationes differunt inter se quantum ad res significatas, ita etiam differunt quantum ad *quando* seu tempora consignificata.

Et haec in communi dicta si perspexeris, ambiguitates per quas discurrit Scotus\*, evanescent.

\* Loc. cit. supra, num. I.

III. Descendendo autem ad propositum, advertendum est quod contingit ista duo *quando*, scilicet ex parte mensurae significationis et ex parte mensurae rei significatae, coincidere in unum et idem *quando*, ita quod illud idem tunc sit *quando* oratio significat et consignificat, et *quando* significatum consignificatur esse. Contingit autem hoc in proposito ex ratione in littera reddita: quia scilicet oratio ista, *Hoc est corpus meum*, est conversiva panis in corpus Christi in instanti, et oratio ista significat conversionem ipsam ut in termino. Ex re siquidem significata habetur quod *ly est* consignificat instans conversionis panis in corpus Christi, seu, et in idem redit, quo primo hoc est corpus Christi: et quia illud instans coincidit cum instanti quo haec oratio integratur, ideo dicitur, et bene, quod *oportet hanc orationem intelligere secundum ultimum instans prolotionis*. Et quoniam consignificare instans conversionis convenit huic orationi ex natura sua, qua est oratio sacramentalis, seu factiva conversionis, seu conversiva panis in corpus Christi; ideo ex virtute sermonis talis, scilicet sacramentalis conversivi, habet haec oratio quod consignificet instans conversionis.

IV. Circa demonstrationem vero quam facit *ly hoc* cum dicitur, *Hoc est corpus meum*\*, licet varia verba dicantur: quoniam in littera dicitur demonstrari *contentum in generali sub istis speciebus*; Scotus autem\* specificando dicit demonstrari *individuum entis*, quia *ly hoc*, quantum est ex se, demonstrat individuum universalissimi, utpote

\* Cf. num. I, princip.

\* Loc. cit. conclus. 10. — Cf. num. seq., fin.

de quo possint omnia inquiri: — mihi tamen videtur quod demonstret *individuum substantiae*, idest, *hanc substantiam*.

Et quidem quod demonstret individuum, nulli est dubium: quoniam non universale, sed singulare aliquod est tam quod convertitur in corpus Christi, quam de quo enuntiatur corpus Christi.

Quod vero sit individuum substantiae, probatur. Tum ex eo quod *ly hoc* est pronomen demonstrativum substantiae. — Tum ex eo quod haec demonstratio debet esse certa. Demonstrando autem hanc substantiam, demonstratio est certissima: quoniam haec substantia est corpus Christi. Sed si demonstraret individuum entis, demonstratio remaneret ambigua, immo magis falsa appareret quam vera: nam *ly hoc ens* posset demonstrare tam accidens quam substantiam, cum utrumque sit hoc ens; et magis appareret demonstrari accidens, propter demonstrationem fieri ad sensum. — Tum quia, demonstrando individuum substantiae, demonstratio est simplicior et purior, non egens glossis. Nam, apposita ante sensus hostia, et dicendo, *Haec substantia est corpus meum*, non oportet ad glossas recurrere: *Quid est illud quod est conversum in corpus Christi?* aut, *Quid est illud quod hic adoramus?* et huiusmodi.

V. Est autem sententia haec etiam Auctoris. Nam ex-

presse dicit, in responsione ad primum et secundum, quod *ly hoc* demonstrat *substantiam sine qualitate* \*, idest, *sine determinatione alicuius propriae naturae* \*, puta panis aut corporis Christi. — Et hoc idem intendit dicendo quod demonstrat *contentum in generali sub istis speciebus* \*. Scivit enim quod non demonstratur universale aliquod: sed circumlocutus est individuum communioris seu generalioris ab accidentibus distincti, ac sub eis contenti. Dantur enim individua magis et minus universalialia, sicut dantur naturae magis et minus universales: est enim intelligere Socratem in praedicamento substantiae esse non solum hunc hominem, sed hoc animal, hoc vivum, hoc corpus, hanc substantiam. Et sic haec substantia, demonstrata per *ly hoc*, est contenta sub istis accidentibus in generali, idest, communiter se habens ad panem et corpus Christi, pro quanto ab utroque abstrahendo significatur.

Ad rationem autem Scoti \* dicitur quod, licet primum nomen loco cuius potest poni *hoc*, sit individuum entis communissimi analogice etiam ad entia rationis; quia tamen certitudo demonstratae rei praeponderat, quoniam ad propriam certamque notitiam sacramenti huius spectat res demonstrata; ratio illa ad communia nominum ideo posthabenda est, ne in ambiguo nos demonstratio relinquat, sed certos demonstratio reddat quod *haec substantia est corpus Christi*.

## ARTICULUS SEXTUS

### UTRUM FORMA CONSECRATIONIS PANIS CONSEQUATUR EFFECTUM SUUM ANTEQUAM PERFICIATUR FORMA CONSECRATIONIS VINI

IV Sent., dist. viii, qu. ii, art. 4, qu<sup>a</sup> 1; dist. xi, qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 4; In Matth., cap. xxvi; I ad Cor., cap. xi, lect. vi.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod forma consecrationis panis non consequatur effectum suum quousque perficiatur forma consecrationis vini. Sicut enim per consecrationem panis incipit esse corpus Christi sub hoc sacramento, ita per consecrationem vini incipit esse sanguis. Si ergo verba consecrationis panis haberent effectum suum ante consecrationem vini, sequeretur quod in hoc sacramento inciperet esse corpus Christi exsanguē <sup>a</sup>. Quod est inconveniens.

2. PRAETEREA, unum sacramentum unum habet complementum: unde, licet in baptismo sint tres immersiones, non tamen prima immersio consequitur suum effectum quousque tertia fuerit terminata \*. Sed totum hoc sacramentum est unum, ut supra \* dictum est. Ergo verba quibus consecratur panis, non consequuntur suum effectum sine verbis sacramentalibus quibus consecratur vinum.

3. PRAETEREA, in ipsa <sup>β</sup> forma consecrationis panis sunt plura verba, quorum prima non consequuntur effectum nisi prolato ultimo, sicut dictum est \*. Ergo, pari ratione, nec verba quibus consecratur corpus Christi habent effectum, nisi prolatis verbis quibus sanguis Christi consecratur.

SED CONTRA EST quod, statim dictis verbis consecrationis panis, hostia consecrata proponitur populo adoranda. Quod non fieret si non esset

ibi corpus Christi: quia hoc <sup>γ</sup> ad idololatriam pertineret. Ergo verba consecrationis <sup>δ</sup> suum effectum consequuntur antequam proferantur verba consecrationis vini.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam antiqui doctores dixerunt quod hae duae formae, scilicet consecrationis panis et vini, se invicem expectant in agendo: ita scilicet quod prima non perficit suum effectum antequam secunda proferatur.

Sed hoc stare non potest. Quia, sicut dictum est \*, ad veritatem huius locutionis, *Hoc est corpus meum*, requiritur, propter verbum praesentis temporis, quod res significata simul tempore sit cum ipsa significatione locutionis: alioquin, si in futurum expectaretur res significata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem verbum praesentis; ita scilicet quod non diceretur, *Hoc est corpus meum*, sed, *Hoc erit corpus meum*. Significatio autem huius locutionis completur statim completa prolatione <sup>ε</sup> horum verborum. Et ideo oportet rem significatam statim adesse, quae quidem est effectus huius sacramenti: alioquin locutio non esset vera. — Est etiam haec positio contra ritum Ecclesiae, quae statim post prolationem verborum corpus Christi adoratur.

Unde dicendum est quod prima forma non expectat secundam in agendo, sed statim habet suum effectum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ex hac ratione

\* Cf. qu. LXVI, art. 8.  
\* Qu. LXXIII, art. 2.

\* Art. 4, ad 3;  
art. 5, arg. 1;  
qu. LXXV, art. 2, 7.

<sup>a</sup>) *exsanguē*. — GH et per *Alias* margo P; *sine sanguine* editiones et *a*, *exsanguine* ceteri.  
<sup>β</sup>) *in ipsa*. — *ipsa* PF.  
<sup>γ</sup>) *hoc*. — *sic* editiones.

<sup>δ</sup>) *consecrationis*. — *panis* addunt FI et editiones.  
<sup>ε</sup>) *completa prolatione*. — *locutione completa bc, completa locutione* P.

\* In corpore.

videntur fuisse decepti illi qui praedictam \* positionem posuerunt. Unde intelligendum est quod, facta consecratione panis, est quidem corpus Christi ibi ex vi sacramenti, et sanguis ex reali concomitantia; sed postmodum, post ζ consecrationem vini, fit ibi e converso sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia; ita quod totus Christus est sub utraque specie, sicut supra \* dictum est.

\* Qu. LXXVI, art. 2.


AD SECUNDUM DICENDUM quod hoc sacramentum

est unum perfectione, sicut supra \* dictum est: in quantum scilicet constituitur ex duobus, scilicet ex cibo et potu, quorum utrumque per se habet suam perfectionem. Sed tres immersiones baptismi ordinantur ad unum simplicem effectum. Et ideo non est simile.

\* Loc. cit. in arg.

AD TERTIUM DICENDUM quod diversa verba quae sunt in forma consecrationis panis, constituunt veritatem unius locutionis: non autem verba diversarum formarum. Et ideo non est simile.

ζ) *post.* — *per* tertia praeter I.



QUAESTIO SEPTUAGESIMANONA

DE EFFECTIBUS HUIUS SACRAMENTI

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXIII, Introd.

**D**EINDE considerandum est de effectibus huius sacramenti\*.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum hoc sacramentum conferat gratiam.

Secundo: utrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriae.

Tertio: utrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.

Quarto: utrum per hoc sacramentum remittatur peccatum veniale.

Quinto: utrum per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur.

Sexto: utrum hoc sacramentum hominem praeservet a peccatis futuris.

Septimo: utrum hoc sacramentum prosit aliis quam sumentibus.

Octavo: de impedimentis effectus huius sacramenti.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM CONFERATUR GRATIA

IV Sent., dist. XII, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, arg. Sed cont. 2; art. 2, qu<sup>a</sup> 1, ad 2.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per hoc sacramentum non conferatur gratia. Hoc enim sacramentum est nutrimentum spirituale. Nutrimentum autem non datur nisi viventi. Cum ergo vita spiritualis sit per gratiam, non competit hoc sacramentum nisi iam habenti gratiam. Non ergo per hoc sacramentum confertur gratia ut primo habeatur. Similiter etiam nec ad hoc quod augeatur: quia augmentum spirituale pertinet ad sacramentum confirmationis, ut dictum est\*. Non ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

\* Qu. LXXV, art. 1; qu. LXXII, art. 1.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum assumitur<sup>α</sup> ut quaedam spiritualis refectio. Sed refectio spiritualis magis videtur pertinere ad usum gratiae quam ad gratiae consecutionem<sup>β</sup>. Ergo videtur quod per hoc sacramentum gratia non confertur.

\* Qu. LXXIV, art. 1, ex Pseudo-Ambros.

3. PRAETEREA, sicut supra\* dictum est, in hoc sacramento corpus Christi offertur pro salute corporis, sanguis autem pro salute animae. Sed corpus non est subiectum gratiae, sed anima, ut in Secunda Parte\* habitum est. Ergo ad minus quantum ad corpus per hoc sacramentum gratia non confertur.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CX, art. 4.

\* Vers. 52.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Ioan. VI\*: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Sed vita spiritualis est per gratiam. Ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

RESPONDEO DICENDUM quod effectus huius sacramenti debet considerari, primo quidem et principaliter, ex eo quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus. Qui sicut, in mun-

dum visibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiae, secundum illud Ioan. I\*: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est;* ita, in hominem sacramentaliter veniens, vitam gratiae operatur, secundum illud Ioan. VI\*: *Qui manducat me, vivit propter me.* Unde et Cyrillus dicit\*: *Vivificativum Dei Verbum, uniens seipsum propriae carni, fecit ipsam vivificativam. Decebat ergo eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem, quae accipimus in benedictione vivificativa in pane et vino.*

\* Vers. 17.

\* Vers. 58.

\* Comment. in Luc., cap. XXII, vers. 19, 20. - Cf. Caten. Aur. in Luc., cap. XXII, e.

Secundo consideratur ex eo quod per hoc sacramentum repraesentatur, quod est passio Christi, sicut supra\* dictum est. Et ideo effectum quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine\*. Unde super illud Ioan. XIX\*, *Continuo exivit sanguis et aqua,* dicit Chrysostomus\*: *Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria, cum accesseris ad tremendum calicem, vel ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas.* Unde et ipse Dominus dicit, Matth. XXVI\*: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.*

\* Qu. LXXIV, art. 1; qu. LXXVI, art. 2, ad 1.

\* D. 584.

\* Vers. 34.

\* Hom. LXXXV, al. LXXXIV, in Ioan. - Cf. Caten. Aur. in Ioan., cap. XIX, k.

\* Vers. 28.

Tertio consideratur effectus huius sacramenti ex modo quo traditur hoc sacramentum, quod traditur per modum cibi et potus. Et ideo omnem effectum quem cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat et delectat, hoc totum facit hoc sacramentum quantum ad vitam spiritua-

\* Lib. V, cap. IV. - Cf. can. Non iste panis, de Consecr., dist. II.

α) assumitur. - confertur editiones.  
β) consecutionem. - consecrationem bc, collationem P.  
γ) vivit. - vivet P.

δ) ergo. - P; om. H, enim ceteri.  
ε) vel. - velut I, ut P.  
ζ) Unde et. - Tertia; Ut et ABDA, Ut CEF.

nostrae substantiam fulcit. Et Chrysostomus dicit, supra Ioan. \*: Praestat se <sup>7</sup> nobis desiderantibus et palpare et comedere et amplecti. Unde et ipse Dominus dicit, Ioan. vi \*: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

Quarto consideratur effectus huius sacramenti ex speciebus in quibus hoc traditur sacramentum. Unde et Augustinus, ibidem \*, dicit: Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit quae ad unum aliquod rediguntur ex multis: namque <sup>θ</sup> aliud, scilicet panis, ex multis granis in unum constat, aliud, scilicet vinum, ex multis racemis confluit. Et ideo ipse alibi dicit, super Ioan. \*: O sacramentum pietatis, O signum unitatis, O vinculum caritatis.

Et quia Christus et eius passio est causa gratiae, et spiritualis refectio et caritas sine gratia esse non potest, ex omnibus praemissis manifestum est quod hoc sacramentum gratiam confert.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi: nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti nisi ex aliquo <sup>1</sup> voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesiae, sicut parvuli, sicut supra \* dictum est. Unde ex efficacia virtutis ipsius est quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quam spiritualiter vivificetur. Restat igitur ut, cum ipsum sacramentum realiter sumitur, gratia augeatur, et vita spiritualis perficiatur. Aliter tamen quam per sacramentum confirmationis, in quo augetur et perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per hoc autem sacramentum augetur gratia, et perficitur

spiritualis vita, ad hoc quod homo in seipso perfectus existat per coniunctionem ad Deum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod hoc sacramentum confert gratiam spiritualiter, cum virtute caritatis. Unde Damascenus \* comparat hoc sacramentum carboni quem Isaias vidit, Isaias vi \*: Carbo enim lignum simplex non est, sed unitum igni: ita et panis communionis \* non simplex panis est, sed unitus divinitati. Sicut autem Gregorius dicit, in Homilia Pentecostes \*, amor Dei non est otiosus: magna enim operatur, si est. Et ideo per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum: secundum illud II Cor. v \*: Caritas Christi urget nos. Et inde est quod ex virtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima delectatur <sup>λ</sup>, et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinae: secundum illud Cant. v \*: Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi.

AD TERTIUM DICENDUM quod, quia sacramenta operantur secundum similitudinem per quam <sup>μ</sup> significant, ideo per quandam assimilationem dicitur quod in hoc sacramento corpus offertur pro salute corporis, et sanguis pro salute animae: quamvis utrumque ad salutem utriusque operetur, cum sub utroque totus sit Christus, ut supra \* dictum est. Et licet corpus non sit immediatum subiectum gratiae, ex anima tamen redundat effectus gratiae ad corpus: dum in praesenti membra nostra exhibemus arma iustitiae Deo, ut habetur Rom. vi \*: et in futuro corpus nostrum sortietur incorruptionem et gloriam animae.

\* Hom. XLVI, al. XLV.  
7  
\* Vers. 56.

\* In Ioan. Evang., tract. XXVI, n. 17.

\* Ibid., n. 13.

\* Qu. LXXIII, art. 3.

\* In introductione quaestionis.

\* Cf. num. ix.

\* Ioan. cap. vi, vers. 59.

\* Cf. num. ii, viii.

\* Cf. num. vi.

\* Cf. num. iii.

\* Cf. num. vii.

<sup>7</sup>) se. — Om. PFC.

<sup>θ</sup>) namque. — CE et tertia; nam quod ABD, nam quod quidem F. Pro ex multis racemis, in unum ex multis racemis (acinis P, sed cf. qu. LXXV, art. 2. arg. 3.) PGHC, in unum acinis I; ed. a legit: nam quid aliud, scilicet panis, nisi quod ex multis granis in unum constat? et quid aliud, scilicet vinum, nisi quod ex multis racemis confluit? <sup>1</sup>) nisi ex aliquo. — (vel P) nisi ex aliquo tertia praeter sG.

<sup>z</sup>) communionis. — P; communicationis.

<sup>λ</sup>) delectatur. — spiritualiter delectatur editiones; per hoc... delectatur om. G.

<sup>μ</sup>) secundum similitudinem per quam. — salutem quam H et editiones, (per similitudinem sup. rasuram a scriptore) quam G cuius margo salu tenui correctoris scriptura.

<sup>v</sup>) corpus. — D et tertia; cor.

\* De Fide Orth., lib. IV, cap. XIII.  
\* Vers. 6.

\* Homil. lib. II, hom. xxx.

\* Vers. 14.

\* Vers. 1.

\* Qu. LXXVI, art. 2.

\* Vers. 13.

\* Ioan. cap. ix, vers. 5.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

CIRCA effectus Eucharistiae in nobis, advertendum est quod in littera \* ponuntur numero sex, scilicet: adeptio gloriae, collatio gratiae, remissio peccati mortalis, remissio peccati venialis, remissio poenae pro peccatis debita, et praeservatio a peccando. De quibus duo declaranda sunt, scilicet tempus et modus \*. Cum quibus etiam simul declarabitur subiectum.

De tempore quidem aliquid clarum est, et aliquid ambiguum. Nam de primo effectus, scilicet vita aeterna, constat tempus executionis non oportere esse tempus sumptionis Eucharistiae: sumpta siquidem longe ante Eucharistia, contingit effectum aeternae vitae subsequi, iuxta verbum Domini \*, Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. — De aliis vero effectibus, in dubium vertitur an unum et idem sit tempus quo sumitur hoc sacramentum, et quo in executionem ponuntur illi effectus. Et propterea singillatim declarandi sunt \*.

II. Secundus igitur effectus, qui est gratia gratum faciens, tres ramos habet, prout tripliciter \* contingit consequi gratiam, scilicet: vel de novo acquirere ipsam vitam gratiae; vel, praesupposita gratia, acquirere de novo augmentum gratiae \*; vel acquirere de novo actualem delectationem ac refectionem spiritualem secundum vitam gratiae \*. Haec enim tria comprehenduntur sub uno effectu Eucharistiae,

cum dicitur quod confert gratiam. Potest siquidem intelligi quod confert gratiam habitualement vel primam; vel augmentando primam; aut gratiam actualem spiritualis refectionis ac delectationis in actu caritatis.

Et quia primam gratiam sumptio huius sacramenti non per se confert, sed per accidens, hoc est, propter contingentem sumentis dispositionem, quoniam per se praerequitur sumentem vivum, prima autem gratia mortuo datur: ideo tempus primae gratiae per accidens consideratur. Et videtur coincidere cum tempore sumptionis. Nam, si existens in peccato mortali sibi incognito, quando sumit hoc sacramentum non resuscitatur ad vitam, non apparet quare deinceps ex virtute huius sacramenti resuscitabitur.

Intelligo autem in tota hac materia per tempus sumptionis Eucharistiae, non illam solam morulam qua deglutitur: sed cum consequente temporis spatio quo Christi corpus sacramentaliter in sumente perseverat. Est enim tunc praesens corporaliter in nobis, ac per hoc, pascens et illuminans spiritualiter animam: ut sic etiam illud impleatur, *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi* \*. Attestatur autem huic sententiae necessaria mentis occupatio communicantium, et praecipue sacerdotum, circa reverentiam exterioriorem huius sacramenti, ne scilicet aut sanguis effundatur, aut partes hostiae dentibus aut palato haereant,

et huiusmodi: quo fit ut magis effectus sacramenti, puta contritio cum prima datur gratia, in tempore consequente sumptionem quam in ipsa sumptione appareat; et simile videtur de aliis effectibus actualibus.

Puto tamen posse contingere ut sumens sit ita dispositus quod nec consequatur vitam gratiae, nec de novo mortaliter peccet sumendo, sed ita excusetur a peccato in sumendo ut propinquior fiat vitae gratiae; ex qua appropinquatione, secundum aliquos actus attritionis et desiderii divinae gratiae, paulatim perducatur, divina duce misericordia, ad occasiones verae contritionis; ut tandem, alia forte vice sumendo, gratiam verae contritionis percipiat. Moveor autem ad hoc quia nullam apud me habeo rationem cogentem ad alterum horum, scilicet: existens in peccato mortali, facta diligenti quamvis non sufficienti sui probatione, communicando aut iustificatur; aut peccat mortaliter. Videtur enim, ut dictum est, posse dari medium, propter latitudinem quae datur in illa diligente non tamen sufficiente probatione sui: non enim consistit in indivisibili. Divinae quoque liberalitatis largitas, ex cuius abundantia hic effectus per accidens huic sacramento tribuitur, ad quantam ordinaverit indispositionem peccatoris se suppleturam, dicat qui novit.

\* Cf. num. II, princip.

\* Qu<sup>a</sup> 3.

III. De tempore vero *augmenti habitualis gratiae* \* magis ambiguum est, secundum Auctoris doctrinam, ut patebit in processu. Auctor enim in IV *Sent.*, dist. XII, qu. II, art. 1 \*, tenet augmentum gratiae impediri ex impedimento actualis conversionis animae ad Deum: ac per hoc, sentit quod idem est tempus sumptionis sacramenti, et tempus augmenti gratiae; quia illud idem constat esse tempus transformationis actualis animae in Deum.

\* In corpore.

In hac autem quaestione, articulo ultimo \*, verba litterae sonant oppositum, dum dicit quod mentis distractio per peccata venialia in actu tollit quidem actualem refectionem spiritualis dulcedinis, non autem augmentum gratiae habitualis. Et rursus in responsione ad primum inquit: *Ille qui cum actu venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter. Et ideo habitualem effectum huius sacramenti percipit, non autem actualem.*

\* Cf. num. IV, v.

Quae Auctoris verba possunt tripliciter intelligi \*. Primo, ut sonant secundum superficiem: ut per hoc sacramentum augeatur intensive habitualis gratia tunc cum sumitur, etiam si nullus interior caritatis actus, ob mentis distractionem, interveniat; et hoc ex virtute ipsius sacramenti causantis huiusmodi augmentum in anima nullum huic habituali augmento impedimentum praestante. Et hic sensus favorabilis est, et demulcens aures multitudinis innumerabilium sacerdotum, quasi quotidie aut frequentissime celebrantium, qui tamen seipsis meliores non quotidie fiunt.

Mihi autem, hinc ordiendo, sensus iste verus non apparet. Si enim qualibet sumptione Eucharistiae augetur gratia infinitorum pene sacerdotum, quos credimus vere in gratia celebrare, caritas iam esset maior intensive quam credi rationabile sit: cum tanta magnitudo caritatis in tanta multitudine otiosa appareat, quoniam nec extra apparent, nec intus de seipsis testantur actus similes ferventissimae caritati; et tamen certum est quod, sicut *amor Dei non est otiosus, sed operatur magna si est \**, ita tam magna augmentatio amoris Dei non est otiosa, sed operatur multo maiora quam prius proportionaliter si est. Et consequenter, si longe maiora operari renuit, longe maior caritas non est. Et tamen longe maior ponitur esse, si in singulis celebrationibus quantumcumque parum crevisset, caritas sacerdotis qui tot annis diebus fere singulis in gratia celebravit.

\* S. Greg. Homil. in Evang. lib. II, homil. XXX. - Cf. resp. ad 2.

\* Ioan. cap. VI, vers. 56.

Praeter autem hanc ex experientia coniecturam, in promptu ratio cum auctoritate suffragatur. Sacramentum enim hoc, quia datur per modum cibi et potus, dicente Domino \*, *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, non auget, sicut nec nutrit, nisi per modum nutrimenti. Sed sine actu vitali nutriti tam cibus quam potus nec nutrit nec auget: ut patet in alimento corporali. Ergo sine operatione vitali spiritualis animae quae nutritur, cibus iste nec nutrit nec auget. - Auctoritas quo-

que, ex eodem fundamento, ex IV *Sententiarum* iam \* allata est. \* Supra, in princ. hui. num.

Nec obstat efficaciae huius rationis quod phreneticis in mortis articulo datur hoc sacramentum. Tum quia sacramenti effectus ex his quae per se concurrunt, considerandus ac iudicandus est: et non ex his quae in casu accidunt. - Tum quia phreneticis constat dari viaticum non ad primum et proprium Eucharistiae effectum, qui est actualis reffectio spiritus: et consequenter nec ad nutriendum, nec ad augendum in hac vita gratiam. - Tum quia phreneticis datur viaticum propter vitam aeternam, et propter impugnationes daemonum, iuxta illud Ambrosii \*: *Recedant procul a potentia praesentiae tuae* \*.

\* Precat. I, n. 8; inter Opp. Ambros. - Vide Misal. Rom. Orat. ante miss. in Sabbato. \* Cf. num. IX, fin.

IV. Aliter ergo intelliguntur verba litterae de perceptione habituali, ut sit sensus quod talis distractus non actualiter, sed habitualiter percipit effectum habitualem, seu augmentum gratiae spiritualis: sicut habitualiter manducationem spiritualem habet. Ita quod manducans habitualiter tantum, id est, habens habitum quo potest spiritualem manducationem actualiter habere, hoc est, habendo caritatem, sumens hoc sacramentum absque actuali interiori devotione, habet etiam habitum percipiendi augmentum. Et sicut non impeditur per peccata venialia, cum huiusmodi distractione, quin per hanc sumptionem mereatur augmentum caritatis, exequendum tamen tempore quo ad hoc erit dispositus; ita non impeditur quin ex hac sumptione percepturus sit augmentum caritatis, quando tamen ad hoc erit dispositus. Et secundum hunc sensum, tempus augmenti caritatis est quando sumens est dispositus ad augmentum, sive hoc sit tempore sumptionis sive post. Minorem tamen dispositionem require ad augmentum caritatis ex hoc sacramento quam ad augmentum sine sacramento: ut habeatur ratio virtutis sacramentalis, et praesertim huius sacramenti, in quo est ipse Christus.

Fovet autem hunc sensum quod Auctor intendit ponere differentiam inter refectionem spiritualem, consistentem in operatione, et augmentum habitus, quoad impediri a peccato veniali. Et sic salvatur differentia: quod reffectio spiritualis ita tollitur per distractionem quod nunquam ex hac sumptione habebitur; augmentum vero habitus habendum relinquatur post, sicut et vita aeterna.

V. Tertius autem sensus consistit in declaratione terminorum: dicendo quod, duobus existentibus per se propriis huius sacramenti effectibus, scilicet operatione et habitu, Auctor utriusque latitudinis id quod praecipuum est, nominavit. Et in latitudine quidem operationum, nominavit spiritualem refectionem cum sua delectatione: in latitudine vero habitualium donorum, nominavit augmentum gratiae seu caritatis. Ut sic loqueretur de hoc sacramento secundum suam perfectionem, docendo ea quae ipsius sunt quatenus aut alterum, aut utrumque eorum confert. Et sic per actualem manducationem Auctor non intelligit quamcumque actualem devotionem: sed illam solam quae reffectio est, quae spiritualis delectatio animae est.

Et secundum hunc sensum plana sunt omnia: et consonant dictis in IV *Sententiarum* \*. Habent siquidem se hi duo effectus inter se non ut necessariam connexionem habentes, sed alter sine altero ex sacramento hoc haberi potest. Reffectio siquidem spiritualis delectationis absque augmento habitualis gratiae in Christo fuit, quando sumpsit hoc sacramentum \*. Augmentum vero habitualis gratiae ex hoc sacramento in valde multis credimus contingere, qui digne ad hoc sacramentum et devote accedunt, et tamen expertes sunt spiritualis dulcedinis, ita ut ipsorum vox ad caelestem Patrem sit: *Ecce, tot annis servio tibi, et nunquam dedisti mihi haedum, ut cum amicis meis epularer* \*.

\* Vid. num. III, princip.

\* Qu. LXXI, art. 1, ad 3.

\* Luc. cap. XV, vers. 29.

Non igitur docet haec littera quod sumens absque omni actuali devotione consequitur augmentum gratiae: sed quod sumens absque actuali refectione delectationis spiritualis, et hoc ex culpa sua veniali (quoniam non est ex defectu sacramenti), sic inquam sumens, sic mente distractus, si quoad alios actus devote accedit, habituale augmentum gratiae ex hoc non impeditur. Quod tamen posset aliunde impediri: puta ex tam parva devotione ut non sufficiat disponere ad augmentum gratiae.

Et haec expositio amplectenda videtur. Quoniam quoad rem, omnia consonant. Quoad expositionem vero nominum, nulla fit extorsio; sed applicatio communioris termini ad principale suppositum. — Et secundum hoc, tempus augmenti coincidit cum tempore sumptionis.

VI. Posset et quarto modo forte exponi locus iste de augmento habituali *extensivo*: ita quod sacramentum hoc sit extensivum gratiae ad actus confortativos spiritus; et hoc ipsum sit gratia sacramentalis, quam in anima per modum habitus sacramentum hoc efficiat etiam in mente distractis ex peccato veniali.

\* Cf. num. II, princip.

VII. De tempore autem *actualis gratiae* \* quae homini confertur in hoc sacramento, nulla ambiguitas est quin sit tempus sumptionis sacramenti. Tunc enim praesens Christus excitat mentem dispositam ad sui ferventem amorem, atque ad sentiendam dulcedinem suae praesentiae. Sed *perfectorum est solidus hic cibus, eorum qui pro consuetudine, etc.* \*

\* Ad Heb., cap. v, vers. 14.

\* Cf. num. I.

\* Num. II, Et quia primam.

VIII. Tempus autem *remissionis peccati mortalis* \* coincidit cum tempore sumptionis, ut patere potest ex supra dictis: quoniam coincidit cum tempore infusionis primae gratiae.

\* Cf. num. praec.

Tempus quoque *remissionis venialium* idem est quod tempus sumptionis: quoniam coincidit cum tempore actualis fervoris caritatis \*.

Et similiter *tempus remissionis poenae*: si tamen ex actuali devotione aliqua remittitur. Poena enim, quia remittitur ex hoc sacramento non ut sacramentum, sed ut sacrificium est, tempore ipsius sacrificii remittitur: quoniam tunc Deo satisficit.

*Praeservatio* demum a peccando effectus est sacramenti a tempore sumptionis inchoans: et iuxta sumentium cooperationem, plus vel minus durat. Sicut etiam praeservatio quae fit per nutrimentum corporale unum et idem, in diversae dispositionis hominibus diversimode invenitur, uno magis sumente inde vires quam alio, etc. — Haec de tempore.

\* Cf. num. I.

IX. Superest ut de modo eorundem effectuum dicatur \*. Modus quo effectus isti in anima ab hoc sacramento fiunt, est quod omnes reliqui mediante primo fiunt. Primus autem effectus est actualis exercitatio caritatis: et mediante hoc, reliqui effectus proveniunt. Quod tripliciter apparet. Primo, ex communibus. Quia suavis dispositio \* rationalis creaturae habet ut rationaliter iustificetur et perficiatur. Rationaliter autem perfici est, non per modum dormientis, sed per modum vigilantis, hoc est, ratione actualiter utentis, mutari et perfici: ut

\* Cf. Sap. cap. VIII, vers. 1.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cxiii, art. 3. — Cf. qu. cxii, art. 2.

\* Luc. cap. VII, vers. 47.

\* Ibid., vers. 50.

\* Luc. cap. xxiii, vers. 42.

\* Act. cap. IX, vers. 6.

patet ex doctrina in secundo Libro \* habita de iustificatione impii; et iustificatione Magdalene, Latronis et Pauli. Semper enim dona sua Salvator, intervenientibus operationibus consequentium illa, largitus est. Et de Magdalena quidem operatio fidei et caritatis apparet, dicente Domino \*: *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum*, et iterum \*: *Fides tua te salvam fecit*. Latronis fidei speique actum videmus: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* \*. Paulum fidei, obedientiae devotionisque verba proferentem audivimus: *Domine, quid me vis facere?* \* Ex quibus omnibus patet quod non solum dum regulariter, sed etiam dum miraculose convertuntur homines ad Deum, actualis operatio interioris hominis intervenit.

Secundo, apparet idem ex propriis huius sacramenti. Quia sacramentum hoc vivificat animam ut cibus: cibus autem, ut sic, non vivificat nisi viventem operatione aliqua vitali cibo utentem. Si enim circa cibum corporalem nullam haberet animal operationem vitalem intus, inutilis esset cibus tali animali. Immo non esset cibus nisi remote, seu in potentia: quoniam cibus materia et obiectum operationum potentiae vegetativae est.

Tertio, apparet hoc idem discurrendo singillatim per ipsos effectus. Eucharistia siquidem sacramentaliter sumpta ab homine, Christum corporali praesentia intus in homine ponens, ex parte quidem sui, pro primo contactu animae habet excitationem caritatis, ac actualem unionem seu transformationem animae amantis in Christum amatum. Ex parte

vero animae, primus contactus est ipsa manducatio actualis, quae est actus caritatis \*: et magnam latitudinem habet, iuxta latitudinem actuum caritatis et graduum illorum, et extendit se usque ad actum liberi arbitrii, qui tandem caritate perficitur, ita ut vera contritio sit. Mediante ergo actuali manducatione spirituali, effectus reliqui fiunt ab hoc sacramento. — Et de vita quidem aeterna verba Domini testantur, dicentis \*: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*. — De prima vero gratia et remissione peccati mortalis, quae tamen per accidens fit ab hoc sacramento, ex eo patet quod, nisi inchoative saltem manducaret carens gratia, illam non consequeretur: cibus enim non nisi manducatus vivificat. Unde et Auctor, in littera tertii articuli \*, de hoc loquens, inquit: *Devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet*: ubi tres operationes intervenire ponit, devotionem, reverentiam et contritionem, quae scilicet nova caritate informatur et fit contritio. — De augmento vero habitualis gratiae, et ex nunc dictis tam communibus quam propriis, et ex superius \* discussis satis patere arbitror: non est enim intelligibile cibum augere absque actuali devotione, quam absque actuali manducatione etiam fingere non licet. — Refectio autem spiritualis manducatio quaedam est. — Remissio vero peccati venialis, et poenae, si fit, cum consequatur fervorem caritatis, manifeste manducationem sequitur: nam fervor ipse manducatio est. — Praeservatio demum ab offensis Dei, quia directe ad confirmationem cordis, idest voluntatis, spectat ex parte animae; panis autem non nisi manducatus *confirmat cor hominis* \*: ideo mediante manducatione spirituali fit. Dixi autem *directe, et ex parte animae*: quoniam non est remotum quin ex parte Christi praesentis sub sacramento, praeservatio nonnulla fiat per modum custodiae; propter quam diximus \* dari phreneticis in articulo mortis Eucharistiam.

\* Cf. IV Sent., dist. IX, art. 2, qu<sup>a</sup> 4.

\* Ioan. cap. vi, vers. 59.

\* In corpore.

\* Num. III sqq.

\* Ps. ciii, vers. 15.

\* Num. III, Nec obstat.

X. Nec ex his dictis accipias nos sentire nunquam conferri gratiam nisi actualiter ratione utentibus. Non enim hoc diximus: sed secundum communia suavis dispositionis creaturae rationalis sic fieri diximus. Cum quo tamen stat quod, secundum suavem dispositionem alicuius sacramenti, aliter conferatur gratia iustificans: ut patet in baptismo, qui, quoniam spiritualis est regeneratio, ex propriis habet ut absque cooperatione eius qui baptizatur, gratiam conferat in remissionem peccatorum. Generatio enim est *mutatio de non esse ad esse* \*: nec praesupponitur, sed fit vivus qui generatur. Cibus autem vitam praesupponit, et non nisi manducanti prodest.

\* Aristot. Physic., lib. V, cap. I, n. 7. — S. Th. lect. II.

XI. Dicta sunt autem haec ad fugandam illorum fiduciam qui putant se consequi semper novum gratiae habitualis augmentum, cum quantalacumque devotione celebrent, etiam distracte: ut vel sic ab huiusmodi negligentiae somno excitentur, pulsati saltem ex eo quod manducatio sacramentalis, quae actualiter fit, significat manducationem spiritualem, quae interior exerceri debet. Et ubi non nisi in sui principio, hoc est in habitu, salvatur, licet ad vitandum fictionis peccatum mortale sufficiat, ad nutriendum tamen animam nihil prodest. Immo hinc et anima malum venialis peccati, et corpus damnum infirmitatis, imbecillitatis, aut etiam mortis, quandoque incurrit, dicente Apostolo \*: *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi*. Hanc ego poenam corporalem puto saepe a Deo infligi ob parvam praeparationem quae fit ad hoc sacramentum.

\* I ad Cor., cap. XI, vers. 30.

IN responsione ad primum primi articuli eiusdem quaestionis, advertit quod sacramentum hoc potest considerari dupliciter. Primo, secundum se, hoc est, secundum rem in ipso contentam et significatam. Et sic verificatur de ipso quod ex se virtutem habet collativam gratiae: ad differentiam reliquorum sacramentorum, quae ex alio, hoc est ex hoc sacramento, acquirunt virtutem gratiae collativam. Nam res significata et contenta in hoc sacramento est ipse Christus, cuius instrumenta sunt reliqua sacramenta cum virtutibus suis. Propter quod se habet ad reliqua sacramenta ut fons gratiae ad rivos gratiarum. Et

hinc verificatur et quod quilibet quodcumque sacramentum suscipiens actu, suscipit hoc sacramentum voto: et quod votum cuiusque sacramenti est votum istius sacramenti. Nam appetens seu sitiens ad fontis rivulum, seu bibens ex rivulo, ad fontem ipsum magis sitit, tanquam ad principium. Et propterea in littera dicitur quod sine huius sacramenti voto prima non habetur gratia. Et simile est hoc ei quod Dominus dicit \*: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: loquitur enim Dominus de man-

\* Ioan. cap. vi, vers. 54.

ducatione spirituali in voto seu in habitu, in quo continetur manducatio spiritualis actualis in voto.

Si vero consideretur usus sacramenti huius, quo nobis sacramentaliter iungitur, sic prima gratia non est effectus huius sacramenti, nisi per accidens ex parte subiecti, ut praedictum est \*: quia datur per modum nutrimenti, quod, quia non est nisi viventis, non facit primam gratiam, quae primo habetur vita spiritus, sed praesupponit illam. Unde in articulo tertio, ad tertium, Auctor, loquens de prima gratia, dicit: *Sic autem non datur in hoc sacramento.*

\* Supra, num. II, Et quia.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI SIT ADEPTIO GLORIAE

In Ioan., cap. vi, lect. vii.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod effectus huius sacramenti non sit adeptio gloriae. Effectus enim proportionatur suae causae. Sed hoc sacramentum competit viatoribus: unde et *viaticum* dicitur. Cum igitur viatores nondum sint capaces gloriae, videtur quod hoc sacramentum non causet ademptionem gloriae.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. 1.

2. PRAETEREA, posita causa sufficienti, ponitur effectus. Sed multi accipiunt hoc sacramentum qui nunquam perveniunt ad gloriam: ut patet per Augustinum, XXI *de Civ. Dei* \*. Non ergo hoc sacramentum est causa adeptionis gloriae.

\* Cap. xxv.

3. PRAETEREA, maius non efficitur a minori: quia nihil agit ultra suam speciem. Sed minus est percipere Christum sub specie aliena, quod fit in hoc sacramento, quam frui eo in specie propria, quod pertinet ad gloriam. Ergo hoc sacramentum non causat adeptionem gloriae.

\* Vers. 52.

SED CONTRA EST quod dicitur Ioan. vi \*: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*. Sed vita aeterna est vita gloriae. Ergo effectus huius sacramenti est adeptio gloriae.

\* Vers. 15.

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento potest considerari et id ex quo habet effectum, scilicet ipse Christus contentus, et passio eius repraesentata; et id per quod habet effectum, scilicet usus sacramenti et species eius. Et quantum ad utrumque competit huic sacramento quod causet adeptionem vitae aeternae. Nam ipse Christus per suam passionem aperuit nobis aditum vitae aeternae: secundum illud *Heb. ix* \*: *Novi Testamenti mediator est, ut, morte intercedente, qui vocati sunt accipiant repromissionem aeternae hereditatis*. Unde et in forma huius sacramenti dicitur: *Hic est calix sanguinis mei novi et aeterni Testamenti*.

Similiter etiam refectio spiritualis cibi, et unitas significata per species panis et vini, habentur

quidem in praesenti, sed imperfecte: perfecte autem in statu gloriae. Unde Augustinus dicit \*, *super illud Ioan. vi* \*, *Caro mea vere est cibus: Cum cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non praestat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit in societate sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta.*

\* In Ioan. Evang. tract. XXVI, n. 17, vers. 56.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut passio Christi, ex cuius virtute hoc sacramentum operatur, est quidem causa sufficiens gloriae, non tamen ita quod statim per ipsam introducatur in gloriam, sed oportet ut prius *simul compartiamur*, ut postea *simul glorificemur*, sicut dicitur *Rom. viii* \*: ita hoc sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam. Et ideo *viaticum* dicitur. In cuius figuram, legitur *III Reg. xix* \*, quod *Elias comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.*

\* Vers. 17.

\* Vers. 8.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut passio Christi non habet suum effectum in his qui se ad eam non habent ut debent, ita et per hoc sacramentum non adipiscuntur gloriam qui indenter ipsum suscipiunt. Unde Augustinus dicit, *super Ioan.* \*, exponens illa verba \*\*: *Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Multi de altari accipiunt, et accipiendo moriuntur. Panem ergo caelestem spiritualiter manducate: innocentiam ad altare apportate*. Unde non est mirum si illi qui innocentiam non servant, effectum huius sacramenti non consequuntur.

\* Loc. cit. in corp., n. 11. \*\* Ioan. cap. vi, vers. 49, Patres vestri etc.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc quod Christus sub aliena specie sumitur, pertinet ad rationem sacramenti, quod instrumentaliter agit. Nihil autem prohibet causam instrumentalem producere potioem effectum, ut ex supra \* dictis patet.

\* Qu. LXXVII, art. 3, ad 3.



## ARTICULUS TERTIUS

## UTRUM EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI SIT REMISSIO PECCATI MORTALIS

IV Sent., dist. IX, art. 3, qu<sup>a</sup> 2; dist. XII, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 2.

\* Vid. Comment. Calet. post art. 1, num. VIII.

\* Postcommun. pro Vivis et Defunct.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR\*. Videtur quod effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis. Dicitur enim in quadam collecta\*: *Sit hoc sacramentum ablutio scelerum*. Sed scelera dicuntur peccata mortalia. Ergo per hoc sacramentum peccata mortalia abluuntur.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum agit in virtute passionis Christi, sicut et baptismus. Sed per baptismum dimittuntur peccata mortalia, ut supra\* dictum est. Ergo et per hoc sacramentum: praesertim cum in forma huius sacramenti dicatur: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

3. PRAETEREA, per hoc sacramentum gratia confertur, ut dictum est\*. Sed per gratiam iustificatur homo a peccatis mortalibus: secundum illud Rom. III\*: *Iustificati gratis per gratiam ipsius*. Ergo per hoc sacramentum remittuntur peccata mortalia.

SED CONTRA EST quod dicitur I Cor. XI\*: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit*. Dicit autem Glossa\* ibidem quod *ille manducat et bibit indigne qui in crimine est, vel irreverenter tractat: et talis manducat et bibit sibi iudicium, idest damnationem*. Ergo ille qui est in peccato mortali, per hoc quod accipit hoc sacramentum, magis accumulatur sibi peccatum, quam remissionem sui peccati consequatur.

RESPONDEO DICENDUM quod virtus huius sacramenti potest considerari dupliciter. Uno modo, secundum se. Et sic hoc sacramentum habet virtutem ad remittendum quaecumque peccata, ex passione Christi, quae est fons et causa remissionis peccatorum.

Alio modo potest considerari per comparationem ad eum qui recipit hoc sacramentum, prout in eo invenitur vel non invenitur impedimentum percipiendi hoc sacramentum<sup>α</sup>. Quicumque autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum huius sacramenti, eo quod non est conveniens susce-

ptor huius sacramenti: tum quia non vivit spiritualiter, et ita non debet spirituale nutrimentum suscipere, quod non est nisi viventis; tum quia non potest uniri Christo, quod fit per hoc sacramentum, dum est in affectu peccandi mortaliter. Et ideo, ut dicitur in libro *de Ecclesiasticis Dogmat.*\*, *si mens in affectu<sup>β</sup> peccandi est, gravatur magis Eucharistiae perceptione quam purificetur*. Unde hoc sacramentum in eo qui ipsum percipit cum conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati.

Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo, non perceptum actu, sed voto: sicut cum quis primo<sup>γ</sup> iustificatur a peccato. – Alio modo, etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus: sed, devote et reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod petimus quod illud sacramentum nobis sit *ablutio scelerum*: vel eorum quorum conscientiam non habemus, secundum illud Psalmi\*, *Ab occultis meis munda me, Domine*; vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem; vel etiam ut robor nobis detur contra<sup>δ</sup> scelera vitanda.

AD SECUNDUM DICENDUM quod baptismus est spiritualis generatio, quae est mutatio de non esse spirituali in esse spirituale; et datur per modum ablutionis. Et ideo, quantum ad utrumque, non inconvenienter accedit ad baptismum qui habet conscientiam peccati mortalis. Sed per hoc sacramentum homo sumit in se Christum per modum spiritualis nutrimenti: quod non competit mortuo in peccatis. Et ideo non est similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod gratia est sufficiens causa remissionis peccati mortalis, non tamen actu remittit peccatum mortale nisi cum primo datur peccatori. Sic autem non datur in hoc sacramento\*. Unde ratio non sequitur.

α) hoc sacramentum. – effectum I, huius sacramenti effectum G et editiones; hoc... percipiendi om. H.  
β) affectu. – actu P.

γ) primo. – prius editiones.  
δ) contra. – ad editiones.

\* Cap. XXIII, al. LIII. – Inter Opp. Aug. β

\* Ps. XVIII, vers. 13.

\* Cf. Comment. Calet. post art. 1, fin.

## Commentaria Cardinalis Caietani

**I**N articulo tertio, in responsione ad primum, nota, Novitiae, trium expositionum ibi allatarum secundam differre a prima in hoc, quod perfectio contritionis refertur ad scelera cognita, in prima autem ad occulta: quoad utraque enim petitur ablutio per contritionem perfectam.

II. In responsione ad secundum eiusdem articuli, dubium occurrit de veritate differentiae positae inter suscipientem baptismum et suscipientem Eucharistiam, quoad hoc quod est esse vel non esse in peccato mortali. Et

est ratio dubii quia utrobique suscipiens cum conscientia et affectu peccati mortalis, indigne suscipit, nec gratiam tunc consequitur. Immo de novo peccat peccato sacrilegii, membrum Christi ipso se sacramento fingens.

Ad hoc dicitur quod differentia salvatur et ex parte sacramenti, et ex parte suscipientis. Ex sacramento quidem, quia sacramentum Eucharistiae ex proprio usu habet rationem nutrimenti: ac per hoc, convenientis vivis et non mortuis. Baptismus autem ex propria ratione habet

rationem regenerationis et ablutionis: generatio autem non praesupponit, sed facit ens et vivum; et similiter ablutio non praesupponit mundum, sed mundat. Et propterea, ex propriis considerata, haec sacramenta suscipientes dispares habent: Eucharistia quidem vivum; baptismus non-vivum et immundum. Et haec differentia in littera ponitur.

\* Qu. LXXIX, art. 9, 10. - Cf. Comment.  
\* Pseudo-Ambr. in Ep. ad Rom., cap. xi, vers. 29.

Ex parte autem suscipientis differentia est quod suscipienti baptismum sufficit non ponere obicem, ad hoc ut divinam consequatur gratiam, ut ex supra \* habitis patet: quia baptismus *omnia condonat* \*. Suscipienti autem Eu-

charistiam non sufficit non ponere obicem, sed oportet *probare seipsum, et sic de pane illo edere* \*.

\* I ad Cor., cap. xi, vers. 28.

Nec Auctor in littera dicit convenienter accedere ad baptismum habentem *conscientiam et affectum* peccati mortalis. Magna est enim inter utrumque differentia. Nam habens affectum peccati mortalis, ponit obicem, et fictus accederet ad baptismum: habens autem eiusdem conscientiam et non affectum, obicem non ponit baptismum, licet mortuus et immundus, vivificandus et abluendus per baptismum, accedat. Quod per Eucharistiae sumptionem non est expectandum.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM REMITTANTUR PECCATA VENIALIA

Infra, qu. LXXXVII, art. 3; IV Sent., dist. XII, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; art. 2, qu<sup>a</sup> 1.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. VIII.

\* Tract. XXVI, n. 13.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXXVIII, art. 1, 2; II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. XXIV, art. 8, ad 2; art. 10.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod per hoc sacramentum non remittantur peccata venialia. Hoc enim sacramentum, ut Augustinus dicit, *super Ioan.* \*, est *sacramentum caritatis*. Sed venialia peccata non contrariantur caritati, ut in Secunda Parte \* habitum est. Cum ergo contrarium tollatur per suum contrarium, videtur quod peccata venialia per hoc sacramentum non remittantur.

2. PRAETEREA, si peccata venialia per hoc sacramentum remittantur, qua ratione unum remittitur, et omnia remittentur <sup>α</sup>. Sed non videtur quod omnia remittantur: quia sic frequenter aliquis esset absque omni peccato veniali, quod est contra id quod dicitur I Ioan. I \*: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*. Non ergo per hoc sacramentum remittitur aliquod peccatum veniale.

\* Vers. 8.

\* Cf. Arist. Physic. lib. VIII, cap. VIII, n. 1, s. Th. lect. XVI; de Cael. lib. II, cap. III, n. 3, s. Th. lect. IV.  
\* In Ioan. Evang. tract. XXVI, n. 11 (super vers. 49). - Cf. can. *Panem de altari, de Consecr.*, dist. II.  
\* Vers. 50, 52.

3. PRAETEREA, contraria mutuo se expellunt \*. Sed peccata venialia non prohibent a perceptione huius sacramenti: dicit enim Augustinus \*, *super illud Ioan. VI \**, *Si quis ex ipso manducaverit, non morietur in aeternum* <sup>β</sup>: *Innocentiam*, inquit, *ad altare apportate: peccata, etsi sint quotidiana, non sint mortifera*. Ergo neque peccata venialia per hoc sacramentum tolluntur.

\* De S. Alt. Myster. lib. IV, cap. XLIV.

SED CONTRA EST quod Innocentius III dicit \*, quod hoc sacramentum *veniale delet et cavet mortalita*.

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento duo possunt considerari: scilicet ipsum sacramentum, et res sacramenti. Et ex utroque apparet quod hoc sacramentum habet virtutem ad remissionem venialium peccatorum. Nam hoc

sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi necessarium est corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur ex calore naturali <sup>γ</sup>. Spiritualiter autem quotidie in nobis aliquid deperditur ex calore concupiscentiae per peccata venialia, quae diminuunt fervorem caritatis, ut in Secunda Parte \* habitum est. Et ideo competit huic sacramento ut remittat peccata venialia. Unde et Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* \*, quod iste panis quotidianus sumitur *in remedium quotidianae infirmitatis*.

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. XXIV, art. 10; qu. LIV, art. 3.

\* Mag. IV Sent., dist. XII, cap. *Institutum est*. - Cf. Ambr. *de Sacram.* lib. V, cap. IV.

Res autem huius sacramenti est caritas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui <sup>δ</sup> excitatur in hoc sacramento: per quod peccata venialia solvuntur. Unde manifestum est quod virtute huius sacramenti remittuntur peccata venialia.

δ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod peccata venialia, etsi non contrariantur caritati quantum ad habitum, contrariantur tamen ei quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc sacramentum. Ratione cuius peccata venialia tolluntur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illud verbum non est intelligendum quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis: sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus.

AD TERTIUM DICENDUM quod maior est virtus caritatis, cuius est hoc sacramentum, quam venialium peccatorum: nam caritas tollit per suum actum peccata venialia, quae tamen non possunt totaliter impedire actum caritatis. Et eadem ratio est de hoc sacramento.

α) et omnia remittentur. - remittuntur et omnia tertia.  
β) Si quis... aeternum. - Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt P; cf. art. 8. α et qu. LXXX. art. 3. ε. - Innocentiam FsD a et tertia praeter G qui om.; Innocentia ceteri.

γ) ex calore naturali. - GHbc; per actionem (ex actione PI) caloris naturalis PFI, ex caloris naturalis concupiscentiae ceteri; cf. mox ex calore concupiscentiae.  
δ) qui. - Fa et tertia; quod. - Statim ad quod, Al. quem margo P.

## ARTICULUS QUINTUS

## UTRUM PER HOC SACRAMENTUM TOTA POENA PECCATI REMITTATUR

IV Sent., dist. iv, qu. ii, art. 1, qu<sup>a</sup>. 2, ad 3; dist. xii, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup>. 3.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. viii.

\* Art. 1, 2.

\* Qu. LXXIX, art. 2.

\* Primus. - Epist. ad Omn. Orthodox. - Cf. can. Nihil in sacrificiis, de Consecr., dist. II.

\* Cf. qu. LXXVIII, art. 5.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur. Homo enim per hoc sacramentum suscipit in se effectum passionis Christi, ut dictum est \*, sicut et per baptismum. Sed per baptismum percipit homo remissionem omnis poenae virtute passionis Christi, quae sufficienter satisfacit pro omnibus peccatis, ut ex supra \* dictis patet. Ergo videtur quod per hoc sacramentum homini remittatur totus reatus poenae.

2. PRAETEREA, Alexander Papa \* dicit: *Nihil in sacrificiis maius esse potest quam corpus et sanguis Christi*. Sed per sacrificia veteris legis homo satisfacerebat pro peccatis suis: dicitur enim *Levit. IV et V: Si peccaverit homo, offeret* (hoc vel illud) *pro peccato suo, et remittetur ei*. Ergo multo magis hoc sacramentum valet ad remissionem omnis poenae.

3. PRAETEREA, constat quod per hoc sacramentum aliquid de reatu poenae dimittitur: unde et in satisfactione quibusdam iniungitur quod pro se faciant missas celebrare. Sed qua ratione una pars poenae dimittitur, eadem ratione et alia: cum virtus Christi, quae in hoc sacramento continetur, sit infinita. Ergo videtur quod per hoc sacramentum tota poena tollatur.

SED CONTRA EST quod, secundum hoc, non esset homini alia poena iniungenda: sicut nec baptizato iniungitur \*.

RESPONDEO DICENDUM quod hoc sacramentum simul est et sacrificium et sacramentum: sed rationem sacrificii habet in quantum offertur; rationem autem sacramenti in quantum sumitur. Et ideo effectum sacramenti habet in eo qui sumit: effectum autem sacrificii in eo qui offert, vel in his pro quibus offertur.

Si igitur consideretur ut sacramentum, habet dupliciter effectum: uno modo, directe ex vi sacramenti; alio modo, quasi ex quadam conco-

mitantia; sicut et circa continentiam <sup>α</sup> sacramenti dictum est \*. Ex vi quidem sacramenti, directe habet illum effectum ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum: sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum et ad membra eius, sicut et nutrimentum unitur nutrito. Sed quia haec unitas fit per caritatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae; inde est quod ex consequenti, per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem poenae; non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis et fervoris.

In quantum vero est sacrificium, habet vim satisfactivam. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis quam quantitas oblationis: unde et Dominus dixit, *Luc. XXI \**, de vidua quae obtulit duo aera, quod *plus omnibus misit*. Quamvis igitur haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suae devotionis, et non pro tota poena.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sacramentum baptismi directe ordinatur ad remissionem culpae et poenae, non autem Eucharistia: quia baptismus datur homini quasi commorienti Christo; Eucharistia autem quasi nutriendo et perficiendo per Christum. Unde non est similis ratio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod alia sacrificia et oblationes non operantur <sup>β</sup> remissionem totius poenae, neque quantum ad quantitatem oblatis, sicut hoc sacrificium; neque quantum ad devotionem hominis, ex qua contingit quod etiam hic non tollitur tota poena.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc quod tollitur pars poenae et non tota <sup>γ</sup> per hoc sacramentum, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu devotionis humanae.

<sup>α</sup>) continentiam. - concomitantiam GHbc.  
<sup>β</sup>) operantur. - operantur PFI.

<sup>γ</sup>) tota. - poena addunt a et editiones.

## Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quinto duo valde notabilia sunt. Primum est quod oblatio Eucharistiae, ex sui quantitate, sufficit ad satisfaciendum pro omni poena. - Secundum est quod haec oblatio fit satisfactoria offerentibus, vel pro quibus offertur, secundum quantitatem suae devotionis.

Ex primo dicto habes quod una missa, ex parte sui, est satisfactoria pro poenis omnium peccatorum tam viventium quam mortuorum: quoniam, ut sic, est valoris infiniti, quoniam Christus offertur.

Ex secundo autem dicto habes quod una missa non perdit vim satisfactionis suae pro primo offerente, ex hoc quod pro secundo, tertio, quarto, quinto, etc., offertur: sicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate

devotionis alterius. Unde arguendi instruendique simul sunt homines ignoranter petentes vel exigentes pro sua elemosyna totam sibi missam dari, aut suo defuncto. Nihil enim minus ipse habebit si mille alii petant eandem missam pro seipsis et aliis defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur. Immo ex huiusmodi indevotione sic petentis damnum videtur incurrere quod minus sibi proderit.

Diffusius autem forte hic scriberemus de hac re, nisi in primo Quolibeto nostro \*, iam edito, diffuse haec veritas declarata fuisset, ex auctoritate huius litterae, cum multis aliis, etc.

Et haec de quaestione septuagesimanona sufficiant.

<sup>α</sup> Qu. LXXVI, art. 1, 2.

\* Marc. cap. XII, vers. 43; Luc. cap. XXI, vers. 4.

\* Opusc. Caiet. de Celebrat. Missar., qu. II.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM PRAESERVETUR HOMO A PECCATIS FUTURIS

IV Sent., dist. XII, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 2, ad 1.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. VIII.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod per hoc sacramentum non praeservetur homo a peccatis futuris. Multi enim digne sumentes hoc sacramentum postea in peccatum cadent <sup>α</sup>. Quod non accideret si hoc sacramentum praeservaret a peccatis futuris. Non ergo effectus huius sacramenti est a peccatis futuris praeservare.

\* Art. 4, arg. 1; qu. LXXIII, art. 3, ad 3; qu. LXXIV, art. 4, ad 3; qu. LXXVIII, art. 3, ad 6.  
\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. XXIV, art. 11.

2. PRAETEREA, Eucharistia est *sacramentum caritatis*, ut supra \* dictum est. Sed caritas non videtur praeservare a peccatis futuris: quia semel habita potest amitti per peccatum, ut in Secunda Parte \* habitum est. Ergo videtur quod nec hoc sacramentum praeservet hominem a peccato.

\* Vers. 23.

3. PRAETEREA, origo peccati in nobis est *lex peccati, quae est in membris nostris*: ut patet per Apostolum, *Rom. VII* \*. Sed mitigatio fomitis, qui est lex peccati, non ponitur effectus huius sacramenti, sed magis baptismi. Ergo praeservare a peccatis futuris non est effectus huius sacramenti.

Vers. 50.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, *Ioan. VI* \*: *Hic est panis de caelo descendens, ut, si quis ex eo manducaverit, non moriatur* <sup>β</sup>. Quod quidem manifestum est non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur quod hoc sacramentum praeservet a morte spirituali, quae est per peccatum <sup>γ</sup>.

β

γ

RESPONDEO DICENDUM quod peccatum est quaedam mors spiritualis animae. Unde hoc modo praeservatur aliquis a peccato futuro, quo praeservatur corpus a morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Uno modo, inquantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva: et sic praeservatur a morte per cibum et medicinam. Alio modo, per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes: et sic praeservatur per arma, quibus munitur corpus.

Utroque autem modo hoc sacramentum praeservat a peccato. Nam primo quidem, per hoc

quod Christo coniungit per gratiam, roborat spirituales vitam hominis, tanquam spiritualis cibus et spiritualis medicina: secundum illud Psalmi \*: *Panis cor hominis confirmat*. Et Augustinus dicit, *super Ioan.* \*: *Securus accede: panis est, non venenum*.

\* Ps. CIII, vers. 15.

\* Tract. XXVI, num. 11.

Alio modo, inquantum signum est passionis Christi, per quam victi sunt daemones: repellit enim <sup>δ</sup> omnem daemonum impugnationem. Unde Chrysostomus dicit, *super Ioan.* \*: *Ut leones flammam <sup>ε</sup> spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo*.

\* Homil. XLVI, al. XLV, n. 3.  
δ  
ε

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod effectus huius sacramenti recipitur in homine secundum hominis conditionem: sicut contingit de qualibet causa activa quod eius effectus recipitur in materia secundum modum materiae. Homo autem in statu viae est huius conditionis quod liberum arbitrium eius potest flecti in bonum et in malum. Unde, licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem praeservativam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod etiam caritas, quantum est de se, praeservat hominem a peccato: secundum illud *Rom. XIII* \*: *Dilectio proximi malum non operatur*. Sed ex mutabilitate liberi arbitrii contingit quod aliquis post habitam caritatem peccat: sicut et post susceptionem huius sacramenti.

\* Vers. 10.  
ζ

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet hoc sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, inquantum auget caritatem: quia, sicut Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaestionum* \*, *augmentum caritatis est diminutio cupiditatis*. Directe autem confirmat cor hominis in bono. Per quod etiam praeservatur homo a peccato.

\* Qu. XXXVI.

α) cadent. — cadēs E, cadeunt F, cadunt Da et tertia praeter I qui om. postea... hoc sacramentum.  
β) ut, si... moriatur. — PI; si... moriatur ABCD, si... moritur E, si... morietur Fa, ut si... morietur GHbc.  
γ) per peccatum. — per fecm E, peccatum H et editiones; alias quae est per peccatum margo P.

δ) enim. — Om. PI.  
ε) flammam. — DF et tertia; flamma.  
ζ) Rom. XIII. — PI; Cor. XIII bc, I Cor. VIII ceteri, pro I Cor. XIII ut videtur.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM PROSIT ALIIS QUAM SUMENTIBUS

Supra, art. 5; qu. LXXVIII, art. 3, ad 8; IV Sent., dist. XII, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 2, ad 4; dist. XLV, qu. II, art. 3, qu<sup>a</sup> 1, ad 3; In Ioan., cap. VI, lect. VI; I ad Cor., cap. XI, lect. VI.

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non prosit nisi sumentibus. Hoc enim sacramentum est unius generis cum aliis sacramentis, utpote aliis conditum. Sed alia sacramenta non pro-

SUMMAE THEOL. D. THOMAE T. IX.

sunt nisi sumentibus: sicut effectum baptismi non suscipit nisi baptizatus. Ergo nec hoc sacramentum prodest aliis nisi sumentibus.

2. PRAETEREA, effectus huius sacramenti est adeptio gratiae et gloriae, et remissio culpae, ad

minus venialis. Si ergo hoc sacramentum haberet effectum in aliis quam in sumentibus, posset contingere quod aliquis adipisceretur gloriam et gratiam et remissionem culpae absque actione et passione propria, alio offerente vel sumente hoc sacramentum.

3. PRAETEREA, multiplicata causa, multiplicatur effectus. Si ergo hoc sacramentum prodest aliis quam sumentibus, sequeretur quod magis prodesset alicui si sumeret <sup>α</sup> hoc sacramentum in multis hostiis in una missa consecratis, quod non habet Ecclesiae consuetudo: ut scilicet multi communicent pro alicuius salute. Non ergo videtur quod hoc sacramentum prosit nisi sumentibus.

SED CONTRA EST quod in celebratione huius sacramenti fit pro multis aliis deprecatio. Quod frustra fieret nisi hoc sacramentum aliis prodesset. Ergo hoc sacramentum non solum sumentibus prodest.

<sup>α</sup> RESPONDEO DICENDUM quod, sicut prius <sup>\*</sup> dictum est, hoc sacramentum non solum est sacramentum, sed etiam est sacrificium. In quantum enim in hoc sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus *obtulit se hostiam Deo*, ut dicitur *Ephes. v \**, habet rationem sacrificii: in quantum vero in hoc sacramento traditur invisibiliter gratia sub visibili specie, habet rationem sacramenti. Sic igitur hoc sacramentum sumentibus quidem prodest per modum sacramenti et per modum sacrificii, quia pro omnibus sumentibus offertur: dicitur enim <sup>β</sup> in canone missae: *Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum corpus et sanguinem Filii tui sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur*. Sed aliis, qui non sumunt, prodest per modum sacrificii, in quantum pro salute eorum offertur: unde et in canone missae dicitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt* <sup>γ</sup>, *hoc sacrificium lau-*

*dis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae*. Et utrumque modum <sup>δ</sup> Dominus exprimit, dicens, *Matth. xxvi \**: *Qui pro vobis*, scilicet sumentibus, *et pro multis aliis, effundetur in remissionem peccatorum*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod hoc sacramentum prae aliis habet quod est sacrificium. Et ideo non est similis ratio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut passio Christi prodest quidem omnibus <sup>ε</sup> ad remissionem culpae et adeptionem gratiae et gloriae, sed effectum non habet nisi in illis qui passioni Christi coniunguntur per fidem et caritatem; ita etiam hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicae passionis, non habet effectum nisi in illis qui coniunguntur huic sacramento per fidem et caritatem. Unde et Augustinus dicit, *ad Renatum \**: *Quis offerat corpus Christi nisi pro his qui sunt membra Christi?* Unde et in canone missae non oratur pro his qui sunt extra Ecclesiam. Illis tamen prodest plus vel minus, secundum modum devotionis eorum.

AD TERTIUM DICENDUM quod sumptio pertinet ad rationem sacramenti: sed oblatio pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo ex hoc quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod iuvamentum. Similiter etiam neque <sup>ζ</sup> ex hoc quod sacerdos plures hostias consecrat in una missa, non multiplicatur effectus huius sacramenti, quia non est nisi unum sacrificium: nihil enim virtutis plus est in multis hostiis consecratis quam in una, cum sub omnibus et sub una non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis simul in una missa multas hostias consecratas sumat, participabit maiorem effectum sacramenti. — In pluribus vero missis multiplicatur sacrificii oblatio. Et ideo multiplicatur effectus sacrificii et sacramenti.

<sup>α</sup>) sumeret. — multi sumerunt PFI. — Pro in multis, multis PI.  
<sup>β</sup>) enim. — PlsG et α; autem. — Filii tui ante corpus ponit tertia.  
<sup>γ</sup>) vel qui tibi offerunt. — P; post laudis ponit F, om. ceteri.

<sup>δ</sup>) modum. — proficiendi addit tertia. Pro exprimit, expressit PI.  
P post *Matth. XXVI* addit et *Luc. XXV*, et ante aliis, scilicet.  
<sup>ε</sup>) omnibus. — quantum ad sufficientiam et addit tertia.  
<sup>ζ</sup>) neque. — Om. P.

## ARTICULUS OCTAVUS

### UTRUM PER VENIALE PECCATUM IMPEDIATUR EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI

IV *Sent.*, dist. XII, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; art. 2, qu<sup>a</sup> 1, ad 2.

\* Vjd. Comment. Caiet. post art. 1, num. III sqq.

\* In Ioan. Evang. tract. XXVI, n. 11 (super vers. 49). — Cf. can. *Panem de altari, de Consecr.*, dist. II.  
<sup>α</sup> Vers. 50, 52.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR <sup>\*</sup>. Videtur quod per veniale peccatum non impediatur effectus huius sacramenti. Dicit enim Augustinus <sup>\*</sup>, super illud Ioan. VI <sup>\*\*</sup>, *Si quis ex ipso manducaverit* <sup>α</sup> etc.: *Panem caelestem spiritualiter manducate; innocentiam ad altare portate; peccata, etsi sint quotidiana, non sint mortifera*. Ex quo patet quod quotidiana peccata,

quae dicuntur venialia <sup>β</sup>, spirituales manducationem non impediunt. Sed spiritualiter manducantes effectum huius sacramenti percipiunt. Ergo peccata venialia non impediunt effectum huius sacramenti.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum non est minoris virtutis quam baptismus. Sed effectum baptismi, sicut supra <sup>\*</sup> dictum est, impedit sola

<sup>α</sup>) Si... manducaverit. — Patres vestri manducaverunt manna P; cf. art. 4. <sup>β</sup>.

<sup>β</sup>) quotidiana... venialia. — venialia peccata quae quotidiana vocantur tertia.

<sup>δ</sup> Vers. 28. — Cf. *Luc. cap. XXII*, vers. 20.

\* *De Anima et eius orig.* lib. I, cap. IX.

\* Qu. LXIX, art. 9, 10.

\* Vers. 5.

factio: ad quam non pertinent peccata venialia, quia, sicut Sap. I\* dicitur, *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum*, qui tamen per peccata venialia non fugatur. Ergo neque effectum huius sacramenti impediunt peccata venialia.

3. PRAETEREA, nihil quod removetur per actionem alicuius causae, potest impedire eius effectum. Sed peccata venialia tolluntur per hoc sacramentum. Ergo non impediunt eius effectum.

\* De Fide Orth., lib. IV, cap. XIII.

γ

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. XXIV, art. 10; qu. LIV, art. 3.

SED CONTRA EST quod Damascenus dicit, in IV libro\*: *Ignis eius quod in nobis est desiderii, assumens eam quae ex carbone, idest hoc sacramento, ignitionem, comburet nostra peccata, et illuminabit γ nostra corda, ut participatione divini ignis igniamur et deificemur*. Sed ignis nostri desiderii vel amoris impeditur per peccata venialia, quae impediunt fervorem caritatis, ut in Secunda Parte\* habitum est. Ergo peccata venialia impediunt effectum huius sacramenti.

RESPONDEO DICENDUM quod peccata venialia dupliciter accipi possunt: uno modo, prout sunt praeterita; alio modo, prout sunt actu exercita. Primo quidem modo, peccata venialia nullo modo impediunt effectum huius sacramenti. Potest enim contingere quod aliquis post multa peccata commissa venialia δ, devote accedat ad hoc sa-

cramentum, et plenarie huius sacramenti consequetur effectum.

Secundo autem modo, peccata venialia non ex toto impediunt effectum huius sacramenti, sed in parte. Dictum est enim\* quod effectus huius sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae vel caritatis, sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quae quidem impeditur si aliquis accedat ad hoc sacramentum mente distracta ε per peccata venialia. Non autem tollitur augmentum gratiae habitualis vel caritatis.

\* Art. 1.

ε


AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ille qui cum actu venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter. Et ideo habitualem effectum huius sacramenti percipit, non autem actualem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod baptismus non ita ordinatur ad actualem effectum, idest ad fervorem caritatis, sicut hoc sacramentum. Nam baptismus est spiritualis regeneratio, per quam acquiritur prima perfectio, quae est habitus vel forma: hoc autem sacramentum est spiritualis manducatio, quae habet actualem delectationem.

AD TERTIUM DICENDUM quod illa ratio procedit de venialibus praeteritis, quae per hoc sacramentum tolluntur.

γ) comburet... illuminabit. — comburat... illuminet P.  
δ) commissa venialia. — venialia commissa PF. Pro consequetur, consequitur CF, consequatur G et editiones.

ε) mente distracta. — (mente Pc) distractus post venialia editiones.



## QUAESTIO OCTOGESIMA

### DE USU SIVE SUMPTIONE HUIUS SACRAMENTI

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXIII, Introd.

\* Qu. LXXXI.

**D**EINDE considerandum est de usu sive sumptione huius sacramenti \*. Et primo, in communi; secundo, quomodo Christus est usus hoc sacramento \*.

Circa primum quaeruntur duodecim.

Primo: utrum sint duo modi manducandi hoc sacramentum, scilicet sacramentaliter et spiritualiter.

Secundo: utrum soli homini conveniat manducare spiritualiter.

Tertio: utrum solius hominis iusti sit manducare sacramentaliter.

Quarto: utrum peccator manducans sacramentaliter peccet.

Quinto: de quantitate huius peccati.

Sexto: utrum peccator accedens ad hoc sacramentum sit repellendus.

Septimo: utrum nocturna pollutio impediatur hominem a sumptione huius sacramenti.

Octavo: utrum sit solum a ieiunis sumendum.

Nono: utrum sit exhibendum non habentibus usum rationis.

Decimo: utrum sit quotidie sumendum.

Undecimo: utrum liceat omnino abstinere.

Duodecimo: utrum liceat percipere corpus sine sanguine.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM DEBEANT DISTINGUI DUO MODI MANDUCANDI CORPUS CHRISTI, SCILICET SPIRITUALITER ET SACRAMENTALITER

IV Sent., dist. ix, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; De Ven. Sacram. Alt., serm. xvii; In Ioan., cap. vi, lect. vi, vii; I ad Cor., cap. xi, lect. vii.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet spiritualiter et sacramentaliter <sup>a</sup>. Sicut enim baptismus est spiritualis regeneratio, secundum illud Ioan. iii \*, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* etc., ita etiam hoc sacramentum est cibus spiritualis: unde Dominus, loquens de hoc sacramento, dicit, Ioan. vi \*: *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*. Sed circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet sacramentalis et spiritualis. Ergo neque circa hoc sacramentum debet haec distinctio adhiberi.

\* Vers. 5.

\* Vers. 64.

2. PRAETEREA, ea quorum unum est propter alterum, non debent ad invicem dividi: quia unum ab alio speciem trahit. Sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spiritualem sicut ad finem. Non ergo debet sacramentalis manducatio contra spiritualem dividi.

3. PRAETEREA, ea quorum unum non potest esse sine altero, non debent contra se dividi. Sed videtur quod nullus possit manducare spiritualiter nisi etiam sacramentaliter manducet: alioquin antiqui Patres hoc sacramentum spiritualiter manducassent. Frustra etiam esset sacramentalis manducatio, si sine ea spiritualis esse posset. Non ergo convenienter distinguitur duplex <sup>β</sup> manducatio, scilicet sacramentalis et spiritualis.

<sup>a</sup>) spiritualiter et sacramentaliter. — sacramentaliter et spiritualiter editiones.

<sup>β</sup>) distinguitur duplex. — distingui debet bc, distinguitur circa hoc sacramentum duplex PF.

SED CONTRA EST quod, super illud I Cor. xi \*, *Qui manducat et bibit indigne* etc., dicit Glossa \*: *Duos dicimus esse modos manducandi: unum sacramentalem, et alium spiritualem*.

RESPONDEO DICENDUM quod in sumptione huius sacramenti duo sunt consideranda: scilicet ipsum sacramentum, et effectus ipsius, de quorum utroque supra \* iam dictum est. Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramentum est quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit quod percipit eius effectum. Contingit autem quandoque, sicut supra \* dictum est, quod aliquis impeditur a percipiendo effectum huius sacramenti: et talis sumptio huius sacramenti est imperfecta. Sicut igitur perfectum contra imperfectum dividitur, ita sacramentalis manducatio, per quam sumitur solum sacramentum sine effectu ipsius, dividitur contra spiritualem manducationem, per quam aliquis percipit effectum huius sacramenti, quo spiritualiter homo Christo coniungitur per fidem et caritatem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod etiam circa baptismum, et alia huiusmodi sacramenta, similis distinctio adhibetur: nam quidam suscipiunt tantum sacramentum, quidam vero sacramentum et rem sacramenti. Hic <sup>γ</sup> tamen differt quia, cum alia sacramenta perficiantur in usu materiae, percipere sacramentum est ipsa perfectio sacramenti: hoc autem sacramentum perficitur in consecra-

<sup>γ</sup>) Hic. — E; In hoc (tamen differunt P) Gla et editiones, Et hoc H; Hoc ceteri. Pro quia, quod GI.

\* Vers. 29.

\* Ord. et Lomb.

\* Qu. LXXIII - LXXIX.

\* Qu. LXXIX, art. 3, 8.

tionem materiae, et ideo uterque usus est consequens hoc sacramentum. In baptismo autem <sup>δ</sup>, et aliis sacramentis characterem imprimuntur, illi qui accipiunt sacramentum, recipiunt aliquem spiritualem effectum, scilicet characterem: quod non accidit in hoc sacramento. Et ideo magis in hoc sacramento distinguitur usus sacramentalis a spirituali quam in baptismo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sacramentalis manducatio quae pertingit ad spiritualem, non dividitur contra spiritualem, sed includitur ab ea. Sed illa sacramentalis manducatio contra spiritualem dividitur quae effectum non consequitur: sicut imperfectum quod non pertingit ad perfectionem speciei, dividitur contra perfectum.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeatur in voto, quam-

vis non habeatur <sup>ε</sup> in re. Et ideo, sicut aliqui baptizantur baptismo fluminis, propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquae; ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum antequam sacramentaliter sumant. Sed hoc contingit dupliciter. Uno modo, propter desiderium sumendi ipsum sacramentum: et hoc modo dicuntur baptizari et manducare spiritualiter et non sacramentaliter, illi qui desiderant sumere haec sacramenta iam instituta. Alio modo, propter figuram: sicut dicit Apostolus, I Cor. x \*, quod antiqui Patres *baptizati sunt in nube et in mari*, et quod *spiritualem escam manducaverunt et spiritualem potum biberunt*. — Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio: quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio quam solum desiderium, sicut supra \* circa baptismum dictum est.

\* Qu. LXVIII, art. 2; qu. LXXIII, art. 3.

\* Vers. 2 sqq.

\* Qu. LXIX, art. 4, ad 2.

δ) autem. — etiam P.

ε) habeatur... habeatur. — habeat... accipiat P, habeatur... accipiat cetera tertia. — Pro aliqui, antiqui GH.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SOLIUS HOMINIS SIT HOC SACRAMENTUM SUMERE SPIRITUALITER, VEL ETIAM ANGELORUM

IV Sent., dist. IX, art. 2, quae 4, 5.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non solius hominis sit hoc sacramentum sumere spiritualiter, sed etiam angelorum. Quia super illud Psalmi \*, *Panem angelorum manducavit homo*, dicit Glossa \*: *id est, corpus Christi, qui est vere cibus angelorum*. Sed hoc non esset si angeli spiritualiter Christum non manducarent. Ergo angeli spiritualiter Christum manducant.

2. PRAETEREA, Augustinus dicit, *super Ioan. \**: *Hunc cibum et potum societatem <sup>α</sup> vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia in praedestinitis*. Sed ad istam societatem non solum pertinent homines, sed etiam sancti angeli. Ergo etiam sancti angeli spiritualiter manducant.

3. PRAETEREA, Augustinus, in libro *de Verbis Domini \**, dicit: *Spiritualiter manducandus est Christus: quomodo <sup>β</sup> ipse dicit, « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo »*. Sed hoc convenit non solum hominibus, sed etiam sanctis angelis, in quibus per caritatem est Christus, et ipsi in eo. Ergo videtur quod spiritualiter manducare non solum sit hominum, sed etiam angelorum.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *super Ioan. \**: *Panem de altari spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate*. Sed angelorum non est accedere ad altare, tanquam aliquid inde sumpturi. Ergo angelorum non est spiritualiter manducare.

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti. Dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter. Uno modo, ipsum Christum prout in sua specie <sup>γ</sup> consistit. Et hoc modo angeli spiritualiter manducant ipsum Christum, in quantum ei uniuntur fruitione caritatis perfectae et visione manifesta (quem panem expectamus in patria): non <sup>δ</sup> per fidem, sicut nos hic ei unimur.

Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum prout est sub speciebus huius sacramenti: in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum. Et hoc non solum est manducare Christum spiritualiter, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum. Quod non competit angelis. Et ideo angeli, etsi <sup>ε</sup> spiritualiter manducant Christum, non convenit tamen eis spiritualiter manducare hoc sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sumptio Christi sub hoc sacramento ordinatur, sicut ad finem, ad fruitionem patriae, qua <sup>ζ</sup> angeli eo fruuntur. Et quia ea quae sunt ad finem, derivantur a fine, inde est quod ista manducatio Christi quae eum sumimus sub hoc sacramento, quodammodo derivatur ab illa manducatione qua angeli fruuntur Christo in patria. Et ideo dicitur homo manducare *panem angelorum*: quia primo et principaliter est angelorum, qui eo fruuntur

\* Ps. LXXVII, vers. 25.  
\* Lomb.

\* Tract. XXVI, n. 15.  
α

\* Serm. CXLII, al. de Verb. Dom. XLVI. — Cf. can. Quid est, de Consecr., dist. II.  
β

\* Tract. XXVI, n. 11. — Cf. can. Panem de altari, de Consecr., dist. II.

α) societatem. — Tertia; societatem F, om. ceteri. — Pro quod, quae P; Alias quod margo P.  
β) quomodo. — quando FH, quō Ib, quoniam Pac.  
γ) Uno... specie. — ipsum Christum: uno modo prout in specie P.  
δ) non. — PFI; nunc.

ε) angeli, etsi. — licet angeli P.  
ζ) patriae, qua. — PI; patriae quo FsG, (ordinatur ad fruitionem patriae (sicut ad finem) eo modo quo bc, panis quo ed. a, pane quo ceteri.



in propria specie; secundo autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ad societatem corporis mystici pertinent quidem et homines <sup>7)</sup> per fidem, angeli autem per manifestam visionem. Sacramenta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur *in speculo et in aenigmate* \*.

\* I ad Cor., cap. xiii, vers. 12.

7) homines. — et angeli sed (sed om. l) homines addunt PFIsg. — Pro angeli autem, et angeli bc.

Et ideo hic <sup>0)</sup>, proprie loquendo, non angelis, sed hominibus proprie convenit manducare spiritualiter hoc sacramentum.

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus manet in hominibus secundum praesentem statum per fidem: sed in angelis beatis est per manifestam visionem. Et ideo non est simile, sicut dictum est \*.

\* Resp. ad 2.

0) hic. — hoc GHbc, om. PI. — proprie altero loco om. F et tertia.

## ARTICULUS TERTIUS

### UTRUM SOLUS HOMO IUSTUS POSSIT MANDUCARE CHRISTUM SACRAMENTALITER

IV Sent., dist. IX, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2, 3; I ad Cor., cap. XI, lect. VII.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod nullus possit manducare Christum sacramentaliter nisi homo iustus. Dicit enim Augustinus, in libro *de Remedio Poenitentiae* \*: *Ut quid paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare.* Sed peccator non credit in eum: quia non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere *in Deum*, ut in Secunda Parte \* habitum est. Ergo peccator non potest manducare hoc sacramentum, qui <sup>α</sup> est *panis vivus* \*.

\* Cf. can. *Ut quid paras, de Consecr.*, dist. II; Aug. in Ioan. tr. XXV, n. 12; tr. XXVI, n. 1.

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. II, art. 2; qu. IV, art. 5.

\* Ioan. cap. VI, vers. 41, 51.

\* Qu. LXXXIII, art. 3, ad 3; qu. LXXXIV, art. 4, arg. 3; qu. LXXXVIII, art. 3, ad 6.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum dicitur esse maxime *sacramentum caritatis*, ut supra \* dictum est. Sed, sicut infideles privantur fide, ita omnes peccatores sunt privati <sup>β</sup> caritate. Infideles autem non videntur sacramentaliter posse sumere hoc sacramentum: cum in forma huius sacramenti dicatur, *mysterium fidei*. Ergo, pari ratione, nec aliquis peccatorum <sup>γ</sup> potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

γ

\* Ps. XLVIII, vers. 21.

3. PRAETEREA, peccator magis est abominabilis Deo quam creatura irrationalis: dicitur enim in Psalmo \* de homine peccatore: *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Sed animal brutum, puta mus <sup>δ</sup> aut canis, non potest sumere hoc sacramentum: sicut etiam non potest sumere sacramentum baptismi. Ergo videtur quod, pari ratione, neque peccatores hoc sacramentum manducant.

δ

\* Vers. 50.

\* In Ioan. Evang. tract. XXVI, n. 11 (super vers. 49).

SED CONTRA EST quod super illud Ioan. VI \*, *ut si quis manducaverit non moriatur* <sup>ε</sup>, dicit Augustinus \*: *Multi de altari accipiunt, et accipiendo moriuntur: unde dicit Apostolus, « Iudicium sibi manducat et bibit ».* Sed non moriuntur sumendo nisi peccatores. Ergo peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, et non solum iusti.

α) qui. — quod editiones.  
β) sunt privati. — privantur PBFc.  
γ) peccatorum. — peccator PFIsg et a.  
δ) mus. — iumentum F; idem in solutione primo loco.  
ε) ut si... moriatur. — ut (om. F) si... morietur omnes praeter P, quae Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Cf. qu. praeced. art. 4. β.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hoc quidam antiqui erraverunt, dicentes quod corpus Christi nec etiam a peccatoribus sacramentaliter <sup>ζ</sup> sumitur, sed, quam cito labiis peccatoris <sup>7)</sup> figitur, tam cito sub speciebus sacramentalibus desinit esse corpus Christi. — Sed hoc est erroneum. Derogat enim veritati huius sacramenti, ad quam pertinet, sicut supra \* dictum est, quod, manentibus speciebus, corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem manent <sup>0)</sup> quandiu substantia panis maneret si ibi adesset, ut supra \* dictum est. Manifestum est autem quod substantia panis assumpta a peccatore non statim esse desinit, sed manet quandiu per calorem naturalem digeratur. Unde tandiu corpus Christi sub speciebus sacramentalibus manet a peccatoribus sumptis. Unde dicendum est quod peccator sacramentaliter corpus Christi manducare potest, et non solum iustus.

\* Qu. LXXVI, art. 6, ad 3; qu. LXXVII, art. 8.

\* Qu. LXXVII, art. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verba illa, et similia, sunt intelligenda de spirituali manducatione, quae peccatoribus non convenit. Et ideo ex pravo intellectu horum verborum videtur praedictus error \* processisse, dum nescierunt distinguere inter corporalem et spiritualem manducationem.

\* Cf. corp. princ.

AD SECUNDUM DICENDUM quod etiam si infidelis sumat species sacramentales, corpus Christi sub sacramento sumit. Unde manducat Christum sacramentaliter, si *ly sacramentaliter* determinat verbum ex parte manducati. Si autem ex parte manducantis, tunc, proprie loquendo, non manducat sacramentaliter: quia non utitur eo quod accipit ut sacramento, sed ut simplici cibo. Nisi forte infidelis intenderet recipere id quod Ecclesia confert, licet non haberet fidem veram circa alios articulos, vel circa <sup>ι</sup> hoc sacramentum.

AD TERTIUM DICENDUM quod, etiam si mus aut

ζ) a peccatoribus sacramentaliter. — sacramentaliter a peccatoribus tertia.

7) peccatoris. — peccatorum Fa, peccatoribus P. Pro figitur, cingitur D, coniungitur ed. a, contingitur tertia.

0) manent. — D et tertia; remanet F, manet ceteri. — maneret tertia; manet.

ι) circa. — etiam circa Glbc, etiam P.

canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinet esse sub speciebus quandiu species illae manent, hoc est, quandiu substantia panis maneret: sicut etiam si proiceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis Christi <sup>z</sup>, qui voluit a peccatoribus crucifigi absque diminutione suae dignitatis: praesertim cum mus aut canis non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales.

Quidam <sup>\*</sup> autem dixerunt quod, statim cum sacramentum tangitur a mure vel cane, desinit

ibi esse corpus Christi. Quod etiam derogat veritati sacramenti, sicut supra <sup>\*</sup> dictum est.

Nec tamen dicendum est quod animal brutum sacramentaliter corpus Christi manducet: quia non est natum uti eo ut sacramento. Unde non sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat: sicut manducaret ille qui sumeret hostiam consecratam quia <sup>λ</sup> nesciens eam esse consecratam. Et quia id quod est per accidens non cadit in divisione alicuius generis, ideo hic modus manducandi corpus Christi non ponitur tertius, praeter sacramentalem et spiritualem.

\* In corpore.

λ

\* Guitmundus, de Verit. Corp. et Sang. Christi in Eucharist., lib. II: Abael. Epit. Theolog., cap. xxix; Mag., IV Sent., dist. xiii, cap. Solet etiam quaeri.

z) Christi. — corporis Christi P.

λ) quia. — Om. F et tertia; quia... consecratam om. DE.

## ARTICULUS QUARTUS

### UTRUM PECCATOR SUMENS CORPUS CHRISTI SACRAMENTALITER PECCET

Supra, qu. LXXX, art. 3; IV Sent., dist. IX, art. 3, qu<sup>a</sup> 1, 2; I ad Cor., cap. XI, lect. VII.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccator sumens corpus Christi sacramentaliter non peccet. Non enim est maioris dignitatis Christus sub specie sacramenti quam sub specie propria. Sed peccatores tangentes corpus Christi in substantia propria non peccabant: quin immo veniam peccatorum consequerentur, sicut legitur Luc. VII <sup>\*</sup> de muliere peccatrice; et Matth. XIV <sup>\*</sup> dicitur, *Quicumque tetigerunt fimbriam vestimenti eius, salvifaciuntur*. Ergo non peccant, sed magis salutem consequuntur, sacramentum corporis Christi sumendo.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum, sicut et alia, est quaedam spiritualis medicina. Sed medicina datur infirmis ad salutem: secundum illud Matth. IX <sup>\*</sup>: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*. Infirmi autem vel male habentes spiritualiter sunt peccatores. Ergo hoc sacramentum sumi potest absque culpa <sup>α</sup>.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum, cum in se Christum contineat, est de maximis bonis. Maxima autem bona sunt, secundum Augustinum, in libro *de Lib. Arbit.* <sup>\*</sup>, *quibus nullus male potest uti*. Nullus autem peccat nisi per abusum alicuius rei. Ergo nullus peccator sumens hoc sacramentum peccat.

4. PRAETEREA, sicut hoc sacramentum sentitur gustu et tactu, ita et visu. Si ergo peccator peccet ex eo quod sumit hoc sacramentum gustu et tactu <sup>β</sup>, videtur quod etiam peccaret videndo. Quod patet esse falsum: cum Ecclesia omnibus hoc sacramentum videndum et adorandum proponat. Ergo peccator non peccat ex hoc quod manducat hoc sacramentum.

5. PRAETEREA, contingit quandoque quod aliquis peccator non habet conscientiam sui pec-

cati. Nec tamen talis peccare videtur corpus Christi sumendo: quia, secundum hoc, omnes peccarent qui sumunt, quasi periculo se exponentes; cum Apostolus dicit, I Cor. IV <sup>\*</sup>: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Non ergo videtur quod peccatori cedat in culpam si hoc sacramentum sumat.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, I Cor. XI <sup>\*</sup>: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit* <sup>γ</sup>. Dicit autem Glossa <sup>\*</sup> ibidem: *Indigne manducat et bibit qui in crimine est, vel irreverenter tractat*. Ergo qui est in peccato mortali, si hoc sacramentum accipiat, damnationem acquirit, mortaliter peccans.

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento, sicut in aliis, id quod est sacramentum est signum eius quod est res sacramenti. Duplex autem est res huius sacramenti, sicut supra <sup>\*</sup> dictum est: una quidem quae est significata et contenta, scilicet ipse Christus; alia autem est significata et non contenta, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicumque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum et membrum eius incorporatum. Quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est quod quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc sacramento committit. Et ideo incurrit sacrilegium, tanquam sacramenti violator. Et propter hoc mortaliter peccat.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus in propria specie apparens non exhibebat se tangendum hominibus in signum spiritualis unionis ad ipsum, sicut exhibetur sumendus in hoc sacramento. Et ideo peccatores eum in propria specie tangentes non incurrebant crimen falsitatis

\* Vers. 4.

\* Vers. 29.

\* Lomb.

\* Qu. LX, art. 3, arg. Sed cont.; qu. LXXXIII, art. 6.

\* Vers. 36 sqq.

\* Vers. 36.

\* Vers. 12.

\* Lib. II, cap. XIX.

α) sumi potest absque culpa. — corporaliter sumi potest absque culpa GHbc, absque culpa sumi potest I, absque culpa sumere possunt P; alias, ergo hoc sacramentum corporaliter absque culpa sumi potest margo P.

β) gustu et tactu. — Om. tertia praeter I.  
γ) bibit. — idest condemnationem addunt PI. — Dicit autem PGI; et (ibidem Glossa) dicit ed. a, Dicit enim ceteri.

circa divina, sicut peccatores sumentes hoc sacramentum.

Et praeterea Christus adhuc gerebat *similitudinem carnis peccati*\*: et ideo convenienter se peccatoribus tangendum exhibebat. Sed, remota similitudine carnis peccati per gloriam resurrectionis, se tangi prohibuit a muliere, quae defectum fidei circa ipsum patiebatur: secundum illud Ioan. xx\*: *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum*, scilicet *in corde tuo*, ut Augustinus exponit\*. Et ideo peccatores, qui defectum fidei patiuntur formatae<sup>δ</sup> circa ipsum, repelluntur a contactu huius sacramenti.

AD SECUNDUM DICENDUM quod non quaelibet medicina competit secundum quemlibet statum<sup>ε</sup>. Nam medicina quae datur iam liberatis a febre ad confortationem, noceret si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam baptismus et poenitentia sunt ζ medicinae purgativae, quae dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem sacramentum est medicina confortativa, quae non debet dari nisi liberatis a peccato.

AD TERTIUM DICENDUM quod *maxima bona* ibi intelligit Augustinus virtutes animae, *quibus nullus male utitur* quasi principiis mali usus. Utitur tamen eis aliquis male quasi obiectis mali usus: ut patet in his qui de virtutibus superbiunt. Ita et hoc sacramentum, quantum est ex se, non est principium mali usus, sed obiectum. Unde Augustinus dicit\*: *Multi indigne accipiunt corpus Domini: per quod docemur quam cavendum sit male<sup>η</sup> accipere bonum. Ecce enim, factum est malum dum male accipitur bonum: sicut e contra Apostolo factum est bonum cum bene accipitur malum, scilicet cum stimulus Satanae patienter portatur<sup>θ</sup>.*

AD QUARTUM DICENDUM quod per visum non accipitur ipsum corpus Christi, sed solum sacramentum eius: quia scilicet non pertingit visus ad substantiam corporis Christi, sed solum ad species sacramentales, ut supra\* dictum est. Sed

δ) *fidei patiuntur formatae*. — *fidei patiuntur forte CE, patiuntur fidei formatae (forte pl) FI, fidei formatae patiuntur Pc.*

ε) *statum*. — *infirmis addunt F et tertia.*

ζ) *sunt*. — *quasi addit tertia.*

η) *male*. — *F et tertia; om. Cf. qu. seq. art. 2. arg. 3. — Ante*

ille qui manducat, non solum sumit species sacramentales, sed etiam Christum, qui est sub eis. Et ideo a visione corporis Christi nullus prohibetur qui sit sacramentum Christi consecutus, scilicet baptismum: non-baptizati autem non sunt admittendi etiam ad inspectionem huius sacramenti, ut patet per Dionysium, in libro *Eccl. Hier.*\* Sed ad manducationem non sunt admittendi nisi soli illi qui non solum sacramentaliter, sed etiam realiter sunt Christo coniuncti.

AD QUINTUM DICENDUM quod hoc quod non habet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter. Uno modo, per culpam suam: vel quia per ignorantiam iuris, quae non excusat\*, reputat non esse peccatum quod est peccatum, puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale; vel quia negligens est in examinatione sui ipsius, contra id quod Apostolus dicit, I *Cor. xi*\*, *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat*. Et sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati: quia ipsa ignorantia est ei peccatum.

Alio modo potest contingere sine culpa ipsius: puta, cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu non peccat sumendo corpus Christi: quia homo per certitudinem scire non potest utrum sit vere contritus. Sufficit tamen si in se signa contritionis inveniat: puta ut *doleat de praeteritis* et proponat *carere de futuris*\*.

Si vero ignorat hoc quod fecit esse actum peccati propter ignorantiam facti, quae excusat\*, puta si accessit ad non suam quam credebatur esse suam, non est ex hoc dicendus peccator.

Similiter etiam, si totaliter est peccatum oblitus, sufficit ad eius deletionem generalis contritio, ut infra\* dicitur. Unde iam non est dicendus peccator.

factum est primo loco addunt per bonum PF, altero loco per malum P. — Pro accipitur, accipitur I, accepit P.

θ) *stimulus... portatur*. — *stimulos... portat I, stimulum... portavit P.*

ι) *tamen*. — *enim PB.* — Pro ut doleat, ut si doleat bc, si doleat P.

\* Ad Rom., cap. viii, vers. 7.

\* Vers. 17.

\* In Ioan. Evang. tract. CXXI, n. 3.

ε

ζ

\* In Ioan. Evang. tract. LXII, n. 1. — Cf. Mag. IV Sent., dist. ix, cap. Haec verba.

η

θ

\* Qu. LXXVI, art. 7.

\* Integrum Comment. om. P.

IN quaestione octogesima articulo quarto, dubium occurrat, an contritus, non autem confessus, de peccato mortali, habita copia confessoris idonei, sumens Eucharistiam peccet mortaliter. Et est ratio dubii, quia communiter dicitur quod, habita copia confessoris, tenetur confiteri mortale contritus ante sumptionem Eucharistiae: non tamen communiter asseritur quod teneatur sub peccato mortali.

II. Ad huius quaestione difficultatem aperiendam, sciendum est quod teneri sub vinculo peccati mortalis, vel non sic teneri ad confessionem huiusmodi ante Eucharistiam, oportet accipere vel ex iure divino, vel ex ratione naturali, vel ex iure positivo.

Et ab ultimo inchoando, ius positivum nullum apparet praecipiens confessionem ante sumptionem Eucharistiae.

Ratio autem ex naturali discursu a doctoribus sacris allata ad hoc, est quia distributio Eucharistiae spectat ad ministros Ecclesiae; ac per hoc, sumpturus Eucharistiam

debet esse mundus iudicio Ecclesiae. Quam quidem rationem ipsimet doctores sacri non tanti faciunt ut necessario ipsam concludere dicant: nam dicunt ipsam habere locum, non simpliciter et absolute, sed quando adest copia confessoris. Et revera ratio ista non cogit nec ius statuit: quoniam facile solvi potest dicendo quod sumpturus per ministros Ecclesiae Eucharistiam, debet esse mundus iudicio ministrorum, *vel iudicio Domini ipsorum ministrorum*. Contritus autem mundus est iudicio Dei, membrumque est formatum etiam militantis Ecclesiae.

Ex divino vero iure praeceptum hoc non apparet. Quin potius insinuat oppositum, dum, I ad *Cor. xi*\*, Apostolus dicit: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat*. Ubi duo dicit. Primo, quod *homo probet seipsum*, quod pertinet ad contritionem: et non dicit quod *probetur a confessore*. Et quamvis locus ab auctoritate negative parum aut nihil valeat, ex secundo tamen dicto affirmativo videtur negatio ista fulciri. Subiungitur enim: *et sic*

\* Cap. vii, § 3.

\* Can. Turbatur, caus. I, qu. iv, append. Grat. (cf. Reg. Iur. in Sexto, reg. xiii).

\* Vers. 28.

\* Cf. Aug. Epist. ccx, al. lxxxvii, ad Sanctimoniales, n. 16.

\* Cf. loc. cit. in princ. resp.

\* Cf. Supplem., qu. ii, art. 3, ad 2.

### Commentaria Cardinalis Caietani

*de pane illo edat.* Hoc enim subiunctum monstrat sufficere ad sumendam Eucharistiam quod homo probet seipsum: nam, si probare seipsum non sufficeret, Apostolus non subiunxisset documentum dispositionis hominis communicari quale subiunxit dicens *et sic, idest probato seipso, de pane illo edat, etc.*

III. Quocirca videtur mihi, ex hoc Apostoli documento, et ex ratione subiungenda, quod contritus sumens Eucharistiam non peccat mortaliter, etiam confessoris habita copia. Ratio autem me movens est, quia constat actum istum qui est contritum de peccato mortali non confesso sumere Eucharistiam, non esse ex suo genere peccatum mortale. Quod ex eo evidenter probatur quod, si esset mortale ex suo genere, in nullo casu esset licitus: ut patet discurrendo per omnes actus qui ex suo genere sunt peccata mortalia. Constat autem actum istum esse quandoque licitum, ut omnes fatentur: quando scilicet deest copia confessoris.

Amplius, duobus existentibus praeceptis, et utroque affirmativo, ac per hoc ambobus obligantibus, quantum est ex natura sua, solum tempore necessitatis; perspicimus manifestam differentiam in hoc, quod sumptio Eucharistiae determinat tempus necessarium respectu praecepti contritionis, et non determinat tempus necessarium respectu praecepti confessionis: nam sumptio Eucharistiae praeexigit absoluta necessitate ut *probet seipsum homo* per contritionem, et non praeexigit absoluta necessitate ut probetur homo a confessore. Ergo confessio ante communionem non est in praecepto: quia tunc non est tempus necessitatis absolute; nec fit tempus necessitatis ex sumptione

Eucharistiae, sicut ex eadem fit tempus necessitatis respectu contritionis.

Ex hoc igitur quod, absolute loquendo, contritum absque confessione peccati mortalis sumere Eucharistiam non est ex suo genere peccatum mortale, non est sacrilegium, seu mortale peccatum sacrilegii; consequens est ut ex differentia illa, scilicet, habita vel non habita copia confessoris \*, cum utrumque eorum per accidens se habeat ad actum istum, non fiat actus iste ex non mortali mortalis, aut ex mortali non mortalis; oportet enim iudicium de humanis actibus ex his quae sunt per se sumere.

Et confirmatur. Quia immiscere se sacris actibus sacramentalibus, qui sacrilegi essent si in peccato mortali exercerentur, cum contritione sola peccatorum mortalium, non est peccatum mortale: sufficit enim sacerdoti ministranti sacramentum poenitentiae aut baptismi, extremae unctionis aut viatici, sola contritio. Immo suscipere etiam alia sacramenta cum sola contritione nullibi videtur prohibita: et quod Patrum auctoritate non est sancitum, non est superstitiosa novitate praecipendum.

IV. Et licet ex his sic credendum censeam, consulendum tamen omnibus est ut, habita confessoris commoditate, non solum *probet seipsum homo*, sed clavibus Ecclesiae seipsum subiiciat, antequam *de pane illo edat et de calice bibat*. Propter hoc enim Ecclesia consuevit confessionem ad quam singuli tenentur semel in anno \*, in Quadragesima facere: ut mundi, non solum apud Deum, sed etiam secundum iudicium ministrorum Ecclesiae, ad Eucharistiam fideles accedant in Pascha.

\* Cf. num. II, Ratio autem.

\* Cap. Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM ACCEDERE AD HOC SACRAMENTUM CUM CONSCIENTIA PECCATI SIT GRAVISSIMUM OMNIUM PECCATORUM

IV Sent., dist. IX, art. 3, quae 3; I ad Cor., cap. XI, lect. VII.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum. Dicit enim Apostolus, I Cor. XI \*: *Quicumque manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini: Glossa \* ibidem a: Ac si Christum occiderit, punietur.* Sed peccatum Christum occidentium videtur fuisse gravissimum. Ergo et hoc peccatum, quo aliquis cum conscientia peccati ad mensam Domini accedit, videtur esse gravissimum.

2. PRAETEREA, Hieronymus dicit, in quadam Epistola \*: *Quid tibi cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Dic, sacerdos, dic, clerice, qualiter cum eisdem labiis Filium Dei oscularis quibus osculatus es filiam <sup>β</sup> meretricis. O Iuda, osculo Filium hominis tradis!* Et sic videtur fornicator ad mensam Christi accedens peccare sicut Iudas peccavit, cuius peccatum fuit gravissimum. Sed multa alia peccata sunt graviora quam peccatum fornicationis: et praecipue peccatum infidelitatis. Ergo cuiuslibet peccatoris ad mensam Christi accedentis peccatum est gravissimum.

3. PRAETEREA, magis est abominabilis Deo im-

munditia spiritualis quam corporalis. Sed si quis proiiceret corpus Christi in lutum vel sterquilinum, gravissimum reputaretur esse <sup>γ</sup> peccatum. Ergo gravius peccat si ipsum sumat cum peccato, quod est immunditia spiritualis. Ergo hoc peccatum est gravissimum.

SED CONTRA EST quod, super illud Ioan. XV \*, *Si non venissem, et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent*, dicit Augustinus \* hoc esse intelligendum de peccato infidelitatis, *quo retinentur <sup>δ</sup> cuncta peccata.* Et ita videtur hoc peccatum non esse gravissimum, sed magis peccatum infidelitatis.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte \* habitum est, dupliciter aliquod peccatum potest dici gravius alio: uno modo, per se; alio modo, per accidens. Per se quidem, secundum rationem suae speciei, quae attenditur ex parte obiecti. Et secundum hoc, quanto id contra quod peccatum est maius, tanto peccatum est gravius. Et quia divinitas Christi est maior humanitate ipsius; et ipsa humanitas est potior quam sacramenta humanitatis: inde est quod gravissima peccata sunt quae committuntur in ipsam divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis et blasphemiae. Secundario autem sunt gravia peccata

\* Vers. 27.

\* Lomb. a

\* Ep. XLII, ad Ocean., usque ad fabularis. - Vide Halens. IV Sent., qu. XI, memb. 2, art. 2, § 2, ult. arg. Contra. β

\* Vers. 22.

\* In Ioan. Evang. tract. LXXXIX, num. 1.

δ

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXIII, art. 3, 6. - Cf. II<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXIII, art. 3.

a) *ibidem.* - bc; om. F, idest I, *ibidem dicit est ed. a, ibidem hoc est P, ibidem est ceteri.*  
β) *filiam.* - *similia (meretricia) D, labia* editiones.

γ) *esse.* - *eius tertia (post peccatum I), om. E.*  
δ) *quo retinentur.* - *(in bc) quo continentur lbc, quo tenentur P.*

\* Vers. 32.

quae committuntur in humanitatem Christi: unde Matth. XII \* dicitur: *Qui dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* Tertio autem loco sunt peccata quae committuntur contra sacramenta, quae pertinent ad humanitatem Christi. Et post hoc sunt alia peccata, contra puras creaturas.

Per accidens autem unum peccatum est gravius alio ex parte peccantis: puta, peccatum quod est ex ignorantia vel infirmitate, est levius peccato quod est ex contemptu vel ex certa scientia; et eadem ratio est de aliis circumstantiis. Et secundum hoc, illud peccatum in quibusdam potest esse gravius, sicut in his qui ex actuali contemptu cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt; in quibusdam vero minus grave, puta in his qui ex quodam timore ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt.

Sic igitur patet quod hoc peccatum est multis aliis gravius secundum suam speciem, non tamen omnium gravissimum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod peccatum indigne sumentium hoc sacramentum comparatur peccato occidentium Christum secundum similitudinem, quia utrumque committitur contra corpus Christi: non tamen secundum criminis quantitatem. Peccatum enim occidentium Christum fuit multo gravius. Primo quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in sua specie propria: hoc autem est contra corpus Christi in specie sacramenti. Secundo, quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo: non autem hoc peccatum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod fornicator accipiens corpus Christi comparatur Iudae Christum osculanti, quantum ad similitudinem criminis, quia uterque ex signo caritatis Christum offendit: non tamen quantum ad criminis quantitatem, sicut et prius \* dictum est. Haec tamen similitudo non minus competit aliis peccatoribus quam fornicatoribus: nam et per alia peccata mortalia agitur contra caritatem Christi, cuius

\* Resp. ad 1.

signum est hoc sacramentum; et tanto magis quanto <sup>e</sup> peccata sunt graviora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem huius sacramenti: in quantum scilicet per hoc peccatum spiritus maxime carni subiicitur, et ita impeditur fervor dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento.

Plus tamen ponderat impedimentum ipsius caritatis quam fervoris eius. Unde etiam peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesiae unitate, simpliciter loquendo, maxime hominem ineptum reddit ad susceptionem huius sacramenti, quod est sacramentum ecclesiasticae unitatis, ut dictum est \*. Unde et gravius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum quam peccator fidelis; et magis contemnit Christum secundum quod est sub hoc sacramento, praesertim si non credat Christum vere sub hoc sacramento esse: quia, quantum est in se, diminuit sanctitatem huius sacramenti, et virtutem Christi operantis in hoc sacramento, quod est contemnere ipsum sacramentum in seipso. Fidelis autem qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc sacramentum non in seipso, sed quantum ad usum, indigne accipiens. Unde et Apostolus, I Cor. XI \*, assignans rationem huius peccati, dicit: *non diiudicans corpus Domini, id est, non discernens ipsum ab aliis cibis* \*: quod maxime facit ille qui non credit Christum esse sub hoc sacramento.

\* Qu. LXVII, art. 2; qu. LXXIII, art. 2, arg. *Sed cont.*, art. 4.

\* Vers. 29.

\* Gloss. Lomb.

AD TERTIUM DICENDUM quod ille qui proiiceret hoc sacramentum in lutum, gravius <sup>ζ</sup> peccaret quam ille qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit. Primo quidem, quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam inferendi <sup>η</sup> huic sacramento: quod non intendit peccator indigne corpus Christi accipiens.

Secundo, quia homo peccator capax est gratiae: unde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum quam quaecumque alia irrationalis creatura. Unde maxime inordinate uteretur hoc sacramento qui proiiceret ipsum canibus ad manducandum, vel qui proiiceret in lutum conculcandum <sup>θ</sup>.

ε) quanto. — Tertia; om. DpE, quanto magis ceteri.  
ζ) gravius. — multo gravius F et tertia, gravius peccatum E.

η) inferendi. — faciendi et inferendi ed. a, faciendi editiones.  
θ) conculcandum. — ad conculcandum F.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Al. qu. IV, ad 2<sup>m</sup> principale.

I<sup>n</sup> articulo quinto eiusdem quaestionis, Durandus occurrit, in IV *Sent.*, dist. IX, qu. II, art. 2 \*, obiiciens contra rationem et conclusionem Auctoris, in hoc quod dicit sacrilegium indigne communicantium esse gravius peccatum omnibus peccatis quae sunt contra puras creaturas. Et contra conclusionem quidem, dicit satis grave videri plus peccare irreverenter sumentem Eucharistiam quam iniuste occidentem proximum.

Contra rationem autem, quia propositio dicens, *Sicut se habet obiectum ad obiectum, ita se habet actus ad actum*, non est necessaria quando actus sunt diversarum rationum, sed solum quando sunt unius rationis. Gravius est enim contumelia dehonore principem quam civem: sed gravius est occidere civem quam verbo dehonore principem.

II. Ad hoc dicitur quod propositio est necessaria in utrisque actibus: intellecta tamen ut in littera exponitur, et communiter etiam intelligitur, scilicet de gravitate peccatorum ex proprio genere; haec enim ex obiecto, unde habet speciem actus, pensatur. Et veritas eius patet ex eo quod dicimus maius esse peccatum secundum suum genus blasphemiam Dei quam homicidium: et tamen isti actus sunt diversarum rationum. Et ad hoc possent multa exempla adduci.

Nec grave videtur sapientibus maius esse peccatum secundum suum genus hoc sacrilegium quam simplex homicidium. Quoniam intelligunt homicidium esse gravius aliunde: scilicet ex damno vitae illato, et aliis huiusmodi.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM SACERDOS DEBEAT DENEGARE CORPUS CHRISTI PECCATORI PETENTI

Infra, qu. LXXXI, art. 2; IV *Sent.*, dist. IX, art. 5, qu<sup>a</sup> 1; dist. XI, qu. III, art. 2, qu<sup>a</sup> 1; *Quodl.* V, qu. VI, art. 2.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. Non est enim faciendum contra Christi praeceptum propter vitandum scandalum, neque propter vitandum<sup>α</sup> infamiam alicuius. Sed Dominus praecepit, Matth. VII<sup>\*</sup>: *Nolite sanctum dare canibus*. Maxime autem datur sanctum canibus cum hoc sacramentum peccatoribus exhibetur. Ergo neque propter vitandum scandalum, neque propter vitandam infamiam alicuius, debet hoc sacramentum peccatori petenti dari.

2. PRAETEREA, de duobus malis est minus malum eligendum. Sed minus malum esse videtur si peccator infametur, vel etiam si ei hostia non consecrata detur, quam si sumens corpus Christi mortaliter peccet. Ergo videtur hoc potius eligendum, quod vel infametur peccator petens corpus Christi, vel etiam detur ei hostia non consecrata.

3. PRAETEREA, corpus Christi interdum datur suspectis de crimine ad eorum manifestationem: legitur enim in Decretis, II, qu. IV<sup>\*</sup>: *Saepe contingit ut in monasteriis monachorum furta perpetrentur. Idcirco statuimus ut, quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, missa ab abbate celebretur vel<sup>β</sup> ab aliquo ex praesentibus fratribus, et sic, expleta missa, omnes communicent in haec verba, « Corpus Christi sit tibi hodie ad probationem ».* Et infra<sup>\*</sup>: *Si episcopo vel presbytero aliquod maleficium fuerit impulatum, in singulis missa celebrari debet et communicari, et de singulis sibi imputatis innocentem se ostendere.* Sed peccatores occultos non oportet manifestari: quia, si frontem verecundiae abiecerint, liberius peccabunt, ut Augustinus dicit, in libro *de Verbis Domini*<sup>\*</sup>. Ergo peccatoribus occultis non est corpus Christi dandum, etiam si petant.

SED CONTRA EST quod, super illud Psalmi<sup>\*</sup>, *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae*, dicit Augustinus<sup>\*</sup>: *Non prohibeat dispensator pingues terrae, id est peccatores, mensam Domini manducare.*

RESPONDEO DICENDUM quod circa peccatores distinguendum est. Quidam enim sunt occulti: quidam vero manifesti; scilicet per evidentiam facti, sicut publici usurarii aut publici raptores; vel etiam per aliquod iudicium ecclesiasticum vel saeculare. Manifestis ergo peccatoribus non debet, etiam petentibus, sacra communio dari. Unde Cyprianus<sup>\*</sup> scribit ad quendam: *Pro dilectione tua consulendum me existimasti quid mihi videatur*

*de histrionibus, et mago illo qui, apud vos constitutus, adhuc in artis suae dedecore perseverat, an talibus sacra communio cum ceteris Christianis debeat dari. Puto nec maiestati divinae, nec evangelicae disciplinae congruere ut pudor et honor Ecclesiae tam turpi et infami contagione foedetur.*

Si vero non sunt manifesti peccatores sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari. Cum enim quilibet Christianus, ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad mensam Dominicam, non potest eis<sup>γ</sup> ius suum tolli nisi pro aliqua causa manifesta. Unde super illud I Cor. V<sup>\*</sup>, *Si is qui frater inter vos nominatur etc.*, dicit Glossa Augustini<sup>\*</sup>: *Nos a communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio vel ecclesiastico vel saeculari nominatum atque convictum.*

Potest tamen sacerdos qui est conscius criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant antequam poeniteant<sup>δ</sup> et Ecclesiae reconcilientur. Nam post poenitentiam et reconciliationem, etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda: praecipue in mortis articulo. Unde in concilio Carthaginensi<sup>\*</sup> legitur: *Scenicis atque histrionibus ceterisque huiusmodi personis, vel apostatis, conversis ad Deum reconciliatio non negetur.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sancta prohibentur dari canibus, id est peccatoribus manifestis. Sed occulta non possunt publice puniri, sed sunt divino iudicio reservanda.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet peius sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo corpus Christi quam infamari, tamen sacerdoti ministranti corpus Christi peius est peccare mortaliter infamando iniuste<sup>ε</sup> peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet: quia nullus debet peccatum mortale committere ut alium liberet a peccato. Unde Augustinus dicit, in libro *Quaestionum super Gen.*<sup>\*</sup>: *Periculosissime admittitur haec compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat.* Peccator tamen occultus potius deberet<sup>ζ</sup> eligere infamari quam indigne ad mensam Christi accedere.

Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecratae: quia sacerdos hoc faciens, quantum est in se, facit<sup>η</sup> idololatrare illos qui credunt hostiam consecratam<sup>\*</sup>, sive alios praesentes, sive etiam ipsum sumentem; quia, ut Augustinus dicit<sup>\*</sup>, *nemo carnem Christi manducet nisi*

<sup>α</sup> \* Vers. 6.

\* Al. qu. v. can. Saepe contingit.

\* Can. Si episcopo.

\* Cf. serm. LXXXII, al. de Verb. Dom. XVI, cap. IV.

\* Ps. XXI, vers. 30.

\* Gloss. Ord. et Lomb. - Cf. Aug. Serm. I in Ps. XLVIII, vers. 3; Can. Non prohibeat, de Consecr., dist. II.

\* Ep. LXI, ad Euchratium.

\* Vers. 11.

\* Apud. Lomb.

\* III, can. XXXV. - Cf. can. Scenicis, de Consecr., dist. II.

\* Qu. XLII.

\* D. 717.

\* In Ps. xcviij, vers. 5.

α) neque propter vitandum. - vel PI.  
β) ab abbate celebretur vel. - ad altare celebretur E. - tibi EFa et tertia; ibi. - Ad in singulis... communicari, Alias pro singulis missam debet celebrare et communicare margo P.  
γ) eis. - ei Fa et tertia.

δ) poeniteant. - de peccatis poeniteant tertia.  
ε) iniuste. - FSD a et tertia praeter H; iuste.  
ζ) deberet. - Pa; debet DFIsG, debeant vel deberent E, debeat ceteri.  
η) facit. - Fa et tertia; fecit.

\* D. 580, 717.

0

prius adoret \*. Unde Extra, de Celebratione Missarum, cap. De homine, dicitur: *Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter si se ingerat, tamen gravius videtur offendere qui fraudulenter illud praesumpserit simulare.*

\* Quintus. - Cf. can. Consultisti, caus. II, qu. v.

AD TERTIUM DICENDUM quod decreta illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa \*: *Ferri candentis vel aquae ferventis 'examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri canones non concedunt. Spontanea enim confessione, vel testium*

0) De. - PsB et c; ex.

i) ferventis. - F et tertia.; bulientis ed. a, fluentis ceteri.

approbatione publicata, delicta commissa sunt regimini \* nostro iudicare: occulta vero et incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum. Et idem habetur Extra, de Purgationibus, cap. Ex tuarum. In omnibus enim talibus videtur Dei esse tentatio: unde sine peccato fieri non possunt. Et gravius videretur si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis. Unde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine quasi ad examinationem.

\*) regimini. - F et tertia; regi Ea, regi ceteri.

### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo sexto, adverte Durandum, in lib. IV, dist. IX, art. ult., limitare dictum Auctoris hic, scilicet, *Occultis peccatoribus petentibus non potest sacra communio denegari.* Distinguit enim de sacerdote curato seu eius vicario, seu curam [non] gerente: et similiter de tempore generalis communionis aut infirmitatis, vel tempore alio. Putatque non gerentem curam animarum debere negare communionem, ex eo quod non tenetur illum communicare, etiam cum licentia curati: curatum autem, extra tempus generalis communionis, persuasorie, sine scandalo tamen, negare communionem debere.

II. Mihi autem videtur quod, licet cauta sit distinctio Durandi, ut petens communionem non exequatur sacrilegium quod intendit; debitum tamen nullum video negandi occulto peccatori publice se communioni ingerenti, sive sit sacerdos curatus sive non, modo stet paratus in altari communicans quoscumque. Et ratio est quia *Christi actio nostra est instructio* \*. Constat autem quod Dominus non tenebatur tunc ad communicandum Apostolos; et de facili, modicum supersedendo, potuisset sine scandalo evitare Iudam, instituendo sacramentum post datam intactam buccellam, qua sumpta exivit foras \*.

\* Instruct. Sacerdot., cap. VI (inter Opp. Bern.); Innoc. III, Serm. XXII de Temp.

\* Ioan. cap. XIII, vers. 30.

\* Matth. cap. XXVI, vers. 26, 27.

Et confirmatur. Quia Iudas non petiit communionem: et tamen Dominus, Apostolicum chorum communicans, ipsum cum ceteris invitavit, dicens: *Comedite, seu, Bibite ex hoc omnes* \*.

III. Quocirca Durandi distinctio locum habere videtur quando ad partem, coram aliis tamen, peteret aliquis ut sacerdos vellet celebrare et ipsum communicare. Tum enim qui non tenetur communicare illum occultum peccatorem, debet, si sine scandalo potest, suum negare ministerium. Dico autem, *sine scandalo*: quia si negatio in damnum vergeret famae ipsius petentis, par esset ratio in hoc casu et in casu quo staret paratus ad communicandum. Posset enim, ne actus negationis suae detraheret famae proximi, communicare ipsum, relinquendo ipsi peccatori curam suimet.

IV. Item in eodem articulo \*, caute nota in nullo casu dandam aut accipiendam esse hostiam non consecratam, quasi loco communionis. Dico autem hoc quia, etiam sciente tam communicante quam accipiente hostiam non esse consecratam, propter praesentes, qui indistincte adorant, vel adorare possunt, quamlibet hostiam quam deferri vel dari conspiciunt, illicitum est: - nam, si nullus esset omnino praesens, non fingeret accipiens se communicare, sed abstinere omnino.

\* Resp. ad 2.

V. In responsione ad tertium eiusdem articuli, nota quod decreta illa quae corpus Christi quasi ad examinationem ordinarunt, non fuerunt per concilia universalia facta: sed fuit concilium particulare, ut patet II, qu. IV \*. Et propterea non est mirum si erravit.

\* Al. qu. v, locis citat. in arg.

## ARTICULUS SEPTIMUS

### UTRUM NOCTURNA POLLUTIO IMPEDIAT ALIQUEM A SUMPTIONE CORPORIS CHRISTI

IV Sent., dist. IX, art. 4, qu. 2.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod nocturna pollutio non impediatur aliquem a sumptione corporis Christi. Nullus enim impeditur a sumptione corporis Christi nisi propter peccatum. Sed nocturna pollutio accidit sine peccato: dicit enim Augustinus, XII super Gen. ad litt. \*: *Ipsa phantasia quae fit in cogitatione sermocinantis, cum expressa fuerit in visione somniantis, ut inter illam et veram coniunctionem corporum non discernatur, continue movetur <sup>a</sup> caro et sequitur quod eum motum sequi solet, cum hoc tam sine peccato fiat quam sine peccato a vigilantibus dicitur quod, ut diceretur, procul dubio cogitatum est.* Ergo nocturna

\* Cap. xv.

a

a) continue movetur. - continuo iudicio b, continuo movetur Pc.

pollutio non impedit hominem ab huius sacramenti perceptione.

2. PRAETEREA, Gregorius dicit, in Epistola ad Augustinum Episcopum Anglorum \*: *Si quis sua coniuge, non cupidine voluptatis raptus, sed tantum creandorum liberorum gratia utitur, ille profecto, sive de ingressu ecclesiae seu de sumendo corporis Dominici mysterio, suo est iudicio relinquendus: quia prohiberi a nobis non debet accipere qui, in igne positus, nescit ardere.* Ex quo patet quod carnalis pollutio etiam vigilantis, si sit sine peccato, non prohibet hominem a sumptione corporis Christi. Multo igitur minus prohibet nocturna pollutio dormientis.

\* Regist. lib. XI, Epist. LXIV, al. XXXI, ad interrog. x. - Cf. can. Vir cum propria, Caus. XXXIII, qu. IV.

3. PRAETEREA, nocturna pollutio videtur solam immunditiam corporalem habere. Sed aliae immunditiae corporales, quae secundum legem impediabant ab ingressu sanctorum \*, in nova lege non impediunt a sumptione corporis Christi: sicut de muliere pariente, vel menstruata, vel fluxum sanguinis patiente, scribit beatus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo \*. Ergo videtur quod neque etiam nocturna pollutio impediatur hominem a sumptione huius sacramenti.

\* Levit. cap. xii, xv.

\* Loc. cit.

4. PRAETEREA, peccatum veniale non impedit hominem a sumptione huius sacramenti: sed nec etiam peccatum mortale post poenitentiam. Sed, dato quod nocturna pollutio provenit ex aliquo peccato praecedenti sive crapulae sive turpium cogitationum, plerumque tale peccatum est veniale: et, si aliquando sit mortale, potest contingere quod de mane poenitet et peccatum suum confitetur. Ergo videtur quod non debeat impediri a sumptione huius sacramenti.

5. PRAETEREA, gravius peccatum est homicidii quam fornicationis. Sed si aliquis de nocte somniet homicidium perpetrare aut furtum, vel quodcumque aliud peccatum, non propter hoc impeditur a sumptione corporis Christi. Ergo videtur quod multo minus fornicatio somniata, cum pollutione subsequente, impediatur a susceptione huius sacramenti.

\* Vers. 16.

β

SED CONTRA EST quod Levit. xv \* dicitur: *Vir a quocumque β egreditur semen coitus, immundus erit usque ad vesperam.* Sed immundis non patet aditus ad sacramenta. Ergo videtur quod propter pollutionem nocturnam aliquis impeditur a sumptione huius sacramenti, quod est maximum sacramentum.

RESPONDEO DICENDUM quod circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari: unum quidem ratione cuius ex necessitate impedit hominem a sumptione huius sacramenti; aliud autem ratione cuius non ex necessitate impedit hominem, sed ex quadam congruentia.

Ex necessitate quidem impedit hominem ab huius sacramenti perceptione solum mortale peccatum. Et quamvis ipsa nocturna pollutio, secundum se considerata, peccatum mortale esse non possit, nihilominus tamen, ratione suae causae, quandoque habet peccatum mortale annexum. Et ideo consideranda est causa pollutionis nocturnae. Quandoque enim provenit ex causa extrinseca spirituali, scilicet daemonum illusionem, qui, sicut in Prima Parte \* habitum est, phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex praecedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa intrinseca corporali: seu ex superfluitate sive debilitate na-

\* Qu. cxi, art. 3.

turae; seu etiam ex superfluitate cibi et potus. Quaelibet autem harum trium causarum potest et sine peccato, et cum peccato veniali vel mortali existere. Et si quidem sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem huius sacramenti, ita scilicet quod homo sumendo sit *reus corporis et sanguinis Domini* \*. Si vero sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate.

\* I ad Cor., cap. xi, vers. 27.

Illusio enim daemonum quandoque provenit ex praecedenti negligentia praeparationis ad devotionem γ, quae potest esse vel mortale vel veniale peccatum. — Quandoque vero provenit ex sola nequitia daemonum volentium impedire hominem a sumptione huius sacramenti. Unde legitur in *Collationibus Patrum* \* quod, cum quidam δ pollutionem pateretur semper in festis in quibus erat communicandum, seniores, comperto quod nulla causa ab ipso praecesserat, decreverunt quod propter hoc a communione non cessaret: et ita cessavit illusio daemonum.

\* Cassian., Collat. XXII, cap. vi.

Similiter etiam praecedentes cogitationes lascivae quandoque possunt esse omnino sine peccato: puta cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia et delectatione, non erunt cogitationes immundae, sed honestae: ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate Augustini inducta \*. — Quandoque vero praecedentes cogitationes sunt cum concupiscentia et delectatione: et, si adsit consensus, peccatum mortale erit; sin autem ε, veniale.

\* Arg. 1.

Similiter etiam et causa corporalis quandoque est sine peccato: puta cum est ex infirmitate naturae, unde et quidam vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur; vel etiam si ζ sit ex superfluitate naturae, sicut enim contingit sanguinem superfluere η absque peccato, ita et semen, quod est superfluitas sanguinis, secundum Philosophum \*. — Quandoque vero est cum peccato: puta cum provenit ex superfluitate cibi vel potus. Et hoc etiam potest esse peccatum veniale vel mortale: licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes, propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi et potus. Unde Gregorius, scribens Augustino Anglorum Episcopo \*, dicit cessandum esse a communione quando ex turpibus cogitationibus provenit, non autem quando provenit ex superfluitate cibi θ et potus, praesertim si necessitas adsit.

\* De Generat. Animal., lib. 1, cap. xix.

\* Loc. cit., ad interrog. xi.

Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest utrum nocturna pollutio ex necessitate impediatur sumptionem huius sacramenti.

Ex quadam vero congruentia impedit quantum ad duo. Quorum unum semper accidit, scilicet quaedam foeditas corporalis: cum qua, propter reverentiam sacramenti, non decet ad altare

β) a quocumque. — de quo P, a quo cetera tertia; cf. qu. lxxxii. art. 5. α.  
γ) devotionem. — orationem et devotionem I et per Alias margo P.  
δ) quidam. — frater addunt PFL.  
ε) sin autem. — sin (si P) autem desit erit editiones; sin autem veniale om. H.

ζ) etiam si. — Tertia et a; etiam F, si etiam ceteri.  
η) superfluere. — fluere Fa et editiones.  
θ) superfluitate cibi. — infirmitate cibi BpC et a, infirmitate naturae vel ex superfluitate naturae vel ex superfluitate cibi F.



accedere, unde et volentes tangere aliquid sacrum manus lavant; nisi forte talis immunditia perpetua sit vel diuturna, sicut est lepra vel fluxus sanguinis vel aliquid huiusmodi. — Aliud autem est evagatio mentis, quae sequitur pollutionem nocturnam, praecipue quando cum turpi imaginatione contingit.

Hoc tamen impedimentum quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem: puta, ut Gregorius dicit \*, *cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium, pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ex necessitate quidem non impeditur homo a sumptione huius sacramenti nisi propter peccatum mortale: sed ex quadam congruentia potest homo impediri propter alias causas, sicut dictum est \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod coitus coniugalis, si sit sine peccato, puta si fiat causa prolis generandae vel causa reddendi debitum, non alia ratione impedit sumptionem sacramenti nisi sicut dictum est \* de pollutione nocturna quae accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem et mentis distractionem. Ratione cuius Hieronymus dicit, *super Matth. \*: Si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant comedi non poterant, quanto magis panis qui de caelo descendit, non potest ab his qui coniugalibus paulo ante haesere <sup>t</sup> amplexibus, violari atque contingi! Non quod nuptias condemnemus: sed quod, eo tempore quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare a <sup>x</sup> carnalibus operibus debeamus.* Sed quia hoc se-

cundum congruitatem, et non secundum necessitatem est intelligendum, Gregorius dicit \* quod *talis est suo iudicio relinquendus. — Si vero non amor procreandae sobolis, sed voluptas dominatur in opere*, ut ibidem Gregorius subdit \*, tunc prohiberi debet ne accedat ad hoc sacramentum.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Gregorius dicit, in Epistola supra \* dicta *ad Augustinum Anglorum Episcopum \**, in veteri Testamento aliqui polluti dicebantur figuratim, quod populus novae legis spiritualiter intelligit. Unde huiusmodi corporales immunditiae, si sint perpetuae vel diuturnae, non impediunt sumptionem huius sacramenti salutaris, sicut impediabant accessum ad sacramenta <sup>λ</sup> figuralia. Si vero cito transeunt, sicut immunditia pollutionis nocturnae, ex quadam congruentia impedit <sup>μ</sup> sumptionem huius sacramenti per illum diem quo hoc accidit. Unde et *Deut. xxiii \** dicitur: *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio <sup>v</sup>, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperam lavetur aqua.*

AD QUARTUM DICENDUM quod, licet per contritionem et confessionem auferatur reatus culpa, non tamen aufertur corporalis immunditia et distractio mentis ex pollutione consecuta.

AD QUINTUM DICENDUM quod somnium homicidii non inducit corporalem immunditiam, nec etiam tantam distractionem mentis sicut fornicatio <sup>ξ</sup>, propter intensionem delectationis. Si tamen somnium homicidii proveniat ex causa quae est peccatum, praesertim mortale, impedit a sumptione huius sacramenti ratione suae causae.

\* Ibid.

\* In corpore.

\* Ibid.

\* Epist. XXVIII, inter Opp. Hieron. — Cf. can. Sciatis, Caus. XXXIII, qu. IV.

t

x

t) haesere. — haerere F, adhaesere sup. ras. G, exhaerere H, habuere bc, vacavere P; pro amplexibus, complexionibus HpG, complexibus sG; Alias haesere complexibus margo P.  
x) a. — FlsE; om.; pro debeamus, debemus F, non debeamus GHa, non debemus editiones.

λ) sacramenta. — PAI; sacra.  
μ) impedit. — impediunt PF.  
v) somnio. — Tertia praeter G; somno.  
ξ) fornicatio. — somniata addunt PIsEG.

\* Loc. cit. in arg.

\* Cf. can. Vir cum propria, Caus. XXXIII, qu. IV.

\* Arg. 2.

\* Ad interrog. x.

λ

μ

\* Vers. 10, 11.

v

ξ

## ARTICULUS OCTAVUS

## UTRUM CIBUS VEL POTUS PRAEASSUMPTUS IMPEDIAT SUMPTIONEM HUIUS SACRAMENTI

II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cXLVII, art. 6, ad 2; IV Sent., dist. VIII, qu. I, art. 4, qu<sup>a</sup> 1, 2; I ad Cor., cap. XI, lect. IV.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod cibus vel potus praeassumptus non impedit sumptionem huius sacramenti. Hoc enim sacramentum est a Domino institutum in Cena. Sed Dominus, *postquam cenavit*, hoc sacramentum discipulis tradidit: sicut patet Luc. xxii \* et I Cor. xi \*\*. Ergo videtur quod etiam post alios cibos assumptos nos debeamus sumere hoc sacramentum.

\* Vers. 20.

\*\* Vers. 25.

\* Vers. 33, 34.

2. PRAETEREA, I Cor. xi \* dicitur: *Cum convenitis ad manducandum, scilicet corpus Domini, invicem expectate: si quis autem esurit, domi manducet.* Et ita videtur quod, postquam aliquis domi manducavit, possit in ecclesia corpus Christi manducare.

\* III, can. xxix.

3. PRAETEREA, in concilio Carthaginensi \* legitur,

α) aut. — et tertia.

et habetur *de Consecr.*, dist. I \*: *Sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario quo Cena Domini celebratur.* Ergo saltem illo die potest corpus Christi aliquis post alios cibos sumere.

\* Can. Sacramenta altaris.

4. PRAETEREA, sumptio aquae vel medicinae, vel alterius cibi vel potus in minima quantitate, vel etiam reliquiarum cibi in ore remanentium, neque ieiunium Ecclesiae solvit, neque sobrietatem tollit, quae exigitur ad hoc quod aliquis reverenter hoc sacramentum sumat. Ergo per praedicta non impeditur aliquis a sumptione huius sacramenti.

5. PRAETEREA, quidam de nocte profunda comedunt aut bibunt, aut <sup>α</sup> forte totam noctem in somnum ducentes, de mane percipiunt sacra mys-

α

teria, nondum plene digesti. Minus autem impediretur sobrietas hominis si in mane parum comederet, et postea circa nonam sumeret hoc sacramentum: cum etiam sit quandoque maior distantia temporis. Ergo videtur quod talis cibi praeassumptio non impediatur hominem ab hoc sacramento.

6. PRAETEREA, non minor reverentia debetur huic sacramento iam sumpto quam ante sumptionem. Sed, sumpto sacramento, licet cibum aut potum sumere. Ergo et ante sumptionem.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *Responsionum ad Ianuarium* \*: *Placuit Spiritui Sancto ut, in honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani Dominicum corpus intraret quam ceteri cibi.*

RESPONDEO DICENDUM quod aliquid impedit sumptionem huius sacramenti dupliciter. Uno modo, secundum se: sicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad significatum huius sacramenti, ut supra \* dictum est.

Alio modo, propter prohibitionem Ecclesiae. Et sic impeditur aliquis a sumptione huius sacramenti post cibum vel potum assumptum, triplici ratione. Primo quidem, sicut Augustinus dicit \*, *in honorem huius sacramenti*: ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum. — Secundo, propter significationem: ut scilicet detur intelligi quod Christus, qui est res huius sacramenti, et caritas eius, debet primo fundari in cordibus nostris; secundum illud Matth. vi \*: *Primo quaerite regnum Dei.* — Tertio, propter periculum vomitus et ebrietatis, quae quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur: sicut et Apostolus dicit, I Cor. xi \*: *Alius quidem esurit, alius vero ebrius est.*

Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt, etiam post cibum, si de eorum periculo dubitetur, ne sine communione decedant: quia *necessitas legem non habet* \*. Unde dicitur de *Consecr.*, dist. II \*\*: *Presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Augustinus in eodem libro \* dicit, *neque, quia post cibum Dominus dedit, propterea pransi aut cenati fratres ad hoc sacramentum accipiendum convenire debeant, aut mensis suis miscere, sicut faciebant quos Apostolus arguit et emendat. Namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum. Et ideo non praecepit ut deinceps tali ordine sumeretur: ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret  $\beta$  hunc locum.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod illud verbum in Glossa \* sic exponitur: *Si quis esurit, et impatiens*

*non vult expectare alios, manducet domi suos cibos, idest, pane terreno pascatur: nec post Eucharistiam sumat.*

AD TERTIUM DICENDUM quod capitulum illud loquitur secundum consuetudinem aliquando apud aliquos observatam, ut, in repraesentationem Dominicae Cenaе, illo die a non ieiunis corpus Christi sumeretur. Sed nunc hoc est abrogatum. Nam, sicut Augustinus in libro praedicto \* dicit, *per universum orbem mos iste servatur*, ut scilicet corpus Christi a ieiunis sumatur.

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte \* habitum est, duplex est ieiunium. Primum est ieiunium naturae: quod importat privationem cuiuscumque praeassumpti per modum cibi vel potus. Et tale ieiunium requiritur ad hoc sacramentum, propter praedicta \*. Et ideo neque post assumptionem aquae vel alterius cibi aut potus, vel etiam medicinae, in quantumcumque parva quantitate, licet accipere hoc sacramentum. Nec refert utrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat, aut per se aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi vel potus. — Reliquiae tamen cibi remanentes  $\gamma$  in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius sacramenti: quia non traiciuntur per modum cibi, sed per modum salivae. Et eadem ratio est de reliquiis aquae vel vini quibus os abluitur: dummodo traiciantur non in magna quantitate, sed permixtae salivae, quod vitari non potest.

Aliud autem est ieiunium Ecclesiae, quod instituitur ad carnis macerationem. Et tale ieiunium per praedicta non impeditur: quia praedicta non multum nutriunt, sed magis ad alterandum sumuntur.

AD QUINTUM DICENDUM quod, cum dicitur, *Hoc  $\delta$  sacramentum prius quam alii cibi debet mitti in os Christiani* \*, non est intelligendum absolute respectu totius temporis: alioquin qui semel comedisset et bibisset, nunquam postea posset hoc sacramentum accipere. Sed est intelligendum quantum ad eundem diem. Et licet principium diei secundum diversos diversimode sumatur, nam quidam a meridie, quidam ab occasu, quidam a media nocte, quidam ab ortu solis diem incipiunt  $\epsilon$ ; Ecclesia tamen, secundum Romanos  $\zeta$  \*, diem a media nocte incipit. Et ideo, si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi vel potus, non potest eadem die hoc sumere sacramentum: potest vero si ante mediam noctem.

Nec refert utrum post cibum vel potum  $\eta$  dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem praecepti. Refert autem quantum ad perturbationem mentis quam patiuntur homines propter insomnietatem vel indigestionem: ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius sacramenti.

\* Lib. I (Ep. LIV, al. CXVIII), cap. vi.

\* Art. 4.

\* Loc. cit.

\* Vers. 33.

\* Vers. 21.

\* Cf. de Reg. Iur. cap. IV.  
\*\* Can. Presbyter.

\* Loc. cit. in arg. Sed cont.

\* Lombardi.

$\beta$ ) ut Apostolis... servaret. — ab Apostolis... servaret I, ut Apostolis... servarent bc. — Ad locum, Al. modum margo P.  
 $\gamma$ ) cibi remanentes. — PFGHI; remanentes bc, cibi remanentium ceteri.  
 $\delta$ ) Hoc. — quod hoc tertia. Pro mitti, intrare post Christiani tertia.

$\epsilon$ ) incipiunt. — Pfa; incipient.  
 $\zeta$ ) secundum Romanos. — FIsG et c; om. ab, vero H, Romana P, sero ceteri.  
 $\eta$ ) potum. — assumptum addunt IsG et editiones.

\* Loc. cit.

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CXLVII, art. 6, ad 2.

\* In corpore.

\* Cf. arg. Sed contra.

\* Cap. Consuluit, de Offic. et Pot. Iud. del.; Dig. II, xii, de Feriis etc.

AD SEXTUM DICENDUM quod maxima devotio requiritur in ipsa sumptione sacramenti: quia tunc percipitur sacramenti effectus. Quae quidem devotio magis impeditur per praecedentia quam per sequentia. Et ideo magis est institutum quod homines ieiunent ante sumptionem huius sacramenti quam post. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti et reliquos cibos. Unde et in missa oratio gratiarum actionis post communionem dicitur; et communicantes etiam suas privatas orationes dicunt <sup>θ</sup>.

Secundum tamen antiquos canones statutum fuit a papa Clemente \*, ut habetur de *Consecr.*, dist. II \*: *Si mane Dominica portio editur, usque ad sextam ieiunent ministri qui eam sumpserunt: et si tertia vel quarta acceperint, ieiunent usque ad vesperum.* Antiquitus enim rarius missarum solemnium celebrabantur, et cum maiori praeparatione. Nunc autem, quia oportet frequentius sacra mysteria celebrare, non posset de facili observari. Et ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum.

\* Clem. I, Ep. II.  
\* Can. Tribus gradibus.

<sup>θ</sup>) dicunt. — dicant GHbc.

## ARTICULUS NONUS

### UTRUM NON HABENTES USUM RATIONIS DEBEANT HOC SACRAMENTUM ACCIPERE

IV Sent., dist. IX, art. 5, qu<sup>a</sup> 3, 4; dist. XXIII, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 3, 4; In Ioan., cap. VI, lect. VII.

AD NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non habentes usum rationis non debeant hoc sacramentum accipere. Requiritur enim quod aliquis ad hoc sacramentum cum devotione et praecedenti sui examinatione accedat: secundum illud I Cor. XI \*: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Sed hoc non potest esse in his qui carent usu rationis. Ergo non debet eis hoc sacramentum dari.

2. PRAETEREA, inter alios qui carent usu rationis, sunt etiam arreptitii, qui energumeni dicuntur. Sed tales etiam ab inspectione huius sacramenti arcentur, secundum Dionysium, in libro *Eccles. Hier.* \* Ergo carentibus usu rationis hoc sacramentum dari non debet.

3. PRAETEREA, inter alios carentes usu rationis maxime pueri videntur esse innocentes. Sed pueris hoc sacramentum non exhibetur. Ergo multo minus aliis carentibus usu rationis.

\* I, can. XIII.  
\*\* Can. Qui recedunt.

\* Aug. In Ioan. Evangel., tract. XXVI, num. 13.

SED CONTRA EST quod legitur in concilio Arausico \*, et habetur in Decretis, XXVI, qu. VI \*\*: *Amentibus quaecumque sunt pietatis, sunt conferenda.* Et ita est <sup>α</sup> conferendum hoc sacramentum, quod est *sacramentum pietatis* \*.

RESPONDEO DICENDUM quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter. Uno modo, quia habent debilem usum rationis: sicut dicitur non videns qui male videt. Et quia tales possunt aliquam devotionem concipere <sup>β</sup> huius sacramenti, non est eis hoc sacramentum denegandum.

Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate manserunt: et sic talibus non est hoc sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo praecessit huius sacramenti devotio. — Aut non semper caruerunt usu rationis. Et tunc, si prius, quando erant suae <sup>γ</sup> mentis compotes, apparuit in eis

huius sacramenti devotio, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel exspuitionis. Unde legitur in concilio Carthaginensi IV \*, et habetur in Decretis, XXVI, qu. VI \*: *Is qui in infirmitate poenitentiam petit, si casu, dum <sup>δ</sup> ad eum invitatus sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat poenitentiam, et, si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori eius Eucharistia.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod carentes usu rationis possunt devotionem ad sacramentum habere, quantum ad aliquos quidem praesentem, quantum ad alios autem praeteritam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Dionysius loquitur ibi de energumenis nondum baptizatis, in quibus scilicet nondum est vis daemonis extincta, quae viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, est eadem ratio et de aliis amentibus. Unde Cassianus dicit \*: *Eis, qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam a senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.*

AD TERTIUM DICENDUM quod eadem ratio est de pueris recenter natis, et de amentibus qui nunquam habuerunt usum rationis \*. Unde talibus non sunt sacra mysteria danda: quamvis quidam Graeci contrarium faciant, propter hoc quod Dionysius, II cap. \* *Eccles. Hier.*, dicit baptizatis esse sacram communionem dandam, non intelligentes quod Dionysius ibi loquitur de baptismo adultorum. — Nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitae patiuntur, propter hoc quod Dominus dicit, Ioan. VI \*, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quia, sicut Augustinus scribit Bo-

\* Can. LXXVI.  
\* Can. Is qui poenitentiam.

\* Collat. VII, cap. XXX.

\* Cf. corp. art.

\* Part. II, § 7.

\* Vers. 54.

<sup>α</sup>) est. — eis addunt F et tertia.  
<sup>β</sup>) concipere. — accipere DEGHpB et bc, concipere post sacramenti P.

<sup>γ</sup>) suae. — sanae F.  
<sup>δ</sup>) dum. — Tertia; om. — et accipiat poenitentiam om. BDEFpC et a.

\* Pseudo-Beda, Comment. in I ad Cor., cap. x, vers. 17. Cf. can. Nulli est, de Consecr., dist. IV.

nifacio \*, tunc unusquisque fidelium corporis et sanguinis Domini particeps fit, scilicet spiritualiter, quando in baptisate membrum corporis Christi efficitur.

Sed quando iam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.

Commentaria Cardinalis Caietani

\* Cap. Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.

In articulo nono, in responsione ad ultimum, adverte circa communionem puerorum et puellarum, cum ad annos discretionis pervenerint, iuxta cap. Utriusque sexus \*, quod iudicium de initio discretionis debet a parentibus et confessore fieri. A parentibus quidem, quoniam continua conversatione experiuntur an filius seu filia discernere sciat panem spiritualement a materiali, et cum devotione praeparare se ad sacramentum. A confessore vero, quoniam in ipsa confessione potest advertere quantum discretionis aut devotionis possit inesse.

Et videtur nimia cautela adhiberi a parentibus non exponentibus puellas decem annorum ad communionem. Dicunt enim quod sunt nimis parvae: cum tamen sufficientem habeant et discretionem et devotionem. Et licet ipsi pueri ac puellae videantur excusari, retrahentibus parentibus et confessore non praecipiente, quoniam disciplina aetatis illius exigit ut maioribus suis plus quam sibi ipsis et credant et pareant; parentes tamen non excusantur.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM LICEAT QUOTIDIE HOC SACRAMENTUM SUSCIPERE

IV Sent., dist. XII, qu. III, art. 1; I ad Cor., cap. XI, lect. VII.



ARTICULUS DECIMUS SIC PROCEDITUR. Videtur quod non liceat quotidie hoc sacramentum suscipere. Sicut enim baptismus repraesentat Dominicam passionem, ita et hoc sacramentum. Sed non licet pluries baptizari, sed semel tantum, quia Christus semel tantum pro peccatis nostris mortuus est, ut dicitur I Pet. III \*. Ergo videtur quod non liceat hoc sacramentum quotidie suscipere.

\* Vers. 18.

\* Qu. LXXXIII, art. 6.

α

β

2. PRAETEREA, veritas debet respondere figurae. Sed agnus paschalis, qui fuit figura praecipua huius sacramenti, ut supra \* dictum est, non manducabatur nisi semel in anno. Sed Ecclesia semel in anno α celebrat Christi passionem, cuius hoc sacramentum est memoriale. Ergo videtur quod non licet quotidie sumere hoc sacramentum, sed semel β in anno.

\* Vers. 8.

\* Vers. 8.

3. PRAETEREA, huic sacramento, in quo totus Christus continetur, maxima reverentia debetur. Ad reverentiam autem pertinet quod aliquis ab hoc sacramento absteineat: unde et laudatur Centurio, qui dixit, Matth. VIII \*, Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; et Petrus, qui dixit, Luc. V \*, Exi a me, Domine, quia homo peccator ego sum. Ergo non est laudabile quod homo quotidie hoc sacramentum suscipiat.

4. PRAETEREA, si laudabile esset frequenter hoc sacramentum suscipere, quanto frequentius sumeretur, tanto esset laudabilius. Sed maior esset frequentia si homo pluries in die sumeret hoc sacramentum. Ergo esset laudabile quod homo pluries in die communicaret. Quod tamen non habet Ecclesiae consuetudo. Non ergo videtur esse laudabile quod aliquis quotidie hoc sacramentum accipiat.

5. PRAETEREA, Ecclesia intendit suis statutis

fidelium utilitati providere. Sed ex statuto Ecclesiae fideles tenentur solum semel communicare in anno: unde dicitur Extra, de Poenit. et Remiss. \*: Omnis utriusque sexus fidelis suscipiat reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum: nisi forte, de proprio γ sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. Non ergo est laudabile quod quotidie hoc sacramentum sumatur.

\* Cap. Omnis utriusque sexus.

γ

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro de Verbis Domini \*: Iste panis quotidianus est: accipe δ quotidie quod quotidie tibi prosit.

\* Serm. LXXXIV inter Opp. Aug., al. de Verb. Dom. Serm. XXVIII. Cf. can. Non iste, de Consecr., dist. II; Caten. in Luc. cap. I, a. δ

RESPONDEO DICENDUM quod circa usum huius sacramenti duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris. Et ideo utile est quotidie ipsum suscipere, ut homo quotidie eius fructum percipiat. Unde Ambrosius dicit, in libro de Sacramentis \*: Si quoties effunditur ε sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur ζ, deo semper accipere, qui semper pecco, deo semper habere medicinam.

\* Lib. IV, cap. VI, num. 28. - Cf. can. Si quotiescumque, de Consecr., dist. II. ε ζ

Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur quod cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus, cum dixisset \*, Accipe quod quotidie tibi prosit, subiungit: Sic vive ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque se homo ad illud paratum invenerit. Unde in libro de Ecclesiasticis Dogmat. \* dicitur: Quo-

\* Loc. cit.

\* Cap. XXIII, al. LIII. - Inter Opp. Aug.

α) Sed... anno. - Ecclesia I, Semel etiam in anno Ecclesia P.  
β) semel. - solum semel PI.  
γ) proprii. - a et tertia praeter I; proprio.  
δ) accipe. - AsG a et editiones; accipere. Pro quod, ut editiones.

ε) effunditur. - F et tertia praeter H; effundis H, effundetur ceteri.  
ζ) effunditur. - PFsG et c; om. - pecco om. F; accipere... deo semper om. I; semper tertio loco om. omnes praeter P.

tidie Eucharistiae communionem accipere nec laudo nec vitupero.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod per sacramentum baptismi configuratur homo morti Christi, in se suscipiens eius characterem: et ideo, sicut Christus *semel mortuus est*, ita solum semel debet homo baptizari. Sed per hoc sacramentum non recipit homo Christi characterem, sed ipsum Christum, cuius virtus manet in aeternum: unde, ad Heb. x \*, *una oblatione consummavit sanctificatos in sempiternum*. Et ideo, quia quotidie <sup>7</sup> homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc sacramentum percipere.

\* Vers. 14.  
7

Et quia praecipue baptismus est spiritualis regeneratio, ideo, sicut homo semel carnaliter nascitur, ita debet semel spiritualiter renasci per baptismum: ut Augustinus dicit \*, super illud Ioan. III \*, *Quomodo potest homo nasci cum sit senex?* Sed hoc sacramentum est cibus spiritualis: unde, sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est. Unde Dominus, Luc. XI \*, docet petere, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: in cuius expositione Augustinus dicit, in libro *de Verbis Domini* \*: *Si quotidie acceperis*, scilicet hoc sacramentum, *quotidie tibi est hodie, tibi Christus quotidie resurgit: hodie enim est quando Christus resurgit*.

\* In Ioan. Evang. tract. XI, num. 6.  
\* Vers. 4.

\* Vers. 3.

\* Loc. cit. in arg. Sed cont.

AD SECUNDUM DICENDUM quod agnus paschalis praecipue <sup>0</sup> fuit figura huius sacramenti quantum ad passionem Christi, quae repraesentatur per hoc sacramentum. Et ideo semel tantum in anno sumebatur, quia *Christus semel mortuus est* \*. Et propter hoc etiam Ecclesia semel in anno celebrat memoriam passionis Christi. Sed in hoc sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi, qui quotidie sumitur. Et ideo quantum ad hoc significatur per manna, quod quotidie populo dabatur in deserto \*.

\* I Petr., cap. III, vers. 18.

\* Exod. cap. XVI, vers. 12 sqq.

\* I<sup>a</sup> II<sup>a</sup>, qu. LXVII, art. 4, ad 2; II<sup>a</sup> II<sup>a</sup>, qu. XIX, art. 9, 11, 12.

AD TERTIUM DICENDUM quod reverentia huius sacramenti habet timorem amoris coniunctum: unde timor reverentiae ad Deum dicitur timor filialis, ut in Secunda Parte \* dictum est. Ex amore

enim provocatur desiderium sumendi: ex timore autem consurgit humilitas reverendi. Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam huius sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando absteatur. Unde Augustinus dicit \*: *Si dixerit quispiam non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius affirmat quotidie: faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neque enim litigaverunt inter se Zacchaeus et ille Centurio, cum alter eorum gaudens suscepit Dominum, alter dixerit, « Non sum dignus ut intres sub tectum meum », ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo*. Amor tamen et spes, ad quae semper Scriptura nos provocat, praefertur timori: unde et, cum Petrus dixisset, *Exi a me, Domine, quia peccator homo ego sum*, respondit Iesus \*: *Noli timere*.

\* Ad Inquisit. Iannuar. lib. I (Ep. LIV, al. CXVIII), cap. III. - Cf. can. Quotidie, de Consecrat., dist. IV.

\* Vers. 10.

\* Cf. resp. ad 1, fin.

AD QUARTUM <sup>λ</sup> DICENDUM quod, quia Dominus dicit \*, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, non est pluries in die communicandum: ut saltem per hoc quod aliquis semel in die communicat, repraesentetur unitas passionis Christi.

AD QUINTUM DICENDUM quod, secundum statum <sup>μ</sup> diversum Ecclesiae, diversa circa hoc statuta emanarunt. Nam in primitiva Ecclesia, quando magis <sup>ν</sup> vigeat devotio fidei Christianae, statutum fuit ut quotidie fideles communicarent. Unde Anacletus Papa dicit \*: *Peracta consecratione, omnes communicent qui noluerint ecclesiasticis carere luminibus* <sup>ξ</sup>: *sic enim et Apostoli statuerunt, et sancta Romana tenet Ecclesia*. Postmodum vero, diminuto fidei fervore, Fabianus Papa \* indulget *ut, si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicent, scilicet in Pascha, in Pentecoste et in Nativitate Domini*. Soter etiam Papa \* in *Cena Domini* dicit esse communicandum: ut habetur in Decretis, *de Consecr., dist. II* \*. Postmodum vero, *propter iniquitatis abundantiam refrigerescere caritate multorum* \*, statuit Innocentius III \* *ut saltem semel in anno, scilicet in Pascha, fideles communicent*. - Consulitur tamen in libro *de Ecclesiasticis Dogmat.* \*, *omnibus diebus Dominicis communicandum*.

\* Ep. I. - Cf. can. Episcopus Deo, de Consecr., dist. I; can. Peracta, de Consecr., dist. II.

\* Concil. Turon. III, can. L. - Cf. can. Etsi non frequentius, de Consecr., dist. II.

\* Concil. Cabil. II, can. XLVII.

\* Can. In Cena Dom.

\* Matth. cap. XXIV, vers. 12.

\* Cap. Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.

\* Loc. cit. in corp.

7) *quotidie*. - tota die BCDEa.  
0) *praecipue*. - Om. BCDEFa.  
λ) *Si*. - P; om. I, licet ceteri. Pro *affirmat quotidie*, contra P.  
μ) *peccator homo ego*. - homo peccator ego ed. a, peccator ego Ebc, homo peccator Pl. Cf. qu. LXXXII, art. 5, ad 2. peccator sacerdos.

λ) *Ad quartum*. - Ordinem solutionum *Ad quartum* et *Ad quintum* invertunt omnes praeter Pa.

μ) *statum*. - statutum BCD, post *diversum* ponunt Pl.

ν) *magis*. - magna editiones.

ξ) *luminibus*. - Ga et editiones; spat. vac. H, *luminibus* ceteri.

### Commentaria Cardinalis Caietani

\* In corpore.

IN articulo decimo, circa quotidianam celebrationem, nota \* Augustini verbum: *Sic vive ut quotidie merearis accipere*. Quoniam per *sic vivere* intelligendum est spirituales vitam sic ducere ut quotidiana communione semper augeatur: alioquin non sic vivitur ut quotidie mereamur accipere. Nam qui quotidie meretur accipere, debet quotidie sic esse dispositus ut fructum Eucharistiae percipiat: fructus autem spiritualis huius cibi est non solum actualis refectio spiritus, sed augmentum gratiae; quoniam per totum tempus praesentis vitae sumus in statu augmenti.

Propter quod, crebro autem quotidie celebrantes discutiant in seipsis fructum praeteritae celebrationis: et secundum profectum vel defectum quem experiuntur in se, prosecutionem vel a prosecutione desistant. Qui enim, multis

celebrationibus peractis, ad actus virtutum non melius se habet quam prius, passionibusque non minus subiicitur quam prius, parum aut nihil celebrando profecit. Dico autem, *parum*: quia forte quoad aliquam actualem devotionem profecit. Dixi quoque, *post multas celebrationes*: quoniam non audeo asserere in qualibet celebratione oportere celebrantem esse dispositum sic ut per quamlibet celebrationem augeatur habitus gratiae. Dicit enim forte quispiam quod etiam puer, in statu augmenti, non ex quolibet sumpto cibo singillatim augetur. Quamvis hoc non multum urgere videatur: quia augmentum corporale a virtute naturali determinata ad naturalem dispositionem fit; augmentum autem caritatis a divina fit virtute, quantumque anima ad hoc se sufficienter praeparaverit.

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM LICEAT CESSARE OMNINO A COMMUNIONE

IV Sent., dist. XII, qu. III, art. 2, qu<sup>a</sup> 1; In Ioan., cap. VI, lect. VII.

**A**D UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod liceat cessare omnino a communione. Laudatur enim Centurio de hoc quod dicit <sup>α</sup>, Matth. VIII \*: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum*. Cui comparatur ille qui reputat sibi a communione esse abstinendum, ut dictum est \*. Cum ergo nunquam legatur Christum in eius domum venisse, videtur quod liceat alicui toto tempore vitae suae a communione abstinere.

2. PRAETEREA, cuilibet licet abstinere ab his quae non sunt de necessitate salutis. Sed hoc sacramentum non est de necessitate salutis, ut supra \* dictum est. Ergo licet a susceptione huius sacramenti omnino cessare.

3. PRAETEREA, peccatores non tenentur communicare: unde Fabianus Papa \*, cum dixisset, *Ter in anno omnes communicent*, adiunxit: *nisi forte quis maioribus criminibus impediatur*. Si ergo illi qui non sunt in peccato, tenentur communicare, videtur quod melioris conditionis sint peccatores quam iusti: quod est inconveniens. Ergo videtur quod etiam iustis liceat a communione cessare.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Ioan. VI \*: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, duplex est modus percipiendi hoc sacramentum, spiritualis scilicet et sacramentalis. Manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare: quia hoc est Christo incorporari, ut supra \* dictum est. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium

percipiendi hoc sacramentum, ut supra \* dictum est. Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum nisi impleretur quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiae \*, sed etiam ex mandato Domini, dicentis, Matth. XXVI β \*: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ex statuto autem Ecclesiae sunt determinata tempora exequendi Christi praeceptum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Gregorius dicit, in *Pastorali* \*, *illa est vera humilitas, cum ad respuendum hoc quod utiliter praecipitur, pertinax non est*. Et ideo non potest esse laudabilis humilitas si contra praeceptum Christi et Ecclesiae aliquis γ a communione absteineat. Neque enim Centurioni praeceptum fuit ut Christum in sua domo reciperet.

AD SECUNDUM DICENDUM quod hoc sacramentum dicitur non esse necessitatis sicut baptismus, quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc sacramento, non autem sine sacramento baptismi. Quantum vero ad adultos, utrumque est necessitatis.

AD TERTIUM DICENDUM quod peccatores magnum detrimentum patiuntur ex hoc quod repelluntur a perceptione huius sacramenti: unde per hoc non sunt melioris conditionis. Et licet in peccatis permanentes non excusentur propter hoc a transgressione praecepti, poenitens tamen, qui, ut Innocentius \* dicit, *secundum consilium sacerdotis abstinet* δ, excusatur.

\* Vers. 8.

\* Art. 10, ad 3.

\* Qu. LXXXIII, art. 3.

\* Cf. loc. cit. art. praeced., ad 5.

\* Vers. 54.

\* Art. 1.

\* Art. 9, ad 3; qu. LXXXIII, art. 3, ad 1.

\* Art. 1, ad 3; art. 2.

\* Cap. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.*

β  
\* Luc. XXII, vers. 19; I ad Cor., cap. XI, vers. 24, 25.

\* Part. I, cap. VI.

γ

\* Tertius. - Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.*  
δ

α) quod dicit. - Ed. a; quod dixit I, om. P, quod dicitur ceteri.  
β) Matth. XXVI. - Luc. XXII Pa. Cf. qu. LXXXIII, art. 5. α.  
γ) si... aliquis. - sed... aliquis A, sed... si aliquis BCDA, sed...

est si aliquis E, sed... si aliquis omnino HpG et bc, si... aliquis omnino PFIsg.

δ) abstinet. - F; si abstineret A, si abstinet BCDE, si abstineat ed. a, (Poenitentes PIsG et bc...) abstinet (excusantur) tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

\* In corpore.

IN articulo undecimo eiusdem quaestionis, circa illud \*, *Frustra autem esset votum nisi impleretur quando oportunitas adesset*, adverte quod oportunitas non sumitur hic pro commoditate sola, sed iuncta necessitati: ac si diceretur, *quando opus esset*. Dico autem hoc quia constat communionem non esse in praecepto quoties commoditas communicandi adest: cum sit praeceptum affirmativum, obligans ex natura sua tempore, non commoditatis, sed necessitatis.

Quod autem sit illud tempus necessitatis, cum Ecclesia iam determinaverit ad *semel in anno* \*, non oportet sollicitum esse. Curiosus tamen disputator ex his quae de tempore urgente adultos ad baptismum scripta sunt \*, inveniet.

II. Adverte hoc in loco hanc materiam non apparere usquequaque claram. Quoniam multi doctores, et Auctor in IV Sent., dist. IX, qu. I, art. 1 \*, tenent communionem non esse ex Christi, sed Ecclesiae praecepto necessariam. Et rationes in littera allatae inferentes communionem esse sub praecepto Christi, probabiles sunt. Nam prima ex communiter confessis, scilicet quod manducatio spiritualis

huius sacramenti sit de necessitate salutis, procedit; secunda autem ex mandato Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*. Non oportet propterea accipere has rationes ut coactivas. Quoniam primam posset quis subterfugere dicendo quod, licet manducatio spiritualis huius sacramenti claudat in se votum manducationis sacramentalis, non oportet tamen quod *manducatio spiritualis Christi* claudat in se votum manducationis sacramentalis. Angeli enim manducant spiritualiter Christum: et non manducant spiritualiter hoc sacramentum, nec habent votum manducandi sacramentaliter. Et similiter habens baptismum in voto tantum, manducat spiritualiter Christum: et non nisi remotissime habet in voto manducationem sacramentalem. Doctores autem, communiter loquendo, indistincte vocant spiritualem manducationem Christi, et spiritualem manducationem sacramenti Eucharistiae, ac si unum et idem essent, communi nomine appellando utramque *spiritualem manducationem corporis et sanguinis Domini*: cum tamen, formaliter loquendo, distinguantur formaliter, quoniam una respicit corpus Christi mysticum absolute, altera vero idem

\* Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.*

\* Qu. LXVIII, art. 3, Comment.

\* Qu<sup>a</sup> 2.

corpus Christi mysticum ut sacramento Eucharistiae significatur et confertur. Prima fit fide formata absolute, vel visione beata: secunda fit fide formata desiderante hoc sacramentum.

Secunda autem ratio evadi potest dicendo praeceptum Domini cadere non super hoc facere, sed super relationem ipsius facere ad suam commemorationem: iuxta interpre-

tationem Ecclesiae utentis hoc Domini mandato sub his verbis \*: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Et idem sensus habetur I ad Cor. XI \*, cum de calice subditur: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*.

Tutior proinde apparet via Auctoris hic, quamvis cogens ratio non apparet.

## ARTICULUS DUODECIMUS

### UTRUM LICEAT SUMERE CORPUS DOMINI SINE SANGUINE

IV Sent., dist. XII, qu. III, art. 2, qu<sup>a</sup> 2; In Ioan., cap. VI, lect. VII.

**A**D DUODECIMUM SIC PROCEditur. Videtur quod non liceat sumere corpus Domini sine sanguine. Dicit enim Gelasius Papa \*, et habetur de Consecrat., dist. II \*\*: *Comperimus quod quidam, sumpta tantummodo<sup>a</sup> corporis sacri portione, a calice sacrati cruoris abstinent. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur*. Non ergo licet corpus Christi sumere sine sanguine.

2. PRAETEREA, ad perfectionem huius sacramenti concurrat manducatio corporis et potatio sanguinis, ut supra \* habitum est. Si ergo sumatur corpus sine sanguine, erit sacramentum imperfectum. Quod ad sacrilegium pertinere videtur. Unde ibidem \* Gelasius subdit: *quia divisio unius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum celebratur in memoriam Dominicae passionis, ut supra \* habitum est, et sumitur pro animae salute. Sed passio Christi magis exprimitur in sanguine quam in corpore: sanguis etiam pro salute animae offertur, ut supra \* habitum est. Ergo potius esset abstinendum a sumptione corporis quam a sumptione sanguinis. Non ergo accedentes ad hoc sacramentum debent sumere corpus<sup>β</sup> sine eius sanguine.

SED CONTRA EST multarum ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.

RESPONDEO DICENDUM quod circa usum huius sacramenti duo possunt considerari: unum ex parte ipsius sacramenti; aliud ex parte sumentium. Ex parte ipsius sacramenti convenit quod utrumque sumatur, scilicet et corpus et sanguis: quia in utroque consistit perfectio sacramenti.

Et ideo, quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare et perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine.

Ex parte autem sumentium requiritur summa reverentia, et cautela ne aliquid accidat quod vergat in iniuriam tanti mysterii. Quod praecipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem, si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia, crescente multitudine<sup>γ</sup> populi Christiani, in qua continentur senes et iuvenes et parvuli, quorum quidam non sunt tantae discretionis ut cautelam debitam circa usum huius sacramenti adhiberent<sup>δ</sup>, ideo provide in quibusdam ecclesiis observatur ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Gelasius Papa loquitur quantum ad sacerdotes, qui, sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti<sup>e</sup> communicare debent. Ut enim legitur in concilio Toletano \*: *Quale erit sacrificium, ubi nec ipse sacrificans esse<sup>ε</sup> dignoscitur?*

AD SECUNDUM DICENDUM quod perfectio huius sacramenti non est in usu fidelium, sed in consecratione materiae. Et ideo nihil derogat perfectioni huius sacramenti si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumat utrumque.

AD TERTIUM DICENDUM quod repraesentatio Dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari. Potest autem a populo corpus sine sanguine sumi: nec exinde aliquod sequitur detrimentum. Quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit: et sub utraque specie totus Christus continetur, ut supra \* habitum est.

\* Primus.  
\*\* Can. Comperimus.  
α

\* Qu. LXXIII, art. 2.

\* Cf. arg. 1.

\* Qu. LXVI, art. 9, ad 5; qu. LXXIII, art. 4, 5; qu. LXXIV, art. 1.

\* Qu. LXXIV, art. 1; qu. LXXVI, art. 2, ad 1.

β

\* In can. Missae.  
\* Vers. 25.

γ

δ

ε

\* XII. - Can. Relatum est, de Consecr., dist. II.  
ζ

\* Qu. LXXVI, art. 2.

α) tantummodo. - PlsB; omnimoda Gbc, omnimodo ceteri. - cruoris PlsB; corporis. - Pro arceantur, adstringantur GHb.  
β) corpus. - Christi addunt PlpE.  
γ) crescente multitudine. - crevit multitudo P.

δ) adhiberent. - adhibeant P.  
ε) toti. - totum abc.  
ζ) ubi... esse. - ubi... participans esse sB, cui... particeps esse PsG.  
Cf. qu. LXXXII, art. 4, corp.

### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo duodecimo, circa communionem sub utraque specie, advertendum est esse duos extremos errores vitandos: alter est eorum qui tenent oportere populum communicare sub utraque specie; alter est eorum qui tenent populum communicantem sub utraque specie peccare. Utrique errant: primi quidem, damnando eos qui non communicant sub utraque specie; alii autem, damnando communicantes sub utraque specie.

Sancta autem mater Ecclesia media via incedendum docet, et utrumque posse fieri licite tradit. Quoniam, si ad sacramentum spectatur, communio sub utraque specie licita habetur: et si ad reverentiam sacramento debitam spectetur, licite a communionem sanguinis populus abstinet, ut in littera dicitur.

Et haec intellige, loquendo absolute de sacramento et ipsius reverentia. Nam descendendo ad ritus consuetudi-

nesque ecclesiarum, videtur servandus in qualibet ecclesia mos in ea ab antiquo servatus, si debita sacramento reverentia tuta est ibi, nec novitate aliqua perturbandus. Praesumptionis siquidem vitio non careret introducere communionem sub utraque specie ubi non est consueta. Immo a schismatis nota non esset alienum: propterea quod apud solos schismaticos in partibus occidentalibus hic mos vigere videtur.

**Quaestio prima. — An communio sub utraque specie sit in praecepto.**

**O**CCURRIT hic circa communionem sub utraque specie triplex quaestio perspicaciter discutienda propter novitates: scilicet de necessitate, de utilitate\*, et de congruentia\*.

- \* Qu. Secunda.
- \* Qu. Tertia.
- \* Cf. num. xi.
- \* Vers. 54.

Quaeritur enim primo, an communio sub utraque specie sit in praecepto. Videtur enim quod sic. *Primo*\*, ex verbis Domini, Ioan. vi\*: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ubi manifeste de necessitate salutis explicatur esse manducare carnem et bibere sanguinem Christi.

Si dicatur quod textus iste non loquitur de manducatione sacramentali, sed spirituali: habetur nihilominus intentum. Quoniam manducare spiritualiter claudit in se votum manducandi sacramentaliter; et similiter bibere spiritualiter claudit in se votum bibendi sacramentaliter. Hinc enim manifeste sequitur quod, si est de necessitate salutis manducare et bibere hoc sacramentum spiritualiter, oportet de necessitate quoque salutis esse manducare et bibere illud sacramentaliter: alioquin frustra essent huiusmodi vota seu desideria, quae nunquam oporteret implere. — Et declaratur vis huius processus ex simili in baptismo fluminis, quod claudit in se votum baptismi fluminis: ut patet applicanti.

- \* Cf. num. xii.
- \*\* Vers. 19.

*Secundo*\*, ex praecepto Domini, Luc. xxii \*\*: *Hoc facite in meam commemorationem*. Monstrat enim ly hoc quod ipse Dominus fecit, scilicet consecrare et tradere sub utraque specie.

- \* Cf. num. xiii.

*Tertio*\*, ex perfectione sacramenti. Cadit enim sub divino praecepto perfectio sacramenti. Constat autem sacramentum hoc integrari ex utraque specie: quoniam est unum sacramentum unitate perfectionis; ex cibo enim et potu constat alimentum perfectum.

Si dicatur quod, quamvis sub divino praecepto cadat perfectio sacramenti, non tamen perfectio usus, ubi sacramentum distinguitur ab illius usu, ut contingit in proposito: — contra. Sacramentum hoc est propter ipsius usum: alimentum enim est propter alendum. Ergo, si perfectio sacramenti est praecepta, multo magis praecepta est perfectio ipsius usus: quanto magis finis est magis intentus quam id quod est ad finem.

*In oppositum* est communis doctorum auctoritas, cum consuetudine Romanae Ecclesiae, cum omnibus fere occidentalibus ecclesiis.

II. In hac quaestione sex sunt agenda: primo, narrabitur varia circa hoc observatio; secundo, distinguuntur difficultates quatuor circa hoc\*; tertio, tractabitur prima difficultas\*; quarto, tractabitur secunda\*\*; quinto, tractabitur tertia\*; sexto, tractabitur quarta\*\*.

- \* Num. iii.
- \* Num. iv.
- \*\* Num. v.
- \* Num. ix.
- \*\* Num. x.

Quoad primum, Nestorius et Pelagius, cum sequacibus, adstruxerunt universaliter servandam communionem sub utraque specie, diversa tamen ratione moti\*. Nestorius enim putavit sub specie panis corpus tantum Christi esse, et sub specie vini sanguinem tantum, quia in morte Christi sanguis fuit separatus a corpore. Et propterea sub utraque specie oportebat sacramentum sumi, ut integer Christus sumeretur, in memoriam mortis eius.

- \* Cf. Orat. beati Ioan. de Ragus, in Concil. Basil., Labb. XII, 1072, 1073.

- \* Vers. 54.

Pelagius autem, motus ex verbis Domini, Ioan. vi\*, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, utramque sacramenti speciem etiam ad infantes baptizatos extendit, dogmatizando quod, si infans non posset sacramentalem panem sumere, deberet panis contritus cum sanguine infundi in os infantis, et, si quidpiam eiectum esset, esse illud comburendum,

iuxta praeceptum antiquum de agno paschali, *Si quid residuum fuerit, igne comburetis*\*.

- \* Exod. cap. xii, vers. 10.

Et hinc forte olim Graecorum illorum quos Auctor in littera noni articuli\* nominavit, et similiter paulo ante centum annos Bohemorum abusus in communicando infantes ortus est, quodam Iacobello novitatem communionis sub utraque specie Bohemis suggerente\*. — Haec de primo.

- \* Resp. ad 3.

III. Quoad secundum\*, tres sunt differentiae considerandae: prima est inter infantes et adultos; secunda est inter sacerdotes et alios adultos; tertia est inter conficientes hoc sacramentum et non conficientes. Emergunt siquidem ex his tribus differentiis quatuor speciales difficultates. Prima est, an communio sub utraque specie sit necessaria omnibus, comprehendendo etiam infantes\*. Secunda est, an sit necessaria omnibus adultis\*. Tertia est, an sit necessaria omnibus sacerdotibus\*. Quarta est, an sit necessaria omnibus conficientibus\*. Quaelibet enim harum difficultatum habet opinantes pro utraque parte. — Haec de secundo.

- \* Cf. Maurit. de Praga, contra Iacobum de Misa, al. Iacobellum, tract. 2 (Mansi XXVIII, 447 sqq.); Concil. Constant. Sess. XIII, decr. Martini V (Mansi XXVII, 726-728).
- \* Cf. num. praec.
- \* Cf. num. seq.
- \* Cf. num. v.
- \* Cf. num. ix.
- \* Cf. num. x.

IV. Quoad tertium, circa primam difficultatem, an scilicet communio sub utraque specie sit necessaria etiam infantibus\*: — quidquid garrere possint haeretici tenentes partem affirmativam; aut quicumque errantes communicantes sub una tantum specie infantes; clara luce manifestum est infantibus neutro modo sacramentum hoc esse exhibendum.

- \* Cf. num. ii, init.; num. iii.

*Tum* quia fundamentum ex Scriptura sumptum a Pelagio, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, pro eis non facit. Quoniam, intellectum de sacramentali manducatione, haeresim inducit manifestam, scilicet quod baptismus non sufficiat infantibus ad vitam aeternam. Si enim ad baptizatos infantes dicitur, *Nisi sumpseritis hoc sacramentum Eucharistiae, non habebitis vitam in vobis*, consequens est quod ex baptismo non habeant vitam: et consequenter, si cum solo baptismo decederent, non haberent vitam aeternam; quod constat haeresim esse damnatam\*.

*Tum* quia sacramentum Eucharistiae datur ut alimentum animae: propterea enim datur sub specie panis et vini. Alimentum autem, sicut non datur nisi viventi (non enim potest sumi a mortuis), ita non datur nisi habenti aliquam operationem vitalem: frustra enim alimentum poneretur in os impotentis illo quovis modo uti, nam nihil prodest alimentum alicui qui ad illud ut mortuus se habet. Sed infans baptizatus nullam habet operationem vitalem secundum vitam spiritualem. Ergo ei non convenit sumere alimentum spirituale.

- \* In Conc. Vienn. Clem. cap. Fid. Cath., de Summ. Trin. et Fid. Cathol. Cf. Concil. Florent. Decret. pro Armen.

At si contra hanc rationem obiiciatur falsum assumere, quia Ecclesia consuevit infirmis adultis in extremo vitae insensibiliter constitutis, vel etiam phrenesim patientibus Eucharistiam tribuere, sine omni operatione vitali interioris spiritus: — facile excluditur obiectio, animadvertendo quod, licet tales adulti in extremo constituti nullam habeant pro tunc vitalem spiritus operationem, habuerunt tamen eam ante, petendo implicite vel explicite hoc sacramentum. Et propterea negatur amentibus a nativitate, sicut et infantibus, quoniam utrique nec pro tunc nec antea actum aliquem spiritus habuerunt.

Si vero obiecerit quispiam falsum in adducta ratione subsumi, eo quod infantes habent vitales spiritus operationes, scilicet *credere* et *abrenuntiare Satanae*, etsi non spiritu proprio, spiritu tamen Ecclesiae, ut patet cum baptizantur: — facile quoque haec obiectio excluditur. Quoniam, si sic esset, accommodasset Ecclesia has operationes vitales pueris in susceptione Eucharistiae, sicut accommodavit eis in susceptione baptismi. Et cum huiusmodi accommodatio nullibi facta sit respectu Eucharistiae, consequens est ut non nisi propria voluntate fingatur. In promptu enim ratio est quare in baptismo habeat locum huiusmodi accommodatio, et non potest habere locum in Eucharistia. Per baptismum enim generatur infans in filium Dei; generatio autem non exigit cooperationem eius qui generatur; et propterea accommodatio Ecclesiae non necessitatis, sed solemnitatis caeremonialis est in baptismo. Per Eucharistiam autem nutritur sumens illam; nutritio



autem exigit cooperationem vitalem eius qui nutritur; et propterea accommodatio caeremonialis non suppleret actus personales necessarios sumentis Eucharistiam. – Unde stat ratio solida.

Tum quia hoc etiam verbis Domini repugnat cum primo tradidit hoc sacramentum. Dixit enim, *Accipite et manducate* \*: docens per hoc quod illis tantum est tribuendum qui possunt, aut potuerunt, manducare corporaliter. Ita quod, sicut non regeneratur baptismo nisi carnaliter natus, ita non sumitur hoc sacramentum nisi carnaliter manducatum. Et propterea infans, qui nunquam potuit nec potest manducare carnaliter panem, ab ipso Domino excluditur a manducatione sacramentali. – Haec de tertio.

V. Quoad quartum, an communio sub utraque specie necessaria sit omnibus fidelibus adultis \*, ex argumentis in principio \* adductis apparet pars affirmativa vera. Ex usu autem Ecclesiae monstratur falsa. Et quoniam maxima vis fit in saepe dictis verbis Domini Ioan. vi, ideo subtilius discutienda sunt.

Et in primis notandum, ultra duos manducandi modos qui consueverunt distingui circa hoc sacramentum, inveniri alium modum manducandi, non sacramentum, sed Christum. Ita quod conficiuntur tres modi manducandi Christum, scilicet: vel sacramentaliter; vel spiritualiter, sub sacramento tamen in re aut in voto; vel pure spiritualiter. Et ut clarius percipiatur quod dicimus, declarandum ex convenientia et differentia, et deinde \* probandum ex Scriptura est quod dicimus.

Conveniunt siquidem hi duo modi manducandi Christum spiritualiter in hoc quod uterque ponit manducantem esse Christi membrum vivum.

Differunt autem primo, in hoc quod manducare Christum est ex suo genere manducatio pure spiritualis: manducare autem spiritualiter Christum in Eucharistia est manducatio alligata ad sacramentum re vel voto. Et hoc quidem testatus est Auctor in secundo huius quaestionis articulo, cum dixit: *Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum prout est sub speciebus huius sacramenti, in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum*: ubi manifeste apparet spiritualement manducationem Eucharistiae claudere in se ordinem ad sacramentum. Manducatio autem Christi absolute quod sit ex suo genere pure spiritualis, ex eo patet quod huiusmodi manducatio terminari potest et ad deitatem secundum se, iuxta illud Luc. xxii \*, *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*, ibi enim nulla erit ratio sacramenti, sed pure spiritualiter edent et bibent Deum sicuti est, sicut ipsa Christi anima Deo fruitur; et ad spiritualia dona gratiae, iuxta illud Ioan. iv \*, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum*, etc.

Et hinc differunt secundo, in hoc quod manducare spiritualiter Christum sub sacramento proprium est viatoribus in novo Testamento adultis: manducare autem pure spiritualiter Christum commune est comprehensoribus et viatoribus, scriptum est enim \*, *Panem angelorum manducavit homo*; commune quoque est novi et veteris Testamenti iustis, scriptum est enim \* quod *non aliud nomen datum est sub caelo in quo oportet homines salvos fieri*; et demum commune est iustificatis infantibus et adultis, per baptismum enim Christi membra viva etiam infantes fiunt.

Probat autem hic modus comedendi Christum spiritualiter, quod non sit confictus aut noviter adinventus, tum ex eo quod omnes fatemur Christum esse panem angelorum et hominum. – Tum ex eo quod huiusmodi manducatio millies habetur in Scriptura: et nulla est ratio quare non possit terminari ad Christum, sicut terminatur ad alia et superius inducta et quae possent induci, ut est illud *Proverb. ix* \* in persona Sapientiae, *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis*, etc.

Nec propterea arguendi sunt doctores insufficientiae, qui duos tantum modos manducandi distinxerunt. Quoniam

de modis manducandi Christum sub sacramento tractabant: tales autem modi non sunt nisi duo. Nos autem ex ipsis sacris doctoribus apposuimus hunc alium modum spiritualiter manducandi, non sacramentum, sed Christum, ut hinc clariorem redderemus sensum Evangelii et sanctorum doctorum.

VI. His itaque praemissis, accimus quod saepe dicta Domini verba, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, intelliguntur ad litteram de manducatione spirituali Christi, abstrahendo tam a manducatione sacramentali quam a manducatione spirituali sacramenti in re vel in voto. Probatque tripliciter: primo, ex textu Evangelii; secundo, ex contextu eiusdem \*; tertio, auctoritate Sanctorum \*\*.

Textus in primis ipse, dum dicit, *Nisi manducaveritis, non habebitis vitam in vobis*, manifeste monstrat quod de illa manducatione et bibitione loquitur sine qua non potest esse vita spiritualis in nobis. Sed sola manducatio spiritualis Christi est illa sine qua non potest esse vita in nobis. Ergo de ipsa sola loquitur textus Evangelicus. – Maior est nota per se. – Minor autem, propter dictionem exclusivam, habet duas partes. Alteram affirmativam, scilicet: *Manducatio spiritualis Christi est illa sine qua non possumus habere vitam*. Et haec etiam est per se nota intelligentibus terminos: quoniam manducare spiritualiter Christum est esse Christi membrum vivum; constat enim quod, nisi simus Christi membra viva, non possumus habere vitam spiritus in nobis. Alteram negativam, scilicet: *Nulla alia manducatio est sine qua non est vita in nobis*. Et haec probatur ex eo quod tam sine manducatione sacramentali, quam sine manducatione spirituali sacramenti huius in re vel in voto, potest esse et de facto est vita in nobis: ut testatur vita infantium baptizatorum, quibus firmiter credimus baptismum solum, absque aliquo alio sacramento, sufficere ad vitam aeternam. – \* Et hinc apparet quod idem sit dicere haec Domini verba intelligi de manducatione sacramentali vel spirituali ipsius sacramenti, et dicere quod baptismus non sufficit ad vitam spiritualem in nobis habendam.

Nec mihi aliquis occurrat dicendo quod baptismus habet annexum votum sacramenti Eucharistiae. Quoniam huiusmodi sententia, cum in sacris invenitur doctoribus \*, venerabiliter suscipienda est, in suo tamen ordine: hoc est, ut adaptatio quaedam; et non ut inde argumentum sumatur efficax ad firmandam veritatem eorum quae in quaestione fidei versantur. Secundum namque veritatem, baptismus ex se solo sufficit ad vitam aeternam, et non mendicat hoc ex aliquo annexo voto alterius sacramenti. Si enim hoc ex annexo voto haberet, non ipsi baptismus, sed illi alteri sacramento infantium baptizatorum salus attribueretur et attribuenda esset: cum tamen non solum Ecclesia universalis cum sanctis doctoribus, sed etiam Dominus ipse baptismum attribuat vitam spiritus; ut patet Ioan. iii, ubi, cum dixisset Nicodemo \*, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei*, statim subdidit effectum huius regenerationis esse vitam spiritus, dicens \*, *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est*. – Et confirmatur hoc. Quia in idem redit dicere baptismum dare vitam ex voto alterius sacramenti, et dicere baptismum non sufficere ad vitam: et hoc, si proprie et formaliter loquimur, ut loqui debemus et Scripturae intelligendae sunt.

Patet autem non intendi a sacris doctoribus per huiusmodi adaptationem baptismum habere in voto manducare carnem Filii hominis et bibere eius sanguinem in sacramento, ex hoc quod ipsi sacri doctores tenent huiusmodi votum non esse de necessitate salutis. Quoniam tenent quod communicare sub utraque specie non est de necessitate salutis. Cuius oppositum esset verum si in baptismo manducaretur spiritualiter panis sacramentalis et biberetur spiritualiter sanguis sacramentalis: nam quod tunc fit voto, necesse est postea exequi in re, quando opportunus aderit.

Stat ergo solida fundata ratio super textu Evangelico, qui est lex generalissima a Christo promulgata, et non

\* I ad Cor., cap. xi, vers. 24.

\* Cf. num. ii, init.; num. iii.  
\* Num. i.

\* Num. vi.

\* Vers. 29, 30.

\* Vers. 13.

\* Ps. lxxvii, vers. 25.

\* Act. cap. iv, vers. 12.

\* Vers. 5.

\* Num. vii.  
\*\* Num. viii.

\* Et hinc... habendam om. P.

\* Cf. art. 11; qu. lxxxiii, art. 3, ad 1.

\* Vers. 5.

\* Vers. 6.

minus necessaria quam illa alia lex, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Nec oportet laborare ad hoc probandum: quoniam aperta sunt utrobique verba Domini, et, ad litteram intellecta, haec continent.

\* Ioan. cap. vi, vers. 24-59. Cf. num. vi, init.

\* Vers. 7 sqq.

\* In Ioan. Evang. tract. XXV, n. 12.

\* In cuius... sacramentalibus sed om. P; et enim inserit ante materiales.

\* ut... sacramentalem sed om. P.

\* non ut... sanguinis sed om. P.

VII. Deinde probatur hoc idem ex contextu Evangelii \*. Ubi advertendum est quod doctrina ista Domini incoepit occasionaliter: sicut doctrina quam Dominus dedit Samaritanae de aqua viva, occasione sumpta ex aqua naturali, ut patet Ioan. iv \*. Iudaei enim, post miraculum de quinque panibus et duobus piscibus, quaerentes Iesum, audierunt ab ipso: *Quaeritis me quia manducastis ex panibus et saturati estis.* Et statim subdidit Dominus: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.* Et sic inchoato sermone de cibo spirituali, quaesierunt Iudaei, intelligentes per cibum spirituale opera sancta: *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* Et audierunt a Domino, *ut crederent in ipsum:* declarando quod cibus spiritualis ac opus Dei esset credere in ipsum. Quo audito, Iudaei quaesierunt ab eo signum, ut sic crederent ipsi, commemorantes signum mannae in deserto, tanquam panis caelestis: quasi dicerent, ut Augustinus exponit \*: *Si vis ut credamus tibi, fac plus nobis quam fuerit factum patribus nostris, qui manducaverunt manna in deserto.* Et tunc Dominus, ubi prius de cibo locutus fuerat, ad cibi speciem descendit, proponens panem spirituale. Et primo quidem, proponit panem verum esse, non quemcumque, sed eum *qui de caelo descendit et dat vitam mundo.* Et subdit *se esse panem vitae et de caelo descendisse.* Manifestatque horum duorum primum ex actibus spiritualibus: scilicet quod venire ad ipsum, et credere in ipsum, tollit totaliter famem et sitim mentis, et tandem etiam corporis. Et, interposita murmuratione Iudaeorum de secundo, scilicet quod descendit de caelo, et eorum repressione, manifestat secundum, de quo murmuraverant, ex spiritualibus quoque actibus, scilicet quod *credere in ipsum est habere vitam aeternam;* et ex differentia inter manducantes manna et ipsum, quia *illi mortui sunt, si quis autem manducaverit ex ipso, non morietur, sed vivet in aeternum.* Et in calce, amplius explanans Dominus panem de quo loquebatur, ad carnem descendit, dicens: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quo audito, litigabant Iudaei ad invicem: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Et tunc dixit eis Iesus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ubi, diligenter advertendo, clara luce patet quod, cum totus praecedens sermo fuerit de actibus pure spiritualibus, de spirituali quoque manducatione et potatione ipsius Christi carnis et sanguinis sermo praesens, ad litteram, est. \* In cuius signum, nunquam in toto illo capitulo fit mentio de speciebus sacramentalibus: sed, post panes materiales, primo de cibo spirituali; deinde de pane caelesti, quia Iudaei, obicientes manna, adduxerunt Scripturam, *Panem de caelo dedit eis manducare;* et postea de carne et sanguine. Et iterum rediens Dominus ad panem qui de caelo descendit et ipsius excellentiam supra manna, conclusit sermonem, \* ut ex ipso contextu intelligeres quod non meminit panis ut traderet speciem sacramentalem, sed ut responderet Iudaeis de pane dato de caelo, et monstraret se, et non manna, esse panem verum qui de caelo descendit. Carnis quoque et sanguinis meminit, \* non ut species sacramentales traderet, quoniam, ut patet, sacramentum non celebratur sub specie carnis et sanguinis: sed ut doceret non sufficere ad vitam nostram credere in ipsum Christum, panem qui de caelo descendit, hoc est, Deum et hominem; sed oportet etiam credere ipsius pro mundi vita passionem et mortem, in qua sanguis separatus fuit a carne. Hoc enim est quod aperte Dominus subdidit cum dixit, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* caro enim sua pro mundi vita fuit caro passa et occisa pro mundi vita, morte enim sua vivificavit mundum. Unde et, litigantibus de hoc Iudaeis, statim de carne et sanguine, et non de speciebus sacramentalibus, subdidit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem,* etc.

Et sine intervallo declaravit quid sit manducare eius carnem et bibere eius sanguinem, subdens: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die:* ubi etiam vitam corporis consequendam, non tunc tamen, sed in novissimo die, a manducantibus eius carnem et bibentibus eius sanguinem, explanavit.

Quocirca, cum ex solo sensu litterali trahatur efficax argumentum; et sensus litteralis ex contextu praecipue pendeat; et, ad litteram, tam ex textu quam ex contextu de spiritualibus actibus solummodo \* sermo sit: consequens est ut textus iste de spirituali manducatione Christi carnis et sanguinis, hoc est, de fide in ipsum et mortem eius, \* et non de sacramenti Eucharistiae spirituali aut sacramentali manducatione, sermo sit.

\* solummodo om. P.

\* et non... manducatione om. P.

Et si quaeratur quare Christus nostram in ipsum et mortem eius fidem sub metaphora manducationis et bibitionis docuerit, in promptu est ratio multiplex. Primo, ut monstraretur quod nostra in Christum coniunctio per fidem formatam esset participatio caelestis beatitudinis, de qua scriptum est \*: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* – Secundo, ut monstraretur se esse Patris Sapientiam, quae dixerat, *Proverb. ix* \*: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* – Tertio, ut monstraretur quod etiam caro sua occisa, et sanguis suus etiam separatus a carne, haberent vim satiativam mentis humanae: et hinc disceremus carnis et sanguinis Christi coniunctionem ad deitatem, ex qua vim satiativam intellectus et affectus habent. – Quarto, ut sic fundamenta iacerentur ad manducationem et bibitionem sacramentalem. Nam ex hoc quod credere in Christum et mortem eius est satietas mentis, et refectio sapientiae, et participatio quaedam caelestis felicitatis, facile discere possumus quod digne sumere sacramenta corporis et sanguinis Domini est et caelestis participatio convivii, et in Sapientiae mensa edere et bibere, etc.

\* Ps. xxxv, vers. 9.

\* Vers.

Et hinc processit ut a doctoribus sacris extendatur quandoque textus istius capituli ad sacramentum Eucharistiae, et manducandum et bibendum sacramentaliter, digne tamen, Christum seu carnem et sanguinem eius. Quamvis et multiplex alia sit huius ratio: scilicet, quia res de qua est sermo in textu isto, est res significata sacramento Eucharistiae; familiare est enim signati conditiones signo attribuere. Et quia unus atque idem secundum substantiam est panis spiritualis et panis sacramentalis. Et manducare ac bibere spiritualiter Christum, et manducare ac bibere sacramentaliter sacramentum, sunt unum et idem secundum substantiam, sola relatione ad sacramentum sensibile differentia. Hinc enim fit ut, tam in scriptis quam in sermonibus in quibus huiusmodi differentia propositum non variat, frequentissimo usu unum pro alio ponamus aut exponamus.

VIII. Tertio, probatur idem auctoritate Sanctorum \*. Et primo, quod haec sit communis Sanctorum et theologorum expositio: quoniam communiter exponitur de spirituali manducatione carnis, et spirituali potu sanguinis Christi. \* Et quod per hoc intendant spirituales sumptionem ut abstrahit a sacramentali in re vel in voto, probatur ex eo quod ideo exponunt de spiritualiter manducare et bibere, ut apud totam Ecclesiam universalis, indubitatus et effugativus quaestionum sensus litteralis habeatur. Constat namque quod, si de sacramentali sumptione in re aut in voto exponatur, nec universalis nec indubitatus sensus habetur, sed multae emergunt inde quaestiones. Quoniam aut non includuntur omnes baptizati: aut dubia de baptismo infantum surgunt. Et rursus, aut \* omnes sunt sub utraque specie communicandi: aut bibere sacramentaliter est idem quod comedere sacramentaliter. Oportet quaerere et discutere: et inde variae opiniones aut sectae fiunt. Quae omnia a Sanctorum et communi theologorum intentione longe sunt.

\* Cf. num. vi, init.

\* Et quod... sectis aut opinionibus (post med. num.) om. P.

\* Margo AB: vel an.

Quocirca diligens lector attendat quod, si legit exponi textum hunc de manducare et bibere spiritualiter carnem et sanguinem Christi, clare habetur veritas. Si vero quandoque legit exponi illum de manducare et bibere spiritua-

liter sacramentum corporis et sanguinis, intelligat eandem veritatem minus caute forsan significatam: designando vel partem a toto, nam in spirituali sumptione Eucharistiae clauditur et spiritualis sumptio Christi et spiritualis sumptio Christi sub sacramento; vel signatum a signo, nam res non contenta sed significata sacramento Eucharistiae est unitas mystici Christi corporis vivi, quam manducando spiritualiter Christum assequimur; vel purum intelligibile seu spirituale a partim intelligibili et partim sensibili, nam manducatio spiritualis Christi est pure intelligibilis seu spiritualis, manducatio autem spiritualis Eucharistiae in re vel in voto est partim spiritualis et intelligibilis, quia consistit in interioribus actibus fidei et caritatis, et partim sensibilis, quia tendit ad sacramentum sensibile. Et procul dubio rationis ordo poscit ut, existentibus duabus expositionibus quarum una sit indubie vera et plana et absque quaestionibus, alia vero dubia et multas ingerens difficultates, illa quae indubie est vera et plane consonat absque glossis litterae, acceptanda sit pro sensu litterali: et tanto magis in proposito quanto indubitata expositio universalissime, ut sonat, salvat Christi legem et totius Ecclesiae Catholicae usum; altera vero particularibus tantum consonat sectis aut opinionibus.

\* Cf. can. *Nulli est de Consecr.*, dist. IV.

\* Ioan. cap. III, vers. 5.

\* Tract. XXVI, num. 15.

\* Num. XI sqq.

\* Can. *Denique*, dist. XXI. - Cf. cap. *Damnatus*, de *Summ. Trin.* et *Fid. Cathol.*; can. *A recta fide*, Caus. XXIV, qu. I.

\* Cf. num. II, init.; num. III.

\* Cf. num. II, init.; num. III.

\* Num. I.  
\*\* Cf. num. VI, init.

\* Num. I, Secundo.

Deinde probatur idem sensus auctoritate Augustini, ad *Bonifacium* \*, exponentis hanc Domini legem adimpleri in infantibus baptizatis, dicendo: *Tunc unusquisque fidelium corporis et sanguinis Domini particeps fit, quando in baptismo membrum Christi efficitur*. Ubi videre potes utrumque: scilicet quod de manducare et bibere spiritualiter corpus et sanguinem Christi intelligitur lex Domini; et quod lex illa extendit se ad omnes, sicut et illa \*, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu*, etc. - Et eundem sensum explicat idem Augustinus *super Ioannem*, dicens \*: *Hunc cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia*, etc.

Ex quibus omnibus, coniunctis cum dicendis in solutione argumentorum \*, manifestum relinquitur quod communio sub utraque specie non est necessaria adultis omnibus: cum nullum ad hoc habeatur praeceptum; nullaque ad hoc ratio cogat; et innumerae Christi ecclesiae, cum *ecclesiarum omnium magistra Romana Ecclesia* \*, oppositum doceant ac faciant. - Haec de quarto.

IX. Quoad quintum, an communio sub utraque specie sit necessaria omnibus sacerdotibus \*: quia hoc coincidit cum quaestione illa, an quilibet sacerdos teneatur quandoque celebrare; et hoc ex proposito tractabitur inferius in articulo ultimo quaestionis octogesimae secundae; ideo nunc pertranseundum est, ne idem saepius repetatur. - Haec de quinto.

X. Quoad sextum, an communio sub utraque specie sit necessaria omnibus consecrantibus \*, clare patet quaestio solutio ex decreto Gelasii Papae, de *Consecr.*, dist. II, cap. *Comperimus*, ubi *grande sacrilegium* esse dicitur celebrantem sumere sub altera tantum specie; et in capite praecedenti damnantur celebrantes et in nulla specie sumentes. Et quoniam hoc in dubium non vertitur, ideo haec de sexto sufficient.

XI. Ad primum ergo in oppositum \* ex dictis \*\* patere potest responsio, consistens in hoc, quod praeceptum Domini intelligitur de cibo et potu spirituali carnis et sanguinis Domini. Et licet manducare spiritualiter sacramentum corporis et sanguinis Christi claudat in se votum manducandi et bibendi sacramentaliter, non est tamen verum quod manducare et bibere spiritualiter carnem et sanguinem Christi claudat in se votum manducandi et bibendi sacramentaliter: sed claudit in se beneficium quod significatur et confertur corporis et sanguinis sacramento, scilicet esse Christi et Ecclesiae membrum vivum.

XII. Ad secundum \*, de Christi mandato, *Hoc facite in meam commemorationem*, respondetur, ad hoc ut omnis cavillatio tollatur, quadrupliciter. *Primo*, quod illa verba Domini habent triplicem vim. Sunt enim institutoria celebrationis Eucharistiae in Ecclesia, ut patet. Sunt et collativa potestatis sacerdotalis ad consecrandam Eucharistiam: communiter enim fatemur per haec verba Apostolos esse

ordinatos in sacerdotes. Sunt et praeceptiva, non ipsius operis, sed ordinis ad suam commemorationem, quod est praecipere ordinem operis in sui memoriam: ut Ecclesia attestatur, utens his Domini verbis in missa sub hac forma, *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*; ubi manifeste explicatur praecipi non opus ipsum, sed ordinationem operis in sui memoriam.

Et si arguat quis ex vi institutoria: scilicet quod ex hoc ipso quod Dominus instituit hoc sacramentum sub utraque specie, obligamur ad servandum eius institutionem: - facile patet nullitas argumenti. Tum quia sufficit quod hoc servetur ab aliquibus de Ecclesia, hoc est a sacerdotibus celebrantibus, ad quos solos in Apostolis sermo Dominicus tunc dirigebatur: ut ex hoc patet quod soli sacerdotes possunt hoc facere quod Christus fecit, scilicet consecrare sacramentum corporis et sanguinis Domini. - Tum quia ad obligandos singulos de Ecclesia sub praeccepto, plus requiritur quam institutio sacramenti: ut patet de sacramento confirmationis et extremae unctionis, quorum neutrum est de necessitate salutis; quamvis eorum contemptus esset damnabilis.

Et sic ex his verbis Domini non habetur praeceptum sumendi sub utraque specie: sed quod sumentes sumant in sui memoriam, hoc est, si sumimus, in ipsius memoriam sumamus; iuxta Ecclesiae expositionem, *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*.

*Secundo dicitur* quod, posito quod praecipitur per haec Domini verba ipsum opus, non propterea argumentum urget. Quoniam *hoc* non demonstrat utrumque opus quod Christus legitur fecisse, scilicet consecrare et tradere sumendum. Et ratio est quia, si *hoc* demonstraret utrumque opus ut praeceptum a Domino, sequeretur quod quilibet celebrans teneretur sub praeccepto Domini ad tradendum hoc sacramentum aliis. Quod omnium ecclesiarum pias aures offendit: cum constet multos sanctos sacerdotes, carentes cura animarum, et in monasteriis et extra, saepe celebrasse et nunquam tradidisse; et quotidie sic fiat ab innumeris sacerdotibus irreprehensibiliter. Et secundum hoc, non habetur hinc praeceptum traditionis sub utraque specie. Ac per hoc, non habetur hinc praeceptum suscipiendi ab aliis sub utraque specie: nam non celebrantium sumptio traditionem praesupponit, cum nullus talium sumat nisi sibi traditam Eucharistiam.

*Tertio dicitur* quod, dato quod *hoc* demonstraret omne opus, scilicet consecrare, sumere et tradere sub utraque specie; et quod intelligatur praecipi omne huiusmodi opus: adhuc argumentum non cogit. Quoniam, cum praeceptum hoc sit affirmativum; et praecepta affirmativa obligent semper sed non pro semper, sed pro tempore necessitatis: consequens est ut ex hoc Domini praecepto sacerdotes non teneantur tradere sub utraque specie nisi necessitas communicandi sub utraque specie advenerit. Ac per hoc, si huiusmodi necessitas alicubi nunquam intervenit, nunquam sacerdos reus violati praecepti est. Exemplum. Praeceptum de honorandis parentibus factum, quia est affirmativum, intelligitur tempore necessitatis: et propterea, si nunquam contingit parentes meos necessitatem habere subventionis meae, nunquam ego reus praecepti sum. Et quia in innumeris Christi ecclesiis, Romanam Ecclesiam imitantibus, nunquam contingit alicui non celebranti necessitas communicandi sub utraque specie, quoniam, docente Spiritu Sancto, contenti sunt communione sub specie panis: ideo nullus sacerdos in huiusmodi ecclesiis reus est violati praecepti Domini.

*Quarto dicitur*, ex ipso ordine textus Evangelici, quod hoc Domini praeceptum nullibi invenitur a Domino traditum nisi respectu sacramenti sub specie panis tantum: ita quod *hoc* nihil demonstrat de pertinentibus ad calicem. Et propterea ex isto praecepto argumentum sumptum, si efficax est, gladius est Goliath \*: quoniam hinc sequitur quod sola panis sancti communio praecepta est tradenda. Et probatur quod dicimus, primo, ex auctoritate Evangelii. Solus enim inter Evangelistas Lucas verba haec posuit, in cap. XXII \*, ubi expresse refert Dominum, ante consecrationem calicis, post tamen consecrationem panis,

\* I Reg., cap. XVII, vers. 51.

\* Vers. 19.

dixisse, *Hoc facite in meam commemorationem*. – Secundo, auctoritate Pauli Apostoli, I ad Cor. xi \*, ubi refert Dominum dixisse: *Accipite et comedite; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem*. Post consecrationem autem calicis, Lucas de hoc nihil refert: Paulus autem Apostolus refert \* Christum dixisse: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*. Ubi ex ipsa diversitate verborum a Paulo narratorum, manifeste apparet quod de sacramento sub specie panis Dominus dixit absolute, *Hoc facite in meam commemorationem*: de eodem autem sacramento sub specie vini non dixit absolute, *Hoc facite*, sed dixit quod hoc facerent, *quotiescumque biberent*, in suam commemorationem. Ubi meridiana luce clarius patet quod non praecipitur bibere, sed quod, quotiescumque bibimus, in suam commemorationem hoc faciamus. – Et hinc sequitur quod, si ex hoc praecepto Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*, efficax argumentum ad communionem populi sumitur, optime sequitur, absque ulla controversia, quod non est praecepta communio populi nisi sub specie panis. – Et confirmatur iste sensus ex eo quod in numero singulari dicitur, *Hoc facite*, et non dixit, *Haec facite*: sicut per oppositum Ecclesia, volens utramque significare speciem sacramenti, explicat in numero plurali, dicens, *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*.

XIII. Ad tertium argumentum \* dicitur concedendo quod tam perfectio sacramenti in consecratione, quam perfectio eiusdem in usu, est sub praecepto; et hoc propter allatam obiciendo rationem, scilicet quod sacramento hoc suapte natura est propter usum, et perfectio sacramenti est propter perfectionem usus; unde et *grande sacrilegium* esse dixit Gelasius \* dividere mysterium hoc quoad usum. Sed non propterea argumentum hinc sumptum urget ad usum utriusque speciei in communionem populi. Et ratio est quia perfectio sacramenti secundum usum non dependet nisi a per se concurrente ad sacramentum illud: quemadmodum ceterarum rerum perfectiones non attenduntur secundum ea quae sunt per accidens, sed in ordine ad ea quae concurrunt per se; alioquin nunquam res aliqua suam perfectionem sortiretur. Solus autem sacerdos concurrat per se ad perfectionem huius sacramenti, tam consecrando quam utendo. Et propterea, sicut sacrilegus esset sacerdos consecrando panem et non vinum, ita sacrilegii reus esset sumendo panem sanctum et non sumendo calicem.

Et quidem quod sacerdos concurrat per se ad consecrationem et usum huius sacramenti, clare patet. Quod autem solus concurrat per se, patet tum ex eo quod solus sufficit ad perfectionem sacramenti, tam consecrando quam utendo. – Tum ex eo quod populi communio post consummatum sacrificium atque sacramentum, tam quoad consecrationem quam quoad oblationem et usum, supervenit: sacerdos enim per seipsum perfecit haec omnia. Quod autem supervenit alicui post illius perfectionem, non est de concurrentibus per se ad illius perfectionem. – Tum ex eo quod accidentaliter coniungitur perfecto usui huius sacramenti quod aliquis circumstantium sit communicandus. Quod ex eo patet quod nihil minus perfectum est sacramentum, et in se et in usu, si nullus circumstantium communicet: si enim perfectio usus dependeret ab aliorum communionem, non posset absque sacrilegii vitio sacramenti huius usus esse nisi aliquis ex circumstantibus communicaret; sicut non potest absque sacrilegio eius usus a celebrante omitti aut dividi.

Quocirca manifestum est quod ex perfectione huius sacramenti, tam quoad consecrationem quam quoad usum, per se (*ea enim quae sunt per accidens, et ab arte et a scientia relinquuntur* \*) non habetur necessitas communicandi populum sub utraque specie, sed necessitas communicandi seipsum celebrantem sub utraque specie.

Et haec de prima quaestione dicta sufficiant.

### Quaestio secunda. – An utilius sit sumere Eucharistiam sub utraque specie quam sub specie panis tantum.

QUAERITUR secundo, an utilius sit sumere Eucharistiam sub utraque specie quam sub specie panis tantum.

Et videtur quod sic. Primo, ex parte sacramenti \*. Quia \* Cf. num. xiii, utilius est sumere sacramentum integrum, seu integrale, quam imperfectum, seu partialiter.

Et si dicatur quod non est hic differentia secundum perfectum et imperfectum, integrum aut diminutum, totum vel partem, nisi in significando, contra: – *Sacramenta efficiunt quod significant* \*. Ergo imperfectio in significando redundat in imperfectionem in conferendo: alioquin aliud efficeret et aliud significaret, dum significaret partem et efficeret totum.

II. Secundo, ex parte quoque sacramenti \*. Utilius est \* Cf. num. xiv. tangi a Christo pluribus diversarum rationum instrumentis quam uno tantum. Sed communicans sub utraque specie tangitur a Christo instrumentis diversarum rationum: communicans autem sub altera tantum tangitur a Christo uno tantum instrumento. Ergo.

Maior est per se nota. Quoniam diversarum rationum instrumenta ad diversas utilitates per se ordinantur: ut patet in artificialibus.

Minor autem manifestatur. Quia species vini, vel saltem potatio ipsa, instrumentum est quoddam ipsius Christi ad laetificandum animam \*; et similiter species panis, vel saltem manducatio ipsa, instrumentum est Christi ad confirmandum hominis animum \*; sicut de aqua baptismi Augustinus dicit \* quod *corpus tangit et cor abluit*. – Et confirmatur. Quia potus sacramentalis significat potum spiritualem. Regula autem generalis est quod sacramentalis actus sunt instrumenta, aut quasi instrumenta, divinae virtutis. – Et confirmatur rursus ex eo quod, si significatus effectus per sumptionem Eucharistiae non provenit in sumentem, dicimus quod hoc non est ex defectu sacramenti, quin conferret quod significaret, sicut et cetera sacramenta conferunt quod significant, sed ex indispositione sumentis. – Haec enim omnia attestantur quod huiusmodi sacramentalibus Christus utitur ut instrumentis: quod erat assumptum. Constat enim haec, scilicet speciem panis et vini, seu manducationem et bibitionem sacramentales, diversarum esse rationum: sicut diversarum sunt rationum in esse naturali.

III. Tertio, ex effectuum differentia \*. Utilius est com- \* Cf. num. xv. edere spiritualiter et bibere spiritualiter sacramentum hoc, quam illud spiritualiter comedere tantum.

Et si dicatur quod comedere spiritualiter et bibere spiritualiter sunt idem: – contra. Tum quia comedere spiritualiter est actus intellectus, utpote spectans ad fidem et contemplationem: iuxta illud *Eccli. xv \**, *Cibavit illum pane vitae et intellectus*, et illud Augustini \*, *Crede et manducasti*. Bibere vero est actus affectivae partis, utpote spectans ad dulcedinem caritatis et delectationem spiritus: iuxta illud, *Et vinum laetificat cor hominis* \*, et rursus, *Torrente voluptatis tuae potabis eos* \*.

Et confirmatur hoc ex ipsa diversitate signorum. Diversa enim signa sacramentalia oportet diversa quoque habere significata. Et propterea, quia manducare et bibere sunt diversa signa sacramentalia, consequens est ut diversa quoque habeant significata. Si enim idem significarent, alterum superfluum esset in significando.

Et confirmatur rursus ex proprietate attributorum signatorum. Nam calici sacramentali attribuitur quod significat expresse mortem Christi, redemptionemque per illius sanguinem peractam, vitam animae, laetitiam cordis, etc.

IV. Quarto arguitur ducendo ad inconveniens \*. Sacer- \* Cf. num. xvi. dos celebrans, sumpto sacramento sub specie panis, quae-

\* Aristot. *Meta-phys.* lib. V, cap. II, n. 2, 8. – S. Th. lib. VI, lect. II.

\* Cf. qu. LXII, art. 1, ad 1.

\* Cf. num. xiv.

\* Ps. CIII, vers. 15.

\* Ibid.

\* In Ioan. Evang. tract. LXXX.

\* Cf. num. xv.

\* Vers. 3.

\* In Ioan. Evang. tract. XXV, num. 12. – Cf. can. *Ut quid, de Consecrat.*, dist. II.

\* Ps. CIII, vers. 15.

\* Ps. XXXV, vers. 9.

\* Cf. num. xvi.

ritur an postea, sumendo sub specie vini, aliquid utilitatis spiritualis acquirat, aut nihil? Si dicatur quod acquirat aliquid spiritualis utilitatis intus in anima, habetur intentum, scilicet quod utilius est sumere sub utraque specie quam sub altera tantum. Et rursus, cum par sit ratio, proportionaliter tamen, de sacerdote et laico digne sumente, utilius erit laico digne sumenti sumere sub utraque specie quam sub altera tantum.

Si dicatur quod nihil spiritualis fructus acquirat ex calice, sequitur quod potus ille sacramentalis non confert sacerdoti quod significat. Et cum infructuositas ista non proveniat ex parte sacramenti, quoniam calix ille est calix vitae non solum contentivus sed collativus; nec proveniat ex parte sacerdotis, quoniam supponimus ipsum digne celebrare: consequens est quod non nisi temere et voluntarie negatur fructus sumptionis sub secunda specie.

V. In oppositum est Auctor in littera huius duodecimi articuli, in calce, dicens: *Potest autem a populo corpus sine sanguine sumi: nec exinde sequitur aliquod detrimentum, quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit, et sub utraque specie totus Christus continetur.* Ubi clare vides dictum, *nec exinde sequitur aliquod detrimentum.* Quod falsum esset si damnum spiritualis fructus populus incurreret sumendo corpus et non sumendo calicem.

VI. Ad evidentiam veritatis quaestionis huius, tria agenda sunt: primo, declarandae sunt duae radices difficultatis; secundo, prosequemur primam radicem\*; et tertio, prosequemur secundam\*.

Quoad primum, sciendum est quod, quia sacramenta novae legis conferunt quod significant, ideo in duplici consueverunt locari genere: quatenus enim conferunt, locantur in genere causae instrumentalis, aut quasi instrumentalis; quatenus vero significant, locantur in genere signi sensibilis. Et propterea de sacramentis dupliciter loqui contingit: vel ut habent rationem causae; vel ut habent rationem signi. Cum enim de virtute sacramentorum est sermo, ad causalitatem sacramenti spectatur: virtus enim causalitatem sonat. Et similiter, cum de sacramentali medicina est sermo, ad causalitatem quoque spectatur: inter causas enim medicina locatur\*. Et, breviter, cum de efficacia aut effectu alicuius sacramenti agitur, ad causalitatem spectatur. Quando autem de significato aut significatione sacramenti est sermo, clare liquet quod sacramentum in quantum signum tractatur.

\* Aristot. *Physic.* lib. II, cap. III, n. 3, s. Th. lect. V; *Metaphys.* lib. IV, cap. II, n. 3, s. Th. lib. V, lect. II.

Duabus igitur in sacramento inventis conditionibus, scilicet quod est causa et quod est signum, quod confert et quod significat, difficultas in proposita quaestione ex utraque oritur. Nam ex eo quod Dominicus calix non minorem habet virtutem quam sacra hostia, nec minus natus est conferre quam sacra hostia confert; rationi consentaneum est ut, quemadmodum sacrae hostiae esus proprium habet fructum spiritus in anima edentis, ita sacri calicis potus proprium habeat fructum spiritus in anima bibentis. Ac per hoc, duplex fructus utiliore monstrat sumptionem sacramenti sub utraque specie quam sub altera tantum.

Similiter, quia non minus Dominicus calix, cum eius potu sacramentali, significat interiorem fructum spiritus, quam sacra hostia, cum eius esu, significat interiorem spiritus fructum; consequens est ut, sicut donum spiritus significatum esu sacrae hostiae absque dubio acquiratur, ita donum spiritus significatum potu sacri calicis absque dubio habeatur a digne bibente. Et sic ex multiplicato dono iuxta diversitatem signi, utilius concluditur communicare sub utraque specie quam sub altera tantum.

Oritur ergo tota huius quaestionis difficultas ex diversitate sacramentalis causae, vel sacramentalis signi, aut utriusque. Et propterea diligenter excutienda est, primo, virtus atque causalitas huius sacramenti\*; et deinde significatio\*. His enim patefactis, facile erit nodum solvere quaestionis\*. — Haec de primo.

\* Num. seq.  
\* Num. xi.  
\* Cf. num. xii.  
\* Cf. num. praec.

VII. Quoad secundum\*, ut clare appareat veritas, et cognoscatur quid in Eucharistiae sacramento est causa, et quomodo causat, declaranda per ordinem sunt tria. Primum

est quod causans non est virtus aliqua in sacramento, aut divina assistentia: sed est res contenta in Eucharistia. Secundum\* est quod huiusmodi res contenta causans non est minus res concomitanter contenta, quam res contenta ex vi conversionis. Tertium\* est quod res contenta in hoc sacramento causat absque aliquo sensibili instrumento.

\* Cf. num. viii.

\* Cf. num. ix.

Primum horum, scilicet quod res causans seu conferens spiritualem fructum in sumptione Eucharistiae est res contenta in Eucharistia, ab omnibus est confessum qui confitentur Christum realiter contineri sub hoc sacramento: ipse enim Christus, *perfectus Deus et perfectus homo*\*, est largitor omnis fructus gratiae, et est res contenta sub hoc sacramento. Et hinc absque controversia habetur quod non oportet recurrere in usu huius sacramenti ad virtutem aliquam in sacramento positam per modum intentionis, aut ad divinam assistentiam, sicut in aliorum sacramentorum usu et in huius sacramenti consecratione recurritur. Singulare est enim in hoc sacramento, in quo solo usus a consecratione separatur, quod ipsum fontem gratiae praesentialiter habeat ut rem in sacramento contentam. Et ex hac singulari excellentia provenit ut, sicut per seipsum in seipso fons gratiae sub sacramento continetur, ita per seipsum conferat sacramenti fructum.

\* Symb. S. Athanas.

VIII. Secundum\* autem, scilicet quod non minus ad conferendum fructum huius sacramenti concurrunt res contenta concomitanter quam res contenta ex vi sacramenti seu conversionis, declaratur recolendo quod dupliciter res aliqua continetur sub hoc sacramento. Vel ex vi sacramenti seu conversionis: et sic sub hostia continetur corpus Christi tantum, ita quod nec sanguis nec anima nec deitas sic continetur sub hostia; et similiter in calice ex vi sacramenti solus sanguis continetur, ita quod nec Christi corpus nec anima nec deitas sic continetur sub specie vini. Vel concomitanter: et sic sub hostia continetur tam sanguis Christi quam eius anima et deitas; et similiter sub specie vini continentur concomitanter Christi corpus, anima et deitas. Ex his enim constat quod nec sub specie panis nec sub specie vini continetur Christi anima, et similiter deitas, nisi concomitanter.

\* Cf. num. praec.

Quo stante, declaratur propositum sic. Spiritus fructus Eucharistiae non minus causatur a Christi anima et ab eius deitate quam a Christi corpore seu sanguine. Sed tam deitas quam anima Christi est res concomitanter existens sub sacramento. Ergo non minus causat fructum spiritualem Eucharistiae res concomitanter contenta quam res ex vi sacramenti contenta.

Processus totus est clarus, cum minore iam declarata. — Prima autem propositio per se evidens est. Tum quia deitas praesens personaliter est, quae maxime confert fructum hunc spiritualem. — Tum quia Christus in hoc sacramento praesens confert voluntarie dona sui Spiritus. Voluntaria autem collatio principaliter et maxime pendet a voluntate, quae est in anima. — Tum quia plus est quam quod dixi: nam tam sanguis quam corpus Christi vim cibandi atque potandi habet ex coniunctione ad deitatem; nisi enim esset corpus Verbi et sanguis Verbi, quod *in principio erat Deus*\*, non conferret vitam aeternam.

\* Ioan. cap. I, vers. I.  
\* Cf. num. vii.

IX. Tertium\* autem, scilicet quod Christus in hoc sacramento contentus confert per seipsum, et non per aliquod sensibile instrumentum, spiritualem fructum, declaratur tripliciter. Primo quia, ubi est praesens agens sufficiens per seipsum, non est opus instrumento, nec consuevit adhiberi instrumentum.

Secundo, quia sic se habet esus et potus sacramentalis ad hoc alimentum spiritus, sicut se habet tam manducatio quam potus naturalis ad alimentum corporale. Sed in nutritione corporali panis et vinum non per instrumenta, sed secundum seipsa alunt: quoniam, ut dicitur in II *de Anima*\*, alimentum secundum suam substantiam nutrit. Et similiter edere et bibere non sunt instrumenta alimenti corporalis ad alendum corpus, sed comedere concurrunt ut adducens alimentum siccum, et bibere ut adducens alimentum humidum: constat autem secundum philosophiam quod ad approximatio agentis et patientis, alimenti et aliti,

\* Cap. IV, n. 13. — S. Th. lect. IX.

non locatur inter instrumenta. Relinquitur igitur, ex hoc quod Christus continetur in hoc sacramento ut alimentum, ut species panis et vini attestantur, quod ipse secundum seipsum nutriat spiritum sumentium: et similiter, ex hoc quod ad sumentium animas pervenit eo ipso quod manducatur et bibitur sacramentaliter, quod esu et potu sacramentali non utitur ut instrumentis, sed ut approximationibus alimenti ad hominem qui alendus est.

Tertio, quia de divinis sacramentis oportet sapere ad sobrietatem\*, non excedendo limites patrum nostrorum\*\*. Accipimus autem ex Ecclesiae doctrina incomprehensibilem ac ineffabilem coniunctionem Christi et specierum sacramentalium sub ratione continentis et contenti veraciter praesentis, et signi et signati, et huiusmodi: et non secundum rationem agentis et instrumenti. Et propterea voces huiusmodi tanquam profanae novitates vitandae sunt.

\* Ad Rom., cap. XII, vers. 3.  
\*\* Proverb., cap. XXII, vers. 28.

X. Ex quibus omnibus inferitur primo, quod in calice et hostia non sunt diversae virtutes collativae spiritualis gratiae: sed una tantum est res utrobique conferens, scilicet Christus ipse, secundum seipsum et non per virtutes medias.

Inferitur secundo, quod in hostia et calice Christus non utitur diversis instrumentis ad conferendum fructum spiritus: quia utrobique nullo utitur sensibili instrumento ad huiusmodi collationem.

Et quia, exclusa omni virtute media, et excluso omni instrumento medio, nulla remanet ex parte Christi praesentis differentia causandi, distribuendi seu conferendi sub utraque specie, nisi voluntas *dividens singulis prout vult*\*: ideo inferitur tertio, quod quaecumque argumenta ad probandam diversitatem fructuum spiritualium in sumptione utriusque speciei ex diversitate virtutum sacramentalium, vel sacramentalium instrumentorum, vel modorum conferendi, et aliorum eiusmodi, ex falso procedunt principio, nihilque valent, utpote absque fundamento erecta.

\* I ad Cor., cap. XII, vers. 11.

Quo fit ut, considerando sacramentum Eucharistiae infra latitudinem causae, prout est collativum spiritualis gratiae, nutritivum animae, et medicina eiusdem, nulla sit differentia inter species ipsas inter se; et similiter nulla sit differentia inter utramque simul et alteram tantum. Quoniam, ut ex dictis patet, una et eadem omnino, absque omni virtute media, absque omni sensibili instrumento medio, est utrobique et in altera tantum cuiuscumque spiritualis doni causa, scilicet Christus ipse personaliter praesens secundum deitatem et humanitatem. — Haec de secundo\*.

\* Cf. num. vi.  
\* Ibid.

XI. Quoad tertium\*, advertendum est quod diversitas in significando quae ingerit difficultatem, dupliciter invenitur in hoc sacramento. Invenitur siquidem et diversitas signi, quia aliud signum est species panis cum ipsius esu, et aliud signum est species vini cum eius potu: et diversitas modi significandi. Et haec invenitur dupliciter: hoc est, comparando species inter se, sicut expressius significat redemptionem nostram per Christi mortem calix, in quo ut separatus monstratur sanguis a corpore, quam hostia; et comparando utramque simul speciem sacramenti ad alteram tantum, nam utraque simul significat integre refectionem spiritualem, singulae autem species imperfecte repraesentant illam, una scilicet ut cibum et altera ut potum.

Nulla autem harum diversitatum, si diligenter perspexerimus, diversitatem aliquam in fructu spirituali huius sacramenti arguit. Quod quadrupliciter manifestatur. *Primo*, ex communibus. Quoniam nec signorum diversitas, nec diversus modus significandi, diversitatem arguit in re signata: sed una eademque res omnino immutata et diversis signis et diversimode potest signari; ut patet cum unus idemque homo repraesentatur per imaginem in speculo, et per statuam, picturam, etc., et ab una perfectius et ab alia imperfectius repraesentatur; ex his enim diversitatibus in signis et significationibus nulla circa rem signatam varietas monstratur.

*Secundo*, declaratur exemplo in baptismo. Immersio siquidem quae in celebratione baptismi fit, significat eum

qui baptizatur conspelli Christo, et emersio significat resurgere eundem cum Christo in novitatem vitae, iuxta illud Apostoli, *ad Rom. VI\**: *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus*. Si tamen aliquis baptizatur non per modum immersionis, sed per modum effusionis aut aspersionis, deficit tunc baptismus dictus modus significandi; et non propterea is qui baptizatur minus est conspultus Christo, aut minus resurgit in novitatem vitae, quam ille qui baptizatus est per immersionem. Hinc enim manifeste habes quod non solum in communi loquendo, diversitas seu defectus in modo significandi nullam varietatem arguit in re signata: sed etiam in speciali de sacramentalibus signis loquendo, defectus in significando nihil adimit de fructu sacramenti, et plenitudo in significando nihil adiungit ad fructum sacramenti. Aequale siquidem donum ex baptismo recipiunt baptizatus per immersionem et baptizatus per aspersionem, quamvis magna sit diversitas utrobique in significando.

\* Vers. 4.

*Tertio*, ex ratione. Quia aliud est diminute seu partialiter significare: et aliud est significare diminutum seu partem. Primum invenitur in singulis seorsum huius sacramenti speciebus: secundum autem non; et, ut patet, non sequitur ex primo. Similiter aliud est plenius seu expressius significare: et aliud est pleniorum fructuum significare. Et similiter aliud est integre significare: et aliud est totaliter significare\*. Et similiter aliud est diversis signis significari: et aliud est diversa significari. Diversitas namque tam signorum quam modorum significandi in signis ipsis sistit, et non pertransit ad rem signatam: sunt enim conditiones signorum, et non rei signatae. Et propterea inter signa et signorum conditiones advertenda est differentia haec, quod signo quidem respondet signatum, sed diversitati signorum non respondet diversitas rei signatae; et similiter modo signandi non respondet modus rei signatae. Et ratio est quia una et eadem omnino immutata res potest et diversis signis et diversimode signari.

\* Cf. infra, *Nec obstat*.

*Quarto*, declaratur descendendo ad propositum sacramentum exemplariter. Diversa in primis signa, scilicet hostia comesta et calix bibitus, non diversos sacramenti fructus, sed unum atque eundem spiritualem fructum significant: nam manducare et bibere spiritualiter unum et idem sunt, ut testatur Augustinus, *super Ioan.*, Homil. \* XXV, super illo textu, *Qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet in aeternum*, Ioan. VI\*. Inquit enim: *Qui venit ad me, hoc est quod ait, Qui credit in me. Et quod dixit, Non esuriet, hoc intelligendum est, Et non sitiet unquam: utroque enim illa significatur aeterna satietas ubi nulla est egestas*. Ubi, ex hoc quod sitire et esurire ponitur idem, manifeste patet quod manducare et bibere sunt idem: et quod alimentum satians esu, et alimentum satians potu, sunt idem, secundum rectum philosophiae iudicium; iuxta illud III *Physic.* \*: *Si posse sanari et posse infirmari sunt idem, sanari et infirmari sunt quoque idem*, et similiter sanitas et infirmitas sunt idem.

\* Al. *Tract.*

\* Vers. 35.

\* Cap. I, n. 10. - S. Th. lect. II.

Diversi deinde modi significandi non diversos fructus spiritualis modos significant: sed excellentem illum fructum diversimode significari decet, ut, sic significante uno, et sic repraesentante alio, et sic repraesentante utroque, unus et idem fructus, inadaequatus omnibus et singulis signis, utpote superexcedens quaecumque huiusmodi signa quocumque modo illum significantia, utcumque innotescat, et in summa veneratione habeatur, et toto corde desideretur.

Consentaneum autem rationi esse patet ut diversa signa sensibilia, et diversimode significantia, ad unum spirituale intelligibile ordinis fructum repraesentandum sint instituta a divina Sapientia *disponente omnia suaviter*\*. Sensibilia enim valde defective repraesentant excellentiam intelligibilem rerum: et praecipue tam excelsam rem quae est hoc sacramento signata et est illius fructus, interna scilicet satietas spiritus secundum participationem aeternae satietatis. Unde non solum ex ipsis sacramentalibus signis,

\* Sap. cap. VIII, vers. 1.

sed et ex aliis innumeris defectively significatur huius sacramenti fructus.

Nec obstat quod dicatur Eucharistiam sub utraque specie integre repraesentare internam refectionem. Quoniam huiusmodi integritas seu totalitas repraesentandi non simpliciter et absolute, sed respective ad singulas species intelligitur: tanquam si diceretur quod totum Eucharistiae sacramentum repraesentat internam refectionem, non partialiter ut species panis, nec partialiter ut species vini, sed complectendo utrumque. Cum quo stat quod utrumque simul imperfecte illam repraesentat, sed non ita imperfecte sicut alterum tantum. Singulae enim species, et ambae simul, repraesentant non partem, sed totam internam refectionem spiritus: sed non repraesentatur totaliter ab aliqua earum, nec ab ambabus simul, nec ab innumeris aliis.

Patet ergo diversitatem sacramentalium signorum et modorum significandi in hoc Eucharistiae sacramento nullam inferre diversitatem in fructu spirituali significato.

Nec ex admixto conferendi actu diversificari significatum sacramenti fructum putes. Nam si diversitas signi et modi significandi non redundat in signatum, quod per se respicit signum, multo minus huiusmodi diversitas redundabit in collatum, quod per accidens, seu per quandam annexionem respicit. — Et confirmatur. Quia, sicut communiter fatemur sacramentis novae legis conferri quod significatur, ita communiter abhorremus quod modus conferendi commensuretur modo significandi.

XII. Ex quibus omnibus collige quod, quatuor inventis in Eucharistiae sacramento integro, scilicet re contenta, qui Christus est; modo continendi, scilicet ex vi sacramenti et concomitanter; signis, significatione, cum modo significandi; et collatione: cum constet quod maior utilitas spiritus spectet ad maiorem collationem a re contenta precedentem, et non ad modum continentiae nec ad diversitatem signorum, significationum aut modorum significandi; et res contenta sub utraque specie sit omnino una et eadem, et non magis conferat spiritualem fructum sub una quam sub alia, aut sub utraque quam sub una, utpote nullo mediante instrumento, nullaque mediante virtute utens in huiusmodi collatione; consequens est ut nulla maior utilitas spiritualis fructus proveniat in sumente sacramentum sub utraque specie, quam proveniat in sumente sacramentum sub altera tantum specie. Et hoc intellige, ceteris paribus. Ita quod, ut exemplariter dicatur, si sunt hic duo aequaliter dispositi ad communionem, et unus communicet sub specie panis tantum, alter vero sub utraque specie, non plus prodest, quoad gratiam et spiritualem fructum, sacramentum Eucharistiae communicanti sub utraque specie, quam communicanti sub specie panis tantum. Et ratio est dicta: quia non intervenit maior collatio, quamvis interveniat maior significatio. — Haec de tertio.

XIII. Ad argumenta in oppositum respondendo, dicitur ad primum \* quod sine dubio utilius est sumere totum fructum sacramenti quam partem fructus eiusdem: non tamen utilius est sumere totum sacramentum quam partem sacramenti, ubi tota vis sacramenti non minus est in parte quam in toto, sicut est in proposito. Quoniam totus Christus continetur in toto sacramento et in qualibet eius parte: nec est differentia nisi in significando, non totum vel partem, perfectum vel imperfectum, sed in significando partialiter vel integre, perfecte vel imperfecte.

Unde cum instatur quod sacramenti pars aliud significaret et aliud conferret, quia significaret partem et conferret totum: duplex defectus committitur. Primus est qui dictus est, quod pars sacramenti significet partem fructus. Significat enim totum fructum, sed partialiter. — Secundus est quod, dato quod significaret partem et conferret totum, non propterea derogaretur regulae sacramentali qua dicitur, *Sacramenta conferunt quod significant*. Quoniam verificaretur quod conferret id quod significat, quamvis, ultra hoc, conferret aliquid plus. Multum enim inter se distant haec, *conferre aliud*, et, *conferre illud et aliquid plus*. Unde ex hoc quod pars sacramenti confert quidquid confert totum, et affirmatur quod confert quod significat, et quod confert plus quam explicite significet.

XIV. Ad secundum \* dicitur quod minor est falsa. Non sunt enim instrumenta Christi contenti in Eucharistia species sacramentales aut usus earum, *vere et proprie loquendo*. Quod ideo addo, quoniam, si alicubi scriptum inveniatur quod haec sunt instrumenta aut quasi instrumenta divina, pie exponendum est: vel de instrumento ad excitandam devotionem, et non ad conferendum sacramenti fructum; vel instrumenti nomine intelligendum est *id sine quo non*. Secundum enim huiusmodi extensionem nominum verificatur quod species et earum usus sunt instrumenta ad fructum sacramenti: quia sine eis in re vel in voto non confertur sacramenti fructus a re contenta sub sacramento.

Ubi scito quod huiusmodi species et usus earum conveniunt cum aliis sacramentis non solum in significando, sed etiam in conferendo. Et propterea, sicut aqua baptismi *corpus tangit et cor abluit*, sic hostia sacra corpus tangit et cor alit. Sed multum differunt in modo conferendi. Quoniam in aliis sacramentis Christus mediante virtute sacramentali confert effectum: hic autem immediate per seipsum fructum confert sacramenti. Et propterea esto cautus cum obiiciuntur huiusmodi similitudines.

Ad confirmationem dicitur quod actus sacramentales sunt in duplici differentia. Quidam enim sunt qui interveniunt in ipsa confectione sacramenti. Et de his verificatur quod sunt actus instrumentales. — Quidam vero sunt qui, post confectum sacramentum, ad usum solummodo spectant sacramenti. Et hi non sunt actus instrumentales ad conferendum sacramenti fructum: sed, ut dictum est \*, se habent ut approximationes nutrimenti ad id quod nutritur. Tales autem sunt de quibus est sermo praesens.

Ad aliam confirmationem dicitur quod non ideo simile reddimus iudicium de Eucharistia et baptismo et aliis sacramentis, dicendo quod non provenit ex defectu sacramenti si infructuose quandoque suscipiuntur, quasi eodem modo Christus operetur in hoc sacramento et in aliis: cum constet quod non eodem modo Christus est in hoc sacramento et in aliis; quoniam hic est per seipsum praesens, in aliis per suam virtutem vel assistentiam. Sed hoc ideo dicitur, quia quantum ad collationem spiritualis gratiae idem est iudicium: in omnibus enim confertur spirituale donum si digne suscipiuntur.

XV. Ad tertium \* dicitur quod, ceteris paribus, non est utilius spiritualiter comedere et bibere sacramentum quam comedere tantum: quia comedere et bibere spiritualiter Christum sunt unum et idem inter se; et non differunt a comedere et bibere spiritualiter Eucharistiam nisi sola relatione ad sacramentum. Constat enim quod utilitas graduatur secundum interiorem spiritus fructum, et non secundum relationem ad sacramentum: quoniam relatio huiusmodi non facit melius, sed solam habitudinem ad sensibile signum in quo Christus continetur apponit. — Quod autem comedere et bibere spiritualiter idem sint, manifestat Dominus, Ioan. vi, dum ter unum et eundem fructum attribuit manducationi carnis suae et potui sanguinis sui: primo, cum dicit \*, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; secundo, cum dicit \*, *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*; tertio, cum dicit \*, *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo*. Ubi patet quod semper unicus manducationi et potui appositus est fructus: primo, vita in nobis; secundo, vita aeterna; tertio, mansio in Christo et e contra.

Ad instantiam autem quod manducare est actus intellectus et bibere actus affectus, respondetur quod haec sunt vera secundum quandam appropriationem, et non secundum proprietatem. Et hoc tam in via quam in patria. Nam in via tam manducare quam bibere spiritualiter spectat ad credere in Christum \*, qui actus, cum sit fidei formatae, et intellectus et affectus est. In patria autem fruitio beata utriusque quoque partis perfectio est. In cuius signum, cum dictum esset quod *cibaret illum pane vitae et intellectus*, subiunctum est, *et aqua sapientia potavit illum*: ut monstraretur sapientia ad intellectum pertinens et cibus

\* Num. ii.

\* Num. x, Secundo.

\* Num. iii.

\* Vers. 54.

\* Vers. 55.

\* Vers. 57.

\* Ioan. cap. vi, vers. 35; cf. supra, iii qu. prima, num. vii.

\* Num. i.

et potus. Et similiter non solum dictum est, *Torrente voluptatis tuae potabis eos*, sed, *inebriabuntur ab ubertate domus tuae*: ubi tam ubertas domus quam voluptas ad potum relata est, ut monstraretur identitas cibi et potus.

Ad confirmationem vero de diversitate signorum, dicitur quod non oportet diversis signis sensibilibus respondere diversa signata intelligibilia. Nec propter hoc quod multa signa unum et idem signatum significant, aliquid superfluit. Tum quia inadaequate singula repraesentant illud intelligibile. Tum quia sapienter divina providentia huiusmodi signa instituit, ad nostram eruditionem, exercitationem, humiliationem, conformitatem, etc.

Ad ultimam confirmationem, de appropriatis, respondetur distinguendo de significatione, vel collatione; et similiter de proprio, vel appropriato. Et dicitur quod, respectu actus significandi explicite (de tali enim significandi modo loquor), aliquid est proprium uni speciei, et aliquid proprium alteri: respectu autem actus conferendi, nihil est alicui proprium, quoniam totum quod confertur a Christo sub una specie, confertur etiam ab eodem sub alia. — Appropriatum tamen inveniri potest respectu utriusque actus. Nam redemptio per Christi mortem appropriatur calici in repraesentando, et vita animae appropriatur eidem in conferendo, sicut vita corporis appropriatur in conferendo hostiae: iuxta illud \*, *Ut duplicis substantiae totum cibaret hominem*. Et similiter laetitia appropriatur calici in conferendo, et firmitas hostiae: iuxta illud \*, *Dedit fragilibus corporis ferculum: dedit et tristibus sanguinis poculum*. Sed huiusmodi appropriationes, tam in significando quam in conferendo, in nullo variant fructum sacramenti, quin totus, et ita plene et perfecte, conferatur sub una specie, sicut sub utraque: sicut in divinis ex hoc quod Patri appropriatur potentia et Filio sapientia et Spiritui Sancto bonitas, non minus singula quaeque persona est sapientia, potentia, bonitas.

Et per hoc patet responsio ad quaecumque similia possunt obici de appropriatis fructibus calicis. Nihil enim minus omnium fructuum appropriatorum calici percipitur ex sacra hostia. Et ratio iam dicta est: quia haec non sunt propria, sed appropriata.

XVI. Ad quartum argumentum \* dicitur declinando utrumque extremum quaestionis propositae arguendo, et media via incedendo, et distinguendo de dispositione sacerdotis in Dei gratia celebrantis. Dupliciter siquidem potest inveniri dispositus post sumpsum sacramentum sub specie panis: vel sine augmento spirituali \*; vel cum augmento spirituali. Et si quidem invenitur dispositus cum augmento spirituali, ita ut dignior sit suscipiendo sub secunda specie quam fuerit suscipiendo primam, recipit procul dubio, sumendo calicem, spiritualem fructum sacramenti qui gratia maior est intensive aut extensive. Et sic dispositis nullus unquam dubitavit utilius esse communicare sub utraque specie quam sub altera tantum.

Si vero invenitur sine spirituali augmento dispositus, nihil spiritualis fructus ex sumptione calicis percipit: quoniam idem est utrobique agens, et idem patiens aequaliter utrobique dispositum. Et perinde, quoad interiorem fructum, se habet ac si post sumpsum hostiam unam aliam sumeret, ut contingit sumentibus reliquias sacramenti. Unde infructuositas ista non est ex parte rei contentae sub specie vini, sed est ex aequali dispositione communicantis, et identitate numerali rei contentae sub utraque specie, per seipsam immediate conferentis fructum sacramenti: haec enim simul concurrentia efficiunt quod non magis fructuosa est communicatio sub utraque specie quam sub prima tantum.

Et si his adiunxeris quod populus communiter non est tantae perfectionis ut ad haec incrementa se praeparet, videbis consequenter quod non est utilius populo communicare sub utraque specie quam communicare sub altera tantum. In cuius signum, non apparent meliores homines in partibus ubi communicant sub utraque specie, hominibus alibi seu ibi communicantibus sub altera tantum specie.

Haec de secunda quaestione.

**Quaestio tertia. — Utrum expediat Ecclesiae Christi quod populus communicet sub utraque specie.**

**QUAERITUR** tertio, utrum expediat Ecclesiae Christi quod populus communicet sub utraque specie.

Videtur enim quod sic. *Primo*, exemplo Christi \*: qui etiam Iudam communicavit sub utraque specie \*, et immediate ante dixerat \*, *Exemplum enim meum dedi vobis*, etc.

*Secundo*, exemplo primitivae Ecclesiae \*. Tunc enim populus communicabat sub utraque specie, ut patet *I ad Cor. xi \**.

*Tertio*, exemplo diuturnae prosecutionis \*. Nam huiusmodi consuetudo perseveravit non solum tempore martyrum, quos Cyprianus Dominico poculo praefortandos censuit \*, sed etiam tempore pacis Ecclesiae: cum legamus factas non solum patenas, sed etiam calices *ministeriales* \*. Quare enim ministeriales dicti sunt, nisi quia non ad offerendum, sed ad ministrandum populo Christi sanguinem deserviebant?

Et si amplius perspectum fuerit quod in ordine Cisterciensi alicubi communicatio fieri legitur sub utraque specie \*, apparebit quod tempore institutionis ordinis Cisterciensis perseverabat consuetudo communicandi sub utraque specie. Quoniam non est verisimile, si consuetudo illa cessaverat, quod monasterium aliquod praesumpsisset abolitam consuetudinem renovare.

Et confirmatur. Quia tam actio quam doctrina priscorum Sanctorum praefertur actioni et doctrinae posteriorum. Ac per hoc, expediens videtur Ecclesiae Christi sequi vestigia priscorum Patrum, et imitari eos quantum possumus.

*Praeterea* \*, duorum licitorum illud ut magis expediens est eligendum quod clarius et tutius et magis consentaneum est. Sed communicare sub utraque specie est clarius, tutius et magis consentaneum. Ergo. — Declaratur minor. Quod sit quidem clarius, quia nullam habet obscuritatem difficultatum quas habet communicatio sub una specie. Quod vero sit tutius, quia nullius omissionis periculo se exponit: cui se exponit communicans sub altera specie tantum, omittendo communionem alterius. Quod sit autem magis consentaneum, quia consonat institutioni sacramenti et integritati ipsius, et integritati sensibilis refactionis.

*Praeterea* \*, quod congruit ex his quae sunt per se, est magis expediens eo quod congruit ex his quae sunt per accidens. Sed communicatio sub utraque specie congruit ex his quae sunt per se: quia congruit ex ipsa perfectione sacramenti. Communicatio autem sub specie panis tantum congruit ex his quae sunt per accidens: quia oritur ex ineptia quorundam communicantium. Ergo magis expedit Ecclesiae Christi communicare populum sub utraque specie quam sub specie panis tantum.

*In oppositum* est consuetudo innumerarum ecclesiarum.

II. Ad evidentiam huius quaestionis, sciendum est quod usus Eucharistiae medius est inter utentem et sacramentum: et propterea consonus utrique debet esse. Sed, cum duplex sit Eucharistiae usus, vel primarius, spectans ad consecrantes, vel secundarius, spectans ad populum; haec est, quantum ad propositum spectat, inter utrumque usum differentia, quod usus primarius debet consonare speciebus sacramenti, eo quod perfectio usus primarii spectat ad perfectionem sacramenti ut finis (et propterea, ut praedictum est \*, sacrilegii reus esset sacerdos celebrans omittendo communionem calicis): usus autem secundarius de congruo decet quod consonet speciebus sacramenti, quia in ipso non consistit perfectio sacramenti, ut praedictum est \*.

Et quia communicatio populi in usu secundario huius sacramenti consistit, ideo ex parte sacramenti decet talem usum, id est communionem populi, congruere speciebus sacramentalibus, hoc est, quod fiat sub utraque specie. Ex parte vero utentis populi, debetur huic usui reverentia: tenetur enim populus communicare absque irreverentia; immo et cum reverentia debita tanto sacramento.

\* S. Th. hymnus *Verbum supernum*, ad Laudes Festi Corporis Christi.  
\* Eiusd. hymnus *Sacris solemnibus*, ad Matut. in eodem festo.

\* Num. iv.

\* Cf. qu. LXXXIX, art. 1, Comment. num. iii sqq.

\* Cf. num. iii.

\* Marc. cap. xiv, vers. 22, 23. — Cf. qu. LXXXI, art. 2.  
\* Ioan. cap. xiii, vers. 15.  
\* Cf. num. iv.

\* Vers. 26 sqq.

\* Cf. num. iv.

\* *Epist. Synodic. de lapsis*, Concil. Carthag. an. 352.  
\* Anastas. Bibliothec. *Vitae Rom. Pontif.*, s. Sylvest. xxxiv, 13; xli, 10; xliii, 14; et alibi; s. Hilari. Lxx, 12.  
\* Cf. Bona, *Reverum Liturg.* lib. II, cap. xviii, n. 1.

\* Cf. num. v.

\* Cf. num. vi.

\* Supra in qu. prima, num. xii.

\* Ibid.



Duobus igitur congruentibus populari usui huius sacramenti, altero ex parte signorum sacramentalium, altero ex parte populi communicantis; si utrumque nequit prudenter fieri, *appendenda sunt in statera* hinc et inde servanda et omittenda, ut discernatur quid magis expedit. Et ex una quidem parte *appendenda est communio popularis sub utraque specie cum periculo irreverentiae in spargendo sanguinem Christi*; ex altera vero parte *appendenda est communio popularis sub specie panis tantum cum tuta reverentia sacramenti*; et sic, perspicendo conditiones utriusque partis, discernetur veritas. Apparet autem, diligenter considerando, quod communio popularis sub utraque specie cum periculo irreverentiae habet peccatum sacrilegii annexum, imputandum non solum irreverentiam committenti, sed populo et Ecclesiae rectoribus: communio autem popularis sub specie panis tantum nullum habet annexum peccatum, nullumve damnum.

Declaro singula. Et primo, primum. Quod enim popularis communio sub utraque specie habeat annexam irreverentiam sacramenti, experientia testari potest, et ratio monstrat. Nam in populis tanta est diversitas communicantium ut impossibile sit, humano more de impossibili loquendo, fieri communionem tot populorum sub utraque specie absque effusione sanguinis sub specie vini. — Quod vero huiusmodi irreverentia sit sacrilegii peccatum, per se notum est: quoniam est irreverentia rei sacratissimae. — Nec excusatur a sacrilegii vitio propterea quod non ex proposito, sed ex incautela aut incuria huiusmodi irreverentia accidit. Quoniam species peccati ex obiecto sumitur, et non ex occasione peccandi: sicut nec blasphemia Dei a sua recedit specie quia incaute prolata est; huiusmodi enim circumstantiae excusant a tanto, sed non a toto. — Quod autem sacrilegium hoc imputetur populo et rectoribus Ecclesiae, ex eo patet quod huiusmodi sacrilegium non est inter casus inopinatos aut raro contingentes, sicut inter casus raro contingentes est quod sacerdos celebrans, dum seipsum communicat, aliquid spargat sanguinis Christi. Imprudentiae autem rectoris imputatur defectus non rarus, si potest providere et non providet. Et similiter populo qui mavult casum sacrilegii non rarum accidere quam abstinere a communione sub utraque specie, rationabiliter imputatur.

Deinde declaratur secundum. Quod enim in communione populari sub specie panis tantum nullum interveniat peccatum, ex eo convincitur quod, si communio sub specie panis tantum esset peccatum, nunquam esset licita. Constat autem quod in Parasceve sacerdos sub specie tantum panis communicat, non solum licite, sed sancte. Non est igitur communio sub altera specie tantum peccatum. — Quod etiam non habeat annexum damnum, ex superioribus dictis \* iam patet: quia, ceteris paribus, non est minus fructuosa communio sub altera specie tantum quam sub utraque.

Ex quibus manifeste apparet magis expedire Christi Ecclesiae communionem populi sub specie panis tantum quam sub utraque. Et, si perspicacius consideratum fuerit, invenietur ex praedictis quod utilior est populo Christiano communio sub specie panis tantum quam sub utraque specie. Quoniam reverentia tuta, cui innititur populus communicatus sub specie panis tantum, *non caret mercede sua*: et prudenter communicare fructuosius est spiritui quam minus prudenter. Et forte in poenam huiusmodi imprudentiae, incautelae ac sacrilegii emergentis, divino iudicio schismatici sunt populi communicantes hodie sub utraque specie.

Expedit igitur Christianis populis communicare sub specie panis tantum: et ad evitandum sacrilegii periculum; et ad meritum tam obedientiae, praelatis Sedis Apostolicae communionem habentibus parendo; quam reverentiae, magnificando plus sacramentum hoc quam affectum proprium ad utramque speciem.

III. Ad primum ergo in oppositum, de exemplo Christi \*, dicitur quod Spiritus Sanctus docuit et docet Ecclesiam non expedire illi imitari omnes conditiones quae

intervenerunt in actionibus Christi. Nec haec ego somnio. Sed manifeste patet Christum in prima huius sacramenti consecratione et traditione duo servasse, scilicet quod post cenam \* consecratio et communio facta est, et quod sub utraque specie \* communicaverunt omnes. Ecclesia autem non post cenam, sed ieiuna, consecrationem et communionem perficit, non imitando Christum in hoc: et procul dubio ratione reverentiae ieiuna communicat. Si igitur Christi actio, quoad hanc conditionem, non solum licite, sed merito obmittitur ob reverentiam tanti sacramenti; par est, ob reverentiam eiusdem sacramenti, omittere etiam alteram conditionem, scilicet, sub utraque specie. Immo magis communio popularis exigit omissionem utriusque speciei, quam communio sacerdotis omissionem sobriae manducationis: quoniam hic nullum est nisi ex Ecclesiae statuto \* peccati periculum; ibi autem intervenit sacrilegii periculum ex conditione sumentium. Unde, sicut Ecclesia provide statuit ut ieiuni communicemus, ita provide quoque servat ut sub specie panis tantum populus communice. Et in utroque obedit Christo, non secundum similitudinem actionis, sed secundum intentionem agentis: de intentione siquidem Christi est reverentia magis quam exterior similitudo operis.

IV. Ad secundum, de exemplo primitivae Ecclesiae \*, dicitur quod, ratione paucitatis Christianorum, fiebat tunc absque periculo sacrilegii communio sub utraque specie. Nunc autem, quia non potest absque sacrilegii periculo tanta multitudo populi communicare sub utraque specie, non expedit imitari in hoc primitivam Ecclesiam. — Et cum hac responsione satis fit argumentis omnibus ex imitatione priscorum, et tam diuturnae consuetudinis antiquae \*.

Posset tamen aliter, et forte verius, utendo etiam ratione dictae responsionis, dici quod nunquam fuit universalis consuetudo in tota Ecclesia communicandi populum sub utraque specie: sed alicubi fuit hoc consuetum, et alicubi non. In cuius veritatis signum, in primitiva Ecclesia aliter legitur factam communionem Hierosolymis, et aliter in ecclesia Corinthiorum: apud Corinthios enim communicabant sub utraque specie, ut patet I *ad Cor.* xi \*; Hierosolymis vero sola sub specie panis communio legitur, ut patet *Act.* ii \*, ubi dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Post successum quoque temporum, utrumque quoque legitur in sacris canonibus: nam invenitur *communio laica* \*, quae communio sub specie panis tantum interpretatur; et invenitur quod poenitentibus in extremo *Eucharistia infundatur* \*, quod ad communionem calicis spectare constat, quoniam infundi liquorum est. Unde videtur quod argumentum ex universalis consuetudine supponit falsum. Immo ex exordio primitivae Ecclesiae, quando omnes simul erant Apostoli, argumentum sumitur ad oppositum, ex hoc ipso quod Hierosolymis, ubi erat magna multitudo fidelium \*, sola communio sub specie panis tradita populo legitur. Hinc enim, tam vehementer aucta multitudo fidelium, imitatur doctrinam omnium Apostolorum, communicando populum sub specie panis tantum.

Et licet ratio sumpta ex tanta multiplicatione Christiani populi sit solidum ac praecipuum fundamentum consuetudinis communicandi populum sub specie panis tantum, posset nihilominus secundaria ratio assignari quare ecclesiae quae olim sub utraque specie communionem faciebant, destiterunt ab illa consuetudine: ex defectu scilicet fervoris et devotionis in populis. Ut enim in praecedenti quaestione \* dictum est, communio sub utraque specie si fructuosior esse debet quam communio sub specie panis tantum, duplicata debent esse incrementa spiritus. Quae cum defecerint, provide tam pastor Ecclesiae quam populus abstinendum a communione sub utraque specie censuit, recognoscendo communicantium imperfectionem.

Et quod huiusmodi imperfectionem Christianae incurrerint ecclesiae, ex hoc apparet quod vix populus simplicem praeparationem facit pro communione semel in anno. Quod vero olim excellens fuerit profectus spiritus, patet et ex eo quod quotidie, aut quasi quotidie, communica-

\* Luc. cap. xxii, vers. 20; I *ad Cor.*, cap. xi, vers. 25.  
\* Matth. cap. xxvi, vers. 26, 27; Marc. cap. xiv, vers. 22, 23; Luc. cap. xxii, vers. 19, 20.

\* Cf. can. *Liquido, de Consecr.*, dist. II.

\* Num. I, *Secundo.*

\* Ibid., *Tertio.*

\* Vers. 26 sqq.

\* Vers. 42.

\* Can. *Si Episcopus, et Si quis viduam*, dist. L; can. *Si evangelica*, dist. LV; Concil. Eliberitan., al. Illiberitan., can. Lxxvi; Sardicens., can. I, II.

\* Conc. Carthag. IV, cap. Lxxvi.

\* Act. cap. II, vers. 41; cap. IV, vers. 4.

\* Num. xvi.

\* In qu. secunda.

\* Num. I.

\* Cf. Act. cap. II, vers. 46.

\* Cf. Greg. M. Dialog. lib. II, cap. XXIII.

\* Num. I, Praeterea duorum.

bant \*: et ex eo quod sacri canones excludebant ab auditione missae omnes non communicantes, ut patet de Consecr., dist. II, cap. Peracta \*. Hinc enim rationabiliter conicere possumus quod sicut, recognoscendo imperfectionem posteriorum, destitit Ecclesia a quotidiana communione populi et ab expellendo a missa non-communicantes; ita, recognoscendo imperfectionem communem, destitit a communione sub utraque specie, utpote reddita infructuosa ac periculosa communi populo.

Et per haec patet responsio ad tria prima argumenta. V. Ad quartum \* vero dicitur quod maior distinguenda est: simpliciter, vel secundum quid. Et si simpliciter et absolute intelligitur, vera est, ceteris paribus. Si vero secundum quid, est falsa manifeste.

Intellecta igitur maiore absolute et simpliciter, in sensu quo verificatur, dicitur quod minor est falsa. Et ut singillatim manifestetur in singulis partibus eius, dicitur quod, licet communicare sub utraque specie populum sit clarius secundum sensum et quoad nos, non tamen est clarius secundum intellectum, et ex parte rei contentae. Difficultates siquidem quae occurrunt, ex parte nostri, et non ex parte rei; et ex signis sensibilibus, non ex re contenta consurgunt.

Quod autem sit tutius, falsissimum est. Et cum dicitur quod nullius omissionis periculo se exponit, respondetur quod, licet non omittat signum sensibile, omittit tamen popularis communio prudentiam debitam in cavendo ab irreverentia sacramenti, et exponit se periculo commissionis sacrilegii: a quibus tuta est communio populi sub specie panis tantum.

Quod vero dicitur de magis consentaneo: — oporteret dicere, magis consentaneo rationi rectae, aut praecepto Christi. Communio siquidem populi sub specie utraque licet sit magis consentanea per modum assimilationis institutioni sacramenti, et integritati sacramenti, et integritati sensibilis refectionis; communio tamen populi sub panis specie tantum est magis consentanea et praecepto Christi, Hoc facite in meam commemorationem, ut praedecclaratum est \* ex ordine litterae Evangelicae; et rationi rectae, curam gerenti de reverentia huius sacramenti. Et illud quidem spectat ad consentaneum secundum quid, hoc autem ad consentaneum simpliciter et absolute: quia hoc consurgit ex omnibus consideratis; illud autem ad similitudinem exteriorem tantum respiciendo.

VI. Ad quintum \* autem dicitur quod falsum subimit; scilicet, tenentia se ex parte sumentis concurrere per accidens ad usum huius sacramenti. Usus enim, licet sit huius sacramenti ut rei qua utimur, hoc est, materiae; est tamen utentis ut proprius actus seu operatio. Non accidit autem operationi rectitudo ex parte operantis. Immo adeo per se ex hac parte exigit rectitudinem ut, nisi operatio recta sit ex parte operantis, non possit esse recta simpliciter et absolute loquendo. Et in proposito plus invenitur: scilicet quod conditio de qua loquimur ex parte utentis, non sistit in ipso utente, sed redundat in sacramentum; quoniam attenditur secundum reverentiam vel irreverentiam ad sacramentum. Et propterea undique ruit argumentum.

Et haec de communione populari sub utraque specie dicta pro nunc sufficiant.

\* In qu. prima, num. XII, Quarto dicitur.

\* Num. I, Praeterea quod congruit.



## QUAESTIO OCTOGESIMAPRIMA

### DE USU HUIUS SACRAMENTI QUO CHRISTUS USUS EST IN PRIMA SUI INSTITUTIONE

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

**D**EINDE considerandum est de usu huius sacramenti quo Christus usus est in prima sui institutione\*. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum ipse Christus sumpserit corpus et sanguinem suum.

\* Cf. qu. LXXX, Introd.

Secundo: utrum Iudae dederit.  
Tertio: quale corpus sumpserit aut dederit, scilicet passibile vel impassibile.  
Quarto: quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento si fuisset in triduo mortis reservatum, aut etiam consecratum.

#### ARTICULUS PRIMUS

##### UTRUM CHRISTUS SUMPSEKIT SUUM CORPUS ET SANGUINEM

Infra, qu. LXXXIV, art. 7, ad 4; IV Sent., dist. XI, qu. III, art. 1.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non sumpserit corpus suum et sanguinem. Non enim de factis Christi et dictis asseri debet quod auctoritate sacrae Scripturae non traditur. Sed in Evangelii non habetur quod Christus corpus suum manducaverit aut sanguinem biberit. Non ergo est hoc asserendum.

2. PRAETEREA, nihil potest esse in seipso, nisi forte ratione partium, prout scilicet una pars eius est in alia: ut habetur in IV *Physic.*\* Sed illud quod manducatur et bibitur, est in manducante et bibente. Cum ergo totus Christus sit in  $\alpha$  utraque specie sacramenti\*, videtur impossibile fuisse quod ipse sumpserit hoc sacramentum.

3. PRAETEREA, duplex est assumptio  $\beta$  huius sacramenti, scilicet spiritualis et sacramentalis. Sed spiritualis non competebat Christo: quia nihil a sacramento accepit. Et per consequens nec sacramentalis, quae sine spirituali est imperfecta, ut supra\* habitum est. Ergo Christus nullo modo hoc sacramentum sumpsit.

SED CONTRA EST quod Hieronymus dicit, ad *Heldibiam*\*: *Dominus Iesus ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur.*

RESPONDEO DICENDUM quod quidam\* dixerunt quod Christus in Cena corpus et sanguinem suum discipulis tradidit, non tamen ipse sumpsit. Sed hoc non videtur convenienter dici. Quia Christus ea quae ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit, unde et ipse prius baptizari voluit quam aliis baptismum imponeret: secundum illud *Act. I*\*: *Coepit Iesus facere et docere.* Unde et ipse primo corpus suum et sanguinem sumpsit, et postea discipulis suis tradidit sumendum. Et hoc est quod, *Ruth III*, super illud\*,

*Cumque comedisset et bibisset etc.*, dicit Glossa\*, quod *Christus comedit et bibit in Cena, cum corporis et sanguinis sui sacramentum discipulis tradidit. Unde, « quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse participavit eisdem »\**.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in Evangelii legitur quod Christus *accepit panem et calicem*\*. Non est autem intelligendum quod acceperit solum in manibus, ut quidam dicunt: sed eo modo accepit quo aliis accipiendum tradidit. Unde, cum discipulis dixerit, *Accipite et comedite*\*, et iterum, *Accipite et bibite*\*, intelligendum est quod ipse Dominus accipiens comederit et biberit. Unde et quidam metricè dixerunt: *Rex sedet in Cena: Turba cinctus duodena: Se tenet in manibus: Se cibatur ipse cibus.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut supra\* dictum est, Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, comparatur ad locum non secundum proprias dimensiones, sed secundum dimensiones specierum sacramentalium, ita quod in quocumque loco ubi sunt illae species, est ipse Christus. Et quia species illae potuerunt esse in manibus et in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse in suis manibus et in suo ore. Non autem potuisset hoc esse secundum quod comparatur ad locum secundum proprias species  $\gamma$ .

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra\* dictum est, effectus huius sacramenti est non solum augmentum habitualis gratiae, sed etiam actualis  $\delta$  delectatio spiritualis dulcedinis. Quamvis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione huius sacramenti, habuit tamen quandam spiritualem delectationem in nova institutione huius sacramenti: unde ipse dicebat, *Luc. XXII*\*: *Desiderio desideravi manducare hoc*

\* Cap. IV, n. 5. - S. Th. lect. V.

$\alpha$   
\* Cf. qu. LXXVI, art. 2.

$\beta$   
\* Qu. LXXX, art. 1.

\* Ad *Heldibiam*, Ep. CXX, al. CL, cap. II, al. ad qu. II. - Cf. can. *Nec Moyses, de Consecr.*, dist. II.  
\* Petr. Pictav. V Sent., cap. XIII.

\* Vers. 1.

\* Vers. 7.

\* Ord. sine nom.

\* Ad *Heb.*, cap. II, vers. 14.

\* *Matth. cap. XXVI*, vers. 26, 27; *Marc. cap. XIV*, vers. 22, 23; *Luc. cap. XXII*, vers. 19, 20. - Cf. *I ad Cor.*, cap. XI, vers. 23 sqq.

\* *Matth. cap. XXVI*, vers. 26.  
\* Cf. *ibid.*, vers. 27.

\* Qu. LXXVI, art. 5.

$\gamma$   
\* Qu. LXXIX, art. 1, ad 2.

$\delta$

\* Vers. 15.

$\alpha$ ) in. - sub I et editiones, om. HpG.  
 $\beta$ ) assumptio. - sumptio sF a et tertia.

$\gamma$ ) species. - dimensiones P.  
 $\delta$ ) actualis. - quaedam actualis tertia.

\* Caesariensis, de Solemnit. Pasch.

pascha vobiscum, quod Eusebius \* exponit de novo mysterio huius e novi Testamenti quod tra-  
debat discipulis. Et ideo spiritualiter manducavit,  
et similiter sacramentaliter: in quantum corpus  
suum sub sacramento sumpsit, quod sacramen-

tum sui corporis intellexit et disposuit. Aliter  
tamen quam ceteri sacramentaliter et spirituali-  
ter sumant, qui augmentum gratiae suscipiunt,  
et ζ sacramentalibus signis indigent ad veritatis  
perceptionem.

ε) huius. — Om. tertia.

ζ) et. — in DF, sub PH; ante indigent P addit quibus; margo P  
per Alias ut nos.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS IUDAE DEDERIT CORPUS SUUM

IV Sent., dist. xi, qu. iii, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 2; In Matth., cap. xxvi; In Ioan., cap. xiii, lect. iii, iv.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEditur. Videtur quod  
Christus Iudae non dederit corpus suum.  
Ut enim legitur Matth. xxvi \*, postquam  
Dominus dederat corpus suum et san-  
guinem discipulis, dixit eis: *Non bibam amodo  
de hoc genimine vitis usque in diem illum cum  
illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*  
Ex quo videtur quod illi quibus corpus suum  
et sanguinem dederat, cum eo essent iterum bi-  
bituri. Sed Iudas postea cum ipso non bibit. Ergo  
non accepit cum aliis discipulis corpus Christi et  
sanguinem.

\* Vers. 29.

\* Vers. 1.

\* Vers. 6.

2. PRAETEREA, Dominus implevit quod prae-  
cepit: secundum illud Act. i \*: *Coepit Iesus fa-  
cere et docere.* Sed ipse praecepit, Matth. vii \*: *Nolite sanctum dare canibus.* Cum ergo ipse co-  
gnosceret Iudam peccatorem esse, videtur quod  
ei corpus suum et sanguinem non dederit.

\* Vers. 26.

\* Vers. 27.

α  
\* In Ioan. Evang.  
tract. LXII, n. 1.

3. PRAETEREA, Christus specialiter legitur Iudae  
*panem intinctum* porrexisse, Ioan. xiii \*. Si ergo  
corpus suum ei dederit, videtur quod sub buc-  
cella ei dederit: praecipue cum legatur ibidem \*,  
*Et post buccellam introivit in eum Satan;* ubi α  
Augustinus dicit \*: *Hinc nos docemur quam sit  
cavendum male accipere bonum. Si enim corri-  
pitur qui « non diiudicat », idest, non discernit cor-  
pus Domini a ceteris cibis, quomodo β damnabitur  
qui ad eius mensam, fingens se amicum, accedit  
inimicus?* Sed cum buccella intincta non accepit  
corpus Christi, ut Augustinus dicit \*, super illud  
Ioan. xiii \*, *Cum intinxisset panem, dedit Iudae  
Simonis Iscariotis: Non, ut putant quidam negli-  
genter legentes, tunc Iudas solus γ corpus Christi  
accepit.* Ergo videtur quod Iudas corpus Christi  
non acceperit.

\* Ibid., num. 3.

\* Vers. 26.

γ

\* In Matth. ho-  
mil. LXXXII, al.  
LXXXIII, n. 1.

SED CONTRA EST quod Chrysostomus dicit \*: *Iudas, particeps existens mysteriorum, conversus  
non est. Unde fit scelus eius utrinque immanius:  
tum quia tali proposito imbutus adiit mysteria;  
tum quia adiens melior factus non fuit, nec metu  
nec beneficio nec honore.*

\* Cap. xxx, num.  
2, in Matth. cap.  
xxvi, vers. 17 sqq.

RESPONDEO DICENDUM quod Hilarius posuit, su-  
per Matth. \*, quod Christus Iudae corpus suum  
et sanguinem non dedit. Et hoc quidem conve-

niens fuisset, considerata malitia Iudae. Sed quia  
Christus debuit nobis esse exemplum iustitiae,  
non conveniebat eius magisterio ut Iudam, oc-  
cultum peccatorem, sine accusatore et evidenti  
probatione, ab aliorum communione separaret:  
ne per hoc daretur exemplum praelatis Ecclesiae  
similia faciendi; et ipse Iudas, inde exasperatus δ,  
sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum  
est quod Iudas cum aliis discipulis corpus Domini  
et sanguinem suscepit: ut dicit Dionysius, in libro  
*Eccles. Hier.* \*, et Augustinus, *super Ioannem* \*\*.

\* Cap. iii, p. iii,  
§ 1. — Cf. Pachy-  
mer. ibid.  
\*\* In Ioan. Ev.,  
tract. LXII, n. 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa est ratio  
Hilarii ad ostendendum quod Iudas corpus Chri-  
sti non sumpsit. Non tamen cogit. Quia Christus  
loquitur discipulis, a quorum collegio Iudas se  
separavit, non autem Christus eum exclusit. Et  
ideo Christus, quantum est in se, etiam cum  
Iuda vinum in regno Dei bibit: sed hoc convi-  
vium ipse Iudas repudiavit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christo nota erat  
Iudae iniquitas sicut Deo: non autem erat sibi  
nota per modum quo hominibus innotescit. Et  
ideo Christus Iudam non repulit a communione,  
ut daret exemplum tales peccatores occultos non  
esse ab aliis sacerdotibus repellendos.

AD TERTIUM DICENDUM quod sine dubio Iudas  
sub pane intincto corpus Christi non sumpsit,  
sed simplicem panem. *Significatur autem fortas-  
sis, ut Augustinus dicit ibidem \*, per panis in-  
tinctionem fictio Iudae: ut enim inficiantur, non-  
nulla tinguntur. Si autem bonum aliquod hic signi-  
ficat tinctio, scilicet dulcedinem bonitatis divinae,  
quia panis ex intinctione sapidior redditur, eidem  
bono ingratum non immerito secuta est damna-  
tio. Et propter hanc ingratitude id quod est  
bonum, factum est ei malum \*: sicut accidit circa*

\* Loc. prox. cit.

\* Cf. ibid., num. 1.

sumentes corpus Christi indigne.  
Et, sicut Augustinus dicit ibidem \*, *intelligen-  
dum est quod Dominus iam antea distribuerat omni-  
bus discipulis suis sacramentum corporis et san-  
guinis sui, ubi et ipse Iudas erat, sicut Lucas nar-  
rat \*. Ac deinde ad hoc ventum est, ubi, secundum  
narrationem Ioannis, Dominus per buccellam tin-  
ctam atque porrectam suum exprimit proditorem.*

\* Num. 3.

\* Cap. xxii, vers.  
19 sqq.

α) ubi. — F et tertia (praeter I?); ut.  
β) quomodo. — quomodo non P, om. G.

γ) solus. — Om. P.  
δ) inde exasperatus. — exasperatus inde (exinde I) tertia.

## ARTICULUS TERTIUS

## UTRUM CHRISTUS SUMPSEIT ET DEDERIT CORPUS SUUM DISCIPULIS IMPASSIBILE

IV Sent., dist. xi, qu. iii, art. 3.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus sumpserit et dederit corpus suum discipulis impassibile. Quia super illud Matth. xvii \*: *Transfiguratus est ante illos*, dicit quaedam glossa \*: *Illud corpus quod habuit per naturam, dedit discipulis in Cena, non mortale et passibile*. Et Levit. ii, super illud \*: *Si oblatio tua fuerit de sartagine*, dicit Glossa \*: *Crux, super omnia fortis, carnem Christi, quae ante passionem non videbatur esui apta, post aptam fecit*. Sed Christus dedit corpus suum ut aptum ad manducandum. Ergo dedit tale quale habuit post passionem, scilicet impassibile et immortale.

2. PRAETEREA, omne corpus passibile per contactum et manducationem patitur. Si ergo corpus Christi erat passibile, per contactum et comestionem discipulorum passum fuisset.

3. PRAETEREA, verba sacramentalia non sunt modo maioris virtutis quando proferuntur a sacerdote in persona Christi, quam tunc quando fuerunt prolata ab ipso Christo. Sed nunc virtute verborum sacramentalium in altari consecratur corpus Christi impassibile et immortale. Ergo multo magis tunc.

SED CONTRA EST quod, sicut Innocentius III dicit \*, *tale corpus tunc dedit discipulis quale habuit*. Habuit autem tunc corpus passibile et mortale. Ergo corpus passibile et mortale discipulis dedit.

RESPONDEO DICENDUM quod Hugo de Sancto Victore \* posuit quod Christus ante passionem diversis temporibus quatuor dotes corporis glorificati assumpsit: scilicet subtilitatem in nativitate, quando exivit de clauso utero Virginis; agilitatem, quando siccis pedibus super mare ambulavit; claritatem, in transfiguratione; impassibilitatem, in Cena, quando corpus suum tradidit discipulis ad manducandum. Et secundum hoc, dedit discipulis suis corpus impassibile et immortale.

Sed, quidquid sit de aliis, de quibus supra \* dictum est quid sentiri debeat, circa impassibilitatem tamen impossibile est esse <sup>α</sup> quod dicitur. Manifestum est enim quod idem verum <sup>β</sup> corpus Christi erat quod a discipulis tunc in propria specie videbatur, et in specie sacramenti sumebatur. Non autem erat impassibile secundum quod in propria specie videbatur: quinimmo erat passioni paratum. Unde nec ipsum corpus quod in specie sacramenti dabatur, impassibile erat.

Impassibili tamen modo erat sub specie sacramenti quod in se erat passibile: sicut invisibiliter quod in se erat visibile <sup>γ</sup>. Sicut enim visio requirit contactum corporis quod videtur ad circumstans <sup>δ</sup> medium visionis, ita passio requirit contactum corporis quod patitur ad ea quae agunt. Corpus autem Christi, secundum quod est sub sacramento, ut supra \* dictum est, non comparatur ad ea quae circumstant mediantibus propriis dimensionibus, quibus corpora se tangunt, sed mediantibus dimensionibus specierum panis et vini. Et ideo species illae sunt quae patiuntur et videntur, non autem ipsum corpus Christi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus dicitur non dedisse in Cena <sup>ε</sup> corpus suum mortale et passibile, quia non dedit corporali et passibili modo. — Crux autem facit <sup>ζ</sup> carnem Christi aptam manducationi, in quantum hoc sacramentum repraesentat passionem Christi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ratio illa procederet si corpus Christi, sicut erat passibile, ita passibili modo fuisset <sup>η</sup> sub sacramento.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento ex reali concomitantia, non autem ex vi sacramenti, ex qua est ibi substantia corporis Christi. Et ideo virtus verborum sacramentalium ad hoc se extendit ut sit sub hoc sacramento corpus, Christi scilicet, quibuscumque accidentibus realiter in eo existentibus.

\* Vers. 2.

\* Ord.

\* Vers. 5.

\* Ord. Hesychii.

\* De S. Altar. Myster. lib. IV, cap. XII. — Vide tom. XI huius Leoninae edit., Praefat., de Cital., not. ad qu. xxviii, art. 2, ad 3.

\* Innoc. III, ibid.; Serm. XIV de Temp.

\* Qu. xxviii, art. 2, ad 3; qu. XLV, art. 2.

α

β

γ

δ

\* Art. 1, ad 2; qu. LXXVI, art. 5.

ε

ζ

η

\* Qu. LXXVI, art. 4.

α) esse. — esse necesse HpG, esse necessario bc, esse verum sG.

β) verum. — Om. Pc.

γ) Impassibili... visibile. — P et omisso dabatur... specie sacramenti I; semper sicut invisibile quod in se erat visibile sG, tamen modo erat sub specie sacramenti quod in se erat impassibile sicut invisibile quod in se erat visibile b, Impassibili (Impassibile ACHA)

tamen modo erat sub specie sacramenti quod in se erat visibile (passibile F) ceteri.

δ) ad circumstans. — F et tertia; a circumstantia.

ε) in Cena. — Om. editiones. — Pro corporali, mortali PI.

ζ) facit. — fecit P.

η) fuisset. — Pc; sit.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM, SI HOC SACRAMENTUM TEMPORE MORTIS CHRISTI FUISSET SERVATUM IN PYXIDE, VEL AB ALIQUO APOSTOLORUM CONSECRATUM, IBI MORERETUR

IV *Sent.*, dist. x, art. 2, qu<sup>a</sup> 1; dist. xi, qu. iii, art. 4, qu<sup>a</sup> 1, 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIV; *Quodl.* V, qu. vi, art. 1, ad 1; *In Ioan.*, lect. vi; I *ad Cor.*, cap. xi, lect. vi.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum in pyxide, vel ab aliquo Apostolorum consecratum, non ibi moreretur. Mors enim Christi accidit per eius passionem. Sed Christus impassibili modo etiam tunc erat in hoc sacramento. Ergo non poterat mori in hoc sacramento.

2. PRAETEREA, in morte Christi separatus fuit sanguis eius a corpore. Sed in hoc sacramento simul est corpus Christi et sanguis. Ergo Christus in hoc sacramento non moreretur.

3. PRAETEREA, mors accidit per separationem animae a corpore. Sed in hoc sacramento continetur tam corpus Christi quam anima. Ergo in hoc sacramento non poterat Christus mori.

SED CONTRA EST quod idem Christus qui erat in cruce, fuisset in sacramento. Sed in cruce moriebatur. Ergo et in sacramento, conservato moreretur.

RESPONDEO DICENDUM quod corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento et in propria specie, sed non eodem modo: nam in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias dimensiones, non autem prout est in hoc sacramento, ut supra \* dictum est. Et ideo quidquid pertinet ad Christum secundum quod est in se, potest attribui ei et in propria specie et in sacramento existenti: sicut vivere, mori, dolere, animatum vel inanimatum esse, et cetera huiusmodi. Quaecumque vero conveniunt ei per comparisonem ad corpora extrinseca, possunt

ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in sacramento: sicut irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, et cetera huiusmodi. Unde quidam metricè dixerunt: *Pyxide servato poteris <sup>α</sup> sociare dolorem Innatum, sed non illatus convenit illi.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, passio convenit corpori passo per comparisonem ad agens extrinsecum. Et ideo Christus, secundum quod est sub sacramento, pati non potest. Potest tamen mori.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, sub specie panis est corpus Christi ex vi consecrationis, sanguis autem sub specie vini. Sed nunc quidem, quando realiter sanguis Christi non est separatus ab eius corpore, ex reali concomitantia et sanguis Christi est sub specie panis simul cum corpore, et corpus sub specie vini simul cum sanguine. Sed, si in tempore passionis Christi, quando realiter sanguis fuit separatus a corpore, fuisset hoc sacramentum consecratum, sub specie panis fuisset solum corpus, et sub specie vini fuisset solus sanguis.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, anima Christi est in hoc sacramento ex reali concomitantia, quia non est sine corpore: non autem ex vi consecrationis. Et ideo, si tunc fuisset hoc sacramentum consecratum <sup>β</sup> vel servatum quando anima erat a corpore realiter separata, non fuisset anima Christi sub hoc sacramento: non propter defectum virtutis verborum, sed propter aliam dispositionem rei.

\* Art. 3.

<sup>α</sup>) poteris. — P; poterit — Pro sociare, signare ABa, conare D, sonare E, om. pG.

<sup>β</sup>) consecratum. — Om. F. Pro servatum, paratum pG, peractum ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

\* Qu. LXXVI, art. 2, Comment.

**I**N tota quaestione octogesimaprima hoc solum occurrit, circa quarti articuli materiam, recolendum, quod Scotica chimaera superius \* relata hinc apparet ut est. Nihil enim minus corpus Christi sub sacramento nihil fuisset, si Christi corpus in propria specie annihilatum fuisset, quam in triduo corpus Christi sub sacramento fuisset mortuum quia in propria specie fuit mortuum: cum tamen Scotus

hoc concedat \* et primum neget \*\*. Utrumque enim, scilicet esse mortuum et esse nihil, sunt de numero eorum quae conveniunt, seu quae convenirent Christi corpori absolute et non in ordine ad extrinseca, ut clare patet. Et propterea quodcumque eorum Christi corpori in propria specie contingeret, asserendum esset de eodem sub sacramento.

\* IV *Sent.*, dist. xi, qu. iii, art. 2 principali, art. 2.  
\*\* *Ibid.*, dist. x, qu. iv.



## QUAESTIO OCTOGESIMASECUNDA

## DE MINISTRO HUIUS SACRAMENTI

IN DECEM ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXIII,  
Introd.

**D**EINDE considerandum est de ministro huius sacramenti\*.

Et circa hoc quaeruntur decem.

Primo: utrum consecrare hoc sacramentum sit proprium sacerdotis.

Secundo: utrum plures sacerdotes simul possent eandem hostiam consecrare.

Tertio: utrum dispensatio huius sacramenti pertineat ad solum sacerdotem.

Quarto: utrum liceat sacerdoti consecranti a communione abstinere.

Quinto: utrum liceat sacerdoti omnino a celebratione abstinere<sup>a</sup>.

Sexto: utrum sacerdos peccator possit conficere hoc sacramentum.

Septimo: utrum missa mali sacerdotis minus valeat quam boni.

Octavo: utrum haeretici, schismatici vel excommunicati possint conficere hoc sacramentum.

Nono: utrum degradati.

Decimo: utrum peccent a talibus communionem recipientes.

## ARTICULUS PRIMUS

## UTRUM CONSECRATIO HUIUS SACRAMENTI PROPRIE SIT SACERDOTIS

Supra, qu. LXVII, art. 2; IV Sent., dist. XIII, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, 2.\* Qu. LXXVIII, art.  
4.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod consecratio huius sacramenti non proprie sit sacerdotis. Dictum est enim supra\* quod hoc sacramentum consecratur virtute verborum quae sunt forma huius sacramenti. Sed illa verba non mutantur sive dicantur a sacerdote sive a quocumque alio. Ergo videtur quod non solus sacerdos, sed etiam quilibet alius possit hoc sacramentum consecrare.

2. PRAETEREA, sacerdos hoc sacramentum conficit in persona Christi. Sed laicus sanctus est unitus Christo per caritatem. Ergo videtur quod etiam laicus possit hoc sacramentum conficere. Unde et Chrysostomus dicit, *super Matth.*\*, quod *omnis sanctus est sacerdos*.

\* Op. Imperf. in  
Matth., homil.  
XLIII. - Inter  
Opp. Chrys.

3. PRAETEREA, sicut baptismus ordinatur ad hominum salutem, ita et hoc sacramentum, ut ex supra\* dictis patet. Sed etiam laicus potest baptizare, ut supra\* habitum est. Ergo non est proprium sacerdotis conficere hoc sacramentum.

\* Qu. LXXIV, art. 1;  
qu. LXXIX, art. 2.  
\* Qu. LXVII, art. 3.

4. PRAETEREA, hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae. Sed alias materias consecrare, scilicet chrisma et oleum sanctum et oleum benedictum, pertinet ad solum episcopum: quarum tamen consecratio non est tantae dignitatis sicut consecratio Eucharistiae, in qua est totus Christus. Ergo non est proprium sacerdotis, sed solius episcopi, hoc sacramentum conficere.

SED CONTRA EST quod Isidorus dicit, in quadam

Epistola\*, et habetur in Decretis, dist. XXV\*\*:  
*Ad presbyterum pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altari Dei conficere.*

\* Ad Ludifred.  
\*\* Can. Perlectis.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra\* dictum est, hoc sacramentum tantae est dignitatis quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum, ita sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi: per hoc enim ponitur in gradu eorum quibus dictum est a Domino, *Hoc facite in meam commemorationem*\*. Et ideo dicendum est quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum.

\* Qu. LXXVIII,  
art. 1, 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod virtus sacramentalis in pluribus consistit, et non in uno tantum: sicut virtus baptismi consistit et in verbis<sup>β</sup> et in aqua. Unde et virtus consecrativa non solum consistit in ipsis verbis, sed etiam in potestate sacerdoti tradita in sua consecratione vel<sup>γ</sup> ordinatione, cum ei dicitur ab episcopo: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia tam pro vivis quam pro mortuis*. Nam et virtus instrumentalis in pluribus instrumentis consistit, per quae agit principale agens.

\* Luc. cap. XXII,  
vers. 19.

AD SECUNDUM DICENDUM quod laicus iustus unitus est Christo unione spirituali per fidem et caritatem, non autem per sacramentalem potesta-

<sup>a</sup>) Quinto... abstinere. - Decimo loco, ut in Articulis, ponit tertia mutatis ordinalibus; H1b tamen in Indice ut quinto loco quaesitum recensent (Index I non est in manu scriptoris textus). Pro abstinere, cessare in omnibus Indicibus praeter G.

<sup>β</sup>) et in verbis. - in verbis FI, in ipsis verbis cetera tertia.  
<sup>γ</sup>) consecratione vel. - Om. I, consecratione et cetera tertia. - cum ei dicitur editiones et a; cum dicitur F, dicitur enim sacerdoti sG, om. I, cum enim dicitur ceteri.

tem. Et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur in Psalmo \*, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; et Rom. XII \*, *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*. Unde et I Petri II \* dicitur: *Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias*.

\* Ps. L, vers. 19.  
\* Vers. 1.  
\* Vers. 5.

AD TERTIUM DICENDUM quod perceptio huius sacramenti non est tantae necessitatis sicut perceptio baptismi, ut ex supra \* dictis patet. Et ideo, licet in necessitatis articulo laicus possit baptizare, non tamen potest hoc sacramentum conficere.

\* Qu. LXV, art. 3, 4; qu. LXXX, art. 11, ad 2.

AD QUARTUM DICENDUM quod episcopus accipit potestatem ut agat in persona Christi supra corpus eius mysticum, id est super Ecclesiam: quam

quidem potestatem non accipit sacerdos in sua consecratione, licet possit eam habere ex episcopi commissione. Et ideo ea quae non pertinent ad dispositionem corporis mystici, non reservantur episcopo: sicut consecratio huius sacramenti. Ad episcopum vero pertinet non solum tradere populo, sed etiam sacerdotibus, ea ex quibus possunt propriis officiis uti. Et quia benedictio chris-matis et olei sancti et olei infirmorum, et aliorum quae consecrantur, puta altaris, ecclesiae, vestium et vasorum, praestat <sup>δ</sup> quandam idoneitatem ad sacramenta perficienda quae pertinent ad officium sacerdotum, ideo tales consecrationes episcopo reservantur, tanquam principi <sup>ε</sup> totius ecclesiastici ordinis.

δ) praestat. — Tertia; praestant Fa, p̄rā (altero r pro t scripto est praestant) ceteri.

ε) principi. — Ed. a et tertia praeter I; principio FI, principia ceteri.

## ARTICULUS SECUNDUS

### UTRUM PLURES SACERDOTES POSSINT UNAM ET EANDEM HOSTIAM CONSECRARE

IV Sent., dist. XIII, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 2.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod plures sacerdotes non possunt unam et eandem hostiam consecrare. Dicitur enim supra \* quod plures non possunt unum baptizare. Sed non minor vis est sacerdotis consecrantis quam hominis baptizantis. Ergo etiam non possunt simul plures unam hostiam consecrare.

\* Qu. LXVII, art. 6.

2. PRAETEREA, quod potest fieri per unum, superflue fit per multos. In sacramentis autem Christi nihil debet esse superfluum. Cum igitur unus sufficiat ad consecrandum, videtur quod plures non possunt unam hostiam consecrare.

\* Tract. XXVI, num. 13.

3. PRAETEREA, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* \*, hoc sacramentum est *sacramentum unitatis*. Sed contrarium unitati videtur esse multitudo. Ergo non videtur conveniens esse huic sacramento quod plures sacerdotes eandem hostiam consecrent.

SED CONTRA EST quod, secundum consuetudinem quarundam ecclesiarum, sacerdotes, cum de novo ordinantur, concelebrant episcopo ordinanti.

\* Art. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* di-

ctum est, sacerdos, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in Cena. Et ideo, secundum consuetudinem quarundam ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cenanti concenaverunt, ita novi ordinati episcopo ordinanti concelebrant. Nec per hoc iteratur consecratio super eandem hostiam: quia, sicut Innocentius III dicit \*, omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus non legitur simul baptizasse cum Apostolis quando iniunxit eis officium baptizandi \*. Et ideo non est similis ratio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, si quilibet sacerdotum operaretur in virtute propria, superfluerent alii celebrantes, uno sufficienter celebrante. Sed quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt *unum in Christo* \*, ideo non refert utrum per unum vel per multos hoc sacramentum consecraretur: nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari.

AD TERTIUM DICENDUM quod Eucharistia est sacramentum unitatis ecclesiasticae, quae attenditur secundum hoc quod multi sunt *unum in Christo* \*.

\* De S. Altar. Myster. lib. IV, cap. xxv.

\* Matth. cap. xxviii, vers. 19. — Cf. Ioan. cap. iv, vers. 2.

\* Ad Galat., cap. iii, vers. 28.

\* Cf. resp. ad 2.

### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo secundo quaestionis octogesimasecundae, circa pluralitatem simul concelebrantium, Durandus occurrit, in Quarto, dist. XIII \*, contrarius valde huic pluralitati, et rationibus et auctoritatibus pro ea. Putat enim quod consuetudo ista est *periculosa, et magis est abolenda quam servanda*. — Confutat autem rationem in littera ab Auctore allatam, ab Innocentio sumptam, de concenatione Apostolorum cum Christo: quia, licet concenaverint, non tamen concelebrarunt. — Confutat applicationem omnium verborum ad unum instans: quia vix aut nunquam fieri potest quod omnes simul proferant. — Nec recipit specialem pro-

\* Qu. 3.

videntiam Spiritus Sancti in huiusmodi quae sunt particularium ecclesiarum, et non omnium.

II. Quocirca, duabus existentibus opinionibus extremis de hac pluralitate; altera Innocentii, quam sequitur Auctor; altera Durandi, totaliter contraria: — et pro via Innocentii maxime urget antiqua consuetudo plurium ecclesiarum, et specialiter Romanae \*. Pro via autem Durandi ratio urgere videtur. Nam secundum veritatem, ratio de concenantibus discipulis Christo potius adaptatio quam ratio est: cum ipsi non consecraverint. Et similiter quod verba consecrationis dicta ante vel post instans quo eadem complentur

\* Cf. Innoc. loc. cit. in art.



\* Qu. Lxvii, art. 6.

ab episcopo, referantur ad illud idem instans, voluntarie dicitur: meminisse enim oportet quod, dum tractaretur \* de pluribus baptizantibus unum, utroque dicente et abluente, conclusum est quod, si non simul baptizant, primus solus baptizat; et similiter hic dicendum est, si secundum rectam rationem iudicandum est: — posset media via teneri, dicendo ex ecclesiastico statuto seu more esse quod novi sacerdotes concelebrent dicendo simul cum episcopo consecrationis verba; ex abusione autem intervenire quod unus prius, alter post, verba consecrationis proferat. Probaturque hoc ex Pontificali Romano, ubi dicitur: *Curet pontifex ut morose et alte canonem dicat*; et subditur quod eodem momento debent ab ordinatis verba consecrationis dici quo dicuntur ab episcopo.

III. Sed via haec minus vera videtur. Tum quia, licet hoc statutum inveniatur in Pontificali Romano a tempore Innocentii VIII, in antiquis tamen Pontificalibus hoc non habetur.

Tum quia Auctor in littera, ex Innocentio III, expresse satagit ad salvandum verba prolata non simul, dum dicit quod non reiteratur consecratio super eadem materia propter intentionem omnium ad unum instans: ubi, nisi supponeret unum prius et alterum post consecrationis verba dicere, vanus esset labor et recursus ad intentionem pro eodem instanti. De his enim quae simul proferuntur, nulla est quaestio reiterationis.

Tum quia statutum hoc est quodammodo impossibile. Quoniam, quantulumcumque minima morula verba unius praefinirentur antequam alter terminaret, in reiterationem superfluitatemque incideretur: quoniam, ut patet ex supra \* dictis, in instanti fit consecratio seu conversio.

\* Qu. Lxxv, art. 7.

Et scito quod omnes referre intentionem suam ad instans unum quo episcopus consecrat, salvat quidem quod non formaliter sit reiteratio consecrationis super materia eadem, quia non ex intentione hac dicuntur verba ut iteretur consecratio: sed non excludit quin sit iteratio consecrationis materialiter, quia prolatio exterior consecratoria superadditur a post dicentibus, si quilibet concelebrat, ut supponunt.

\* Integrum num. iv om. P.

\* IV. Quocirca videretur mihi, si fas est, aliter dicendum, distinguendo inter id quod est de facto, et id quod est de possibili: et dicendo quod de possibili ita possunt plures sacerdotes eandem hostiam consecrare, sicut possunt plures simul unum baptizare, quolibet abluente et verba dicente; de facto autem sacerdotes novos non consecrare, sed ex consuetudine dicere tantum verba consecrationis

cum reliquo canone. Ita quod solus episcopus et dicit et consecrat: alii vero dicunt tantum, et non consecrant.

Moveor autem ad hoc, tum quia iuxta hanc viam nullo est opus miraculo; nullum difficillimum aut quasi impossibile usui Ecclesiae attribuitur; omniaque facilia, absque superfluitate quacumque, inveniuntur.

Tum quia Ecclesia non adorat tam hostiam quam calicem donec per episcopum fuerit consecratio facta. Cuius oppositum deberet fieri quando aliquis de ordinatis praevenit episcopum.

Nec parvipendenda sunt verba Pontificalis Romani antiqui, dicentis de noviter ordinatis presbyteris: *Dicant omnia quae sunt in missali sicut si celebrarent*. Insinuatur enim hinc quod ipsi non celebrant, ac per hoc, non concelebrant episcopo, sed dicunt tantum totum canonem. Unde in novis Pontificalibus statutum illud praerecitatum \* appositum videtur ex communi opinione sequentium expositionem Innocentii III, qui interpretatus est illam canonis prolationem quae ab ordinatis fieri consuevit, esse concelebrationem. Super hoc enim praesupposito doctores locuti sunt, sive defendendo sive reprehendendo.

\* Num. II.

V. Ex quibus omnibus, tutiorem partem eligendo, duo in facto servanda sunt. Primum est circa prolationem exteriorem: quod quilibet ordinatus servet ritum illius ecclesiae, dicendo totum canonem.

Secundum est circa intentionem: quod non habeat determinate intentionem consecrandi; et similiter non habeat determinate intentionem non consecrandi; sed habeat intentionem debitam, hoc est, proponat apud se, *Intendo dicere cum ea intentione qua debeo dicere*. Sic enim tutissima via omnes ordinati incedunt, et soli episcopo relinquunt intentionem determinatam ad consecrandum: nullaque relinquuntur difficultatibus quaestio, dum, dubiis existentibus actibus, tutior pars electa est.

His enim servatis, satisfit utrique opinioni: scilicet tenentium quod ordinati concelebrant; et tenentium quod ordinati non concelebrant, sed dicunt tantum.

VI. Et haec quidem de ordinatis presbyteris. De consecrato autem episcopo secus dicendum absque dubio est. Quoniam Romanum Pontificale antiquum expresse habet quod consecratori pontifici celebranti debet consecratus *concelebrare*, et subditur quod *legat et faciat* omnia quae sunt in canone missae. De his enim dicendum est quod de facto ambo consecrant eandem materiam simul: quoniam in eodem altari mutuo se expectantes concelebrant; quod non continet difficultatem, aut quasi impossibilitatem, quae contingit in multitudine presbyterorum qui simul ordinantur.

### ARTICULUS TERTIUS

#### UTRUM PERTINEAT SOLUM AD SACERDOTE M DISPENSATIO HUIUS SACRAMENTI

IV Sent., dist. XIII, qu. 1, art. 3, qu. 1, 2.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non pertineat solum ad sacerdotem dispensatio huius sacramenti. Sanguis enim Christi non minus pertinet ad hoc sacramentum quam corpus. Sed sanguis Christi dispensatur per diacones: unde et beatus Laurentius dixit beato Sixto \*: *Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem*. Ergo, pari ratione, dispensatio Dominici corporis non pertinet ad solos sacerdotes.

\* Cf. Ecclesiast. Offic. secundum Ord. FF. Praed., an. 1254, in fest. s. Laurent. resp. 2 ad Matutin.; Brev. Rom. ibid., resp. 4.

2. PRAETEREA, sacerdotes constituuntur ministri sacramentorum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae, non in usu, ad quem pertinet dispensatio. Ergo videtur quod non pertineat ad sacerdotem corpus Domini dispensare.

3. PRAETEREA, Dionysius dicit, in libro *Eccles. Hier.* \*, quod hoc sacramentum habet *perfectivam virtutem*, sicut et chrisma. Sed signare chrismate baptizatos non pertinet ad sacerdotem, sed ad episcopum. Ergo etiam dispensare hoc sacramentum pertinet ad episcopum, non ad sacerdotem.

\* Cap. III, § 17; cap. IV, § 1.

SED CONTRA EST quod dicitur de *Consecr.*, dist. II \*: *Pervenit ad notitiam nostram quod quidam presbyteri laico aut feminae corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis. Ergo interdicat synodus ne talis praesumptio ulterius fiat: sed presbyter per semetipsum infirmos communicet*.

\* Can. Pervenit ad notitiam.

RESPONDEO DICENDUM quod ad sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi, propter tria. Primo quidem quia, sicut dictum est \*, ipse con-

\* Art. 1.

\* Matth. cap. xxvi, vers. 26, 27; Marc. cap. xiv, vers. 22, 23; Luc. cap. xxii, vers. 19, 20; I ad Cor., cap. xi, vers. 23 sqq.  
\* Ad Heb. cap. v, vers. 1.

secreat in persona Christi. Ipse autem Christus, sicut consecravit corpus suum in Cena, ita et aliis sumendum dedit\*. Unde, sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio.

Secundo, quia sacerdos constituitur medius inter Deum et populum\*. Unde, sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere.

Tertio quia, in reverentiam huius sacramenti, a nulla re contingitur nisi consecrata: unde et corporale et calix consecrantur, similiter et manus sacerdotis, ad tangendum hoc sacramentum. Unde nulli alii tangere licet: nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod diaconus, quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de eius officio, ut scilicet dispenset sanguinem: non autem corpus, nisi in necessitate, iubente episcopo vel presbytero. Primo quidem, quia

sanguis Christi continetur in vase. Unde non oportet quod tangatur a dispensante, sicut tangitur corpus Christi. – Secundo, quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam: unde et sanguini admiscetur aqua, quae significat populum. Et quia diaconi sunt inter sacerdotem et populum, magis convenit diaconibus dispensatio sanguinis quam dispensatio corporis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod eiusdem est hoc sacramentum dispensare et consecrare, ratione iam\* dicta.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut diaconus in aliquo participat *illuminativam virtutem* sacerdotis\*, in quantum dispensat sanguinem; ita sacerdos participat *perfectivam dispensationem* episcopi\*, in quantum dispensat hoc sacramentum, quo perficitur homo secundum se per coniunctionem α ad Christum. Aliae autem perfectiones, quibus homo perficitur per comparisonem ad alios, episcopo reservantur.

\* In corpore.

\* Eccles. Hier. cap. v, § 5, 6.

\* Cf. ibid.

α

α) coniunctionem. – comparisonem PACHIA.

## ARTICULUS QUARTUS

### UTRUM SACERDOS CONSECRANS TENEATUR SUMERE HOC SACRAMENTUM

IV Sent., dist. x, art. 4, qu<sup>a</sup> 3, ad 2; dist. xii, qu. iii, art. 2, qu<sup>a</sup> 2.

**A**D QUARTUM SIC PROCEditur. Videtur quod sacerdos consecrans non teneatur sumere hoc sacramentum. In aliis enim consecrationibus ille qui consecrat materiam, non utitur ea: sicut episcopus consecrans chrisma non linitur eodem. Sed hoc sacramentum consistit in consecratione materiae. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum non necesse habet uti eodem, sed potest licite a sumptione eius abstinere.

2. PRAETEREA, in aliis sacramentis minister non praebet sacramentum sibi ipsi: nullus enim baptizare seipsum potest, ut supra\* habitum est. Sed, sicut baptismus ordinate dispensatur, ita et hoc sacramentum. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum non debet ipsum sumere a seipso.

3. PRAETEREA, contingit quandoque quod miraculose corpus Christi in altari apparet sub specie carnis, et sanguis sub specie sanguinis. Quae non sunt apta cibo vel potui: unde, sicut supra\* dictum est, propter hoc sub alia specie traduntur, ne sint horrori sumentibus. Ergo sacerdos consecrans non semper tenetur sumere hoc sacramentum.

SED CONTRA EST quod in Concilio Toletano\* legitur, et habetur *de Consecr.*, dist. II, cap. *Rela-*

*tum* α: *Modis omnibus tenendum est ut, quotiescumque sacrificans corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altario immolat, toties perceptione corporis et sanguinis β participem se praebeat.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra\* dictum est, Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. Quicumque autem sacrificium offert, debet fieri sacrificii particeps. Quia exterius sacrificium quod offert, signum est interioris sacrificii quo quis seipsum offert Deo: ut Augustinus dicit, X *de Civ. Dei*\*. Unde per hoc quod participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere.

Similiter γ etiam per hoc quod sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem divinatorum populo δ. Quorum ipse primo debet esse particeps: sicut Dionysius dicit, in libro *Eccles. Hier.*\* Et ideo ipse ante sumere debet quam populo dispenset. Unde in praedicto\* capite legitur: *Quale est sacrificium cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?*

Per hoc autem fit particeps quod de sacrificio sumit: secundum illud Apostoli, I Cor. x\*: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Et ideo necesse est quod sacerdos, quotiescumque consecrat, sumat hoc sacramentum integre.

α

β

\* Qu. LXXIX, art. 5, 7.

\* Cap. v, vi.

γ

δ

\* Cap. III, § 14.

\* Arg. Sed cont.

\* Vers. 18.

\* Qu. LXVI, art. 5, ad 4.

\* Qu. LXXV, art. 5.

\* XII, can. v.

α) Relatum. – P; Praelatum F, Perlatum ceteri.  
β) perceptione corporis et sanguinis. – perceptionis corporis et sanguinis Christi P, perceptionem corporis et sanguinis Christi (participare se probat) H; Christi etiam Ibc.

γ) Similiter. – Pa; Simul.  
δ) populo. – Om. PDF.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod consecratio chris-  
matis, vel cuiuscumque alterius materiae, non  
est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiae. Et  
ideo non est similis ratio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sacramentum ba-  
ptismi perficitur in ipso usu materiae. Et ideo  
nullus potest baptizare seipsum: quia in sacra-  
mento non potest esse idem agens et patiens.  
Unde nec in hoc sacramento sacerdos consecrat  
seipsum, sed panem et vinum, in qua conse-  
cratione conficitur hoc sacramentum. Usus au-  
tem sacramenti est consequenter se habens ad  
hoc sacramentum. Et ideo non est simile.

AD TERTIUM DICENDUM quod, si miraculose cor-  
pus Christi in altari sub specie carnis appa-  
reat, aut sanguis sub specie sanguinis, non  
est sumendum. Dicit enim Hieronymus, *su-  
per Levit. \**: *De hac quidem hostia quae in  
Christi commemoratione mirabiliter fit<sup>e</sup>, de illa  
vero quam Christus in ara crucis obtulit se-  
cundum se, nulli edere licet.* Nec propter hoc  
sacerdos transgressor efficitur: quia ea quae mi-  
raculose fiunt, legibus non subduntur. — Con-  
sulendum tamen esset sacerdoti quod iterato  
corpus et sanguinem Domini consecraret et su-  
meret.

\* Can. De hac  
quidem, de Con-  
secr., dist. II.  
e

e) fit. — Om. BDE, edere licet addunt F et tertia.

### Commentaria Cardinalis Caietani

IN calce quarti articuli, adverte sacerdotem posse quidem  
Ideo consilio iterum consecrare et sumere, quando sub  
specie carnis aut sanguinis sacramentum apparet, non te-

neri tamen ad hoc: quoniam Actor miraculi sacerdotem  
a lege sumendi absolvit. Et propterea Auctor in littera  
prius libertatem sacerdotis dixit, deinde consilium dedit.

## ARTICULUS QUINTUS

### UTRUM MALUS SACERDOS EUCHARISTIAM CONSECRARE POSSIT

Supra, qu. LXIV, art. 5.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod  
malus sacerdos Eucharistiam consecra-  
re non possit. Dicit enim Hieronymus,  
*super Sophoniam \**: *Sacerdotes, qui Eu-  
charistiae serviunt et sanguinem Domini dividunt<sup>a</sup>,  
impie agunt in legem Christi, putantes Euchari-  
stiam precantis facere verba, non vitam; et ne-  
cessariam esse solemnem orationem, et non sacer-  
dotis merita. De quibus dicitur: Sacerdos, in quo-  
cumque fuerit macula, non accedat offerre obla-  
tiones Domino.* Sed sacerdos peccator, cum sit  
maculosus, nec vitam habet nec merita huic con-  
venientia sacramento. Ergo sacerdos peccator non  
potest consecrare Eucharistiam.

\* Cap. III, vers. 4.

a

\* De Fide Orth.,  
lib. IV, cap. XIII.

\* Primus. — Epist.  
ad Elphidium.

β

\* Malach. cap. II,  
vers. 2.

2. PRAETEREA, Damascenus dicit, in IV libro \*,  
quod *panis et vinum, per adventum Sancti Spi-  
ritus, supernaturaliter transit in corpus Domini et  
sanguinem.* Sed Gelasius Papa \* dicit, et habetur  
in Decretis, I, qu. 1, cap. *Sacrosancta: Quomodo  
ad divini mysterii consecrationem caelestis Spiritus  
invocatus adveniet<sup>β</sup>, si sacerdos qui eum adesse  
deprecatur, criminosis plenus actionibus compro-  
betur?* Ergo per malum sacerdotem non potest  
Eucharistia consecrari.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum sacerdotis be-  
nedictione consecratur. Sed benedictio sacerdotis  
peccatoris non est efficax ad consecrationem hu-  
ius sacramenti: cum scriptum sit γ \* : *Maledicam*

*benedictionibus vestris.* Et Dionysius dicit, in Epi-  
stola *ad Demophilum Monachum \**: *Perfecte ce-  
cidit<sup>δ</sup> a sacerdotali ordine qui non est illuminatus:  
et audax quidem mihi videtur talis, sacerdotalibus  
manum apponens; et audet immundas infamias,  
non enim dicam orationes, super divina symbola  
Christiformiter enuntiare.*

\* Epist. VIII.

δ

SED CONTRA EST quod Augustinus \* dicit, in libro  
*de Corpore Domini \**: *Intra Ecclesiam Catholi-  
cam, in mysterio corporis et sanguinis Domini,  
nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur  
sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed  
in verbo perficitur Creatoris, et in virtute Spiritus  
Sancti.*

\* Paschasius.

\* Cap. XII. — Cf.  
can. *Intra Eccle-  
siam*, Caus. I,  
qu. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* di-  
ctum est, sacerdos consecrat hoc sacramentum  
non in virtute propria, sed sicut minister Christi,  
in cuius persona consecrat hoc sacramentum.  
Non autem ex hoc ipso desinit aliquis esse mi-  
nister Christi quod est malus: habet enim Do-  
minus bonos et malos ministros seu servos. Unde,  
Matth. xxiv \*, Dominus dicit, *Quis, putas, est fi-  
delis servus et prudens, etc.*; et postea \* subdit: *Si  
autem dixerit malus ille servus in corde suo, etc.*  
Et Apostolus dicit, I Cor. iv \*: *Sic nos existimet  
homo ut ministros Christi:* et tamen postea sub-  
dit \*: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iusti-  
ficatus sum.* Erat ergo certus se esse ministrum

\* Art. 1; art. 2,  
ad 2; art. 3.

\* Vers. 45.

\* Vers. 48.

\* Vers. 1.

\* Vers. 4.

α) dividunt. — *populis dividunt* F et tertia. — *legem I; lege.* —  
non ante sacerdotis om. P. — Pro *quocumque, quacumque* BDES et  
editiones. Cf. qu. LXXX art. 7, β.

β) adveniet. — Tertia; advenit. Cf. solutionem.

γ) sit. — *Malach. II* addit tertia. — Pro *benedictionibus, maledictio-  
nibus* FGH.

δ) cecidit. — Tertia praeter G; *decidit* FG, *cedit* ceteri. Ante *mihi*  
addit *nimum* P. — *et audet* F et tertia; *audet.* — *Christiformiter* PGHI;  
*Christi fructū* E, *Christi conformiter* F, *Christi firmiter* ceteri.

Christi: non tamen erat certus se esse iustum. Potest ergo aliquis esse minister Christi etiam si iustus non sit. Et hoc ad excellentiam Christi pertinet, cui, sicut vero Deo, serviunt non solum bona, sed etiam mala, quae per ipsius providentiam in eius gloriam ordinantur. Unde manifestum est quod sacerdotes, etiam si non sint iusti, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Hieronymus per illa verba improbat errorem sacerdotum qui credebant se digne posse Eucharistiam consecrare ex hoc solo quod sunt sacerdotes, etiam si sint peccatores. Quod improbat Hieronymus per hoc quod maculosi ad altare accedere prohibentur\*. Non tamen removetur quin, si accesserint, sit verum sacrificium quod offerunt.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ante illa verba Gelasius Papa praemittit: *Sacrosancta religio,*

*quae Catholicam continet disciplinam, tantam sibi reverentiam vindicat ut ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat pervenire.* Ex quo manifeste apparet eius intentionis esse quod peccator sacerdos non debet accedere ad hoc sacramentum. Unde per hoc quod subdit, *Quomodo caelestis Spiritus advocatus adveniet,* intelligi oportet quod non advenit ex merito sacerdotis, sed ex virtute Christi, cuius verba profert sacerdos.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut eadem actio, in quantum fit ex prava intentione ministri, potest esse mala, bona autem in quantum fit ex bona intentione domini; ita benedictio sacerdotis peccatoris, in quantum ab ipso indigne fit, est maledictione digna, et quasi infamia seu blasphemia, et non<sup>e</sup> oratio reputatur; in quantum autem<sup>z</sup> profertur ex persona Christi, est sancta et efficax. Unde signanter dicitur: *Maledicam benedictionibus vestris.*

\* Levit. cap. XXI, vers. 17 sqq.

e) non. — F et tertia; ideo non.

z) autem. — FsD et tertia praeter I; est I, tamen ed. a, om. ceteri. — Post efficax tertia addit ad sanctificandum.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM MISSA SACERDOTIS MALI MINUS VALEAT QUAM MISSA SACERDOTIS BONI

IV Sent., dist. XIII, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 5.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod missa sacerdotis mali non minus valeat quam missa sacerdotis boni. Dicit enim Gregorius, in *Registro*\*: *Heu, in quam magnum laqueum incidunt qui divina et occulta mysteria plus ab aliis sanctificata fieri posse credunt: cum unus idemque Spiritus Sanctus ea mysteria occulte atque invisibiliter operando sanctificet!* Sed haec occulta mysteria celebrantur in missa. Ergo missa mali sacerdotis non minus valet quam missa boni.

2. PRAETEREA, sicut baptismus traditur a ministro in virtute Christi, qui baptizat, ita et hoc sacramentum, quod<sup>a</sup> in persona Christi consecratur. Sed non melior baptismus datur a meliori ministro, ut supra\* habitum est. Ergo neque etiam melior missa est quae celebratur a meliori sacerdote.

3. PRAETEREA, sicut merita sacerdotum differunt per bonum et melius, ita etiam differunt per bonum et malum. Si ergo missa melioris sacerdotis est melior, sequitur quod missa mali sacerdotis sit mala. Quod est inconveniens: quia malitia ministrorum non potest redundare in Christi mysteria; sicut Augustinus dicit, in libro *de Baptismo*\*. Ergo neque missa melioris sacerdotis est melior.

SED CONTRA EST quod habetur<sup>β</sup> I, qu. 1\*: *Quantum sacerdotes fuerint digniores, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.*

RESPONDEO DICENDUM quod in missa duo est considerare; scilicet ipsum sacramentum, quod est principale; et orationes quae in missa fiunt pro vivis et mortuis. Quantum ergo ad sacramentum, non minus valet missa mali sacerdotis quam boni: quia utrobique idem conficitur sacramentum.

Oratio etiam quae fit in missa, potest considerari dupliciter. Uno modo, in quantum habet efficaciam ex devotione sacerdotis orantis. Et sic non est dubium quod missa melioris sacerdotis magis est fructuosa. — Alio modo, in quantum oratio in missa profertur a sacerdote in persona totius Ecclesiae, cuius sacerdos est minister. Quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, sicut supra\* dictum est de ministerio Christi. Unde quantum<sup>γ</sup> ad hoc, est fructuosa non solum oratio sacerdotis peccatoris in missa, sed etiam omnes aliae<sup>δ</sup> eius orationes quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiae\*. Sed orationes eius privatae non sunt<sup>ε</sup> fructuosae: secundum illud *Proverb. XXVIII*\*: *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

\* Cf. can. *Multi saecularium*, Caus. I, qu. 1.

\* Qu. LXIV, art. 1, ad 2.

\* *Cont. Donat.*, cap. XII; *Cont. Epist. Parmen.*, lib. II, cap. XII; *Cont. lit. Petil.*, lib. II, cap. XLVII.

<sup>β</sup> Can. *Ipsi sacerdotes.*

\* Art. praeced.

\* D. 959, 1141.

\* Vers. 9.

<sup>α</sup>) quod. — Om. HpG et editiones.  
<sup>β</sup>) habetur. — in decretis addit P. — *facilius* F et tertia; om. — Pro *clamant, clamavit* H, *clamabant* P.

<sup>γ</sup>) quantum. — et quantum BEF, in quantum pD, etiam quantum tertia.  
<sup>δ</sup>) aliae. — Om. editiones. — Pro *facit, faciet* AC.  
<sup>ε</sup>) *Sed... sunt.* — *licet... sint* tertia.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Gregorius loquitur ibi quantum ad sanctitatem divini sacramenti.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in sacramento baptismi non fiunt solemnes orationes pro omnibus fidelibus, sicut in missa. Et ideo quantum ad hoc non est simile. Est autem simile quantum ad effectum sacramenti.

AD TERTIUM DICENDUM quod propter virtutem Spiritus Sancti, qui per unitatem caritatis communicat invicem bona membrorum Christi, fit quod bonum privatum quod est in missa sacerdotis boni, est fructuosum aliis. Malum autem privatum unius hominis non potest alteri nocere, nisi per aliqualem <sup>ζ</sup> consensum: ut Augustinus dicit, in libro *contra Parmenianum* \*.

\* Lib. II, cap. xvii, xxi.

ζ) aliqualem. — aliquem PE.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo sexto, circa illud, *Oratio a sacerdote malo proolata in persona totius Ecclesiae est fructuosa*, duo sunt advertenda. Primum, quod minus dicitur quam intendatur. Nam intenditur non solum quod est fructuosa: sed etiam quod non est minus fructuosa, quoad alios, quam boni sacerdotis. Et ratio in littera innuitur: quia ministerium in persona Ecclesiae non est minus fructuosum quam ministerium in persona Christi. Minister autem Christi, sive bonus sive malus, aequae sanctificat. Igitur minister Ecclesiae, sive bonus sive malus, aequae impetrat.

\* Ad arg. 3.

II. Alterum est quod Scotus, in qu. ult. \* xiii dist. IV *Sent.*, in oppositam partem declinat: ea ratione quia meritum quod dicitur esse in celebratione missae ut missa est, non est abstractum, sicut idea Platonis. Ergo oportet quod sit realiter aliquod meritum. Ergo totius Ecclesiae, vel alicuius membri. Sed non est totius Ecclesiae nisi

quia alicuius partis. Non est autem partis malae et mortuae in toto sicut esset partis vivae, idest existentis et operantis in caritate. Ergo in missa non est tantum meritum cuiuscumque quando est mali, sicut quando est boni.

Ad hoc dicitur quod, si ratio ista contra aequalem valorem missae inquantum in persona Ecclesiae oratur, affertur, solvenda est dicendo quod meritum Ecclesiae non est abstractum, sed ipsius Ecclesiae ratione partium suarum vivarum in ipsa: et non ratione illius partis suae mortuae quae ministrat tunc. Et cum dicitur, *Pars mortua non meretur sicut viva*, verum est quoad meritum ex persona propria: sed secus est quoad meritum ex persona Ecclesiae. Cum quo stat quod, parte viva ministrante, melior sit simpliciter missa: quia undique tunc concurrunt meritum, scilicet ex persona Ecclesiae et ex persona propria.

### ARTICULUS SEPTIMUS

#### UTRUM HAERETICI ET SCHISMATICI ET EXCOMMUNICATI CONSECRARE POSSINT

Supra, qu. LXIV, art. 9, ad 2; IV *Sent.*, dist. XIII, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 3; Expos. litt.; dist. XIX, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 3, ad 1; *Quodl.* XII, qu. XI, art. 1.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod haeretici et schismatici et excommunicati consecrare <sup>α</sup> non possunt. Dicit enim Augustinus \* quod *extra Ecclesiam Catholicam non est locus veri sacrificii*. Et Leo Papa \* dicit, et habetur in Decretis, I, qu. 1 \*\* : *Aliter, (scilicet quam in Ecclesia, quae corpus Christi est) nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia*. Sed haeretici, schismatici et excommunicati sunt ab Ecclesia separati. Ergo non possunt verum sacrificium conficere.

\* Lib. *Sentent. Prosper.*, *Sent.* xv. - Inter Opp. Aug.  
\* Primus. - Epist. LXXX, al. LX, cap. II.  
\*\* Can. *In Ecclesia Dei*.

\* Caus. I, qu. 1, can. *Arianos*.  
\* Primus. - Epist. LVIII, ad *Alexand.*

2. PRAETEREA, sicut legitur ibidem \*, Innocentius Papa \* dicit: *Arianos <sup>β</sup>, ceterasque huiusmodi pestes, quia laicos eorum sub imagine poenitentiae suscipimus, non videntur clerici eorum cum sacerdotii aut cuiuspiam mysterii suscipiendi dignitate esse, quibus solum baptismum ratum esse permittimus*. Sed non potest aliquis consecrare Eucharistiam nisi sit cum sacerdotii dignitate. Ergo haeretici, et ceteri huiusmodi, non possunt Eucharistiam conficere γ.

3. PRAETEREA, ille qui est extra Ecclesiam, non videtur aliquid posse agere in persona totius Ec-

clesiae. Sed sacerdos consecrans Eucharistiam hoc agit in persona totius Ecclesiae: quod patet ex hoc quod omnes orationes proponit in persona Ecclesiae. Ergo videtur quod illi qui sunt extra Ecclesiam, scilicet haeretici et schismatici et excommunicati, non possunt consecrare Eucharistiam.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in II *contra Parmen.* \*: *Sicut baptismus in eis, scilicet haereticis, schismaticis <sup>δ</sup> et excommunicatis, ita ordinatio mansit integra*. Sed ex vi ordinationis sacerdos potest consecrare Eucharistiam. Ergo haeretici, schismatici et excommunicati, cum in eis maneat ordinatio integra, videtur quod possint consecrare Eucharistiam.

\* Cap. XIII, num. 28.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam \* dixerunt quod haeretici, schismatici et excommunicati, quia sunt extra Ecclesiam, non possunt conficere hoc sacramentum.

\* Hugo a S. Vict. *Summ. Sent.* tr. VI, cap. IX; Mag. IV *Sent.*, dist. XIII, cap. *Solet etiam quaeri*; Petr. Pict. *Sent.* lib. V, cap. XIII.

Sed in hoc decipiuntur. Quia, sicut Augustinus dicit, in II *contra Parmen.* \*, *aliud est aliquid omnino non habere, aliud autem non recte habere: et similiter est etiam aliud non dare, et aliud non*

\* Cap. XIII, num. 30.

α) consecrare. — Eucharistiam consecrare I et inverso ordine P.  
β) Arianos. — Tertia praeter I; Arianus I, Arianas ceteri.  
γ) conficere. — consecrare tertia.

δ) schismaticis. — Om. BDEpG, et schismaticis (om. et excommunicatis) FI.

*recte dare*<sup>ε</sup>. Illi igitur qui, intra Ecclesiam constituti, receperunt potestatem consecrandi<sup>ζ</sup> in ordinatione sacerdotii, recte quidem habent potestatem, sed non recte ea utuntur, si postmodum per haeresim aut schisma vel excommunicationem ab Ecclesia separentur. Qui autem sic separati ordinantur, nec recte habent potestatem, nec recte utuntur. Quod tamen utrique potestatem habeant, per hoc patet quod, sicut Augustinus ibidem<sup>\*</sup> dicit, cum redeunt ad unitatem Ecclesiae, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinibus. Et quia consecratio Eucharistiae est actus consequens ordinis potestatem, illi qui sunt ab Ecclesia separati per haeresim aut schisma vel excommunicationem, possunt quidem consecrare Eucharistiam, quae ab eis consecrata verum corpus Christi et sanguinem continet: non tamen recte hoc faciunt, sed peccant facientes. Et ideo fructum sacrificii non percipiunt, quod est sacrificium spirituale.

\* Num. 28.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod auctoritas illa<sup>η</sup> et similes intelligendae sunt quantum ad hoc

ε) non recte dare. — Editiones; (non expungit) recte non dare C, dare non recte ed. a, recte non dare ceteri.  
ζ) consecrandi. — Eucharistiam addunt F et tertia.

quod non recte extra Ecclesiam sacrificium offertur<sup>θ</sup>. Unde extra Ecclesiam non potest esse spirituale sacrificium, quod est verum veritate fructus, licet sit verum veritate sacramenti: sicut etiam supra<sup>\*</sup> dictum est quod peccator sumit corpus Christi sacramentaliter, sed non spiritualiter.

\* Qu. LXXX, art. 3.

AD SECUNDUM DICENDUM quod solus baptismus permittitur esse ratus haereticis et schismaticis, quia possunt licite baptizare in articulo necessitatis. In nullo autem casu licite possunt Eucharistiam consecrare, vel alia sacramenta conferre.

AD TERTIUM DICENDUM quod sacerdos in missa in orationibus quidem loquitur in persona Ecclesiae, in cuius unitate consistit. Sed in consecratione sacramenti loquitur in persona Christi, cuius vicem in hoc gerit per ordinis potestatem. Et ideo, si sacerdos ab unitate Ecclesiae praecisus missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus et sanguinem Christi: sed quia est ab Ecclesiae unitate separatus, orationes eius efficaciam non habent<sup>\*</sup>.

\* D. 959.

η) auctoritas illa. — auctoritates illae B et tertia, sed B se corrigit.  
θ) offertur. — F et tertia; offeruntur ACEpD, offerunt BsD et a.

## ARTICULUS OCTAVUS

### UTRUM SACERDOS DEGRADATUS POSSIT HOC SACRAMENTUM CONFICERE

IV Sent., dist. XIII, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 4; Quodl. XII, qu. XI, art. 1.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacerdos degradatus non possit hoc sacramentum conficere. Nullus enim conficit hoc sacramentum nisi per potestatem consecrandi quam habet. Sed *degradatus non habet potestatem consecrandi, licet habeat potestatem baptizandi*: ut dicit canon.<sup>α</sup> Ergo videtur quod presbyter degradatus non possit Eucharistiam consecrare.

\* App. Gratiani ad can. Quod quidam, Caus. I, qu. I.

2. PRAETEREA, ille qui aliquid dat, potest etiam auferre. Sed episcopus dat presbytero potestatem consecrandi ordinando ipsum. Ergo etiam potest ei auferre degradando ipsum.

3. PRAETEREA, sacerdos per degradationem aut amittit potestatem consecrandi, aut solam executionem. Sed non solam executionem: quia sic non plus amitteret degradatus quam excommunicatus, qui<sup>β</sup> executione caret. Ergo videtur quod amittit potestatem consecrandi. Et ita videtur quod non possit conficere hoc sacramentum.

\* Cap. XIII, num. 29.

SED CONTRA EST quod Augustinus, in II *contra Parmen.*<sup>\*</sup>, probat quod *apostatae*<sup>γ</sup> a fide non carent *baptismate*, per hoc quod *per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo non posse amitti iudicatur*. Sed similiter degradatus, si reconcilietur, non est iterum ordinandus. Ergo non amisit

α) canon. — I. q. I. c. quidam addunt Pc et margo I (quod pro c.) et codices Brixiensis et Ambrosianus; cf. Vol. XI. Praef. n. 24.  
β) qui. — etiam addunt F et tertia.

potestatem consecrandi. Et ita sacerdos degradatus potest conficere hoc sacramentum.

RESPONDEO DICENDUM quod potestas consecrandi Eucharistiam pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis. Character autem quilibet, quia cum quadam consecratione datur, indelebilis est, ut supra<sup>\*</sup> dictum est: sicut et quarumcumque rerum consecrationes perpetuae sunt, nec amitti nec reiterari possunt. Unde manifestum est quod potestas consecrandi non amittitur per degradationem. Dicit enim Augustinus, in II *contra Parmen.*<sup>\*</sup>: *Utrumque, scilicet baptismus et ordo, sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: et illud cum baptizatur, et illud cum ordinatur. Ideo non licet a Catholicis utrumque iterari*. Et sic patet quod sacerdos degradatus potest conficere hoc sacramentum.

\* Qu. LXIII, art. 5.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod canon ille non loquitur assertive, sed inquisitive: sicut ex circumstantia litterae haberi potest.

AD SECUNDUM DICENDUM quod episcopus non dat potestatem sacerdotalis ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut minister Dei: cuius effectus per hominem tolli non potest, secundum illud Matth. XIX<sup>\*</sup>: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*. Et ideo episcopus non potest hanc po-

\* Cap. XIII, num. 28.

\* Vers. 6.

γ) apostatae. — Fa et tertia; a potestate. — redeuntibus non restituitur PIsG; redeuntibus (redeuntibus HpG) non restituuntur. — Pro iudicatur, iudicantur bc.

testatem auferre: sicut nec ille qui baptizat potest auferre characterem baptismalem.

AD TERTIUM DICENDUM quod excommunicatio est medicinalis. Et ideo excommunicatis non aufer-

tur executio sacerdotalis potestatis quasi in perpetuum, sed ad correctionem, usque ad tempus. Degradatis autem auferitur executio quasi in perpetuum condemnatis.

## ARTICULUS NONUS

UTRUM ALIQUIS LICITE POSSIT COMMUNIONEM RECIPERE A SACERDOTIBUS HAERETICIS  
VEL EXCOMMUNICATIS, VEL ETIAM PECCATORIBUS, ET AB EIS MISSAM AUDIRE

Supra, qu. LXIV, art. 9, ad 3; IV Sent., dist. XIII, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 3; dist. XXIV, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 5, ad 3, 4;  
Quodl. XI, qu. VIII, art. 1, 2.

**A**D NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod aliquis licite possit communionem recipere a sacerdotibus haereticis vel excommunicatis, vel etiam peccatoribus, et ab eis missam audire. Sicut enim Augustinus, contra Petilianum <sup>a</sup> \*, dicit, *neque in homine bono neque in homine malo aliquis Dei fugiat sacramenta*. Sed sacerdotes, quamvis sint peccatores et haeretici vel excommunicati, verum conficiunt sacramentum. Ergo videtur quod non sit vitandum ab eis communionem accipere vel eorum missam audire.

<sup>a</sup>  
\* Lib. III, cap. IX. - Cf. can. *Neque in homine*, Caus. I, qu. 1.

2. PRAETEREA, corpus Christi verum figurativum est corporis mystici, sicut supra \* dictum est. Sed a praedictis sacerdotibus verum corpus Christi consecratur. Ergo videtur quod illi qui sunt de corpore mystico, possint eorum sacrificiis communicare.

\* Cf. qu. LXVII, art. 2; qu. LXXXIII, art. 1, arg. 2.

3. PRAETEREA, multa peccata sunt graviora quam fornicatio. Sed non est prohibitum audire missas sacerdotum aliter peccantium. Ergo etiam non debet esse prohibitum audire missas sacerdotum fornicariorum.

\* Can. *Nullus missam*.

SED CONTRA EST quod canon dicit, XXXII dist. \*: *Nullus audiat missam sacerdotis quem indubitanter concubinam novit habere*. - Et Gregorius dicit, in III Dialog. \*, quod *pater perfidus Arianum episcopum misit ad filium, ut ex eius manu sacrilegae consecrationis communionem acciperet: sed vir Deo devotus <sup>β</sup> Ariano episcopo venienti exprobravit ut debuit*.

\* Cap. XXXI. - Cf. can. *Superveniente*, Caus. I, qu. 1.

<sup>β</sup>

\* Art. 5, ad 1; art. 7.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, sacerdotes, si sint haeretici vel schismatici vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamvis habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamen ea recte utuntur, sed peccant utentes. Quicumque autem communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur: unde et in Secunda Canonica Ioannis \* legitur quod *qui dixerit ei, Ave, scilicet haeretico, communicat operibus illius malignis*. Et ideo non licet a praedictis communionem accipere aut eorum missam audire.

\* Vers. 11.

Differt tamen inter praedictas sectas. Nam haeretici et schismatici et excommunicati sunt per sententiam Ecclesiae executione consecrandi privati. Et ideo peccat quicumque eorum missam audit vel ab eis accipit sacramenta. - Sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiae executione huius potestatis privati. Et sic, quamvis sint suspensi quantum est <sup>γ</sup> ex sententia divina, non tamen quantum ad alios ex sententia Ecclesiae. Et ideo, usque ad sententiam Ecclesiae, licet ab eis communionem accipere et eorum missam audire. Unde super illud I Cor. v \*, *Cum huiusmodi nec cibum sumere*, dicit Glossa Augustini \*: *Hoc dicendo, noluit hominem <sup>δ</sup> ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato iudicio: sed potius ex lege Dei, secundum ordinem Ecclesiae, sive ultro confessum, vel accusatum et convictum*.

\* Vers. 11.

\* Apud Lomb. <sup>δ</sup>

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in hoc quod refugimus audire talium sacerdotum missam aut ab eis communionem recipere, non refugimus Dei sacramenta, sed potius ea veneramus: unde hostia a talibus sacerdotibus consecrata est adoranda, et, si reservetur, licite potest sumi a sacerdote legitimo. Sed refugimus culpam indigne ministrantium.

AD SECUNDUM DICENDUM quod unitas corporis mystici est fructus corporis veri percepti. Illi autem qui indigne percipiunt vel ministrant, privantur fructu, ut supra \* dictum est. Et ideo non est sumendum ex eorum dispensatione sacramentum ab eis qui sunt <sup>ε</sup> in unitate Ecclesiae.

\* Art. 7; qu. LXXX, art. 4.

<sup>ε</sup>

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet fornicatio non sit gravior ceteris peccatis, tamen ad eam sunt homines proniores, propter carnis concupiscentiam. Et ideo specialiter hoc peccatum a <sup>ζ</sup> sacerdotibus prohibitum est ab Ecclesia, ne aliquis audiat missam concubinarii sacerdotis \*. - Sed hoc intelligendum est de notorio: vel *per sententiam* quae fertur in convictum, vel *confessionem in iure factam*, vel <sup>η</sup> quando *non potest peccatum aliqua tergiversatione celari* \*.

\* Cf. arg. *Sed cont.*

<sup>η</sup>  
\* Cap. *Quaestum est, de Cohabit. Cleric. et Mul.*

<sup>α</sup>) Petilianum. - Tertia; *Celicianum E, Cecilianum* ceteri.  
<sup>β</sup>) devotus. - *deditus P.*  
<sup>γ</sup>) est. - *ad se Pl.*  
<sup>δ</sup>) hominem. - *FsB et tertia; om.*

<sup>ε</sup>) sunt. - *non sunt FGHSd et abc.*  
<sup>ζ</sup>) a. - *Om. PF. Pro ne, et ne P.*  
<sup>η</sup>) vel. - *PsBG; om.*

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo nono, adverte disputationes, investigationes et canones de participantibus in sacramentorum perceptione et ceteris divinis cum excommunicatis, suspensis, etc., hodie vacare, propter statutum in Concilio Constantiensi, quo concessum est omnibus Christi fidelibus

participare cum excommunicatis, etc., nisi in duobus casibus, scilicet, si fuerint nominatim denunciati, vel notorie percusserint clericum: ut refert Archiepiscopus Florentinus \*, in Tertia Parte *Summae* suae, tit. xxviii \*\*. \* S. Antoninus. \*\* Al. tit. xxv, cap. 2, § 2. - Cf. supra, qu. Lxiv, art. 6, Comm. num. vii.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM LICEAT SACERDOTI OMNINO A CONSECRATIONE EUCHARISTIAE ABSTINERE

IV *Sent.*, dist. xiii, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 1.

\* Vide post qu. lxxx, art. 12, qu. primam Caiet., num. ix.

**A**D DECIMUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod liceat sacerdoti omnino a consecratione Eucharistiae abstinere. Sicut enim ad officium sacerdotis pertinet Eucharistiam consecrare, ita etiam baptizare et in aliis sacramentis ministrare. Sed sacerdos non tenetur ministrare in aliis sacramentis, nisi propter curam animarum susceptam. Ergo videtur quod nec etiam teneatur Eucharistiam consecrare, si curam non habeat animarum.

\* Art. 5, ad 1; art. 7.

2. PRAETEREA, nullus tenetur facere quod sibi non licet: alioquin esset perplexus. Sed sacerdoti peccatori, vel etiam excommunicato, non licet Eucharistiam consecrare, ut ex supra \* dictis patet. Ergo videtur quod tales non teneantur ad celebrandum. Et ita nec alii: alioquin ex sua culpa commodum reportarent.

\* Primus. \*\* Can. Praecepta canonum.

3. PRAETEREA, dignitas sacerdotalis non perditur per subsequentem infirmitatem: dicit enim Gelasius Papa \*, et habetur in *Decretis*, dist. LV \*\*: *Praecepta canonum<sup>a</sup> sicut non patiuntur venire ad sacerdotium debiles corpore, ita, si quis in eo fuerit constitutus ac tunc fuerit sauciatus, amittere non potest quod tempore suae sinceritatis accepit.* Contingit autem quandoque quod ordinati in sacerdotibus incurrunt aliquos defectus ex quibus a celebratione impediuntur: sicut est <sup>β</sup> lepra, vel morbus caducus, vel aliquid huiusmodi. Non ergo videtur quod sacerdotes ad celebrandum teneantur.

\* Anselm. Orat. xxxiii.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in quadam Oratione \*: *Grave est quod ad mensam tuam mundo corde et manibus innocentibus non venimus: sed gravius est si, dum peccata<sup>γ</sup> metuimus, etiam sacrificium non reddamus.*

\* Vers. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam dixerunt quod sacerdos potest omnino licite <sup>δ</sup> a consecratione abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare pro populo et sacramenta praebere.

Sed hoc irrationabiliter dicitur. Quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum: secundum illud II *Cor.* vi \*: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem sacrificium offerendi non

solum attenditur per comparisonem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparisonem ad Deum, cui in consecratione huius sacramenti sacrificium offertur. Unde sacerdoti, etiam si non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare: sed saltem videtur quod celebrare tenetur in praecipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt. Et hinc est quod II<sup>e</sup> *Machab.* iv \* dicitur contra quosdam sacerdotes quod *iam non circa altaris officia dediti erant, contempto Templo et sacrificiis neglectis.* \* Vers. 14.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod alia sacramenta perficiuntur in usu fidelium. Et ideo in illis <sup>ζ</sup> ministrare non tenetur nisi ille qui super fideles suscipit curam. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua sacrificium Deo offertur: ad quod sacerdos obligatur <sup>η</sup> ex ordine iam suscepto. ζ η

AD SECUNDUM DICENDUM quod sacerdos peccator, si per sententiam Ecclesiae sit executione ordinis privatus vel simpliciter vel ad tempus, reditus est impotens ad sacrificium offerendum: et ideo obligatio tollitur. Hoc autem cedit sibi in detrimentum spiritualis fructus, magis quam in emolumentum. — Si vero non sit privatus potestate celebrandi, non solvitur obligatio. Nec tamen est perplexus: quia potest de peccato poenitere et celebrare.

AD TERTIUM DICENDUM quod debilitas vel aegritudo superveniens ordini sacerdotali ordinem non tollit: executionem tamen ordinis impedit <sup>θ</sup> quantum ad consecrationem Eucharistiae. Quandoque quidem propter impossibilitatem executionis: sicut si privetur oculis aut digitis, aut usu linguae. — Quandoque autem propter periculum: sicut patet de eo qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcumque alienationem mentis. — Quandoque propter abominationem: sicut patet de leproso, qui non debet publice celebrare. Potest tamen dicere missam occulte: nisi lepra adeo invaluerit quod per corrosionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem. θ

α) canonum. — Ed. a; canonica P, canoñ ceteri. — sauciatus FlS G et editiones; sanatus. — Pro sinceritatis, sanitatis Fab. β) est. — PFsG et a; enim HI, etiam ceteri. — Pro aliquid, aliquid aliud tertia. γ) dum peccata. — Tertia; cum peccato F, de peccatis ceteri.

δ) licite. — Ante abstinere ponit tertia praeter G. e) II. — FsG a et editiones; om. ζ) illis. — aliis H et editiones. η) obligatur. — Deo addit P. θ) ordinis impedit. — tollit ordinis GHbc et mutato ordine P.



## Commentaria Cardinalis Caietani

**I**N articulo decimo scito duas esse difficultates. Prima est, an \* sacerdoti liceat totaliter a celebratione abstinere. Et haec bene solvitur in littera negative. Exigit siquidem recta ratio, cum potentia sit propter actum, et gratia sit propter usum, ut, commoditate oblata, cessanteque omni impedimento, homo quandoque potentia gratiaque *in his quae ad Deum sunt* \* utatur.

\* P: scito hanc esse difficultatem, an. Cf. num. seq.  
\* Ad Heb. cap. v, vers. 1.  
\* Num. ii om. P.

**II** \*. Altera difficultas est, an peccatum huiusmodi omissionis sit peccatum mortale. Et est ratio dubii quia nec omne praeceptum affirmativum, nec omne praeceptum negativum obligat ad mortale: nec apparet qua ratione

caritati contrarietur talis omissio; quamvis appareat quod contrariatur fervori caritatis; ex negligentia enim quadam, quae in tepore caritatis consistere videtur, talis provenit omissio.

Breviter, apparet mihi peccatum hoc esse secundum se veniale, utpote oppositum non ipsi caritati, sed eius fervori. Attestatur autem huic sententiae diversitas opinionum de licita vel illicita hac omissione. Parum enim a licito discedere videtur quod creditum est a doctoribus esse licitum.



QUAESTIO OCTOGESIMATERTIA

DE RITU HUIUS SACRAMENTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXXIII, Introd.

DEINDE considerandum est de ritu huius sacramenti \*.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum in celebratione huius mysterii Christus imoletur.

Secundo: de tempore celebrationis.

Tertio: de loco, et aliis quae pertinent ad apparatus <sup>α</sup> huius celebrationis.

Quarto: de his quae in celebratione huius mysterii dicuntur.

Quinto: de his quae circa celebrationem huius mysterii fiunt.

Sexto: de defectibus <sup>β</sup> qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt. <sup>β</sup>

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IN CELEBRATIONE HUIUS SACRAMENTI CHRISTUS IMOLETUR

Supra, qu. XXII, art. 3, ad 2; qu. LXXXIII, art. 4; IV Sent., dist. XII, Expos. litt.; Ad Heb., cap. x, lect. I.

\* Vers. 14.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in celebratione huius sacramenti Christus non imoletur. Dicitur enim *Hebr. X* \*, quod Christus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Sed illa oblatio fuit eius immolatio. Ergo Christus non immolatur in celebratione huius sacramenti.

\* Vers. 2.

2. PRAETEREA, immolatio Christi facta est in cruce, in qua *tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*, ut dicitur *Ephes. v* \*. Sed in celebratione huius mysterii Christus non crucifigitur. Ergo nec immolatur.

\* Cap. XIV. - Cf. Enarr. II in Ps. xxvi, num. 2.

3. PRAETEREA, sicut Augustinus dicit, IV de *Trin.* \*, in immolatione Christi idem est sacerdos et hostia. Sed in celebratione huius sacramenti non est idem sacerdos et hostia. Ergo celebratio huius sacramenti non est Christi immolatio.

\* Epist. XCVIII, aliter XXIII, ad Bonifac., num. 9. - Cf. can. Semel immolatus, de Consecr., dist. II.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *Sententiarum Prosperi* \*: *Semel immolatus est in semetipso Christus, et tamen quotidie immolatur in sacramento*.

\* Lib. II, qu. III. - Cf. De Octo Dulcit. Quaest., qu. VI.

RESPONDEO DICENDUM quod duplici ratione celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio. Primo quidem quia, sicut Augustinus dicit, ad *Simplicianum* \*, *solent imagines earum rerum nominibus appellari quarum imagines sunt: sicut cum, intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus, Ille Cicero est, Ille Sallustius*. Celebratio autem huius sacramenti, sicut supra \* dictum est, imago est quaedam repraesentativa passionis Christi, quae est vera immolatio <sup>γ</sup>. Unde Ambrosius dicit, super Epistolam ad *Heb.* \*: *In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam*

\* Qu. LXXVI, art. 2, ad 1; qu. LXXIX, art. 1.

\* Cap. x (inter Opp. Ambr.) - Cf. can. In Christo semel, de Consecr., dist. II.

*potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus ad <sup>δ</sup> recordationem mortis eius?* <sup>δ</sup>

Alio modo, quantum ad effectum passionis: quia scilicet per hoc sacramentum participes efficiamur fructus Dominicae passionis \*. Unde et in quadam Dominicali oratione secreta \* dicitur: *Quoties huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur*.

\* D. 584.

\* Dom. IX post Pentecost.

Quantum igitur ad primum modum, poterat Christus dici immolari etiam in figuris veteris Testamenti: unde et in *Apoc. XIII* \* dicitur: *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitae Agni, qui occisus est ab origine mundi*. Sed quantum ad modum secundum, proprium est huic sacramento quod in eius celebratione Christus immoletur.

\* Vers. 8.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Ambrosius ibidem \* dicit, *una est hostia*, quam scilicet Christus obtulit et nos offerimus, *et non multae, quia semel oblatus est Christus, hoc autem sacrificium exemplum est illius. Sicut enim quod ubique offertur unum est corpus et non multa corpora, ita et unum sacrificium*.

\* Cf. corp.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut celebratio huius sacramenti est imago repraesentativa passionis Christi, ita altare est repraesentativum crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est.

AD TERTIUM DICENDUM quod, per eandem rationem \*, etiam sacerdos gerit imaginem Christi, in cuius persona et virtute verba pronuntiat ad consecrandum, ut ex supra \* dictis patet. Et ita quodammodo idem est sacerdos et hostia.

\* Cf. resp. ad 2.

\* Qu. LXXXII, art. 1, 3.

<sup>α</sup>) apparatus. - aptitudinem HpG et bc et margo P per Alias.  
<sup>β</sup>) de defectibus. - HsDG et editiones; defectibus pG et a, de effectibus ceteri. - occurrunt tertia et a; concurrunt.

<sup>γ</sup>) immolatio. - (eius P) immolatio et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio (immolatio Christi bc) tertia.  
<sup>δ</sup>) ad. - sed ad PI.

## ARTICULUS SECUNDUS

## UTRUM CONVENIENTER SIT DETERMINATUM TEMPUS CELEBRATIONIS HUIUS MYSTERII

IV Sent., dist. XIII, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 3, 4.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter sit determinatum tempus celebrationis huius mysterii. Hoc enim sacramentum est repraesentativum Dominicae passionis, ut dictum est \*. Sed commemoratio Dominicae passionis fit in Ecclesia semel in anno: dicit enim Augustinus, *super Psalmos* \*: *Quoties Pascha celebratur, nunquid toties Christus occiditur? Sed tamen anniversaria recordatio repraesentat quod olim factum est, et sic nos facit moveri tanquam videamus Dominum in cruce praesentem* <sup>a</sup>. Ergo hoc sacramentum non debet celebrari nisi semel in anno.

2. PRAETEREA, passio Christi commemoratur in Ecclesia sexta feria ante Pascha, non autem in festo Natalis. Cum ergo hoc sacramentum sit commemorativum Dominicae passionis, videtur inconveniens quod in die Natalis ter celebratur hoc sacramentum, in Parasceve autem totaliter intermittitur.

3. PRAETEREA, in celebratione huius sacramenti Ecclesia debet imitari institutionem Christi. Sed Christus consecravit hoc sacramentum hora serotina \*. Ergo videtur quod tali hora debeat hoc sacramentum celebrari.

4. PRAETEREA, sicut habetur *de Consecr.*, dist. I \*, Leo Papa \* scribit Dioscoro Alexandrino Episcopo, quod *in prima parte diei* missas celebrare licet. Sed dies incipit a media nocte, ut supra \* dictum est. Ergo videtur quod etiam post mediam noctem liceat celebrare.

5. PRAETEREA, in quadam Dominicali oratione secreta \* dicitur: *Concede nobis, Domine, quaesumus, haec frequentare mysteria*. Sed maior erit frequentia si etiam pluribus horis in die sacerdos celebret. Ergo videtur quod non debeat prohiberi sacerdos pluries celebrare in die.

SED IN CONTRARIUM EST CONSUETUDO quam servat Ecclesia secundum canonum statuta \*.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, in celebratione huius mysterii attenditur et repraesentatio Dominicae passionis, et participatio fructus eius. Et secundum utrumque oportuit determinare tempus aptum celebrationi huius sacramenti. Quia enim fructu Dominicae passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offertur. Unde et Dominus nos petere docet, Luc. XI \*, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: quod exponens Augustinus, in libro *de Verbis Domini* \*, dicit: *Si quotidianus est panis,*

*cur post annum illum sumas, quemadmodum Graeci in oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit.* — Quia vero Dominica passio celebrata est a tertia hora usque ad nonam \*, ideo regulariter in illa parte diei solemniter celebratur in Ecclesia hoc sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in hoc sacramento recolitur passio Christi secundum quod eius effectus ad fideles derivatur. Sed tempore passionis recolitur passio Christi solum secundum quod in ipso capite nostro fuit perfecta. Quod quidem factum est semel: quotidie autem fructum Dominicae passionis fideles percipiunt. Et ideo sola commemoratio <sup>β</sup> fit semel in anno: hoc autem quotidie, et propter fructum et propter iugem memoriam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, veniente veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quaedam et exemplum passionis Dominicae, sicut dictum est \*. Et ideo in die quo ipsa passio Domini recolitur prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius sacramenti. Ne tamen Ecclesia eo etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibitio <sup>γ</sup>, corpus Christi consecratum in die praecedenti reservatur sumendum in illa die. Non autem sanguis, propter periculum: et quia sanguis specialius est imago Dominicae passionis, ut supra \* dictum est. Nec etiam verum est, quod quidam \* dicunt, quod per immissionem particulae corporis in vinum, convertatur vinum in sanguinem. Hoc enim aliter fieri non potest quam per consecrationem factam sub debita forma verborum.

In die autem Nativitatis plures missae celebrantur, propter triplicem Christi nativitatem. Quarum una est aeterna: quae, quantum ad nos, est occulta. Et ideo una missa cantatur in nocte: in cuius introitu dicitur, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* — Alia autem est temporalis, sed spiritualis: qua scilicet Christus *oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris*, ut dicitur II Pet. I \*. Et propter hoc cantatur missa in aurora: in cuius introitu dicitur, *Lux fulgebit <sup>δ</sup> super nos.* — Tertia est Christi nativitas temporalis et corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali carne indutus. Et ob hoc cantatur tertia missa in plena <sup>ε</sup> luce: in cuius introitu dicitur, *Puer natus est nobis.* — Licet e converso posset dici quod nativitas aeterna, secundum se, est in plena luce: et ob hoc in Evangelio tertiae missae fit mentio de nativitate aeterna. Secundum autem nativi-

\* Art. praeced.

\* Enarr. II in Ps. XXI, num. 1.

α

\* Matth. cap. xxvi, vers. 20; Marc. cap. xiv, vers. 17; Luc. cap. xxii, vers. 14; I ad Cor. cap. xi, vers. 23.  
\* Can. Necessae est autem.  
\* Primus. — Epist. IX, al. XI, cap. II.  
\* Qu. LXXX, art. 8, ad 5.

\* Dom. IX post Pentecost.

\* Cf. respp. ad obiecta.  
\* Art. praeced.\* Vers. 3.  
\* Serm. LXXXIV, al. de Verb. Dom. xxviii. — Inter Opp. Aug.

\* Cf. resp. ad 3.

β

\* In corpore.

γ

\* Qu. LXXXVIII, art. 3, ad 2.  
\* De Divin. Offic. part. IX, cap. xviii. — Inter Opp. Alcuini.

\* Vers. 19.

δ

ε

α) Dominum in cruce praesentem. — in cruce pendentem Dominum P.  
β) sola commemoratio. — illa commemoratio sB et tertia, illa commestio F.

γ) exhibitio. — PsG; exhibitum etiam B, exhibitio H, exhibitum ceteri.

δ) fulgebit. — hodie addit tertia.

ε) plena. — prima FpG (luce om. F), clara sG et editiones.

tatem corporalem, ad litteram, natus est de nocte, in signum quod veniebat ad tenebras infirmitatis nostrae: unde et in missa nocturna dicitur Evangelium de corporali Christi nativitate.

Sicut etiam et in aliis diebus in quibus occurrunt plura Christi beneficia vel recolenda vel expetenda, plures missae celebrantur in die: puta una pro festo, et alia pro ieiunio vel pro mortuis.

\* Qu. LXXXIII, art. 5.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, Christus voluit ultimo hoc sacramentum discipulis tradere, ut fortius eorum cordibus imprimeretur. Et ideo post cenam et <sup>7</sup> in fine diei hoc sacramentum consecravit et discipulis tradidit. A nobis autem celebratur hora Dominicae passionis: scilicet vel in diebus festis in tertia, quando crucifixus est linguis Iudaeorum, ut dicitur Marc. xv \*, et quando Spiritus Sanctus descendit super discipulos \*; vel diebus profestis in sexta, quando crucifixus est manibus militum, ut habetur Ioan. xix \*; vel diebus ieiuniorum in nona, quando *voce magna clamans emisit spiritum*, ut dicitur Matth. xxvii \*.

\* Vers. 25. - Cf. qu. XLVI, art. 9, ad 2.  
\* Act. cap. II, vers. 15. - Cf. can. Nocte, de Consecr., dist. I.  
\* Vers. 14; Luc. cap. xxiii, vers. 44.  
\* Vers. 46, 50.

Potest tamen tardari: maxime quando sunt ordines faciendi, et praecipue in Sabbato Sancto; tum propter prolixitatem officii; tum etiam quia ordines pertinent ad diem Dominicum <sup>0</sup>, ut habetur in *Decretis*, dist. LXXV, cap. *Quod a patribus*.

Possunt tamen etiam missae celebrari *in prima parte diei* propter aliquam necessitatem: ut habetur *de Consecr.*, dist. I, cap. *Necesse est* etc.

AD QUARTUM DICENDUM quod regulariter missa debet celebrari in die, et non in nocte: quia ipse Christus est praesens in hoc sacramento, qui dicit, Ioan. ix \*: *Me oportet operari opera eius qui*

\* Vers. 4. 5.

*misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quandiu in mundo sum, lux sum mundi.* Ita tamen quod principium diei sumatur non a media nocte; nec etiam ab ortu solis, id est quando substantia solis apparet super terram; sed quando incipit apparere aurora. Tunc enim quodammodo dicitur sol ortus, in quantum claritas radiorum eius apparet. Unde et Marc. xvi \* dicitur quod mulieres venerunt ad monumentum *orto iam sole*; cum tamen venerint, *cum adhuc tenebrae essent*, ad monumentum, ut dicitur Ioan. xx \*; sic enim hanc contrarietatem solvit Augustinus, in libro *de Consensu Evangelistarum* \*.

\* Vers. 2.

\* Vers. 1.

\* Lib. III, cap. xxiv, num. 65.

Specialiter tamen in nocte Natalis missa celebratur, propter hoc quod Dominus nocte natus est: ut habetur *de Consecr.*, dist. I, cap. *Nocte* etc. - Et similiter etiam in Sabbato Sancto circa noctis principium: propter hoc quod Dominus nocte surrexit, id est, *cum adhuc tenebrae essent*, ante manifestum solis ortum.

AD QUINTUM DICENDUM quod, sicut habetur *de Consecr.*, dist. I \*, ex Decreto Alexandri Papae \*\*, *sufficit sacerdoti in die unam missam celebrare: quia Christus semel passus est et totum mundum redemit; et valde felix est qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt et alteram diei, si necesse est. Qui vero pro pecunia aut adulationibus saecularium uno die praesumunt plures celebrare missas, non aestimo evadere damnationem* \*. Et Extra, *de Celebr.* \*\*, dicit Innocentius III quod, *excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suaderet, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare.*

\* Can. Sufficit. Secundi.

\* D. 581 a. \*\* Cap. Consulisti nos, de Celebrat. Missar.

ζ) Christi. - Dei pB (scriptor se ipse corrigit) et tertia.  
η) et. - Om. DfA et tertia.

θ) Dominicum. - Dominicam tertia.

### ARTICULUS TERTIUS

#### UTRUM OPORTEAT HOC SACRAMENTUM CELEBRARE IN DOMO ET VASIS SACRIS

IV Sent., dist. XIII, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 5, 6; dist. XXIV, qu. II, art. 2, ad 9.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non oporteat hoc sacramentum celebrare <sup>α</sup> in domo et vasis sacris. Hoc enim sacramentum est repraesentativum Dominicae passionis. Sed Christus non est passus in domo, sed extra portam civitatis: secundum illud *Heb. ult. \*: Iesus, ut per suum sanguinem sanctificaret populum, extra portam passus est.* Ergo videtur quod hoc sacramentum non debeat celebrari in domo, sed magis sub divo.

\* Vers. 12.

2. PRAETEREA, in celebratione huius sacramenti debet Ecclesia imitari morem Christi et Apostolorum. Sed domus in qua Christus primo hoc sacramentum confecit, non fuit consecrata: sed

fuit quoddam commune cenaculum a quodam patrefamilias praeparatum, ut habetur Luc. xxii \*. Legitur etiam *Act. II \** quod Apostoli erant *perdurantes unanimiter in Templo; et frangentes circa domos panem, sumebant <sup>β</sup> cum exultatione.* Ergo nec modo oportet domos esse consecratas in quibus hoc sacramentum celebratur.

\* Vers. 11, 12.

\* Vers. 46.

β

3. PRAETEREA, nihil fieri frustra in Ecclesia debet, quae Spiritu Sancto gubernatur. Sed frustra videtur adhiberi consecratio ecclesiae vel altari, et <sup>γ</sup> huiusmodi rebus inanimatis, quae non sunt susceptiva gratiae vel spiritualis virtutis. Inconvenienter igitur huiusmodi consecrationes in Ecclesia fiunt.

γ

α) celebrare. - celebrari PI. - in domo et tertia; et in domo et ABCD, et in domo et in ed. a, in domo et in EF.  
β) sumebant. - et sumebant cibum P.

γ) altari, et. - PI; altaris vel B, altaris in ceteri. - Pro susceptivae editiones.

4. PRAETEREA, solum divina opera debent re-  
coli cum quadam solemnitate: secundum illud  
\* Ps. xci, vers. 5. Psalmi \*: *In operibus manuum tuarum exultabo.*  
Sed ecclesia vel altare opere humano consecra-  
tur: sicut et calix et ministri et alia huiusmodi.  
Sed horum consecrationes non recoluntur cele-  
briter in Ecclesia. Ergo neque consecratio ec-  
clesiae vel altaris cum solemnitate re- coli debet.

5. PRAETEREA, veritas debet respondere figurae.  
Sed in veteri Testamento, quod gerebat figuram  
novi, non fiebat altare de lapidibus sectis: di-  
citur enim *Exod. xx* \*: *Altare de terra facietis*  
*mihī. Quod si altare lapideum feceritis mihī, non*  
*aedificabitis illud de sectis lapidibus.* *Exodi* etiam  
\* Vers. 24, 25. xxvii \* mandatur fieri *altare de lignis settim*, ve-  
stitis aere; vel etiam auro, ut habetur *Exod. xxv.*  
\* Vers. 1, 2. - Cf. cap. xxxviii, vers. 1, 2. Ergo videtur inconvenienter observari in Eccle-  
sia quod altare fiat solum de lapidibus.

6. PRAETEREA, calix cum patena repraesentat  
sepulcrum Christi. Quod fuit *excisum in petra*,  
ut in Evangeliiis \* habetur. Ergo calix debet de  
petra fieri, et non solum de argento vel auro,  
vel etiam de <sup>δ</sup> stanno.

7. PRAETEREA, sicut aurum pretiosius est inter  
materias vasorum, ita panni serici pretiosiores  
sunt inter alios pannos. Ergo, sicut calix fit de  
auro, ita pallae altaris debent fieri de serico, et  
non solum de panno lineo.

8. PRAETEREA, dispensatio sacramentorum et  
ordinatio eorum ad ministros Ecclesiae pertinet,  
sicut dispensatio rerum temporalium subiacet or-  
dinationi principum saecularium: unde Aposto-  
lus dicit, *I Cor. iv* \*: *Sic nos existimet homo ut*  
*ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.*  
Sed si circa dispensationem rerum temporalium  
aliquid fieret contra statuta principum, haberet  
irritum. Ergo, si haec quae dicta sunt, conven-  
ienter sunt statuta per praelatos Ecclesiae, vi-  
detur quod sine his confici <sup>ε</sup> non possit. Et sic  
videtur sequi quod verba Christi non sint suf-  
ficientia ad hoc sacramentum conficiendum:  
quod est inconveniēns. Non ergo videtur con-  
veniēns fuisse quod haec circa celebrationem sa-  
cramenti statuerentur.

SED CONTRA EST quod ea quae per Ecclesiam  
statuuntur, ab ipso Christo ordinantur, qui dicit,  
Matth. xviii \*: *Ubi cum fuerint duo vel tres con-*  
*gregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

RESPONDEO DICENDUM quod in his quae circum-  
stant hoc sacramentum, duo considerantur: quo-  
rum unum pertinet ad repraesentationem eorum  
quae circa Dominicam passionem sunt acta; aliud  
autem pertinet ad reverentiam huius sacramenti,  
in quo Christus secundum veritatem continetur,  
et non solum sicut in figura. Unde et consecra-  
tiones adhibentur his rebus quae veniunt in usum  
huius sacramenti: tum propter reverentiam sa-

cramenti; tum <sup>ζ</sup> ad repraesentandum effectum  
sanctitatis <sup>η</sup> qui ex passione Christi provenit, se-  
cundum illud *Heb. ult.* \*: *Iesus, ut sanctificaret*  
*per suum sanguinem populum, etc.* \* Vers. 12.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod regulariter hoc  
sacramentum celebrari debet in domo, per quam  
significatur Ecclesia, secundum illud *I Tim. iii* \*:  
*Scias quomodo oporteat te in domo Dei conver-*  
*sari, quae est Ecclesia Dei vivi. Extra Ecclesiam*  
*enim locus non est veri sacrificii*, ut Augustinus  
dicit \*. Et quia Ecclesia non erat concludenda  
sub finibus gentis Iudaicae, sed erat in universo  
mundo fundanda, ideo passio Christi non est ce-  
lebrata infra civitatem Iudaeorum, sed sub divo,  
ut sic totus mundus haberet se ad passionem  
Christi ut domus.

Et tamen, ut dicitur *de Consecr.*, dist. I, cap.  
*Concedimus: In itinere positus, si ecclesia defuerit,*  
*sub divo vel sub tentorio, si tabula consecrata ce-*  
*teraque sacra mysteria ad id officium pertinentia*  
*ibi affuerint, missarum solennia celebrari conce-*  
*dimus.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quia <sup>θ</sup> domus in  
qua hoc sacramentum celebratur, Ecclesiam si-  
gnificat, sicut et *ecclesia* nominatur, convenien-  
ter consecratur: tum ad repraesentandum san-  
ctificationem quam Ecclesia consecuta est per  
passionem Christi; tum etiam ad significandum  
sanctitatem quae requiritur in his qui hoc sa-  
cramentum suscipere debent. – Per altare autem  
significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus,  
*Heb. ult.* \*: *Per ipsum offeramus hostiam laudis*  
*Deo.* Unde et consecratio altaris significat san-  
ctitatem Christi, de qua dicitur *Luc. i* \*: *Quod*  
*ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Unde  
*de Consecr.*, dist. I \*, dicitur: *Altaria placuit non*  
*solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali*  
*benedictione sacrari.*

Et ideo regulariter non licet celebrare hoc sa-  
cramentum nisi in domibus consecratis. Unde  
sic habetur *de Consecr.*, dist. I \*: *Nullus presby-*  
*ter missam celebrare praesumat nisi in sacratis ab*  
*episcopo locis.* Propter quod etiam, quia pagani  
non sunt de Ecclesia nec alii infideles, ideo ea-  
dem distinctione \* legitur: *Ecclesiam in qua ca-*  
*davera mortuorum infidelium sepeliuntur, sancti-*  
*ficare non licet: sed, si apta videtur ad consecran-*  
*dum, inde evulsis corporibus, et rasis parietibus*  
*vel tignis eius loci, reaedicetur. Sed si haec con-*  
*secrata prius fuerit, missas in ea celebrare licet:*  
*tamen si fideles fuerunt qui in ea sepulti sunt.*

Propter necessitatem tamen potest hoc sacra-  
mentum peragi in domibus non consecratis, vel  
violatis: sed tamen de consensu episcopi. Unde  
in eadem distinctione \* legitur: *Missarum solennia*  
*non ubicumque, sed in locis ab episcopo consecra-*  
*tis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus.*

δ) etiam de. – Om. a et tertia.

ε) confici. – corpus Christi confici PlsG; pro possit, possunt Ha, possint bc.

ζ) propter reverentiam sacramenti; tum. – propter sacramenti reverentiam tum F et tertia, om. ceteri (ed. a om. insuper tum praecedens).

η) sanctitatis. – sacramenti tertia praeter I; Alias sanctitatis margo P.

θ) quia. – I; om.; pro convenienter, quae convenienter PD, convenienter tamen ed. a, convenienter et F.

\* Prosper., *Lib., Sentent.*, sent. xv. – Inter Opp. Aug.

\* Vers. 15.

\* Vers. 35.

\* Can. Altaria.

\* Can. Nullus presbyter.

\* Can. Ecclesiam in qua mortuorum.

\* Can. Missarum solennia.

\* Can. Concedimus.

Non tamen sine altari portatili consecrato: unde in eadem distinctione \* legitur: *Concedimus, si ecclesiae fuerint incensae vel combustae, in capellis, cum tabula consecrata, missas celebrare.* Quia enim sanctitas Christi fons est totius sanctitatis ecclesiasticae, ideo in necessitate sufficit ad peragendum hoc sacramentum altare sanctificatum. Propter quod etiam ecclesia nunquam sine altari consecratur: tamen sine ecclesia quandoque consecratur altare, cum reliquiis sanctorum, quorum *vita abscondita est cum Christo in Deo* \*. Unde in eadem distinctione \* legitur: *Placuit ut altaria in quibus nullum corpus aut reliquiae martyris conditae comprobantur, ab episcopis qui eisdem locis praesunt, si fieri potest, evertantur.*

\* Ad Coloss., cap. III, vers. 3.  
\* Can. Placuit.

AD TERTIUM DICENDUM quod ecclesia et altare et alia huiusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiae susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem per quam apta redduntur divino cultui: ut scilicet homines devotionem quandam exinde percipiant \*, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde et in II Machab. III \* dicitur: *Vere Dei virtus quaedam est in loco: nam ipse qui habet in caelis habitationem, visitator et adiutor est loci illius.*

\* Vers. 38, 39.

Et inde est quod huiusmodi ante consecrationem emundantur et exorcizantur, ut exinde virtus inimici pellatur. Et eadem ratione ecclesiae quae sanguinis effusione aut cuiuscumque semine pollutae fuerint \*, reconciliantur λ: quia per peccatum ibi commissum apparet ibi aliqua operatio inimici. Propter quod etiam in eadem distinctione \* legitur: *Ecclesias Arianorum ubicumque inveneritis, Catholicas ecclesias μ divinis precibus et operibus absque ulla mora consecrate.*

\* Can. Ecclesiis semel, de Consecr., dist. I.  
λ

\* Can. Ecclesias Arianorum.  
μ

Unde et quidam probabiliter dicunt quod per ingressum ecclesiae consecratae homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut et per aspersionem aquae benedictae: inducentes quod in Psalmo \* dicitur: *Benedixisti, Domine, terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuae.*

\* Ps. LXXXIV, vers. 2, 3.

Et ideo, propter virtutem quam ex consecratione acquirit ν, consecratio ecclesiae non iteratur. Unde in eadem distinctione \*, ex concilio Nicaeno \*, legitur: *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustae, aut sanguinis effusione, aut cuiusquam semine pollutae fuerint: quia, sicut infans a qualicumque sacerdote in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dedicatus est iterum consecrandus, nisi propter causas quas superius nominavimus; si tamen fidem sanctae Trinitatis tenuerunt qui consecraverunt.* Alioquin, qui sunt extra Ecclesiam, consecrare non possunt. Sed, sicut in eadem distinctione \* legitur: *Ecclesiae vel altaria quae ambigua sunt de consecratione, consecrantur.*

\* Can. Ecclesiis semel.  
\* Cap. incert. - Cf. Friedberg, dist. LXVIII, not. 28.

ν) si. - P; ut si. Pro celebrare, iterum consecrari et celebrare G, tm consecrari et celebrari H, iterum celebrari Pl.  
x) percipiant. - F et tertia; (homo...) percipiat ed. a, participant ceteri. - Pro irreverentiam, reverentiam BGHbc.  
λ) reconciliantur. - P; reconcilientur.  
μ) ecclesias. - eas P.  
ν) quam ex consecratione acquirit. - quam in consecratione acquirit ecclesia (non iteratur consecratio. Unde) ed. a, quae ex consecratione ecclesiae acquiritur Pc; ecclesiae etiam b.  
ξ) solemnitate. - sanctitate et solemnitate tertia praeter I. - Pro

Propter hoc etiam quod aliquam spiritualem virtutem adipiscuntur per consecrationem, in eadem distinctione \* legitur statutum: *Ligna ecclesiae dedicatae non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus: in laicorum autem opera non debent admitti.* Et ibidem \* legitur: *Altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, aut in pariete aut in fossis pavementorum iacentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.*

\* Can. Ecclesiae vel altaria, de Consecr., dist. I.

\* Can. Ligna ecclesiae.

\* Can. Altaris palla.

AD QUARTUM DICENDUM quod, quia consecratio altaris repraesentat sanctitatem Christi, consecratio vero domus sanctitatem totius Ecclesiae, ideo convenientius recolitur cum solemnitate § consecratio ecclesiae vel altaris. Propter quod etiam ° octo diebus solemnitas dedicationis agitur, ad significandam beatam resurrectionem Christi et membrorum Ecclesiae. Nec est π opus solius hominis consecratio ecclesiae et altaris: cum habeat spiritualem virtutem. Unde de Consecr., distinctione eadem \*, dicitur: *Solemnitates ecclesiarum dedicationum per singulos annos solemniter sunt celebrandae. Quod autem octo diebus encaenia sint celebranda, III ° libro Regum, perlecta dedicatione Templi, reperies, scilicet VIII \*.*

§

°

π

\* Can XVII, Solemnitates dedicationum ecclesiarum sunt solemniter.

ρ

\* Vers. 66.

AD QUINTUM DICENDUM quod, sicut legitur de Consecr., dist. I \*: *Altaria, si non sint lapidea, chrismatis unctione non consecrantur.* Quod quidem competit et significationi huius sacramenti: tum quia altare significat Christum, dicitur autem I Cor. x \*, *Petra autem erat Christus;* tum etiam quia corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum \*. Competit etiam quoad usum sacramenti: lapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri ubique. Quod non erat necessarium in veteri lege, ubi fiebat in uno loco altare \*. - Quod autem mandatur altare fieri de terra vel de lapidibus insectis, fuit ad idololatricam removendam \*.

\* Can. Altaria si non.

\* Vers. 4.

\* Matth. cap. xxvii, vers. 60; Marc. cap. xv, vers. 46; Luc. cap. xxxiii, vers. 53.

\* Cf. Deut. cap. xii, vers. 13, 14; Iosue, cap. xxii, vers. 20.  
\* Cf. Iam IIae, qu. cii, art. 4, ad 7.

AD SEXTUM DICENDUM quod, sicut in distinctione eadem dicitur, cap. Vasa: *Quondam sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibus utebantur; Zephyrinus autem Papa patenis vitreis missas celebrari instituit; deinde Urbanus omnia fecit argentea.* Postmodum autem statutum est \* *ut calix Domini, cum patena, sive ex auro σ sive ex argento fiat: vel saltem stanneus calix habeatur. De aere autem aut ex aurichalco non fiat: quia hoc*

\* Can. Ut calix Domini, de Consecr., dist. I.  
σ

vel altaris, quam altaris E, vel altaris vel (quam tertia) aliorum quae consecrantur F et tertia.  
o) etiam. - Plc; etiam in F, om. GHb, in ceteri.  
π) Nec est. - Editiones; et DH, non est autem F, quam non est I, non est ed. a, est ceteri. - et altaris sG et editiones; vel altaris FIa, altaris ceteri.  
ρ) III. - Ed. a; in. - perlecta Fa et tertia praeter P; perfecta P, perlecta de ceteri. - Pro scilicet VIII, scilicet III (in III F, om. I) Reg. VIII F et tertia.  
σ) auro. - omnino addit tertia praeter I.

vini virtute aeruginem, pariter et vomitum provocat. Nullus autem in ligneo seu vitreo calice cantare praesumat missam: quia scilicet lignum porosum est, et sanguis consecratus in eo remaneret; vitrum autem fragile est, et posset fractionis periculum imminere. Et eadem ratio est de lapide. Et ideo, propter reverentiam sacramenti, statutum est ut ex praedictis materiis calix fiat.

AD SEPTIMUM DICENDUM quod, ubi potuit sine periculo fieri, Ecclesia statuit circa hoc sacramentum id quod expressius repraesentat passionem Christi. Non autem erat tantum periculum circa corpus, quod ponitur in corporali, sicut circa sanguinem, qui continetur in calice. Et ideo, licet calix non fiat de petra, corporale tamen fit de panno lineo, quo corpus Christi fuit involutum\*. Unde in Epistola Silvestri Papae, in eadem distinctione\*, legitur: *Consulto omnium constituimus ut sacrificium altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare praesumat*

\* Matth. cap. xxvii, vers. 59; Marc. cap. xv, vers. 46; Luc. cap. xxiii, vers. 53; Ioan. cap. xix, vers. 40.  
\* Can. Consulto.

τ) pariter et. — parit et FGa, paritur et H, (virtutem et per aeruginem) pariter I, parit pariterque P.

missam<sup>υ</sup>, sed in puro lineo ab episcopo consecrato: sicut corpus Christi in sindone linea munda sepultum fuit. — Competit etiam pannus lineus, propter sui munditiam, ad significandum conscientiae puritatem; et, propter multiplicem laborem quo talis pannus praeparatur, ad significandam passionem Christi.

AD OCTAVUM DICENDUM quod dispensatio sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiae, sed consecratio eorum est ab ipso Deo. Et ideo ministri Ecclesiae non habent aliquid statuere circa formam consecrationis: sed circa usum sacramenti et modum<sup>φ</sup> celebrandi. Et ideo, si sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita cum intentione consecrandi, absque omnibus praedictis, scilicet domo et altari, calice et corporali consecratis, et ceteris huiusmodi per Ecclesiam institutis, consecrat quidem in rei veritate corpus Christi, peccat tamen graviter, ritum Ecclesiae non servans.

υ) praesumat missam. — missam praesumat P. Pro puro, panno FsG et editiones.

φ) et modum. — Tertia; et commodum.

### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo tertio quaestionis octogesimaetertiae, ad tertium, dubium occurrit de virtute altaris, ecclesiae, et aliorum inanimatorum consecratorum: an sit solum ex parte nostri, qui inde concipimus reverentiam ac devotionem; an ex parte rei. Et si ex parte rei, an sit in ipsis rebus virtus aliqua spiritualis; an sola divina assistentia. Et an generali modo tantum; an speciali quodam modo divina ibi virtus assistat.

II. Ad horum evidentiam, sciendum est quod sunt in hac re modi dicendi duo extremi. Alter, quod huiusmodi consecrationes ab Ecclesia adinventae ex parte tantum nostra se tenent: ita quod devotio nostra est quae effectus divinae virtutis provocat apparere ibi magis quam alibi; quoniam Deus nullo speciali modo est in his post consecrationem quo prius non erat. Et ratio est quia consecrationes istae sunt humana opera, nihil conferentes rei consecratae secundum rem.

Alter, quod per huiusmodi consecrationes adipiscuntur res ipsae quandam virtutem spiritualem, quae est quaedam qualitas intentionalis, velut intentio coloris in aere. Et super verba litterae huius fundatur.

III. Uterque autem modus vitandus videtur. Et, media via progrediendo, dicendum est quod per huiusmodi consecrationes adipiscuntur consecratae res spiritualem virtutem *inchoative*: et in hoc ipso sortiuntur divinam praesentiam speciali modo. Consecrationes siquidem ecclesia-

sticae non sunt humana tantum opera, sed sunt efficaces ex Christi sacerdotio: a quo sicut per seipsum efficaciam habent sacramentales operationes quia ab ipso immediate sunt instituta sacramenta, ita participatum in ministris suis efficaciam praebet consecrationibus quae ab ipsis fiunt. Ita quod ex Christi sacerdotio diffuso et participato in nobis res consecratae habiles redduntur ad excitandam in nobis reverentiam et devotionem: sicut aquae ex tactu carnis Christi redditae sunt habiles ad baptismum\*. Et huiusmodiabilitas vocatur spiritualis virtus inchoative.

Et hinc apparet quod Deus, qui ante consecrationem erat ecclesiae praesens, sicut aliis rebus, per praesentiam, essentiam et potentiam, fit postea praesens altari, ecclesiae et aliis huiusmodi speciali modo, sicut novo instrumento ad excitandam reverentiam et devotionem circa divinum cultum. Perducitur autem ad complementum huiusmodi virtus cum divina huiusmodi assistentia actualiter utitur re consecrata ad excitandam devotionem, reverentiam, vel aliquem alium effectum ad quem res consecrata est faciendum.

Consonare autem doctrinam hanc supra\* dictis, et litterae huic, et his quae communiter opinamur de rebus inanimatis consecratis, facile patet applicando: praeter hoc quod probabilis valde est.

Et haec de Eucharistia dicta pro nunc sufficient.

\* Qu. Lxvi, art. 3, arg. 4 cum resp.

\* Qu. Lxii, art. 4, Comment.

## ARTICULUS QUARTUS

### UTRUM CONVENIENTER ORDINENTUR EA QUAE CIRCA HOC SACRAMENTUM DICUNTUR

IV Sent., dist. i, qu. i, art. 5, qu<sup>a</sup> 1, ad 2; dist. viii, Expos. litt.; dist. xiii, Expos. litt.; dist. xv, qu. iv, art. 3, qu<sup>a</sup> 1; I ad Tim., cap. ii, lect. i.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter ordinentur ea quae circa hoc sacramentum dicuntur. Hoc enim sacramentum verbis Christi consecratur: ut Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis*\*. Non ergo debent aliqua alia in hoc sacramento dici quam verba Christi.

\* Lib. IV, cap. iv. Cf. can. Panis est, de Consecr., dist. II.

2. PRAETEREA, verba et facta Christi nobis per Evangelium innotescunt. Sed quaedam dicuntur circa consecrationem huius sacramenti quae in Evangeliiis non ponuntur. Non enim legitur in Evangelio quod Christus in institutione huius sacramenti oculos ad caelum levaverit; similiter etiam in Evangeliiis\* dicitur, *Accipite et come-*

\* Matth. cap. xxvi, vers. 26. — Cf. I ad Cor., cap. xi, vers. 24.

dite, nec ponitur omnes: cum in celebratione huius sacramenti dicatur, *elevatis oculis in caelum*, et iterum, *Accipite et manducate ex hoc omnes*. Inconvenienter ergo huiusmodi verba dicuntur in celebratione huius sacramenti.

3. PRAETEREA, omnia alia <sup>α</sup> sacramenta ordi-  
nantur ad salutem omnium fidelium. Sed in ce-  
lebratione aliorum sacramentorum non fit com-  
munis oratio pro salute omnium <sup>β</sup> fidelium et de-  
functorum. Ergo inconvenienter fit in hoc sa-  
cramento.

\* Ambr. De Spi-  
rit. Sanct. lib.  
I, cap. III, num.  
42; Aug. Epist.  
XCVIII, aliter  
XXIII, ad Bo-  
nifac., num. 9.

4. PRAETEREA, baptismus dicitur specialiter *fidei sacramentum* \*. Ea ergo quae pertinent ad in-  
structionem fidei, magis debent circa baptismum  
tradi quam circa hoc sacramentum: sicut do-  
ctrina Apostolica et Evangelica.

5. PRAETEREA, in omni sacramento exigitur  
devotio fidelium. Non ergo magis in hoc sacra-  
mento quam in aliis deberet devotio fidelium  
excitari per laudes divinas et per admonitiones:  
puta cum dicitur, *Sursum corda*.

\* Qu. LXXXII,  
art. 1.

6. PRAETEREA, minister huius sacramenti est  
sacerdos, ut dictum est \*. Omnia ergo quae in  
hoc sacramento dicuntur, a sacerdote dici de-  
berent: et non quaedam a ministris, quaedam a  
choro.

7. PRAETEREA, hoc sacramentum per certitu-  
dinem operatur virtus divina. Superflue igitur  
sacerdos petit huius sacramenti perfectionem, cum  
dicit: *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus*, etc.

8. PRAETEREA, sacrificium novae legis multo  
est excellentius quam sacrificium antiquorum Pa-  
trum. Inconvenienter ergo sacerdos petit quod  
hoc sacrificium habeatur sicut sacrificium Abel,  
Abraham et Melchisedech.

\* Qu. LXXXV, art. 2.

9. PRAETEREA, corpus Christi, sicut non incoe-  
pit <sup>γ</sup> esse in hoc sacramento per loci mutatio-  
nem, ut supra \* dictum est, ita etiam nec esse  
desinit. Inconvenienter ergo sacerdos petit: *Iube  
haec perferri per manus sancti angeli tui in su-  
blime altare tuum*.

\* Can. Iacobus  
frater.

SED CONTRA EST quod dicitur de Consecr., dist. I \*:  
*Iacobus frater Domini secundum carnem, et Ba-  
silius Caesariensis episcopus, ediderunt <sup>δ</sup> missae ce-  
lebrationem*. Ex quorum auctoritate patet con-  
venienter singula circa hoc dici.

\* Vers. 17.  
\* Vers. 23.

RESPONDEO DICENDUM quod, quia in hoc sacra-  
mento totum mysterium nostrae salutis compre-  
henditur, ideo prae ceteris sacramentis cum ma-  
iori solemnitate agitur. Et quia scriptum est  
*Eccl. IV \**, *Custodi pedem tuum ingrediens domum  
Domini*, et *Eccl. XVIII \**, *Ante orationem praepara  
animam tuam*, ideo ante celebrationem huius  
mysterii, primo quidem praemittitur praeparatio  
quaedam ad digne agenda ea quae sequuntur.  
Cuius praeparationis prima pars est laus divina,

α) alia. — Om. P. — omnium om. PI.  
β) omnium. — Om. editiones; pro et defunctorum, maxime de-  
functorum sG, vivorum et defunctorum Ia, defunctorum F et editiones.  
γ) incoepit. — incipit PDI et G vel sG.  
δ) ediderunt. — addiderunt I; Alias in scripturis addiderunt nobis  
margo P.  
ε) Psalmis. — P; psalmo plene I, ps<sup>o</sup> H, psalterio ed. a, ps̄ ce-

quae fit in *introitu*: secundum illud Psalmi \*: *Sa-  
crificium laudis honorificabit me, et illic iter quo  
ostendam illi salutare Dei*. Et sumitur hoc, ut  
pluries, de Psalmis <sup>ε</sup>, vel saltem cum Psalmo  
cantatur: quia, ut Dionysius dicit, in III cap. \* <sup>ε</sup> § 4, 5.  
*Eccles. Hier.*, Psalmi comprehendunt per mo-  
dum laudis quidquid in sacra Scriptura contine-  
tur. — Secunda pars continet commemorationem  
praesentis miseriae, dum misericordia petitur, di-  
cendo *Kyrie eleison* ter pro persona Patris; ter  
pro persona Filii, cum dicitur *Christe eleison*;  
et ter pro persona Spiritus Sancti, cum subditur  
*Kyrie eleison*; contra triplicem miseriam igno-  
rantiae, culpae et poenae; vel ad significandum  
quod omnes Personae sunt in se invicem. —  
Tertia autem pars commemorat caelestem glo-  
riam, ad quam tendimus post praesentem mi-  
seriam <sup>ζ</sup>, dicendo, *Gloria in excelsis Deo*. Quae  
cantatur in festis, in quibus commemoratur cae-  
lestis gloria: intermittitur autem in officiis luctuo-  
sis, quae ad commemorationem miseriae perti-  
nent. — Quarta autem pars continet *orationem*,  
quam sacerdos pro populo facit, ut digni ha-  
beantur tantis mysteriis.

\* Ps. XLIX, vers.  
23.

\* § 4, 5.

ζ

Secundo autem praemittitur instructio fidelis  
populi: quia hoc sacramentum est *mysterium fi-  
dei*, ut supra \* habitum est. Quae quidem in-  
structio dispositive quidem fit per doctrinam Pro-  
phetarum et Apostolorum, quae in ecclesia le-  
gitur per lectores et subdiacones. Post quam *le-  
ctionem*, cantatur a choro *graduale*, quod signi-  
ficat profectum vitae; et *alleluia*, quod significat <sup>η</sup>  
spiritualem exultationem; vel *tractus*, in officiis  
luctuosis, qui significat spiritualem gemitum.  
Haec enim consequi debent in populo ex prae-  
dicta doctrina. — Perfecte autem populus instrui-  
tur per doctrinam Christi in *Evangelio* conten-  
tam: quae a summis ministris legitur, scilicet a  
diaconibus. Et quia Christo credimus tanquam  
divinae veritati, secundum illud Ioan. VIII \*, *Si  
veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi?*  
lecto Evangelio, *symbolum fidei* cantatur, in quo  
populus ostendit se per fidem doctrinae Christi  
assentire. Cantatur autem hoc symbolum in fe-  
stis de quibus fit aliqua mentio in hoc symbolo,  
sicut in festis Christi et Beatae Virginis, et Apo-  
stolorum, qui hanc fidem fundaverunt, et in aliis  
huiusmodi.

\* Qu. LXXXVIII, art.  
3, ad 5.

η

\* Vers. 46.

Sic igitur populo praeparato et instructo, ac-  
ceditur <sup>θ</sup> ad celebrationem mysterii. Quod qui-  
dem et offertur ut sacrificium, et consecratur et  
sumitur ut sacramentum: primo enim <sup>ι</sup> peragitur  
oblatio; secundo, consecratio materiae oblatae;  
tertio, perceptio eiusdem. Circa oblationem vero  
duo aguntur: scilicet laus populi, in cantu *offer-  
torii*, per quod significatur laetitia offerentium;

θ

ι

teri. — Pro Psalmo quod plene ACa, ps<sup>o</sup> DE, ps<sup>s</sup> BG, psalmus P,  
ps̄ ceteri. — Pro Psalmi, ps̄ F, in psalmis (comprehenditur) ed. a.  
ζ) miseriam. — vitam et miseriam editiones.  
η) profectum... significat. — FlsG et editiones; om.  
θ) acceditur. — consequenter acceditur F et tertia.  
ι) primo enim. — primo Hbc, unde primo PFI, (et sumitur; et  
secundum hoc) primo quidem ed. a.



\* Cap. xxix, vers. 17.

\* Vers. 18.

λ  
\* Isai. cap. vi, vers. 3.  
\* Matth. cap. xxi, vers. 9, 15.

\* Vers. 2.

μ

\* Qu. Lxvii, art. 2; qu. Lxxiii, art. 3, ad 3; art. 4; qu. Lxxix, art. 1.

et oratio sacerdotis, qui petit ut oblatio populi sit Deo accepta. Unde, I *Paralip.* \* \*, dixit David: *Ego in simplicitate cordis mei obtuli universa haec, et populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria: et postea \* orat, dicens: Domine Deus, custodi hanc voluntatem.*

Deinde, circa consecrationem, quae supernaturali virtute agitur, primo excitatur populus ad devotionem in *praefatione*: unde et monetur *sursum corda habere ad Dominum*. Et ideo, finita praefatione, populus cum devotione λ laudat divinitatem Christi cum angelis \*, dicens, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; et humanitatem cum pueris \*, dicens, *Benedictus qui venit*. – Deinde sacerdos secreto *commemorat*, primo quidem, illos pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet pro universali Ecclesia, et pro his qui *in sublimitate sunt constituti*, I *Tim.* II \*; et specialiter quosdam qui *offerunt vel pro quibus offertur*. – Secundo, *commemorat sanctos*, quorum patrocinia implorat pro praedictis, cum dicit, *Communicantes et memoriam venerantes*, etc. – Tertio, petitionem concludit, cum dicit, *Hanc igitur oblationem etc.*, ut fiat oblatio μ pro quibus offertur salutaris.

Deinde accedit ad ipsam consecrationem. In qua primo petit consecrationis effectum, cum dicit, *Quam oblationem tu Deus*. – Secundo, consecrationem peragit per verba Salvatoris, cum dicit, *Qui pridie*, etc. – Tertio, excusat praesumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit, *Unde et memores*. – Quarto, petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum, cum dicit, *Supra quae propitio*, etc. – Quinto, petit huius sacrificii et sacramenti effectum: primo quidem, quantum ad ipsos sumentes, cum dicit, *Supplices te rogamus*; secundo, quantum ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cum dicit, *Memento etiam, Domine*, etc.; tertio, specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, cum dicit, *Nobis quoque peccatoribus etc.*

Deinde agitur de perceptione sacramenti. Et primo quidem, praeparatur populus ad percipiendum. Primo quidem, per orationem communem totius populi, quae est *Oratio Dominica*, in qua petimus *panem nostrum quotidianum nobis dari*; et etiam privatam, quam specialiter sacerdos pro populo offert, cum dicit, *Libera nos, quaesumus, Domine*. – Secundo, praeparatur populus per pacem, quae datur dicendo, *Agnus Dei*: est enim hoc sacramentum unitatis et pacis, ut supra \* dictum est. In missis autem defunctorum, in quibus hoc sacrificium offertur non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur.

Deinde sequitur perceptio sacramenti: primo percipiente sacerdote, et postmodum aliis dante;

x) *Paralip.* – XXXIX addunt F et tertia. – Ante *obtuli* addunt *diletus H, laetus cetera tertia.*

λ) *cum devotione*. – *devotione concepta I, concepta devotione sG, devote H et editiones.*

μ) *Hanc igitur oblationem etc., ut fiat oblatio*. – *haec oblatio sit F, ut haec oblatio sit illis P, (ut super ras.) haec oblatio sit illis (pro quibus offertur salutaris) cum dicit Hanc igitur sG, haec oblatio ceteri.*

quia, ut dicit Dionysius, III cap. \* *Eccles. Hier.*, \* § 14. qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse.

Ultimo autem tota missae celebratio in gratiarum actione terminatur: populo exultante pro sumptione mysterii, quod significat cantus post communionem; et sacerdote per orationem gratias offerente: sicut et Christus, celebrata Cena cum discipulis, *hymnum dixit*, ut dicitur Matth. xxvi \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod consecratio solis verbis Christi conficitur. Alia vero necesse fuit addere ad praeparationem populi summentis, ut dictum est \*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dicitur Ioan. ult. \*, multa sunt a Domino facta vel dicta quae Evangelistae non scripserunt. Inter quae fuit hoc quod Dominus oculos levavit in caelum in Cena: quod tamen Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit \*. Rationabile enim videtur ut qui in suscitatione Lazari, ut habetur Ioan. xi \*, et in oratione quam pro discipulis fecit, Ioan. xvii \*, oculos levavit ad Patrem, in huius sacramenti institutione multo magis hoc fecerit, tanquam in re potiori.

Quod autem dicitur *manducate*, et non *comedite* ν, non differt quantum ad sensum. Nec multum refert quid dicatur: praesertim cum verba illa non sint de forma, ut supra \* dictum est.

Quod autem additur *omnes*, intelligitur in verbis Evangelii, licet non exprimat: quia ipse dixerat, Ioan. vi \*: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*.

AD TERTIUM DICENDUM quod Eucharistia est sacramentum totius ecclesiae unitatis \*. Et ideo specialiter in hoc sacramento, magis quam in aliis, debet fieri mentio de omnibus quae pertinent ad salutem totius Ecclesiae.

AD QUARTUM DICENDUM quod duplex est instructio §. Una, quae fit noviter imbuendis, scilicet catechumenis. Et talis instructio fit circa ° baptismum.

Alia autem est instructio in qua instruitur fidelis populus, qui communicat huic mysterio. Et talis instructio fit in hoc sacramento. – Et tamen ab hac instructione non repelluntur etiam catechumeni et infideles. Unde dicitur *de Consecr.*, dist. I \*: *Episcopus nullum prohibeat ecclesiam ingredi et audire verbum Dei, sive gentilem sive haereticum sive Iudaeum, usque ad missam catechumenorum*, in qua scilicet continetur instructio fidei.

AD QUINTUM DICENDUM quod in hoc sacramento maior devotio requiritur quam in aliis sacramentis, propter hoc quod in hoc sacramento totus Christus continetur. Et etiam communior: quia

ν) *manducate, et non comedite*. – *bibite et manducate F, manducate et comedite tertia praeter G. – quid dicatur D et tertia; quod dicatur.*

§) *instructio*. – *fidei* addunt F et tertia (*instructio fidei est duplex editiones*).

o) *circa*. – *per H et editiones; Alias circa margo P.*

\* § 14.

\* Vers. 30; Marc. cap. xiv, vers. 26.

\* In corpore.

\* Vers. 25; cap. xx, vers. 30.

\* Cf. cap. *Cum Marthae, de Celebrat. Missar.*  
\* Vers. 41.  
\* Vers. 1.

\* Qu. Lxxviii, art. 1, ad 2, 4.

\* Vers. 54.

\* Cf. loca cit. in corp., *Deinde agitur.*

\* Can. *Episcopus nullum.*

π in hoc sacramento requiritur devotio totius populi, pro quo π sacrificium offertur, et non solum percipientium sacramentum, sicut in aliis sacramentis. Et ideo, sicut Cyprianus dicit \*, *sacerdos, praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda, ut, dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se cogitare quam Deum* ρ.

ρ AD SEXTUM DICENDUM quod in hoc sacramento, sicut dictum est \*, tanguntur ea quae pertinent ad totam Ecclesiam. Et ideo quaedam dicuntur a choro, quae pertinent ad populum. Quorum quaedam chorus totaliter prosequitur: quae scilicet toti populo inspirantur. — Quaedam vero populus prosequitur, sacerdote inchoante, qui personam Dei gerit: in signum quod talia pervenerunt ad populum ex revelatione divina, sicut fides et gloria caelestis σ. Et ideo sacerdos inchoat symbolum fidei et *Gloria in excelsis Deo*. — Quaedam vero dicuntur per ministros, sicut doctrina novi et veteris τ Testamenti: in signum quod per ministros a Deo missos est haec doctrina populis nuntiata.

σ Quaedam vero sacerdos solus prosequitur: quae scilicet ad proprium officium sacerdotis pertinent, ut scilicet *dona et preces offerat pro populo*, sicut dicitur Heb. v \*. In his tamen quaedam dicit publice: quae scilicet pertinent et ad sacerdotem et ad populum, sicut sunt orationes communes. — Quaedam vero pertinent ad solum sacerdotem, sicut oblatio et consecratio. Et ideo quae circa haec sunt dicenda, occulte a sacerdote dicuntur. — In utrisque tamen excitat attentionem populi, dicendo, *Dominus vobiscum*; et expectat assensum dicentium, *Amen*. Et ideo in his quae secreto dicuntur, publice praemittit, *Dominus vobiscum*, et subiungit, *Per omnia saecula saeculorum*. — Vel secrete aliqua sacerdos dicit in signum quod, circa Christi passionem, discipuli non nisi occulte Christum confitebantur.

τ AD SEPTIMUM DICENDUM quod efficacia verborum sacramentalium impediri potest per intentionem sacerdotis. — Nec tamen est inconveniens quod a Deo petamus id quod certissime scimus ipsum facturum: sicut Christus, Ioan. xvii \*, petiit suam clarificationem.

\* Vers. 1, 5.

π) pro quo. — Haec et cetera huius solutionis Hb ponunt in corpore articuli versus finem ante *Deinde agitur de perceptione sacramenti*; neutro loco ea habet c.  
ρ) se cogitare quam Deum. — cogitare quam Deum F, se quam Deum cogitare debere Pl.  
σ) caelestis. — Tertia; om. D, in excelsis ceteri.  
τ) novi et veteris. — novae legis et veteris F, novi vel veteris G, veteris vel novi Hb, veteris et novi Plc.

Non tamen ibi videtur sacerdos orare ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa: unde signanter dicit, *ut nobis corpus et sanguis fiat*. Et hoc significant verba quae praemittit dicens: *Hanc oblationem facere digneris benedictam*, secundum Augustinum \*, idest, *per quam benedicimur* υ, scilicet per gratiam; *adscriptam*, idest, *per quam in caelo adscribimur*; *ratam*, idest, *per quam visceribus Christi censeamur*; *rationabilem*, idest, *per quam a bestiali sensu exuamur*; *acceptabilem*, idest, *ut, qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles eius unico Filio simus*.

AD OCTAVUM DICENDUM quod, licet hoc sacrificium ex seipso praefertur omnibus antiquis sacrificiis, tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum devotione. Petit ergo sacerdos ut hoc sacrificium acceptetur Deo ϑ ex devotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo.

AD NONUM DICENDUM quod sacerdos non petit quod ζ species sacramentales deferantur in caelum; neque corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit. Sed petit hoc pro corpore mystico, quod scilicet in hoc sacramento significatur: ut scilicet orationes et populi et sacerdotis angelus assistens divinis mysteriis Deo repraesentet; secundum illud *Apoc. viii* \*: *Ascendit fumus incensorum de oblationibus sanctorum de manu angeli*. — *Sublime autem altare Dei* dicitur vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus: vel ipse Deus, cuius participationem petimus; de hoc enim ψ altari dicitur *Exod. xx* \*: *Non ascendes ad altare meum per gradus*, idest, *In Trinitate gradus non facies* \*.

Vel per angelum intelligitur ipse Christus, qui est *magni consilii Angelus* \*, qui corpus suum mysticum Deo Patri coniungit et Ecclesiae triumphanti.

Et propter hoc etiam *missa* nominatur. Quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit: sicut populus per sacerdotem. Vel quia Christus est hostia ω nobis *missa*. Unde et in fine missae diaconus in festis diebus populum licentiat, dicens: *Ite, missa est*, scilicet hostia ad Deum per angelum, ut scilicet sit Deo accepta.

υ) benedicimur. — benedicamur Pl. Pro adscribimur, adscribuntur DEFpG, adscribamur P; scilicet... adscribimur om. I. Pro visceribus Christi, de visceribus Christi esse P.  
φ) Deo. — a Deo P.  
ζ) quod. — videlicet quod HpG et bc, neque quod P.  
ψ) enim. — Tertia; autem.  
ω) est hostia. — est hostia est ABC, hostia est Ia. — Post missa F et tertia addunt a Deo.

\* Paschas. lib. de Corp. et Sang. Dom., cap. xii. — Cf. can. Utrum sub figura, de Consecr., dist. II.

\* Vers. 4.

\* Vers. 26.

\* Gloss. Interlin.

\* Isai. cap. ix, vers. 6, sec. LXX Interp.

## ARTICULUS QUINTUS

UTRUM EA QUAE IN CELEBRATIONE HUIUS SACRAMENTI AGUNTUR, SINT CONVENIENTIA

IV *Sent.*, dist. XII, *Expos. litt.*

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ea quae in celebratione huius sacramenti aguntur, non sunt convenientia. Hoc enim sacramentum ad novum Testamentum pertinet, ut ex forma ipsius apparet. In novo autem Testamento non sunt observandae caeremoniae veteris Testamenti. Ad quas pertinebat quod sacerdos et ministri aqua lavabantur quando accedebant ad offerendum: legitur enim *Exod. xxx<sup>a</sup>\**: *Lavabunt Aaron et filii eius manus suas ac pedes quando ingressuri sunt ad altare*. Non est ergo conveniens quod sacerdos lavet manus suas inter missarum solemnias.

\* Vers. 19, 20.

\* Vers. 7.

β

2. PRAETEREA, ibidem \* Dominus mandavit quod sacerdos β *adoleret incensum suave fragrans* super altare quod erat ante propitiatorium. Quod etiam pertinebat ad caeremoniam veteris Testamenti. Inconvenienter ergo sacerdos in missa thurificatione utitur.

γ

3. PRAETEREA, ea quae in sacramentis Ecclesiae aguntur, non sunt iteranda. Inconvenienter ergo sacerdos iterat γ cruce signationes super hoc sacramentum.

\* Vers. 7.

4. PRAETEREA, Apostolus dicit, *Heb. vii\**: *Sine ulla contradictione, quod minus est a maiori benedicitur*. Sed Christus, qui est in hoc sacramento post consecrationem, est multo maior sacerdote. Inconvenienter igitur sacerdos post consecrationem benedicit hoc sacramentum cruce signando.

5. PRAETEREA, in sacramento Ecclesiae nihil debet fieri quod ridiculosum videatur. Videtur autem ridiculosum gesticulationes facere: ad quas pertinere videtur quod sacerdos quandoque brachia extendit, manus iungit, digitos complicat, et seipsum incurvat δ. Ergo hoc non debet fieri in hoc sacramento.

δ

6. PRAETEREA, ridiculosum etiam videtur quod sacerdos multoties se ad populum vertit, multoties etiam populum salutat ε. Non ergo debent haec fieri in celebratione huius sacramenti.

\* Vers. 13.

ε

7. PRAETEREA, Apostolus, *I Cor. i\**, pro inconveniēti habet quod *Christus sit divisus*. Sed post consecrationem Christus est in hoc sacramento. Inconvenienter igitur hostia frangitur a sacerdote.

8. PRAETEREA, ea quae in hoc sacramento aguntur, passionem Christi repraesentant. Sed in passione Christi corpus fuit divisum in locis quinque vulnere. Ergo corpus Christi in quinque partes frangi debet, magis quam in tres.

9. PRAETEREA, totum corpus Christi in hoc sacramento seorsum consecratur a sanguine. In-

convenienter igitur una pars eius sanguini miscetur.

10. PRAETEREA, sicut corpus Christi proponitur in hoc sacramento ut cibus, ita et sanguis Christi ut potus. Sed sumptioni corporis Christi non adiungitur in celebratione missae alius corporalis cibus. Inconvenienter igitur sacerdos, post sumptionem sanguinis Christi, vinum non consecratum sumit.

11. PRAETEREA, veritas debet respondere figurae. Sed de agno paschali, qui fuit figura huius sacramenti, mandatur quod *non remaneret ex eo quidquam usque mane\**. Inconvenienter ergo hostiae consecratae reservantur, et non statim sumuntur.

\* *Exod. cap. xii,*  
vers. 10.

12. PRAETEREA, sacerdos pluraliter loquitur audientibus: puta cum dicit, *Dominus vobiscum*, et, *Gratias agamus*. Sed inconveniens videtur pluraliter loqui uni soli, et maxime minori. Ergo inconveniens videtur quod sacerdos, uno tantum ministro praesente, celebret missam.

Sic igitur videtur quod inconvenienter aliqua agantur in celebratione huius sacramenti.

SED IN CONTRARIUM EST Ecclesiae consuetudo, quae errare non potest, utpote Spiritu Sancto instructa.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, in sacramentis aliquid dupliciter significatur, scilicet verbis et factis, ad hoc quod sit perfectior significatio. Significantur autem verbis in celebratione huius sacramenti quaedam pertinentia ad passionem Christi, quae repraesentatur in hoc sacramento; vel etiam ad corpus mysticum, quod significatur in hoc sacramento; et quaedam pertinentia ad usum sacramenti, qui debet esse cum devotione et reverentia. Et ideo in celebratione huius mysterii quaedam aguntur ad repraesentandum passionem Christi; vel etiam dispositionem corporis mystici; et quaedam aguntur pertinentia ad devotionem et reverentiam usus η huius sacramenti.

\* Qu. LX, art. 6.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ablutio manuum fit in celebratione missae propter reverentiam huius sacramenti. Et hoc dupliciter. Primo quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus nisi manibus ablutis. Unde indecens videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus, etiam corporaliter, inquinatis.

Secundo, propter significationem. Quia, ut Dionysius dicit, *iii cap. \* Eccles. Hier.*, extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis

\* § 10.

α) XXX. - P; XXIX (cf. vers. 4). - Post *ingressuri sunt* PFIsg addunt *tabernaculum testimonii et quando accessuri sunt*.

β) sacerdos. - scilicet Aaron F, Aaron P. - Pro caeremonias F et tertia.

γ) iterat. - multoties iterat F et tertia.

δ) incurvat. - inclinat editiones; Alias incurvat margo P.

ε) multoties etiam populum salutat. - multoties salutat F, et multoties populum salutet P.

ζ) qui debet. - PI; quae debent GHabc, quae debet ceteri.

η) usus. - Om, FHPG et editiones.

\* Vers. 10.

peccatis: secundum illud Ioan. XIII \*: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacramentum. Quod etiam significatur per confessionem quae fit ante introitum missae. Et hoc idem significabat ablutio sacerdotum in veteri lege: ut ibidem Dionysius dicit.

Nec tamen Ecclesia hoc servat tanquam caeremoniale veteris legis praeceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut <sup>0</sup> quiddam secundum se conveniens. Et ideo non eodem modo observatur sicut tunc. Praetermittitur enim pedum ablutio, et servatur ablutio manuum, quae potest fieri magis in promptu, et quae <sup>1</sup> sufficit ad significandam perfectam munditiam. Cum enim manus sit *organum organorum*, ut dicitur in III *de Anima* \*, omnia \* opera attribuuntur manibus. Unde et in Psalmo \* dicitur: *Lavabo inter innocentes manus meas.*

\* Cap. VIII, n. 2. - S. Th. lect. XIII.

\* Ps. XXV, vers. 6.

AD SECUNDUM DICENDUM quod thurificatione non utimur quasi caeremoniali praecepto legis, sed sicut Ecclesiae statuto. Unde non eodem modo utimur sicut in veteri lege erat statutum.

Pertinet autem ad duo. Primo quidem, ad reverentiam huius sacramenti: ut scilicet per bonum odorem depellatur si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem.

Secundo, pertinet ad repraesentandum effectum gratiae, qua, sicut bono odore, Christus plenus fuit, secundum illud *Gen. XXVII* \*, *Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni*; et a Christo derivatur ad fideles officio ministrorum, secundum illud *II Cor. II* \*, *Odorem notitiae suae spargit per nos in omni loco.* Et ideo, undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.

\* Vers. 27.

\* Vers. 14.

AD TERTIUM DICENDUM quod sacerdos in celebratione missae utitur cruce-signatione ad exprimendam passionem Christi, quae ad crucem est terminata. Est autem passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nam primo fuit Christi traditio: quae facta est a Deo <sup>λ</sup>, a Iuda, et a Iudaeis. Quod significat trina cruce-signatio super illa verba: *Haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata.*

Secundo fuit Christi venditio. Est autem venditus sacerdotibus, scribis et pharisaeis. Ad quod significandum fit iterum trina cruce-signatio super illa verba, *benedictam, adscriptam, ratam.* - Vel ad ostendendum pretium venditionis, scilicet triginta denarios. - Additur autem et duplex super illa verba, *ut nobis corpus et sanguis*, etc., ad designandam personam Iudae venditoris et Christi venditi <sup>μ</sup>.

Tertio autem fuit praesignatio passionis Christi facta in Cena. Ad quod designandum, fiunt

<sup>0</sup>) sicut. - PFsG et c; sed in (quodam) E, et non I, et est ed. a, sed est ceteri.

<sup>1</sup>) et quae. - quae magis pG, et quae magis HsG et bc; in G lectio primae manus restituitur; Alias, quae magis sufficit margo P. - Pro munditiam, mundationem editiones.

tertio duae cruces, una in consecratione corporis, alia in consecratione sanguinis, ubi utrobique dicitur *benedixit.*

Quarto autem fuit ipsa passio Christi. Unde, ad repraesentandum quinque plagas, fit quarto quintuplex cruce-signatio super illa verba, *hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae.*

Quinto, repraesentatur extensio corporis, et effusio sanguinis, et fructus passionis, per trinam cruce-signationem quae fit super illis verbis, *corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione* etc.

Sexto, repraesentatur triplex oratio quam fecit in cruce: unam pro persecutoribus, cum dixit, *Pater, ignosce illis*; secundam pro liberatione a morte, cum dixit, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* tertia pertinet ad adeptionem gloriae, cum dixit, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et ad hoc significandum, fit trina cruce-signatio super illa verba, *sanctificas, vivificas, benedicis*, etc.

Septimo, repraesentantur tres horae quibus pendit in cruce, scilicet a sexta hora usque ad nonam. Et ad hoc significandum, fit iterum trina cruce-signatio ad illa verba, *per ipsum, et cum ipso, et in ipso.*

Octavo autem, repraesentatur separatio animae a corpore, per duas cruces subsequentes extra calicem factas.

Nono autem, repraesentatur resurrectio tertia die facta, per tres cruces quae fiunt ad illa verba, *Pax Domini sit semper vobiscum.*

Potest autem brevius dici quod consecratio huius sacramenti, et acceptio sacrificii, et fructus eius, procedit ex virtute crucis Christi. Et ideo, ubicumque fit mentio de aliquo horum, sacerdos cruce-signatione utitur.

AD QUARTUM DICENDUM quod sacerdos post consecrationem non utitur cruce-signatione ad benedicendum et consecrandum: sed solum ad commemorandum virtutem crucis et modum passionis Christi, ut ex dictis \* patet.

\* Resp. ad 3

AD QUINTUM DICENDUM quod ea quae sacerdos in missa facit, non sunt ridiculosae gesticulationes: fiunt enim ad aliquid repraesentandum. Quod enim sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in cruce.

Levat etiam manus orando, ad designandum quod oratio eius pro populo dirigitur ad Deum: secundum illud *Thren. III* \*: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in caelum.* Et *Exod. XVII* \* dicitur quod, *cum levaret Moyses manus, vincebat Israel.*

\* Vers. 41.

\* Vers. 11.

Quod autem manus interdum iungit, et inclinat se, suppliciter et humiliter orans <sup>ν</sup>, designat

<sup>κ</sup>) *de Anima, omnia.* - *de Anima* CDEHpG et abc, dF omnia F.

<sup>λ</sup>) *a Deo.* - PF1 et recenti manu B; om.

<sup>μ</sup>) *et Christi venditi.* - F et tertia; et venditi recenti manu B, om. ceteri.

<sup>ν</sup>) *suppliciter et humiliter orans.* - est *suppliciter et humiliter orantis et PI.*

humilitatem et obedientiam Christi, ex qua passus est.

Digitos autem iungit post consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat, ut, si qua particula digitis adhaeserat, non dispergatur. Quod pertinet ad reverentiam sacramenti.

AD SEXTUM DICENDUM quod quinquies se sacerdos vertit ad populum, ad designandum quod Dominus die resurrectionis quinquies se manifestavit, ut supra \* dictum est in tractatu de resurrectione Christi.

Salutat autem septies populum, scilicet quinque vicibus quando se convertit ad populum, et bis quando se non convertit, scilicet ante praefationem cum dicit, *Dominus vobiscum*, et cum dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum*: ad designandum septiformem gratiam Spiritus Sancti. — Episcopus autem celebrans in festis in prima salutatione dicit, *Pax vobis*, quod post resurrectionem dixit Dominus \*, cuius personam repraesentat episcopus praecipue †.

AD SEPTIMUM DICENDUM quod fractio hostiae tria significat: primo quidem, ipsam divisionem corporis Christi, quae facta est in passione; secundo, distinctionem corporis mystici secundum diversos status; tertio, distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi, ut Dionysius dicit, III cap. \* *Eccles. Hier.* Unde talis fractio non inducit divisionem Christi.

AD OCTAVUM DICENDUM quod, sicut Sergius Papa dicit, et habetur in Decretis, de *Consecr.*, dist. II \*: *Triforme est corpus Domini. Pars oblata in calicem missa corpus Christi quod iam resurrexit, demonstrat: scilicet ipsum Christum, et Beatam Virginem, vel si qui alii sancti cum corporibus sunt ° in gloria. Pars comesta ambulans adhuc super terram: quia scilicet viventes in terra sacramento uniuntur π; et passionibus conteruntur, sicut panis comestus atteritur dentibus. Pars in altari usque ad finem missae remanens est corpus Christi ρ in sepulcro remanens: quia usque in finem saeculi corpora sanctorum in sepulcris erunt: quorum tamen animae sunt vel in purgatorio vel in caelo. Hic tamen ritus non servatur modo: ut scilicet una pars servetur usque in finem missae σ. Manet tamen eadem significatio partium. Quam quidam metricè expresserunt, dicentes: *Hostia dividitur in partes, tincta beatos Plene, sicca notat vivos, servata sepultos.**

Quidam \* tamen dicunt quod pars in calicem missa significat eos qui vivunt in hoc mundo; pars autem extra calicem servata significat plene beatos quantum ad animam et corpus; pars autem comesta significat ceteros.

AD NONUM DICENDUM quod per calicem duo posunt significari. Uno modo, ipsa passio \*, quae repraesentatur in hoc sacramento. Et secundum

hoc, per partem in calicem missam significantur illi qui adhuc sunt participes passionum Christi.

Alio modo, potest significari fruitio beata \*, quae etiam in hoc sacramento praefiguratur. Et ideo illi quorum corpora iam sunt in plena beatitudine, significantur per partem in calicem missam.

Et est notandum quod pars in calicem missa non debet populo dari in supplementum communionis: quia *panem intinctum* non porrexit Christus nisi Iudae proditori \*.

AD DECIMUM DICENDUM quod vinum, ratione suae humiditatis, est ablutivum. Et ideo sumitur post perceptionem huius sacramenti, ad abluendum os, ne aliquae reliquiae remaneant: quod pertinet ad reverentiam sacramenti. Unde Extra, de *Celebrat. Miss.*, cap. *Ex parte* \*: *Sacerdos vino os perfundere debet postquam totum percepit sacramentum: nisi cum eodem die missam aliam debuerit celebrare, ne, si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret.* — Et eadem ratione perfundit vino digitos quibus corpus Christi tetigerat.

AD UNDECIMUM DICENDUM quod veritas quantum ad aliquid debet respondere figurae: quia scilicet non debet pars hostiae consecratae de qua sacerdos et ministri, vel etiam populus communicat, in crastinum reservari. Unde, ut habetur de *Consecr.* dist. II \*, Clemens Papa statuit: *Tanta holocausta in altario offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore et tremore clericorum diligentia consumantur.*

Quia tamen hoc sacramentum quotidie sumendum est, non autem agnus paschalis quotidie sumebatur; ideo oportet alias hostias consecratas pro infirmis conservare. Unde in eadem distinctione \* legitur: *Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam: ut, quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.*

AD DUODECIMUM DICENDUM quod in solemnibus celebratione missae plures debent adesse. Unde Soter Papa dicit, ut habetur de *Consecr.*, dist. I \*: *Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solemnibus celebrare praesumat, nisi, duobus praesentibus sibi respondeantibus, ipse tertius habeatur: quia, cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, et illud in secretis, Orate pro me, apertissime convenit ut ipsi τ respondeatur salutationi.* Unde et, ad maiorem solemnitatem, ibidem \* statutum legitur quod episcopus cum pluribus missarum solemnibus peragat.

In missis tamen privatis sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius populi Catholici, ex cuius persona sacerdoti pluraliter respondet.

\* Qu. LV, art. 3, arg. 3.

\* Luc. cap. XXIV, vers. 36; Ioan. cap. XX, vers. 19, 21, 26. ‡

\* § 13.

\* Can. Triforme est. — Cf. Friedberg, *ibid.*, not. 251.

o

π

ρ

σ

\* Autissiodorens. *Summ.* lib. IV, de *Euchar.*, cap. de *Fractioform.*, qu. 3.

\* Matth. cap. XXVI, vers. 29, 42; Marc. cap. XIV, vers. 36; Luc. cap. XXII, vers. 42; Ioan. cap. XVIII, vers. 11.

‡) praecipue. — Om. FGH, ante *repraesentat* ponunt Pc.  
o) sunt. — iam sunt tertia.  
π) uniuntur. — utuntur PlsG; Alias uniuntur margo P. — Pro atteritur, conteritur editiones et a.  
ρ) est corpus Christi. — est corpus I, corpus P; remanens om.

tertia; usque in finem saeculi ut nos post quia tertia, ante et post F, ante ceteri; pro sanctorum, mortuorum sanctorum GHbc.  
σ) missae. — propter periculum addunt PlsG et c.  
τ) ipsi. — ipsius PFlc, ad ipsam (respondeatur salutationem) b.

\* Ps. XXII, vers. 5.

\* Ioan. cap. XIII, vers. 26.

\* Ex parte vestra.

\* Can. Tribus gradibus. — Cf. Friedberg, *ibid.*, not. 257.

\* Can. Presbyter.

\* Can. Hoc quoque.

\* Can. Episcopus Deo.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM POSSIT SUFFICIENTER OCCURRI DEFECTIBUS QUI CIRCA CELEBRATIONEM  
HUIUS SACRAMENTI OCCURRUNT, STATUTA ECCLESIAE OBSERVANDO

IV Sent., dist. xi, Expos. litt.; dist. xiii, Expos. litt.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non possit sufficienter occurri defectibus qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt, statuta Ecclesiae observando. Contingit enim quandoque quod sacerdos, ante consecrationem vel post, moritur vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate praepeditur <sup>α</sup> ne sacramentum sumere possit et missam perficere. Ergo videtur quod non possit impleri statutum Ecclesiae quo praecipitur quod sacerdos consecrans suo sacrificio communicet\*.

\* Cf. qu. LXXX, art. 12.

2. PRAETEREA, contingit quandoque quod sacerdos, ante consecrationem vel post, recolit se aliquid comedisse vel bibisse, vel alicui mortali peccato subiacere, vel etiam excommunicationi, cuius prius memoriam non habebat. Necesse est ergo quod ille qui est in tali articulo constitutus, peccet mortaliter contra statutum Ecclesiae faciens <sup>β</sup>, sive sumat sive non sumat.

3. PRAETEREA, contingit quandoque quod in calicem <sup>γ</sup> musca aut aranea vel aliquod animal venenosum cadit post consecrationem; vel etiam cognoscit sacerdos calici venenum esse immissum ab aliquo malevolo causa occidendi ipsum. In quo casu, si sumat, videtur peccare mortaliter, se occidendo vel Deum tentando. Similiter, si non sumat, peccat, contra statutum Ecclesiae faciens. Ergo videtur esse perplexus et subiectus necessitati peccandi. Quod est inconveniens.

4. PRAETEREA, contingit <sup>δ</sup> quod per negligentiam ministri aut aqua non ponitur in calice, aut etiam nec vinum, et hoc sacerdos advertit. Ergo in hoc etiam casu videtur esse perplexus: sive sumat corpus sine sanguine, quasi imperfectum faciens sacrificium <sup>ε</sup>; sive non sumens nec corpus nec sanguinem.

5. PRAETEREA, contingit <sup>ζ</sup> quod sacerdos non recolit se dixisse verba consecrationis, vel etiam alia quae in consecratione huius sacramenti dicuntur. Videtur ergo peccare in hoc casu, sive reiteret verba super eandem materiam, quae forte iam dixerat; sive utatur pane et vino non consecratis.

6. PRAETEREA, contingit quandoque, propter frigus, quod sacerdoti dilabitur hostia in calicem, sive ante fractionem sive post. In hoc ergo casu non poterit sacerdos implere ritum ecclesiae vel

de ipsa fractione, vel etiam de hoc quod sola tertia pars mittatur in calicem.

7. PRAETEREA, contingit quandoque quod per negligentiam sacerdotis sanguis Christi effunditur; vel etiam quod sacerdos sacramentum sumptum vomit; aut quod etiam hostiae consecratae tandiu conserventur quod putrefiant; vel etiam quod a muribus corrodantur; vel etiam qualitercumque perdantur. In quibus casibus non videtur posse huic sacramento debita reverentia exhiberi secundum Ecclesiae statuta. Non videtur ergo quod his defectibus seu periculis occurri possit, salvis Ecclesiae statutis.

SED CONTRA EST quod, sicut Deus, sic Ecclesia non praecipit aliquid impossibile\*.

RESPONDEO DICENDUM quod periculis seu defectibus circa hoc sacramentum eventibus dupliciter potest occurri. Uno modo, praeveniendo: ne scilicet periculum accidat. Alio modo, subsequendo: ut scilicet id quod accidit emendetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per poenitentiam eius qui negligenter egit circa hoc sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, si sacerdos morte aut infirmitate gravi occupetur ante consecrationem corporis et sanguinis Domini, non oportet ut per alium suppleatur.

Si vero post inceptam consecrationem hoc acciderit, puta consecrato corpore ante consecrationem sanguinis, vel etiam consecrato utroque, debet missae celebritas per alium expleri. Unde, ut habetur in Decretis, VII, qu. 1, cap. *Nihil*\*, in Toletano Concilio\* legitur: *Censuimus convenire ut, cum a sacerdotibus missarum tempore sacra mysteria consecrantur <sup>η</sup>, si aegritudinis accidit cuiuslibet eventus quo coeptum nequeat expleri mysterium, sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exequi incepti officii. Non enim aliud competit ad supplementum initiatis mysteriis <sup>θ</sup> quam aut incipientis aut subsequentis benedictione sint completa sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt nisi perfecto ordine completantur. Cum enim omnes simus unum in Christo, nihil contrarium diversitas personarum format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repraesentat. Nec tamen quod naturae languoris causa consulitur, in praesumptionis perniciem convertatur.*

\* Cf. Explanat. Symb. ad Damas. (Ep. XVI inter Opp. Hieron.); De Regulis Iuris, reg. vi, in Sexto.

\* Nihil contra ordinis. \* VII, can. II.

α) praepeditur. — impeditur DI et editiones.

β) faciens. — D et tertia; om.

γ) in calicem musca... cadit. — Tertia praeter I; musca... cadit in calicem s. l. post consecrationem musca... cadit in calicem (om. post consecrationem) F, in calicem musca... cadit in calicem ceteri.

δ) contingit. — quandoque addunt F et tertia.

ε) sacrificium. — sacramentum P; Alias sacrificium margo P. — Pro sumens, sumat FG et editiones.

ζ) contingit. — quandoque addunt F et tertia. — Pro in consecratione, in consuetudine F, etiam (om. Plc) in celebratione tertia.

η) ut, cum... consecrantur. — P; ut cum... consecrantur IsG et c, ut... consecrantur ceteri. — alteri PlsG; alterius.

θ) mysteriis. — Tertia; scilicet mysteriis. — Pro quam aut... sint completa, quam ut aut... sint completa P, quam aut... completa ceteri. — possunt F et tertia; possint.

ι) Nec. — Ne I et editiones. — naturae PGI; ñre (idest nostrae) F, vere ceteri.

\* Nullus, absque patenti proventu \* molestiae, minister vel sacerdos, cum coeperit, imperfecta officia praesumat omnino relinquere. Si quis hoc temerarie praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud quod habet minus de periculo. Maxime autem periculosum circa hoc sacramentum est quod est contra perfectionem ipsius sacramenti: quia hoc est immane sacrilegium. Minus autem est illud quod pertinet ad qualitatem sumentis. Et ideo, si sacerdos, post consecrationem incoeptam, recordetur aliquid comedisse vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium et sumere sacramentum. – Similiter, si recordetur se peccatum aliquod commisisse, debet poenitere cum proposito confitendi et satisfaciendi: et sic non indigne, sed fructuose sumere sacramentum. – Et eadem ratio est si se meminerit excommunicationi cuiusque subiacere. Debet enim assumere propositum <sup>λ</sup> absolutionem petendi: et sic per invisibilem Pontificem, Iesum Christum, absolutionem consequitur quantum ad hunc actum, quod peragat divina mysteria.

Si vero ante consecrationem alicuius praedictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis et excommunicationis, quod missam incoeptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.

AD TERTIUM DICENDUM quod, si musca vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit esse immissum, debet effundi, et, abluto calice, denuo aliud vinum poni consecrandum. – Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi, et diligenter lavari, et comburi, et ablutio, simul <sup>μ</sup> cum cineribus, in sacrarium mitti.

Si vero venenum ibi adesse deprehenderit immissum, nullo modo debet sumere nec alii dare, ne calix vitae vertatur in mortem: sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conservari. Et, ne sacramentum remaneat imperfectum, debet vinum <sup>ν</sup> apponere in calice, et denuo resumere a consecratione sanguinis, et sacrificium perficere.

AD QUARTUM DICENDUM quod, si sacerdos, ante consecrationem sanguinis et post consecrationem corporis, percipiat aut vinum aut aquam non esse in calice, debet statim apponere et consecrare. – Si vero hoc <sup>ξ</sup> post consecrationis verba perceperit, quod aqua desit, debet nihilominus procedere: quia appositio aquae, ut supra \* dictum est, non est de necessitate sacramenti. Debet tamen puniri ille ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam consecrato misceri: quia sequeretur corru-

ptio sacramenti pro aliqua parte, ut supra \* dictum est. <sup>8</sup> \* Qu. LXXVII, art.

Si vero percipiat post verba consecrationis quod vinum non fuerit positum in calice, si quidem hoc percipiat ante sumptionem corporis, debet, deposita aqua si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, et resumere a verbis consecrationis sanguinis. – Si vero hoc perceperit post sumptionem corporis, debet apponere aliam hostiam iterum simul consecrandam cum sanguine. Quod ideo dico quia, si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi: et, sicut dicitur in praedicto \* capitulo Toletani Concilii, *perfecta videri non possunt sacrificia nisi perfecto ordine compleantur*. Si vero inciperet a consecratione sanguinis et repeteret omnia verba consequentia, non competerent <sup>o</sup> nisi adesset hostia consecrata: cum in verbis illis occurrant quaedam dicenda et fienda non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Et debet in fine sumere hostiam iterum <sup>π</sup> consecratam et sanguinem, non obstante etiam si prius sumpserit aquam quae erat in calice: quia praecipuum de perfectione sacramenti maioris est ponderis quam praecipuum quod hoc sacramentum a ieiunis sumatur, ut supra \* dictum est. <sup>9</sup> \* Resp. ad 2.

AD QUINTUM DICENDUM quod, licet sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum quae dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari. Non enim qui multa dicit, recolat omnium quae dixit: nisi forte in dicendo aliquid apprehenderit sub ratione iam dicti; sic enim aliquid efficitur memorabile <sup>p</sup>. Unde, si aliquis attente cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum recolat postea se dixisse. Sic enim fit aliquid obiectum memoria, in quantum accipitur sub ratione praeteriti: sicut dicitur in libro *de Memoria* \*.

Si tamen sacerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse, si quidem non sunt de necessitate sacramenti, non aestimo quod propter hoc debeat resumere immutando ordinem sacrificii, sed debet ulterius procedere. – Si vero certificetur se omisisse aliquid eorum quae sunt de necessitate sacramenti, scilicet formam <sup>σ</sup> consecrationis, cum forma sit de necessitate sacramenti sicut et materia, idem videtur faciendum quod dictum est \* in defectu materiae: ut scilicet resumatur a forma consecrationis, et cetera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo sacrificii. <sup>10</sup> \* Resp. ad 4.

AD SEXTUM DICENDUM quod fractio hostiae consecratae, et quod pars una sola mittatur in calicem, respicit corpus mysticum: sicut et admixtio aquae significat populum \*. Et ideo horum praetermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius sacramenti. <sup>11</sup> \* Qu. LXXIV, art. 6.

\* Qu. LXXIV, art. 7.

x) patenti proventu. – praeventu patenti P.  
λ) propositum. – humiliter addunt F et tertia. – Pro consequitur, consequetur editiones.  
μ) simul. – Om. Pc.  
ν) vinum. – aliud vinum tertia.  
ξ) hoc. – Om. Pc.

o) competerent. – competeret Pl.  
π) iterum. – Ante sumere ponit P.  
p) memorabile. – PHc; memoriale Fla, memoriabile Gb, memo<sup>le</sup> ceteri.  
σ) formam. – formas tertia; consecrationis post sequens sacramenti ponunt GHb, utroque loco c, ante et post cum forma P.

\* Can. *Si per negligentiam.*  
\*\* Primi.

AD SEPTIMUM DICENDUM quod, sicut legitur de Consecr., dist. II \*, ex Decreto Pii Papae \*\*: *Si per negligentiam aliquid stillaverit de sanguine in tabula quae terrae adhaeret, lingua lambetur et tabula radetur. Si vero non fuerit tabula, terra radetur, et igni comburetur, et cinis intra altare condetur. Et sacerdos quadraginta dies poeniteat. — Si autem super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam. Et tribus diebus poeniteat. — Si super linteam altaris, et ad aliud stilla pervenerit, quatuor τ diebus poeniteat. Si usque ad tertium, novem diebus poeniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus poeniteat. Et linteamina quae stilla tetigit, tribus vicibus lavet minister, calice subtus posito, et aqua ablutionis sumatur et iuxta altare recondatur.* Posset etiam sumi in potu a ministro, nisi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem ulterius partem illam liteaminum incidunt et comburunt, et cinerem in altario vel sacrario reponunt.

\* Can. *Si quis per ebrietatem.*  
\*\* Al. lib. de Remediis Peccat., cap. de Ebrietate. — Inter dubia Bedae.

Subditur autem ibidem \*, ex Poenitentiali \*\* Bedae Presbyteri: *Si quis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, quadraginta diebus poeniteat υ; clerici vel monachi, seu diaconi*

τ) quatuor. — decem editiones.  
υ) poeniteat. — si laicus est addit P. — sexaginta D; septuaginta P, quadraginta ceteri (sed a om. clerici... diebus).  
φ) Aurelianensi. — Arelatensi P. Pro sacrificium, sacramentum

*vel presbyteri, sexaginta diebus; episcopus nonaginta. Si autem infirmitatis causa evomuerit, septem diebus poeniteat,*

Et in eadem distinctione \* legitur, ex Concilio Aurelianensi φ: *Qui non bene custodierit sacrificium, et mus vel aliquod aliud animal in ecclesia comederit, quadraginta diebus poeniteat. — Qui autem perdiderit illud in ecclesia, aut pars eius ceciderit et non inventa fuerit, triginta diebus poeniteat. — Et eadem poenitentia videtur dignus sacerdos per cuius negligentiam hostiae consecratae putrefiunt.*

\* Can. *Qui bene.*  
— Cf. Friedberg. *ibid.*, not. 1478.  
φ

Praedictis autem diebus debet poenitens ieiunare et a communione cessare. Pensatis tamen conditionibus negotii et personae, potest minui vel addi ad poenitentiam praedictam.

Hoc tamen observandum est, quod, ubicumque species integrae inveniuntur, sunt reverenter observandae χ, vel etiam sumendae: quia, manentibus speciebus, manet ibi corpus Christi, ut supra \* dictum est. Ea vero in quibus inveniuntur, comburenda sunt si commode fieri potest, cinere in sacrario recondito: sicut de rasura tabulae dictum est.

χ

\* Qu. LXXVI, art. 6, ad 3; qu. LXXVII, art. 4, 5.

editiones, om. E; *alias sacrificium* margo P. Pro *in ecclesia, illud* P et recenti manu super ras. B.  
χ) *observandae. — conservandae* Pl.





## QUAESTIO OCTOGESIMAQUARTA

### DE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST SACRAMENTUM

IN DECEM ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXVI, Introd.  
 \* Qu. LXXXVI.  
 \*\* Qu. XC.  
 \* Supplement., qu. XVI.  
 α  
 \* Ibid., qu. XVII.  
 β  
 \* Ibid., qu. XXVIII.  
 \* Qu. LXXXV.

CONSEQUENTER considerandum est de sacramento poenitentiae\*. Circa quod primo considerandum est de ipsa poenitentia; secundo, de effectu ipsius\*; tertio, de partibus eius\*\*; quarto, de suscipientibus hoc sacramentum\*; quinto, de potestate ministrorum α\*; sexto, de solemniori ritu β huius sacramenti\*. Circa primum duo sunt consideranda: primo, de poenitentia secundum quod est sacramentum; secundo, de poenitentia secundum quod est virtus\*. Circa primum quaeruntur decem.

Primo: utrum poenitentia sit sacramentum.  
 Secundo: de propria materia eius.  
 Tertio: de forma ipsius.  
 Quarto: utrum impositio manus requiratur ad hoc sacramentum.  
 Quinto: utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis.  
 Sexto: de ordine eius ad alia sacramenta.  
 Septimo: de institutione eius.  
 Octavo: de duratione ipsius.  
 Nono: de continuitate eius.  
 Decimo: utrum possit iterari.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM POENITENTIA SIT SACRAMENTUM

Supra, qu. LXV, art. 1; IV Sent., dist. XIV, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; dist. XXII, qu. II, art. 1.

\*Vide Comment. Caiet. post art. 2.

\* Isidor. Etymol. lib. VI, cap. XIX.  
 \* Can. Multi sacramentalium.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR\*. Videtur quod poenitentia non sit sacramentum. Gregorius\* enim dicit, et habetur in Decretis, I, qu. I\*: *Sacramenta sunt baptisma, chrisma, corpus et sanguis Christi: quae ob id sacramenta dicuntur quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius operatur salutem*. Sed hoc non contingit in poenitentia: quia non adhibentur aliquae res corporales sub quibus divina virtus operetur salutem. Ergo poenitentia non est sacramentum.

\* Vers. 1.

2. PRAETEREA, sacramenta Ecclesiae a ministris Christi exhibentur: secundum illud I Cor. IV\*: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*. Sed poenitentia non exhibetur a ministris Christi, sed interius a Deo hominibus inspiratur: secundum illud Ierem. XXXI\*: *Postquam convertisti me, egi poenitentiam*. Ergo videtur quod poenitentia non sit sacramentum.

\* Vers. 19.

\* Qu. LXVI sqq.

3. PRAETEREA, in sacramentis de quibus supra\* diximus, est aliquid quod est *sacramentum tantum*, aliquid quod est *res et sacramentum*, aliquid vero quod est *res tantum*: ut ex praemissis\* patet. Sed hoc non invenitur in poenitentia. Ergo poenitentia non est sacramentum.

\* Qu. LXVI, art. 1; qu. LXXXIII, art. 1, ad 3.

\* Vers. 22.

SED CONTRA EST QUOD, sicut baptismus adhibetur ad purificandum a peccato, ita et poenitentia: unde et Petrus dixit Simoni, Act. VIII\*: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua*. Sed bapti-

smus est sacramentum, ut supra\* dictum est. Ergo pari ratione et poenitentia. \* Qu. LXV, art. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Gregorius\* dicit, in capite supra\* dicto, *sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit ut aliquid significative accipiamus quod sancte accipiendum est*. Manifestum est autem quod in poenitentia ita res gesta fit quod aliquid sanctum significatur, tam ex parte peccatoris poenitentis, quam ex parte sacerdotis absolventis: nam peccator poenitens per ea quae agit γ et dicit, significat cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos per ea quae agit et dicit circa poenitentem, significat opus Dei remittentis peccatum. Unde manifestum est quod poenitentia quae in Ecclesia agitur, est sacramentum. \* Isidorus. \* Arg. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod nomine corporalium rerum intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc sacramento sicut aqua in baptismo vel chrisma in confirmatione. Est autem attendendum quod in illis sacramentis in quibus confertur excellens gratia, quae superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius; sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad poenam; et in confirmatione, ubi datur Spiritus Sancti plenitudo; et in extrema unctione, ubi confertur perfecta sanitas δ spiritualis; quae provenit ex virtute Christi quasi ex quodam ex-

α) ministrorum. — quae ad claves pertinet addit tertia.

β) solemniori ritu. — solemnitate P.

γ) agit. — facit tertia. — et dicit FsB et tertia; et dicit circa poe-

nitentem ACDEpB, et dicit se poenitere ed. a. — Pro significat, ostendit tertia.

δ) sanitas. — Tertia et a; sanctitas. — Pro provenit, proveniunt tertia.

trinseco principio. Unde si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia materiae <sup>e</sup> sacramentorum, sed dispositive se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles <sup>ζ</sup> sunt loco materiae: ut accidit in poenitentia et matrimonio. Sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exterius adhibitae, sicut emplastra et electuaria; quaedam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quaedam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in sacramentis quae habent corporalem materiam, oportet quod illa materia adhibeatur a ministro Ecclesiae, qui gerit personam Christi, in signum quod excellentia virtutis in sacramento operantis est a Christo.

In sacramento autem poenitentiae, sicut dictum est <sup>\*</sup>, sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inspiratione interna. Unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante: sed complementum sacramenti exhibet minister, dum poenitentem absolvit.

AD TERTIUM DICENDUM quod etiam in poenitentia est aliquid quod est sacramentum tantum, scilicet actus exercitus <sup>η</sup> tam per peccatorem poenitentem, quam etiam per sacerdotem absolventem. Res autem et sacramentum est poenitentia interior peccatoris. Res autem tantum et non sacramentum est remissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem et secundum sunt <sup>θ</sup> causa tertii.

\* Resp. ad 1.

η

θ

<sup>e</sup>) materiae. — Om. tertia (1 om. sunt in talibus... ipsi actus humani).  
<sup>ζ</sup>) sensibiles. — Om. P; Alias actus humani sensibiles margo P.

<sup>η</sup>) exercitus. — exterius exercitus tertia. — tam per peccatorem F et tertia; per peccatorem tam.  
<sup>θ</sup>) sunt. — quodammodo addit tertia. Cf. art. 3. z.

## ARTICULUS SECUNDUS

### UTRUM PECCATA SINT PROPRIA MATERIA HUIUS SACRAMENTI

Infra, qu. xc, art. 1, ad 3.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccata non sint propria materia huius sacramenti. Materia enim in aliis sacramentis per aliqua verba <sup>α</sup> sanctificatur, et sanctificata effectum sacramenti operatur. Peccata autem non possunt sanctificari: eo quod contrariantur effectui sacramenti, qui est gratia remittens peccata. Ergo peccata non sunt materia propria huius sacramenti.

2. PRAETEREA, Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* <sup>\*</sup>: *Nullus potest inchoare novam vitam nisi eum veteris vitae poeniteat*. Sed ad vetustatem vitae pertinent non solum peccata, sed etiam poenitates praesentis vitae. Non ergo peccata sunt propria materia poenitentiae.

3. PRAETEREA, peccatorum quoddam est originale, quoddam mortale, quoddam veniale. Sed poenitentiae sacramentum non ordinatur contra originale peccatum, quod tollitur per baptismum; neque <sup>β</sup> etiam contra veniale, quod tollitur per tunctionem pectoris, et aquam benedictam, et alia huiusmodi. Ergo peccata non sunt propria materia poenitentiae.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, II *Cor.* XII <sup>\*</sup>: *Non egerunt poenitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia quam gesserunt*.

RESPONDEO DICENDUM quod duplex est materia, scilicet proxima et remota: sicut statuae proxima <sup>γ</sup> materia est metallum, remota vero aqua. Dictum est <sup>\*</sup> autem quod proxima materia huius sacramenti sunt actus poenitentis: cuius materia sunt peccata, de quibus dolet, et quae confite-

tur, et pro quibus satisfacit. Unde relinquitur quod remota materia poenitentiae sunt peccata, non attentanda <sup>δ</sup>, sed detestanda et destruenda.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa procedit de proxima materia sacramenti.

AD SECUNDUM DICENDUM quod vetus et mortalis vita est obiectum poenitentiae, non ratione poenae, sed ratione culpae annexae.

AD TERTIUM DICENDUM quod poenitentia quodammodo est de quolibet peccatorum genere, non tamen eodem modo. Nam de peccato actuali mortali est poenitentia proprie et principaliter: proprie quidem, quia proprie dicimur poenitere de his quae nostra voluntate commisimus; principaliter autem, quia ad deletionem peccati mortalis hoc sacramentum est institutum <sup>ε</sup>. — De peccatis autem venialibus est quaedam <sup>ζ</sup> poenitentia proprie, inquantum sunt nostra voluntate facta: non tamen contra haec principaliter est hoc sacramentum institutum. — De peccato vero originali poenitentia nec principaliter est, quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum, sed magis baptismus: nec etiam proprie, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum; nisi forte inquantum voluntas Adae reputatur nostra, secundum modum loquendi quo Apostolus dicit, *Rom.* v <sup>\*</sup>, *In quo omnes peccaverunt* <sup>η</sup>. Inquantum tamen accipitur poenitentia large pro quacumque detestatione rei praeteritae, potest dici poenitentia de peccato originali: sicut loquitur Augustinus in libro *de Poenitentia* <sup>\*</sup>.

δ

ε

ζ

\* Vers. 12.

η

\* Serm. cit. in arg. 2.

\* Serm. CCCLI, alias ult. inter Quinquag. homil., cap. II.

\* Vers. 21.

\* Art. praeced., ad 1, 2.

<sup>α</sup>) verba. — prolata addunt FI et editiones.  
<sup>β</sup>) neque. — contra peccatum mortale quod tollitur per confessionem peccatoris nec addit P.  
<sup>γ</sup>) proxima. — Ed. a et tertia praeter I; propria. — Pro aqua, alia I.

<sup>δ</sup>) attentanda. — acceptanda BDEF et tertia, attestanda ed. a. Pro sed, et B.  
<sup>ε</sup>) institutum. — principaliter institutum tertia.  
<sup>ζ</sup>) quaedam. — quidem tertia. — Pro proprie, propria F.  
<sup>η</sup>) peccaverunt. — P; peccamus B, peccavimus ceteri.

## Commentaria Cardinalis Caietani

\* Cf. num. II, IV.

\* Cap. *Sunt autem*.  
\* Conc. Florent.,  
in *Decret. pro Armen.*

\* Cf. art. 1, ad 3.

\* Cf. Hal. *Sum. Theol.* p. IV, qu. v, m. 3, art. 5, § 1; m. 4, art. 1; Durand. *IV Sent.*, dist. 1, qu. IV; Scot. *ibid.*, qu. v.

\* Qu. LXIII, art. 4, Comment. num. II, III.

\* Aug. *Serm. ad Popul.* CLXIX, al. *de Verb. Dom.* XV, cap. XI.  
\* I<sup>o</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CXII, art. 2; qu. CXIII, art. 3.

IN primis duobus articulis tria dicenda occurrunt \*. Primum, de materia sacramenti poenitentiae, ex qua cum forma constituitur sacramentum: an scilicet hoc sacramentum habeat materiam ex qua constituitur. Et movetur hoc dubium propter Scotum, in Quarto, dist. XVI, qu. I, dicentem huius sacramenti nullam partem esse actum poenitentis, sed sacramentum hoc essentialiter consistere in absolutione; ita quod secundum eum sacramentum poenitentiae non constituitur ex materia et forma; contra communem doctrinam, in I distinctione \* IV *Sent.*; immo contra doctrinam sacri Concilii sub Eugenio IV \*, ubi dicitur quod *omnia sacramenta constant ex rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma*, et specialiter de Sacramento poenitentiae dicitur, *cuius quasi materia sunt actus poenitentis*.

Nec ratio Scoti valet, scilicet, quia nullus actus poenitentis est aliquid sententiae sacerdotis: quoniam supponit haec ratio sacramentum hoc consistere essentialiter in sola absolutione.

Quocirca, sequendo et communem et sacri Concilii doctrinam, dicendum est sacramentum poenitentiae constare ex verbis absolutionis ut forma, et actu seu actibus poenitentis ut materia proxima. Nec alia quaerenda est de hoc ratio nisi auctoritas utraque iam adducta, et consonantia: quia scilicet consonant conditiones sacramenti huic toti constituto ex actu poenitentis et absolutione, et in significando, et in causando, et in passiva institutione divina.

II. Secundum est circa rem huius sacramenti, quae scilicet est et res et sacramentum \*: an scilicet sit interior poenitentia, an *ornatus* aliquis \*. Et quoniam magna videtur altercatio de ornatu; nec intentionis meae est scribere ad contradicendum aliis: dimissa unicuique probabilitate suae opinionis, dicam quid secundum Auctorem et rationem rectam videtur sentiendum.

De sacramentis nil aliud sentiendum est nisi quod accepimus. Ex acceptis autem, tam ex parte causalitatis attributae sacramento, quam ex parte rei et sacramenti, quam etiam ex parte subiecti disponendi ad gratiam, ultimum sacramenti effectum, nec necessario nec probabiliter ornatus ponitur.

Nam causalitas sacramenti sufficienter salvatur respectu gratiae, etiam si nihil aliud causaret.

Res vero et sacramentum sufficienter salvatur hic per interiorem poenitentiam.

Dispositio autem ad gratiam, quae tamen tantum ponderatur a ponentibus ornatum, tripliciter monstratur aliena ab ornatu. Primo, ex parte gratiae. Quoniam gratia non est talis forma in anima ut egeat alia forma praedisponente ad ipsam. Fallax siquidem imaginatio est putare quod, sicut lignum, si debet igniri, debet prius calefieri, ut calor disponat ad formam ignis, ita anima, si debet per gratiam fieri deiformis, debet prius ornari. Nullam siquidem talem dispositionem gratia exigit: ut patet in infantibus baptizatis, quibus infunditur gratia absque aliqua alia forma praedisponente. — Nec obstat character. Quoniam, ut ex supra \* dictis patet, character non ponitur ut disponat ad gratiam. Quod eius subiectum, quod est intellectus, testatur: dispositio enim ad gratiam, quae est in essentia animae, non est in intellectu, ut de se patet.

Secundo, ex parte adultorum, quibus tantum confertur sacramentum poenitentiae. Nam in adultis dispositio ad gratiam est proprius actus ipsius adulti: iuxta illud, *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te* \*; et iuxta supra dicta in Secundo Libro \* de iustificatione impii.

Tertio, ex parte poenitentis. Poenitens enim, in quantum poenitens, non disponitur nisi per actus poenitentiae: omnis enim alia dispositio per accidens se haberet ad poenitentem. Et propterea, si ornatus poneretur disponere, non nisi per accidens concurreret ad disponendum poenitentem. Quod autem est per accidens, non est per se tribuendum sacramento poenitentiae.

Commentitius ergo videtur ornatus huiusmodi: sed, ut in littera dicitur \*, interior poenitentia est res et sacramentum.

III. Et si modum quaeris ac sufficientem rationem, distingue trifariam posse inveniri poenitentem. Primo, ut sit ita attritus quod eius attritio, cum sacramento poenitentiae in voto, sufficiat ad remissionem peccatorum: ita quod attritio sua est tanta quod ex sacramento in voto fit contritio, iuxta illud \*, *Dixi, Confitebor: et tu remisisti impietatem peccati mei*. Secundo, quod attritio sit tam modica ut cum sacramento in voto non fiat contritio, sed tamen sit tanta quod cum sacramento in re fiat contritio: plus enim operatur sacramentum in re quam in voto. Tertio, posset esse tam exigua attritio ut nec etiam cum sacramento in re fieret contritio: et talis non susciperet remissionem peccatorum ex sacramento poenitentiae. Ubi apparet nullo esse opus ornatu ad hoc ut ex vi sacramenti attritus fiat contritus.

Modus autem quo hoc fit, est quod Deus utrinque operatur. Concurrit siquidem ex parte poenitentis ad interiorem poenitentiam, inspirando illam, ut in littera \* dicitur, non solum secundum se, sed etiam in ordine ad sacramentum: quod ex eo patet quod ex interiori motu poenitens subiicit se clavibus. Et rursus concurrit Deus ex parte sacramenti, ordinando sacramentales actus exteriores ad interiorem poenitentiam, dum utitur sacramento ipso ad excitandum et perficiendum interiorem actum poenitentis: sic enim excitando et perficiendo facit de attrito contritum, dum, mediante sacramento, utitur etiam interiori actu poenitentis ad remissionem peccatorum; per hoc enim fit interior poenitentis actus res et sacramentum.

Et per hoc apparet quod sacramentum significat et causat interiorem poenitentiam; et interior poenitentia sic causata significat et causat remissionem peccatorum. Sunt enim haec instrumenta subordinata principali agentis, Deo scilicet: sicut baculus quo moveo lapidem, est instrumentum subordinatum alteri instrumento, puta manui, qua moveo baculum, etc.

IV. Tertium est quod Auctor, seipso doctior, cum in IV *Sent.* \* putasset solam formam in sacramento poenitentiae habere causalitatem, sicut in sacramento Eucharistiae; et verificasset quod totum sacramentum, compositum ex materia et forma, causat ratione partis, scilicet formae: hoc in loco altius sentit, ut expressius declarat inferius in articulo ultimo quaestionis octogesimae sextae, scilicet quod totum sacramentum poenitentiae, compositum scilicet ex materia et forma, idest ex actu poenitentis et absolutione (fit enim ex his unum sacramentum), causat remissionem peccatorum ratione utriusque partis, principalius quidem ratione formae, secundario autem ratione materiae, hoc est, actuum poenitentis ut subordinantur clavibus Ecclesiae; hoc est quod actu poenitentis, ex hoc ipso quod pars efficitur sacramenti, utitur Deus ut parte materiali sui instrumenti ad causandam remissionem peccatorum; sicut ex hoc ipso quod aqua assumitur ad baptizandum, utitur illa Deus ut parte materiali sui instrumenti ad regenerandum filios suos.

\* Art. 1, ad 3.

\* Ps. xxxi, vers. 5.

\* Art. 1, ad 2.

\* Dist. xxii, qu. II, art. 1, qu. 2.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM HAEC SIT FORMA HUIUS SACRAMENTI, *EGO TE ABSOLVO*

IV Sent., dist. xxii, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 3; Opusc. De Form. Absolut.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod haec non sit forma huius sacramenti, *Ego te absolvo*. Formae enim sacramentorum ex institutione Christi et usu Ecclesiae habentur. Sed Christus non legitur hanc formam instituisse. Neque etiam in communi usu habetur: quinimmo in quibusdam absolutionibus quae in Ecclesia publice fiunt, sicut in prima et completorio et in Cena Domini, absolvens <sup>α</sup> non utitur oratione indicativa, ut dicat, *Ego vos absolvo*, sed oratione deprecativa, cum dicit, *Misereatur vestri omnipotens Deus*, vel, *Absolutionem <sup>β</sup> tribuat vobis omnipotens Deus*. Ergo haec non est forma huius sacramenti, *Ego te absolvo*.

2. PRAETEREA, Leo Papa \* dicit: *Indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri*. Loquitur autem de indulgentia Dei quae praestatur poenitentibus. Ergo forma huius sacramenti debet esse per modum deprecationis.

3. PRAETEREA, idem est absolvere a peccato quod peccatum remittere. Sed *solus Deus peccatum mittit, qui etiam solus interius a peccato mundat*: ut Augustinus dicit, *super Ioan.* \* Ergo videtur quod solus Deus a peccato absolvat. Non ergo debet dicere sacerdos, *Ego te absolvo*, sicut non dicit, *Ego tibi peccata remitto*.

4. PRAETEREA, sicut Dominus dedit potestatem discipulis absolvendi a peccatis \*, ita etiam dedit eis potestatem curandi infirmitates, scilicet <sup>γ</sup> *ut daemones eicerent et ut languores curarent*, ut habetur Matth. x \* et Luc. ix \*\*. Sed sanando infirmos Apostoli non utebantur his verbis, *Ego te sano*, sed, *Sanet te Dominus Iesus Christus <sup>δ</sup> \**. Ergo videtur quod sacerdotes, habentes potestatem Apostolis a Christo traditam, non debeant uti hac forma verborum, *Ego te absolvo*, sed, *Absolutionem praebet <sup>ε</sup> tibi Christus*.

5. PRAETEREA, quidam hac forma utentes sic eam exponunt: *Ego te absolvo, idest, absolutum ostendo* \*. Sed neque hoc <sup>ζ</sup> sacerdos facere potest, nisi ei divinitus reveletur. Unde, ut legitur Matth. xvi, antequam Petro diceretur \*, *Quodcumque solveris super terram, erit etc.*, dictum est ei \*, *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est*. Ergo videtur quod sacerdos cui non est facta revelatio, praesumptuose dicat, *Ego te absolvo*, etiam si exponatur, *idest, absolutum ostendo*.

SED CONTRA EST quod, sicut Dominus dixit discipulis, Matth. ult. \*, *Euntes, docete omnes gen-*

*tes, baptizantes eos, ita dixit Petro, Matth. xvi \**, *Quodcumque solveris <sup>η</sup>*. Sed sacerdos, auctoritate illorum verborum Christi fretus, dicit, *Ego te baptizo*. Ergo, eadem auctoritate, dicere debet in hoc sacramento, *Ego te absolvo*.

RESPONDEO DICENDUM quod in qualibet re perfectio attribuitur formae. Dictum est autem supra \* quod hoc sacramentum perficitur per ea quae sunt ex parte sacerdotis. Unde oportet quod ea quae sunt ex parte poenitentis, sive sint verba sive facta, sint quaedam materia huius sacramenti: ea vero quae sunt ex parte sacerdotis, se habent <sup>θ</sup> per modum formae. Cum autem sacramenta novae legis *efficiant quod figurant*, ut supra \* dictum est; oportet quod forma sacramenti significet id quod in sacramento agitur, proportionaliter materiae sacramenti. Unde forma baptismi est, *Ego te baptizo*, et forma confirmationis, *Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis*, eo quod huiusmodi sacramenta perficiuntur in usu materiae. In sacramento autem Eucharistiae, quod consistit in ipsa consecratione materiae, exprimitur veritas consecrationis, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*. Hoc autem sacramentum, scilicet poenitentiae, non consistit in consecratione alicuius materiae, nec in usu alicuius materiae <sup>i</sup> sanctificatae: sed magis in remotione cuiusdam materiae, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae, ut ex supra \* dictis patet. Talis autem remotio significatur a sacerdote cum dicitur, *Ego te absolvo*: nam peccata sunt quaedam vincula, secundum illud *Proverb. v \**, *Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur*. Unde patet quod haec est convenientissima forma huius sacramenti, *Ego te absolvo*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ista forma sumitur ex ipsis verbis Christi quibus Petro dixit \*: *Quodcumque solveris super terram, etc.* Et tali forma utitur Ecclesia in sacramentali absolutione. Huiusmodi autem absolutiones in publico factae non sunt sacramentales: sed sunt orationes quaedam ordinatae ad remissionem venialium peccatorum. Unde in sacramentali absolutione non sufficeret dicere, *Misereatur tui omnipotens Deus*, vel, *Absolutionem et remissionem tribuat tibi Deus*: quia per haec verba sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit ut fiat. — Praemittitur tamen etiam in sacramentali absolutione talis oratio, ne impediatur effectus sacramenti ex parte

\* Primus. - Epistola CVIII, aliter LXXXIII, ad Theodor., cap. ii. - Cf. can. *Multiplex, de Poenitent.*, dist. i.

\* Mag. IV Sent., dist. xviii, cap. Nec ideo tamen. - Cf. Aug. Cont. Donatist. lib. V, cap. xxi.

\* Ioan. cap. xx, vers. 23.

\* Vers. 1. \*\* Vers. 1.

\* Act. cap. ix, vers. 34.

\* Cf. Opusc. s. Th. De Form. Absolut., cap. iii; Mag. IV Sent., dist. xviii, cap. Non autem hoc.

\* Vers. 19. \* Vers. 17.

\* Vers. 19.

α) absolvens. - F et tertia; Ecclesia sE, om. ceteri.  
β) Absolutionem. - et remissionem addunt PI.  
γ) scilicet. - et Pc, om. F et cetera tertia. - Pro curarent, sanarent tertia.  
δ) Christus. - sicut Petrus dixit paralytico ut habetur Act. IX addit tertia. - Apostolis tertia; ab Apostolis.

ε) praebet. - tribuat PG.  
ζ) hoc. - etiam ABCD, etiam et ed. a, etiam in E, hoc etiam F et tertia.  
η) solveris. - super terram addit tertia.  
θ) habent. - habeant P.  
i) nec... materiae. - Tertia; om.

\* poenitentis, cuius actus materialiter \* se habent in hoc sacramento, non autem in baptismo vel in confirmatione.

AD SECUNDUM DICENDUM quod verbum Leonis Papae est intelligendum quantum ad deprecationem quae praemittitur absolutioni. Non autem removet quin sacerdotes absolvant.

AD TERTIUM DICENDUM quod solus Deus per auctoritatem et a peccato absolvit et peccata remittit. Sacerdotes autem utrumque faciunt per ministerium \*: in quantum scilicet verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur <sup>λ</sup>, sicut etiam in aliis sacramentis; nam virtus divina est quae interius operatur in omnibus sacramentalibus signis, sive sint res sive sint verba, sicut ex supra \* dictis patet. Unde et Dominus utrumque expressit: nam Matth. xvi \* dixit Petro, *Quodcumque solveris super terram*, etc.; et Ioan. xx \* dixit discipulis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ideo tamen sacerdos potius dicit, *Ego te absolvo*, quam, *Ego tibi peccata remitto*, quia hoc magis congruit verbis quae Dominus dixit virtutem clavium ostendens, per quas sacerdotes absolvent.

Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertineat ad primam auctoritatem Dei, scilicet ut dicatur: *Ego te absolvo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, vel, *per virtutem passionis Christi*, vel, *auctoritate Dei*: sicut Dionysius exponit, xiii cap. *Caelest. Hier.* \* Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquatur arbitrio sacerdotis.

\* § 4. - Cf. *Ecl. Hier.*, cap. vii, § 7.

AD QUARTUM DICENDUM quod Apostolis non est data potestas ut ipsi sanarent infirmos, sed ut

x) materialiter. - quodammodo addunt editiones.

ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter, sive ministerialiter, in sacramentis. Et ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum quam in sanationibus infirmitatum. - In quibus tamen non semper utebantur modo deprecativo, sed quandoque etiam modo indicativo et imperativo: sicut *Act. iii* \* legitur quod Petrus dixit claudo: *Quod habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi, surge et ambula.* \* Vers. 6.

AD QUINTUM DICENDUM quod ista expositio, *Ego te absolvo, idest, absolutum ostendo*, quantum ad aliquid quidem vera est, non tamen est perfecta. Sacramenta enim novae legis non solum significant, sed etiam faciunt quod significant \*. Unde sicut sacerdos, baptizando aliquem, ostendit hominem interius ablutum per verba et facta, non solum significative, sed etiam effective; ita etiam cum dicit, *Ego te absolvo*, ostendit hominem absolutum non solum significative, sed etiam effective. - Nec tamen loquitur quasi de re incerta. Quia sicut alia sacramenta novae legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis, ita etiam est et in hoc sacramento. Unde Augustinus dicit, in libro *de Adult. Coniug.* \*: *Non est turpis nec difficilis post patrata et purgata adulteria reconciliatio coniugii, ubi per claves regni caelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum.* Unde nec sacerdos indiget speciali revelatione sibi facta: sed sufficit generalis revelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Unde revelatio fidei dicitur Petro facta fuisse.

\* Cf. corp. art.

\* Lib. II, cap. ix.

Esset autem perfectior expositio: *Ego te absolvo, idest, Sacramentum absolutionis tibi impendo.*

λ) operantur. - in virtute divina addit tertia.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo tertio eiusdem quaestionis, in responsione ad tertium, circa formam absolutionis, advertit quod, licet forma absolutionis consistat in illis duobus verbis, scilicet, *Absolvo te*, ut in littera dicitur, et habetur ex Concilio Florentino sub Eugenio IV \*; nihilominus, si quis aliis verbis uteretur, puta, *Remitto tibi peccata*, sacramentum esset perfectum.

\* In *Decret. pro Armen.*

Quod et ratione et auctoritate monstratur. Ratione quidem, quia virtus sacramentalis non est a Deo obligata ita his verbis quin sit etiam collata aequipollentibus \*.

\* Cf. qu. lx, art. 7, Comment.

Auctoritas autem sumitur, primo, ex Evangelio. Quia Dominus, instituendo confessores, dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* \*. - Secundo, ex Auctore in hac littera comparante istas duas formas, scilicet per *absolvere* vel *remittere*, quarum utraque ex verbis Domini sumitur, et dicente quod illa quae fit per *absolvere* est magis congrua, quia magis congruit verbis Domini dum de virtute clavium loquebatur. Differentia autem secundum magis vel minus congruum non tollit virtutem sacramenti.

\* Art. 2.

Accedit ad hoc Scotus, in Quarto, dist. xiv, qu. iv \*. Qui tamen forte nimis late locutus est, dicens quod sufficit quod exprimat actus sententiae absolventis.

II. In responsione ad quartum, ubi dicitur quod *Apostolis non est data potestas ut sanarent infirmos*, etc., intellige *regulariter*. Non enim est concessum Apostolis ut regulariter sanarent ex potestate infirmos: quamvis hoc

fuerit eis quandoque concessum. Et hoc sufficit ad differentiam in littera intentam inter potestatem sacramentalem et potestatem faciendi miracula: quia potestate sacramentali ordinario possumus remittere peccata; potestate autem miracula faciendi non poterant ordinario sanare infirmos auctoritative, sed deprecativo.

III. In responsione ad quintum, circa ultimam expositionem, ubi dicitur, *Ego te absolvo, idest, Sacramentum absolutionis tibi impendo*, advertit quod huiusmodi expositio, ex forma verborum, non importat formam absolutionis in actu exercito, sicut significat illam haec enuntiatio, *Ego absolvo te*. Hac enim sacerdos ipse exercet ipsam absolutionem, faciendo quod significat: sacramentum enim efficit quod significat. Dicendo autem, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, non significat se absolutionis actum exercere: sicut, si diceretur, *Ego baptismi sacramentum tibi impendo*, non significaretur, ex forma verborum, quod ego exercerem actum baptizandi. Sed utrobique significatur actus ut materia sacramenti impensi, seu actus impendendi.

Si autem considerentur dicta verba secundum sensum, sic conveniens ac perfecta invenitur expositio: quoniam aequipollet huic, *Sacramentaliter absolvo te*. Idem est enim impendere sacramentum absolutionis, et sacramentaliter absolvere. Et per hanc expositionem excluditur ex parte ministri praesumptio seu usurpatio divinae potestatis; et ex parte effectus ambiguitas. Nam ly *sacramentaliter*

distinguit a duobus, scilicet a *principaliter* et a *pure spiritualiter*: solus enim Deus est qui principaliter absolvit a peccatis; et similiter solus Deus pure spiritualiter absolvit a peccatis; sacramento vero homo absolvit instrumentaliter et signo sensibili, ut patet. Et hinc fit ut effectus sacramenti, scilicet absolutio interior a peccatis, qui ex parte sacramenti est certissimus, non significetur in ambiguo, etiam si ex parte poenitentis male dispositi impediatur: quoniam non significatur absolutio ut recipitur interius in poenitente, sed ut exit exterius a

ministro sacramenti; ex qua parte constat absolutionem esse certissimam.

Et si novitius hoc non penetrat, fingat Deum dicere Petro, *Absolve te*, et confessorem dicere Ioanni, *Absolve te*, et videat differentiam: quod absolutio Petri est utrinque certa, quia Deus non diceret, *Absolve te*, nisi etiam vere intus absolveretur; absolutio vero Ioannis est et significatur certa ex parte confessoris tantum, quia sacramentum absolutionis impendit, quia sacramentaliter absolvit; et intus potest impedimentum invenire ex fictione poenitentis.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM IMPOSITIO MANUUM SACERDOTIS REQUIRATUR AD HOC SACRAMENTUM

Opusc. De Form. Absolut., cap. iv.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum. Dicitur enim Marc. ult. \*: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Aegri autem spiritualiter sunt peccatores, qui recipiunt bonam habitudinem per hoc sacramentum. Ergo in hoc sacramento est manus impositio facienda.

\* Vers. 18.

2. PRAETEREA, in sacramento poenitentiae recuperat homo Spiritum Sanctum amissum: unde ex persona poenitentis dicitur in Psalmo \*: *Redde mihi laetitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me.* Sed Spiritus Sanctus datur per impositionem manuum: legitur enim Act. viii \*: *quod Apostoli imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum;* et Matth. xix \*: *dicitur quod oblatis sunt Domino parvuli ut eis manus imponeret.* Ergo in hoc sacramento est manus impositio facienda.

\* Ps. L, vers. 14.

\* Vers. 17.

\* Vers. 13.

3. PRAETEREA, verba sacerdotis in hoc sacramento non sunt maioris efficaciae quam in aliis sacramentis. Sed in aliis sacramentis non <sup>α</sup> sufficiunt verba ministri, nisi aliquem actum exerceret: sicut in baptismo, simul cum hoc quod dicit sacerdos, *Ego te baptizo*, requiritur corporalis ablutio. Ergo etiam, simul cum hoc quod dicit sacerdos, *Ego te absolvo*, oportet quod aliquem actum exercent circa poenitentem, imponendo ei manus.

\* Matth. cap. xvi, vers. 19.

β

\* Ioan. cap. xx, vers. 23.

SED CONTRA EST quod Dominus dixit Petro \*, *Quodcumque solveris super terram, erit etc.*, nullam mentionem de manus impositione faciens β. Neque etiam cum omnibus Apostolis simul dixit \*: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Non ergo ad hoc sacramentum requiritur impositio manuum.

RESPONDEO DICENDUM quod impositio manuum in sacramentis Ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum effectum gratiae, quo illi quibus manus imponitur, quodammodo continuantur

per quandam similitudinem ministris, in quibus copia γ esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti; et in sacramento ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis ministeriis δ; unde et II Tim. i \*: *Resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum.* Sacramentum autem poenitentiae non ordinatur ad consequendum aliquam excellentiam gratiae, sed ad remissionem ε peccatorum. Et ideo ad hoc sacramentum non requiritur impositio: sicut etiam nec ad baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum.

γ

\* Vers. 6.

ε

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa manus impositio non est sacramentalis, sed ordinatur ad miracula facienda: ut scilicet per contactum manus hominis sanctificati etiam corporalis infirmitas tollatur. Sicut etiam legitur de Domino, Marci vi \*, *quod infirmos impositis manibus curavit;* et Matth. viii \*: *legitur quod per contactum leprosum mundavit.*

\* Vers. 5.

\* Vers. 3.

AD SECUNDUM DICENDUM quod non quaelibet acceptio Spiritus Sancti requirit manus impositionem: quia etiam in baptismo accipit homo Spiritum Sanctum, nec tamen fit ibi manus impositio. Sed acceptio Spiritus Sancti cum plenitudine requirit manus impositionem: quod pertinet ad confirmationem.

AD TERTIUM DICENDUM quod in sacramentis quae perficiuntur in usu materiae, minister habet aliquem corporalem actum exercere circa eum qui suscipit sacramentum: sicut in baptismo et confirmatione et extrema unctione. Sed hoc sacramentum non consistit in usu alicuius materiae exterius appositae, sed loco materiae se habent ea quae sunt ex parte poenitentis. Unde, sicut in Eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materiam ζ perficit sacramentum, ita etiam sola verba sacerdotis absolventis super poeniten-

ζ

α) Sed... non. — PFI; Non autem ed. a, Non enim ceteri. — Pro exerceret, exercent P.  
β) quod Dominus... faciens. — quod Dominus... fecit I, quod cum Dominus... fecit cetera tertia.  
γ) copia. — gratiae addunt F et tertia.

δ) ministeriis. — mysteriis PF.  
ε) remissionem. — remotionem PI. — Pro impositio, impositio manus F, manus impositio IsG, manuum impositio P.  
ζ) materiam. — materia Pc.

tem perficiunt absolutionis sacramentum. Et si aliquis actus corporalis esset ex parte sacerdotis<sup>7)</sup>, non minus competeret cruce-signatio, quae adhibetur in Eucharistia, quam manus impositio, in signum quod per sanguinem crucis Christi remittuntur peccata. Et tamen non est de necessitate sacramenti<sup>8)</sup>, sicut nec de necessitate Eucharistiae.

7) sacerdotis. — necessarius addit P. — Pro cruce-signatio, crucis signatio P.

8) sacramenti. — huius sacramenti P.

## ARTICULUS QUINTUS

## UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT DE NECESSITATE SALUTIS

Supra, qu. LXV, art. 4; IV Sent., dist. XIV, qu. II, art. 5 et Expos. litt.; dist. XVII, qu. III, art. 3, qu. 1; IV Cont. Gent., cap. LXXII.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non sit de necessitate salutis. Quia super illud Psalmi \*, *Qui seminant<sup>α</sup> in lacrimis etc.*, dicit Glossa \*: *Noli esse tristis, si adsit tibi bona voluntas, unde metitur pax.* Sed tristitia est de ratione poenitentiae: secundum illud II Cor. VII \*: *Quae secundum Deum est tristitia, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Ergo bona voluntas, sine poenitentia, sufficit ad salutem.

\* Ps. CXXV, vers. 5.

α Lomb. ex Aug.

\* Vers. 10.

\* Vers. 12.

\* Vers. 27.

2. PRAETEREA, *Proverb. X \** dicitur: *Universa delicta operit caritas;* et infra, *XV \**: *Per misericordiam et fidem purgantur peccata.* Sed hoc sacramentum non est nisi ad purgandum peccata. Ergo, habendo caritatem et fidem et misericordiam, potest quisque salutem consequi, etiam sine poenitentiae sacramento.

3. PRAETEREA, sacramenta Ecclesiae initium habent ab institutione Christi. Sed, sicut legitur Ioan. VIII \*, Christus mulierem adulteram absolvit absque poenitentia. Ergo videtur quod poenitentia non sit de necessitate salutis.

\* Vers. 11.

\* Vers. 5.

SED CONTRA EST QUOD Dominus dicit, *Luc. XIII \**: *Si poenitentiam non egeritis<sup>β</sup>, omnes simul peribitis.*

RESPONDEO DICENDUM quod aliquid est necessarium ad salutem dupliciter: uno modo, absolute; alio modo, ex suppositione. Absolute quidem necessarium est<sup>γ</sup> illud sine quo nullus salutem consequi potest: sicut gratia Christi, et sacramentum baptismi, per quod aliquis in Christo renascitur. Ex suppositione autem est necessarium sacramentum poenitentiae: quod quidem necessarium non est omnibus, sed peccato subiacentibus; dicitur enim in II Paralip. ult. \*: *Et tu, Domine iustum, non posuisti poenitentiam iustis, Abraham, Isaac et Iacob, his qui tibi non peccaverunt.*

\* Vide Orat. Manass.

\* Vers. 15.

*Peccatum autem, cum consummatum fuerit, generat mortem,* ut dicitur *Iac. I \**. Et ideo necessarium est ad salutem peccatoris quod pecca-

tum removeatur ab eo. Quod quidem fieri non potest sine poenitentiae sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere poenitentis, qui cooperatur gratiae ad destructionem peccati: sicut enim dicit Augustinus, *super Ioan. \**, *qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te.* Unde patet quod sacramentum poenitentiae est necessarium ad salutem post peccatum: sicut medicatio corporalis postquam homo in morbum periculosum incidit.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod glossa illa videtur intelligenda de eo cui adest bona voluntas sine interpolatione quae fit per peccatum: tales autem non habent<sup>δ</sup> tristitiae causam. Sed ex quo bona voluntas tollitur per peccatum, non potest restitui sine tristitia, qua quis dolet de peccato praeterito: quod pertinet ad poenitentiam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ex quo aliquis peccatum incurrit, caritas et fides et misericordia non liberant hominem a peccato sine poenitentia. Requirit enim caritas quod homo doleat de offensa in amicum commissa, et quod amico homo reconciliari<sup>ε</sup> studeat. Requirit etiam ipsa fides ut per virtutem passionis Christi, quae in sacramentis Ecclesiae operatur, quaerat iustificari a peccatis. Requirit etiam ipsa misericordia ordinata ut homo subveniat poenitendo suae miseriae, quam per peccatum incurrit, secundum illud *Proverb. XIV \**, *Miseros facit peccatum:* unde et *Eccli. XXX \** dicitur: *Miserere animae tuae placens Deo.*

\* Serm. CLXIX, al. de Verb. Apost. XV, cap. XI.

\* Vers. 34.

\* Vers. 24.

AD TERTIUM DICENDUM quod ad potestatem excellentiae, quam solus Christus habuit, ut supra \* dictum est, pertinuit quod Christus effectum sacramenti poenitentiae, qui est remissio peccatorum, contulit mulieri adulterae sine poenitentiae<sup>ζ</sup> sacramento: licet non sine interiori poenitentia, quam ipse in ea per gratiam est operatus.

\* Qu. LXIV, art. 4, ad 1, 3; qu. LXXII, art. 1, ad 1.

α) *seminant.* — PAI; *seminat.* — Pro etc., in exultatione metent F.  
β) *egeritis.* — *habueritis* P.  
γ) *est.* — ad salutem addit tertia.  
δ) *tales autem non habent.* — *talis enim (autem G) non habet tertia, tales autem non habet E.*

ε) *reconciliari.* — Om. HpG, *satisfacere* I et post *studeat* sG et editiones.  
ζ) *poenitentiae.* — *exterioris poenitentiae tertia.*

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM POENITENTIA SIT *SECUNDA TABULA POST NAUFRAGIUM*

IV *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 3, ad 5; dist. XIV, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 4; dist. XVI, qu. IV, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 1.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poenitentia non sit *secunda tabula post naufragium*. Quia super illud Isaiae III<sup>\*</sup>, *Peccatum suum sicut Sodoma praedixerunt*, dicit Glossa<sup>\*</sup>: *Secunda tabula post naufragium est peccata abscondere*. Poenitentia autem non abscondit peccata, sed magis ea revelat. Ergo poenitentia non est secunda tabula.

2. PRAETEREA, fundamentum in aedificio non tenet secundum, sed primum locum. Poenitentia autem in spirituali aedificio est fundamentum: secundum illud *Heb. VI*<sup>\*</sup>: *Non rursum iacentes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis*. Unde et praecedit ipsum baptismum: secundum illud *Act. II*<sup>\*</sup>: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*. Ergo poenitentia non debet dici secunda tabula.

3. PRAETEREA, omnia sacramenta sunt quaedam tabulae, idest remedia contra peccatum. Sed poenitentia non tenet secundum locum inter sacramenta, sed magis quartum, ut ex supra<sup>\*</sup> dictis patet. Ergo poenitentia non debet dici secunda tabula post naufragium.

SED CONTRA EST quod Hieronymus dicit<sup>\*</sup> quod *secunda tabula post naufragium est poenitentia*.

RESPONDEO DICENDUM quod id quod est per se, naturaliter prius est eo quod est per accidens<sup>\*</sup>: sicut et substantia prior est accidente. Sacramenta autem quaedam per se<sup>α</sup> ordinantur ad salutem hominis: sicut baptismus, qui est spiritualis generatio, et confirmatio, quae est spirituale augmentum, et Eucharistia, quae est spirituale nutrimentum. Poenitentia autem ordinatur ad salutem hominis quasi per accidens, supposito quodam, scilicet ex suppositione peccati. Nisi enim homo peccaret actualiter, poenitentia non indigeret, indigeret tamen baptismum et confirmationem et Eucharistiam: sicut et in vita corporali non indigeret homo medicatione nisi infirmaretur, indiget<sup>β</sup> autem homo per se ad vitam generatione, augmento et nutrimento. Et ideo poenitentia tenet secundum locum respectu status integritatis, qui

confertur et conservatur per sacramenta praedicta. Unde metaphorice dicitur *secunda tabula post naufragium*. Nam primum remedium mare transeuntibus est ut conserventur in navi integra: secundum autem remedium est, post navim fractam, ut<sup>γ</sup> aliquis tabulae adhaereat. Ita etiam primum remedium in mari huius vitae est quod homo integritatem servet: secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdidit, quod per poenitentiam redeat.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod abscondere peccata contingit dupliciter. Uno modo, dum ipsa peccata fiunt. Est autem peius peccare publice quam occulte: tum quia peccator publicus videtur ex contemptu maiori peccare; tum etiam quia peccat cum scandalo aliorum. Et ideo est quoddam remedium in peccatis quod aliquis in occulto<sup>δ</sup> peccet. Et secundum hoc dicit Glossa quod *secunda tabula post naufragium est peccata abscondere*: non quod per hoc tollatur peccatum, sicut per poenitentiam; sed quia per hoc peccatum fit minus.

Alio modo, aliquis abscondit peccatum prius factum per negligentiam confessionis. Et hoc contrariatur poenitentiae. Et sic abscondere peccatum non est secunda tabula, sed magis contrarium tabulae: dicitur enim *Proverb. XXVIII*<sup>\*</sup>: *Qui abscondit scelera sua, non dirigitur*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentia non potest dici fundamentum spiritualis aedificii simpliciter, idest in prima aedificatione: sed est fundamentum in secunda reaedificatione<sup>\*</sup>, quae fit post<sup>ε</sup> destructionem peccati; nam primo redeuntibus ad Deum occurrit poenitentia. Apostolus tamen ibi loquitur de fundamento spiritualis doctrinae. — Poenitentia autem quae baptismum praecedit, non est poenitentiae sacramentum.

AD TERTIUM DICENDUM quod tria praecedentia sacramenta pertinent ad navem integram, idest ad statum integritatis: respectu cuius poenitentia dicitur secunda tabula.

\* Vers. 9.

\* Interl. Hieron.

\* Vers. 1.

\* Vers. 38.

\* Qu. LXV, art. 2.

\* Ep. CXXX, al. VIII, ad Demetriad., de Virginit.

\* Cf. Arist. *Physic.* lib. VIII, cap. v, n. 7; s. Th. lect. XI: *Metaphys.* lib. X, cap. VIII, n. 9; s. Th. lib. XI, lect. VIII.

α

β

γ

δ

\* Vers. 13

\* D. 657.

ε

α) per se. — P; post homines ponunt FsG, om. ceteri.  
β) indiget. — indigeret omnes.  
γ) post navim fractam, ut. — DEa et tertia; ut post navim fractam ut ABC, ut post navim fractam F.

δ) in occulto. — E et editiones; in occulte FI, in occultis ceteri.  
ε) post. — per tertia praeter I.



## ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM FUERIT CONVENIENTER INSTITUTUM IN NOVA LEGE

IV Sent., dist. xxii, qu. ii, art. 3.

**A**D SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non fuerit convenienter institutum in nova lege. Ea enim quae sunt de iure naturali, institutione non indigent. Sed poenitere de malis quae quis gessit, est de iure naturali: non enim potest aliquis bonum diligere quin de contrario doleat. Ergo non est poenitentia convenienter instituta in nova lege.

2. PRAETEREA, illud quod fuit in veteri lege, instituendum non fuit <sup>a</sup>. Sed etiam in veteri lege fuit poenitentia: unde et Dominus conqueritur, Ierem. viii \*, dicens: *Nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci?* Ergo poenitentia non debuit institui in nova lege.

3. PRAETEREA, poenitentia consequenter se habet ad baptismum: cum sit *secunda tabula*, ut supra \* dictum est. Sed poenitentia videtur a Domino instituta ante baptismum: nam in principio praedicationis suae legitur Dominus dixisse, Matth. iv \*: *Poenitentiam agite: appropinquabit enim regnum caelorum.* Ergo hoc sacramentum non fuit convenienter institutum in nova lege.

4. PRAETEREA, sacramenta novae legis institutionem habent a Christo, ex cuius virtute operantur, ut supra \* dictum est. Sed Christus non videtur instituisse hoc sacramentum: cum ipse non sit usus eo, sicut aliis sacramentis quae ipse instituit. Ergo hoc sacramentum non fuit convenienter institutum in nova lege <sup>β</sup>.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Luc. ult. \*: *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, in hoc sacramento actus poenitentis se habet sicut materia; id autem quod est ex parte sacerdotis, qui operatur ut minister Christi, se habet ut formale et completivum sacramenti. Materia vero, etiam in aliis sacramentis, praeexistit a natura, ut aqua, vel ab aliqua <sup>γ</sup> arte, ut panis: sed quod talis materia ad sacramentum assumatur, indiget institutione hoc determinante. Sed forma sacramenti, et virtus ipsius, totaliter est ex institutione Christi, ex cuius passione procedit virtus sacramentorum. Sic igitur materia <sup>δ</sup> praeexistit a natura, ex naturali enim ratione homo movetur ad poenitendum de malis quae fecit: sed quod hoc vel illo modo homo poenitentiam agat, est ex institutione divina.

Unde et Dominus, in principio praedicationis

a) fuit. — in nova addunt editiones; in nova lege ante instituendum addunt FsG; instituendum... veteri lege om. EHL.  
β) Praeterea, sacramenta... lege. — Tertia et a (sed a pro ut supra legit ut saepe et om. ipse primo loco); om.  
γ) aliqua. — Om. tertia.

suae, indixit <sup>ε</sup> hominibus ut non solum poeniterent, sed etiam *poenitentiam agerent* \*, significans determinatos modos actuum qui requiruntur ad hoc sacramentum. Sed id quod pertinet ad officium ministrorum, determinavit Matth. xvi \*, ubi dixit Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum*, etc. Efficaciam autem huius sacramenti, et originem virtutis eius, manifestavit post resurrectionem, Luc. ult. \*, ubi dixit quod *oportebat praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes*, praemisso de passione et resurrectione: virtute enim nominis Iesu Christi patientis et resurgentis hoc sacramentum efficaciam habet ad remissionem peccatorum. Et sic patet convenienter hoc sacramentum in nova lege fuisse institutum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod de iure naturali est quod aliquis poeniteat de malis quae fecit, quantum ad hoc quod doleat se fecisse, et doloris remedium quaerat per aliquem modum, et quod etiam aliqua signa doloris ostendat: sicut Ninivitae fecerunt, ut legitur Ionae iii \*. In quibus tamen aliquid fuit adiunctum fidei quam ceperant <sup>ζ</sup> ex praedicatione Ionae: ut scilicet hoc agerent sub spe veniae consequendae a Deo, secundum illud quod legitur ibi \*: *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore irae suae, et non peribimus?* Sed, sicut alia quae sunt de iure naturali determinationem acceperunt ex institutione legis divinae, ut in Secunda Parte \* dictum est, ita etiam et poenitentia.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ea quae sunt iuris naturalis diversimode determinationem accipiunt in veteri et nova lege, secundum quod congruit imperfectioni veteris legis et perfectioni novae. Unde et poenitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit. Quantum quidem ad dolorem, ut esset magis in corde quam in exterioribus signis: secundum illud Ioel ii \*, *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Quantum autem ad remedium doloris quaerendum, ut aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali: unde Dominus, Levit. v \*, dicit: *Anima quae peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram aestimationemque peccati: qui orabit pro eo quod nesciens fecerit, et dimittetur ei;* in hoc enim ipso quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo peccatum suum sacerdoti confitebatur; et secundum hoc dicitur *Proverb. xxviii* \*: *Qui abscondit*

δ) materia. — huius sacramenti materia F et tertia. — ratione FsE et editiones; positione.  
ε) indixit. — dixit ABpG, induxit I.  
ζ) ceperant. — acceperant D, conceperant F et tertia.

\* Cf. arg. 3.

\* Vers. 19.

\* Cf. arg. Sed contra.

\* Vers. 4 sqq.

\* Vers. 9.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. c, art. 11. — Cf. supra, qu. lx, art. 5, ad 3; qu. lxi, art. 3, ad 2.

\* Vers. 13.

\* Vers. 17, 18.

\* Vers. 13.

*scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

Nondum autem instituta erat potestas clavium, quae a passione Christi derivatur <sup>7)</sup>. Et per consequens nondum erat institutum quod aliquis doleret de peccato cum proposito subiiciendi se per confessionem et satisfactionem clavibus Ecclesiae, sub spe consequendae veniae virtute passionis Christi.

AD TERTIUM DICENDUM quod, si quis recte consideret ea quae Dominus dixit de necessitate baptismi, Ioan. III <sup>\*</sup>, tempore praecesserunt ea quae dixit, Matth. IV, de necessitate poenitentiae. Nam id quod dixit Nicodemo de baptismo, fuit ante incarcerationem Ioannis, de quo postea subditur <sup>\*</sup> quod baptizabat: illud vero quod de poenitentia dixit, Matth. IV, fuit post incarcerationem Ioannis <sup>\*</sup>. — Si tamen prius ad poenitentiam induxisset quam ad baptismum, hoc ideo esset quia ante baptismum etiam requiritur quaedam poenitentia: sicut et Petrus dixit, Act. II <sup>\*</sup>: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.*

AD QUARTUM DICENDUM quod Christus non est usus baptismo quem ipse instituit, sed est baptizatus baptismo Ioannis, ut supra <sup>\*</sup> dictum est. Sed nec active usus est suo ministerio: quia *ipse non baptizabat* communiter, *sed discipuli eius*, ut dicitur Ioan. IV <sup>\*</sup>; quamvis credendum videtur <sup>0)</sup> quod discipulos baptizaverit, ut Augustinus dicit, *ad Seleucianum* <sup>\*</sup>.

Usus autem huius sacramenti, ab eo instituti, nullo modo competebat: neque quantum ad hoc quod ipse poeniteret, in quo peccatum non fuit; neque quantum ad hoc quod hoc sacramentum aliis praeberet, quia, ad ostendendum misericordiam et virtutem suam, effectum huius sacramenti sine sacramento praeberebat, ut supra <sup>\*</sup> dictum est.

Sacramentum autem Eucharistiae et ipse sumpsit, et aliis dedit. Tum ad commendandam excellentiam huius sacramenti. Tum quia hoc sacramentum est memoriale suae passionis, in quantum <sup>\*</sup> Christus est sacerdos et hostia.

\* Vers. 3 sqq.

\* Vers. 23, 24.

\* Vers. 12.

\* Vers. 38.

\* Qu. xxxix, art. 2.

\* Vers. 2.  
0)

\* Ep. CCLXV, aliter CVIII, ad Seleucianum.

\* Art. 5, ad 3.

7) derivatur. — sF a et tertia (et vetus Escorialis); derivans D, derivantur ceteri.

0) videtur. — sit tertia. — Pro Seleucianum (cf. qu. xxxviii. art. 6.

ad 2.), scelecianum I, cellēcianum pG, celestinum F, celeucianum editiones, celestia D, celestianum ceteri.

1) competebat. — ei competebat ed. a, sibi competebat tertia.

x) inquantum. — in qua PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

\* Resp. ad 1.

IN articulo septimo, circa illud <sup>\*</sup>, quod poenitentia est iure naturali quoad dolorem et doloris remedium et aliquod signum doloris, adverte quod dupliciter possunt haec verba intelligi. Primo, simpliciter et absolute, ut sonant. Et sic magnam habent difficultatem, si non sunt falsa. Tum quia, si peccatum non fuit scandalosum seu manifestum aliis, nulla apparet ratio naturalis ad signa doloris.

Tum quia, abstrahendo a documentis fidei, dolor seu tristitia de praeterito peccato nullam videtur habere rationem remedii. Et propterea superfluum videtur dolere de malis praeteritis.

Accedit ad haec quod difficile est nosse quid homo,

infra ius naturae solum stando, cognosceret de abolitione peccati per aliud quam per cessationem a peccando.

II. Alio autem modo intelliguntur, *supposita in homine cognitione fidei*: ita quod, supposita fide, non ex fide, sed ex ratione naturali provenit quod homo doleat de peccatis commissis, et quod dolorem in remedium assumat, et quod aliquod signum doloris ostendat: quamvis hoc tertium intelligendum sit, sicut de exteriori religionis cultu videtur, quod in communi sit de iure naturae. Dictat enim naturalis ratio homini fideli ut doleat de offensa Creatoris: et, quia nullum aliud ex nobis est remedium nisi *cor humilitatum* <sup>\*</sup>, ideo huiusmodi humiliationem *in remedium doloris*, hoc est, peccati dolendi, quaerat.

\* Ps. L, vers. 19.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM POENITENTIA DEBEAT DURARE USQUE AD FINEM VITAE

Infra, art. 9, ad 1; IV *Sent.*, dist. xiv, qu. 1, art. 4, qu<sup>a</sup> 1; dist. xvii, qu. II, art. 4, qu<sup>a</sup> 1.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poenitentia non debeat durare usque ad finem vitae. Poenitentia enim ordinatur ad deletionem peccati. Sed poenitens statim consequitur remissionem peccatorum: secundum illud Ezech. xviii <sup>\*</sup>: *Si poenitentiam egerit impius ab omnibus peccatis suis quae operatus est, vita vivet et non morietur.* Ergo non oportet ulterius poenitentiam protendi.

2. PRAETEREA, agere poenitentiam pertinet ad statum incipientium. Sed homo de hoc statu debet procedere ad statum proficientium, et ulterius ad statum perfectorum <sup>\*</sup>. Ergo non debet homo poenitentiam agere usque ad finem vitae.

3. PRAETEREA, sicut in aliis sacramentis homo debet conservare <sup>a</sup> statuta Ecclesiae, ita et in hoc sacramento. Sed secundum canones determinata sunt tempora poenitendi: ut scilicet ille qui hoc vel illud peccatum commiserit, tot annis poeniteat. Ergo videtur quod non sit poenitentia extendenda usque ad finem vitae.

SED CONTRA EST quod dicit Augustinus, in libro *de Poenitentia* <sup>\*</sup>: *Quid restat nobis nisi dolere in vita? Ubi enim dolor finitur, deficit poenitentia. Si vero poenitentia finitur, quid derelinquitur de venia?*

RESPONDEO DICENDUM quod duplex est poenitentia: scilicet interior, et exterior. Interior qui-

\* Vers. 21.

\* Cf. II<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>, qu. xxiv, art. 9.

\* De Vera et falsa Poenit., cap. xiii. - Inter Opp. Aug.

a) conservare. — servare F et tertia.

dem poenitentia est qua quis dolet de peccato commisso. Et talis poenitentia debet durare usque ad finem vitae. Semper enim debet homini displicere quod peccavit: si enim ei placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatum incurreret, et fructus <sup>β</sup> veniae perderet. Displicentia autem dolorem causat in eo qui est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita. — Post hanc vitam autem sancti non sunt susceptivi doloris. Unde displicebunt eis peccata praeterita sine omni tristitia: secundum illud Isaiae LXV \*: *Oblivioni traditae sunt angustiae priores.*

Poenitentia vero exterior est qua quis exteriora signa doloris ostendit, et verbotenus confitetur peccata sua sacerdoti absolventi, et iuxta eius arbitrium satisfacit γ. Et talis poenitentia non oportet quod duret usque ad finem vitae, sed usque ad determinatum tempus, secundum mensuram peccati.

β) fructus. — fructum tertia.

γ) et... satisfacit. — F et tertia; ut... satisfaciat ed. a, et... satisfaciat ceteri.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod vera poenitentia non solum removel δ peccata praeterita, sed etiam praeservat eum a peccatis futuris. Quamvis igitur homo in primo instanti verae poenitentiae remissionem consequatur praeteritorum peccatorum, oportet tamen in homine perseverare poenitentiam, ne iterum incidat in peccatum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod agere poenitentiam interioriorem simul et exterioriorem pertinet ad statum incipientium, qui scilicet de novo redeunt a peccato. Sed poenitentia interior habet locum etiam in proficientibus et perfectis: secundum illud Psalmi \*: *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum.* Unde et ipse Paulus dicebat, I Cor. xv \*: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

AD TERTIUM DICENDUM quod illa tempora praefiguntur poenitentibus quantum ad actionem exterioris poenitentiae.

\*Ps. LXXXIII, vers. 6, 7.

\*Vers. 9.

δ) removel. — ab homine addit sG; pro eum, hominem P.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulis octavo et nono adverte quod *displicere* dupliciter sumitur: scilicet contrarie, vel negative. Et quando sumitur contrarie, significat actum contrarium ad *placere*: quando vero sumitur negative, non significat aliquem actum, sed solummodo *non placere*. Cum ergo in littera dicitur quod *semper debet homini displicere quod peccavit* \*, vel aliquid simile, sufficit quod intelligatur negative, id est *non placere*.

Et patet hunc esse sensum litterae, quia contra *displi-*

*cere* distinguit *placere*, dum subdit: *Si enim ei placeret peccasse*, etc. Nisi enim *displicere* ita communiter sumptum fuisset, scilicet sive contrarie sive negative, non licuisset pro ratione reddere: *Si enim placeret ei peccasse*, etc. Nam potuisset dici quod nec displicet nec habet actum placendi, sed *non placet* peccasse.

Et hinc habes quod sufficit ad necessariam poenitentiam post habitam contritionem, quod non placeat peccasse: nec est opus exire in actum displicentiae novae.

\* Art. 8, in corp.

### ARTICULUS NONUS

#### UTRUM POENITENTIA POSSIT ESSE CONTINUA

IV Sent., dist. xiv, qu. 1, art. 4, qu. 2; dist. xvii, qu. 11, art. 4, qu. 2.

\*Vide Comment. Caiet. post art. 8.

\*Vers. 16.

AD NONUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod poenitentia non possit esse continua. Dicitur enim Jerem. xxxi \*: *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrimis.* Sed hoc esse non posset si poenitentia continuaretur, quae consistit in ploratu et lacrimis. Ergo poenitentia non potest continuari.

2. PRAETEREA, de quolibet bono opere debet homo gaudere: secundum illud Psalmi \*: *Servite Domino in laetitia.* Sed agere poenitentiam est bonum opus. Ergo de hoc ipso debet homo gaudere. Sed *non potest homo simul tristari et gaudere*: ut patet per Philosophum, IX *Ethic.* Ergo non potest esse quod poenitens simul α tristetur de peccatis praeteritis, quod pertinet ad rationem poenitentiae β.

3. PRAETEREA, II ad Cor. II \*, Apostolus dicit: *Consolemini*, scilicet poenitentem, *ne forte abundantiori tristitia absorbeat qui est huiusmodi.* Sed consolatio depellit tristitiam, quae pertinet ad rationem poenitentiae. Ergo poenitentia non debet esse continua.

α) simul. — semper FI sEG, continuo b, continue Pc.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* \*: *Dolor in poenitentia continue custodiatur.*

RESPONDEO DICENDUM quod poenitere dicitur dupliciter: scilicet secundum actum, et secundum habitum. Actu quidem impossibile est quod homo continue poeniteat: quia necesse est quod actus poenitentis, sive interior sive exterior, interpolatur, ad minus somno et aliis quae ad necessitatem corporis pertinent.

Alio modo dicitur poenitere secundum habitum. Et sic oportet quod homo continue poeniteat: et quantum ad hoc quod homo nunquam aliquid contrarium faciat poenitentiae, per quod habitualis dispositio poenitentis tollatur; et quantum ad hoc quod debet in proposito gerere quod semper sibi peccata praeterita displiceant.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ploratus et lacrimae ad actum exterioris poenitentiae pertinent: qui non solum non debet esse continuus, sed nec etiam oportet quod duret usque ad finem vitae, ut dictum est \*. Unde et signanter

\*De Vera et falsa Poenit., cap. xiii. — Inter Opp. Aug.

\* Cap. iv, n. 10. — S. Th. lect. iv.

α

β

\*Vers. 7.

\* Art. 8.

β) poenitentiae. — Ergo poenitentia non debet (potest P) esse continua addunt F et tertia praeter I.

ibi subditur quod *est merces operi tuo*. Est autem merces operis poenitentis plena remissio peccati et quantum ad culpam et quantum ad poenam: post cuius consecutionem non est necesse quod homo ulterius exteriorem poenitentiam agat. Per hoc tamen non excluditur continuitas poenitentiae qualis dicta est\*.

\* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod de dolore et gaudio dupliciter loqui possumus. Uno modo, secundum quod sunt passiones appetitus sensitivi. Et sic nullo modo possunt esse simul: eo quod sunt omnino contrariae, vel ex parte obiecti, puta cum sunt de eodem; vel saltem ex parte motus cordis, nam gaudium est cum dilatatione cordis, tristitia vero cum constrictione. Et hoc modo loquitur Philosophus in IX *Ethicorum*.

\* D. 530.

Alio modo loqui possumus de gaudio et tristitia secundum quod consistunt in simplici actu voluntatis, cui aliquid placet vel displicet\*. Et secundum hoc, non possunt habere contrarietatem nisi ex parte obiecti, puta cum sunt de eodem et secundum idem. Et sic non possunt simul esse gaudium et tristitia: quia non potest simul idem secundum idem placere et displicere. Si vero gaudium et tristitia sic accepta non sint de

eodem et secundum idem, sed vel de diversis vel de eodem secundum diversa, sic non est contrarietas gaudii et tristitiae. Unde nihil prohibet hominem simul gaudere et tristari: puta, si videamus iustum affligi, simul placet nobis eius iustitia, et displicet afflictio. Et hoc modo potest alicui displicere quod peccavit, et placere quod hoc ei displicet cum spe veniae, ita quod ipsa tristitia sit materia gaudii. Unde et Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia*\*: *Semper doleat poenitens, et de dolore gaudeat*. – Si tamen tristitia nullo modo compateretur sibi gaudium, per hoc non tolleretur habitualis continuitas poenitentiae, sed actualis.

\* Loc. cit. supra.

AD TERTIUM DICENDUM quod, secundum Philosophum, in II *Ethic.*\*, ad virtutem pertinet tenere medium in passionibus. Tristitia autem quae in appetitu poenitentis sensitivo consequitur ex displicentia voluntatis, passio quaedam est. Unde moderanda est secundum virtutem: et eius superfluitas est vitiosa, quia inducit in desperationem. Quod significat Apostolus ibidem dicens: *ne maiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est*. Et sic consolatio de qua ibi Apostolus loquitur, est moderativa tristitiae, non autem totaliter ablativa.

\* Cap. vi, n. 9 sqq. – S. Th. lect. vi, vii.

## ARTICULUS DECIMUS

### UTRUM SACRAMENTUM POENITENTIAE DEBEAT ITERARI

IV *Sent.*, dist. xiv, qu. 1, art. 4, qu<sup>a</sup> 3; *Ad Heb.*, cap. vi, lect. 1.

AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramentum poenitentiae non debeat iterari. Dicit enim Apostolus, *Heb. vi*\*: *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, et gustaverunt donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam*. Sed quicumque poenituerunt, sunt illuminati, et acceperunt donum Spiritus Sancti. Ergo quicumque peccat post poenitentiam, non potest iterato poenitere.

\* Vers. 4, 6.

2. PRAETEREA, Ambrosius dicit, in libro *de Poenitentia*\*: *Reperiuntur qui saepius agendam poenitentiam putant. Qui luxuriantur in Christo. Nam, si vere poenitentiam agerent, iterandam postea non putarent: quia, sicut unum est baptisma, ita una poenitentia*. Sed baptismus non iteratur. Ergo nec poenitentia.

\* Lib. II, cap. x. – Cf. can. *Reperiuntur, de Poenit.*, dist. III.

3. PRAETEREA, miracula quibus Dominus infirmitates corporales sanavit, significant sanationes spiritualium infirmitatum, quibus scilicet homines liberantur a peccatis. Sed non legitur quod Dominus aliquem caecum bis illuminaverit, vel aliquem leprosum bis mundaverit, aut aliquem mortuum bis suscitaverit. Ergo videtur quod nec alicui peccatori bis per poenitentiam veniam largiatur.

4. PRAETEREA, Gregorius dicit, in Homilia Qua-

dragesimae\*: *Poenitentia est anteacta peccata deflere, et flenda iterum non committere*. Et Isidorus dicit, in libro *de Summo Bono*\*: *Irrisor est, et non poenitens, qui adhuc agit quod poenitet*. Si ergo aliquis vere poeniteat, iterum non peccabit. Ergo non potest<sup>a</sup> quod poenitentia iteretur.

\* Aliter Homil. XXXIV in *Evan-gel.*, n. 15. – Cf. Ambros. *Serm. XXV*, n. 1; can. *Poenitentiam agere, de Poenit.*, dist. III. \**Al. Sentent. lib. II*, cap. xvi. α

5. PRAETEREA, sicut baptismus habet efficaciam ex passione Christi, ita et poenitentia. Sed baptismus non iteratur, propter unitatem passionis et mortis Christi. Ergo pari ratione et poenitentia non iteratur.

6. PRAETEREA, Gregorius<sup>β</sup>\* dicit: *Facilitas veniae incentivum praebet delinquendi*. Si ergo Deus frequenter veniam praebet per poenitentiam, videtur quod ipse incentivum praebet hominibus delinquendi: et sic videtur delectari in peccatis. Quod eius bonitati non congruit. Non ergo potest poenitentia iterari.

\* Ambr. *Exposit. Psalmi CXVIII*, ad vers. 58, serm. VIII, n. 26. β

SED CONTRA EST quod homo inducitur ad misericordiam exemplo divinae misericordiae: secundum illud Luc. vi\*: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*. Sed Dominus hanc misericordiam discipulis imponit, ut saepius remittant<sup>γ</sup> fratribus contra se peccantibus: unde, sicut dicitur Matth. xviii\*, Petro quaerenti, *Quoties peccaverit in me frater meus, dimittam<sup>δ</sup> ei usque septies?* respondit Iesus: *Non dico tibi us-*

\* Vers. 36. γ

\* Vers. 21, 22. δ

α) potest. – potest esse Fa et tertia, oportet Vatic. Palat. 358.  
β) Gregorius. – Ambrosius P.

γ) remittant. – DEF et tertia; remittat.  
δ) peccaverit... dimittam. – peccabit... et demittam tertia.

que septies, sed usque septuagesies septies. Ergo etiam Deus saepius per poenitentiam veniam peccantibus praebet: praesertim cum doceat nos petere, *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* \*.

\* Matth. cap. vi, vers. 12.

RESPONDEO DICENDUM quod circa poenitentiam erraverunt quidam dicentes non posse hominem per poenitentiam secundo consequi veniam peccatorum. Quorum quidam <sup>ε</sup>, scilicet Novatiani, hoc in tantum extenderunt quod dixerunt post primam poenitentiam quae agitur in baptismo, peccantes non posse per poenitentiam iterato restitui \*. — Alii vero fuerunt haeretici, ut Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* \*, qui post baptismum dicebant quidem esse utilem poenitentiam, non tamen pluries, sed semel tantum.

\* Cf. s. Athanas. Ep. iv, ad Serapion., n. 13; s. Aug. Ep. cclxv, al. cviii, ad Seieucianam.  
\* De Vera et falsa Poenit., cap. v. — Inter Opp. Aug.

Videntur autem huiusmodi errores ex duobus processisse. Primo quidem, ex eo quod errabant circa rationem verae poenitentiae. Cum enim ad veram poenitentiam caritas requiratur, sine qua non delentur peccata, credebant quod caritas semel habita non possit amitti: et per consequens quod poenitentia, si sit <sup>ζ</sup> vera, nunquam per peccatum tollatur, ut sit necesse eam iterari. — Sed hoc improbatum est in Secunda Parte \*, ubi ostensum est quod caritas semel habita, propter libertatem arbitrii, potest amitti; et per consequens post <sup>η</sup> veram poenitentiam potest aliquis peccare mortaliter.

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. xxiv, art. 11.

Secundo, ex eo quod errabant circa aestimationem gravitatis peccati. Putabant enim adeo grave esse peccatum quod aliquis committit post veniam impetratam, quod non sit possibile ipsum remitti. In quo quidem errabant et ex parte peccati, quod, etiam post remissionem consecutam, potest esse et gravius et levius etiam <sup>θ</sup> quam fuerit ipsum primum peccatum remissum: et multo magis contra infinitatem divinae misericordiae, quae est super <sup>ι</sup> omnem numerum et magnitudinem peccatorum, secundum illud Psalmi \*: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam: et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam*. Unde reprobatur verbum Caini dicentis, *Genes. iv* \*: *Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear*. Et ideo misericordia Dei peccantibus per poenitentiam veniam praebet absque ullo termino. Unde dicitur II *Paralip.* ult. \*: *Immensa et investigabilis misericordia promissionis tuae super malitias hominum*. Unde manifestum est quod poenitentia est pluries iterabilis.

\* Ps. L, vers. 3 (al. vers. 1).

\* Vers. 13.

\* Vide *Orat. Manassae*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia apud Iudaeos erant secundum legem quaedam lavacula instituta, quibus pluries se ab immunditiis pur-

ε) quidam. — PIsG; om. (a om. quorum quidam scilicet Novatiani). Pro quod dixerunt, quod (ut P) dicerent tertia.  
ζ) si sit. — sit ABC. — Pro ut sit, ut sic sit I et editiones.  
η) et per consequens post. — D et tertia praeter I; per sequens peccatum et consequens post I, et per consequens (sequens sF) peccatum et per consequens post ceteri.  
θ) etiam. — Om. editiones. — Pro ipsum, post I, om. cetera tertia.  
ι) est super. — superat tertia.  
κ) commoritur. — F et tertia; moritur. — Tertia prosequitur: Unde subdit (subditur P) rursus crucifigentes sibimetipsis.  
λ) in. — et in tertia. — Pro confortavit, confirmavit P.

gabant \*, credebant aliqui Iudaeorum quod etiam per lavacrum baptismi aliquis pluries purificari possit. Ad quod excludendum, Apostolus scribit Hebraeis quod impossibile est eos qui semel sunt illuminati, scilicet per baptismum, *rursum renovari ad poenitentiam*, scilicet per baptismum, qui est *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti*, ut dicitur *ad Tit.* III \*. Et rationem assignat ex hoc quod per baptismum homo Christo commoritur \*: unde sequitur \*, *rursus crucifigentes in semetipsis Filium Dei*.

\* Cf. *Levit.* cap. xv; *Marc.* cap. vii, vers. 3, 4.

\* Vers. 5.

\* Loc. cit. in arg. — Cf. *ad Rom.* cap. vi, vers. 3 sqq.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Ambrosius loquitur de poenitentia solemniter, quae in Ecclesia non iteratur, ut infra \* dicitur.

\* Cf. *Supplem.*, qu. xxviii, art. 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* \*, *multos caecos in <sup>λ</sup> diverso tempore Dominus illuminavit, et multos debiles confortavit, ostendens in diversis illis eadem <sup>μ</sup> saepe peccata dimitti: ut quem prius sanavit leprosum, alio tempore illuminat caecum. Ideo enim tot sanavit caecos, claudos et aridos, ne desperet saepe <sup>ν</sup> peccator. Ideo non scribitur aliquem nisi semel sanasse, ut quisque timeat se iungi peccato. Medicum se vocat, et non sanis, sed male habentibus opportunum: sed qualis hic medicus qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum enim est centies infirmum centies curare. Qui ceteris minor esset, si alii possibilia ignoraret.*

\* Loc. cit. in corp.

AD QUARTUM DICENDUM quod poenitere est anteacta peccata deflare et flenda non committere *simul <sup>ξ</sup> dum flet*, vel actu vel proposito. Ille enim est irrisor et non poenitens qui, *simul dum poenitet*, agit quod poenitet: proponit enim <sup>ο</sup> iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccat, vel actu vel proposito, non excludit quin prima poenitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem: sicut enim vere cucurrit <sup>π</sup> qui postea sedet, ita vere poenituit qui postea peccat.

ξ

ο

π

AD QUINTUM DICENDUM quod baptismus habet virtutem ex passione Christi sicut quaedam spiritalis regeneratio, cum spiritali morte praecedentis vitae. *Statutum est autem hominibus semel mori* \*, et semel nasci. Et ideo semel tantum debet homo baptizari. Sed poenitentia habet virtutem ex passione Christi sicut spiritalis medicatio, quae frequenter iterari potest.

\* *Ad Heb.*, cap. ix, vers. 27.

AD SEXTUM DICENDUM quod Augustinus, in libro *de Poenitentia* \*, dicit quod *constat <sup>ρ</sup> Deo multum displicere peccata, qui semper praesto est ea destruere, ne solvatur quod creavit, ne corrumpatur quod amavit*, scilicet per desperationem.

\* Loc. cit. in corp.

μ) eadem. — F; idem b, eisdem c, eidem ceteri. — Pro illuminat, illuminavit DEFabc, illuminet PI.  
ν) saepe. — se C, de se P. Pro Ideo non, Ideo enim ABCa. Pro se iungi, iungi tertia praeter sG. Pro opportunum, operativum ACDpE et a, optimum F. Pro alii, aliis PFI.  
ξ) simul. — scilicet simul PFIsg.  
ο) proponit enim. — vel proponit editiones.  
π) cucurrit. — Tertia praeter H; currit. Cf. qu. xv. art. 1. κ.  
ρ) Augustinus... dicit quod constat. — secundum Augustinum... quod (quod om. P) constat PI.

QUAESTIO OCTOGESIMAQUINTA

DE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST VIRTUS

IN SEX ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXXIV, Introd.

**D**EINDE considerandum est de poenitentia secundum quod est virtus\*. Et circa hoc quaeruntur sex.  
Primo: utrum poenitentia sit virtus.  
Secundo: utrum sit virtus specialis.

Tertio: sub qua specie virtutis contineatur.  
Quarto: de subiecto eius.  
Quinto: de causa ipsius.  
Sexto: de ordine eius ad alias virtutes.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM POENITENTIA SIT VIRTUS

IV Sent., dist. xiv, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 2.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poenitentia non sit virtus. Poenitentia enim est quoddam sacramentum aliis sacramentis connumeratum, ut ex supra\* dictis patet. Sed nullum aliud sacramentorum est virtus. Ergo neque poenitentia est virtus.

\* Qu. LXV, art. 1; qu. LXXXIV, art. 1.

2. PRAETEREA, secundum Philosophum, in IV *Ethic.*\*, verecundia non est virtus, tum quia est passio habens corporalem immutationem; tum etiam quia non est *dispositio perfecti*\*, cum sit de turpi acto, quod non habet locum in homine virtuoso. Sed similiter poenitentia est quaedam passio habens corporalem immutationem, scilicet ploratum: sicut Gregorius dicit\* quod *poenitere est peccata praeterita plangere*. Est etiam de turpibus factis, scilicet de peccatis, quae non habent locum in homine virtuoso. Ergo poenitentia non est virtus.

\* Cap. IX, n. 1. - S. Th. lect. xvii.

\* Arist. *Physic.*, lib. VII, text. comm. 17. (Ed. Prantl.). - S. Th. lect. v.

\* Homil. XXXIV in *Evang.*, n. 15. - Cf. Ambr. Sermon. XXV, n. 1; can. *Poenitent. agere, de Poenit.*, dist. III.

3. PRAETEREA, secundum Philosophum, in IV *Ethic.*\*, *nullus est stultus eorum qui sunt secundum virtutem*. Sed stultum videtur dolere de commisso praeterito, quod non potest non esse: quod tamen pertinet ad poenitentiam. Ergo poenitentia non est virtus.

\* Cap. III, n. 3. - S. Th. lect. viii.

SED CONTRA EST quod praecepta legis dantur de actibus virtutum: quia *legislator intendit cives facere virtuosos*, ut dicitur in II *Ethic.*\*. Sed praeceptum divinae legis est de poenitentia: secundum illud Matth. III\*: *Poenitentiam agite*, etc. Ergo poenitentia est virtus.

\* Cap. I, n. 5. - S. Th. lect. I.

\* Vers. 2; cap. IV, vers. 17.

\* Qu. LXXXIV, art. 8; art. 10, ad 4.

\* Ibid., art. 9, ad 2.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex dictis\* patet, poenitere est de aliquo a se prius facto dolere. Dictum est autem supra\* quod dolor vel tristitia dupliciter dicitur. Uno modo, secundum quod est passio quaedam appetitus sensitivi. Et quantum ad hoc, poenitentia non est virtus, sed passio.

Alio modo, secundum quod consistit in voluntate\*. Et hoc modo est cum quadam electione. Quae quidem si sit recta, necesse est quod sit actus virtutis: dicitur enim in II *Ethic.*\* quod virtus est *habitus electivus secundum rationem rectam*. Pertinet autem ad rationem rectam quod aliquis doleat de quo dolendum est<sup>a</sup>. Quod quidem observatur in poenitentia de qua nunc loquimur: nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis, cum intentione removendi ea. Unde manifestum est quod poenitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis.

\* D. 530.

\* Cap. VI, n. 15. - S. Th. lect. vii.

<sup>a</sup>

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut dictum est\*, in sacramento poenitentiae materialiter se habent actus humani: quod non contingit in baptismo vel confirmatione. Et ideo, cum virtus sit principium alicuius actus, potius poenitentia est virtus, vel cum virtute, quam baptismus vel confirmatio.

\* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 1, 2; art. 2, 7.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentia, secundum quod est passio, non est virtus, ut dictum est\*. Sic autem habet corporalem transmutationem adiunctam. Est autem<sup>b</sup> virtus secundum quod habet ex parte voluntatis electionem rectam.

\* In corpore.

<sup>b</sup>

Quod tamen magis potest dici de poenitentia quam de verecundia. Nam verecundia respicit turpe factum ut praesens: poenitentia vero respicit turpe factum ut praeteritum<sup>c</sup>. Est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis in praesenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari. Non autem est contra perfectionem virtutis quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum poenitere, cum ex virtuoso fiat aliquis virtuosus.

<sup>c</sup>

<sup>a</sup>) dolendum est. - et eo modo et fine quo dolendum est addunt PI.  
<sup>b</sup>) autem. - tamen PI, enim CDEF et cetera tertia.  
<sup>c</sup>) ut praesens... ut praeteritum. - Ed. a; praesens poenitentia ut praeteritum F, ut proprie est poenitentia respicit turpe factum ut

praeteritum sE, ut praesens pro quo timet confundi poenitentia vero (sed poenitentia respicit turpe factum sG) ut praeteritum PlsG, ut peccatum b, ut praeteritum ceteri.

AD TERTIUM DICENDUM quod dolere de eo quod prius factum est cum hac intentione conandi ad hoc quod factum non fuerit, esset stultum. Hoc autem non intendit poenitens: sed dolor eius est displicentia seu reprobatio facti praeteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum poenae. Et hoc non est stultum.

## ARTICULUS SECUNDUS

## UTRUM POENITENTIA SIT SPECIALIS VIRTUS

IV Sent., dist. xiv, qu. 1, art. 1, qu. 3.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poenitentia non sit specialis virtus. Eiusdem enim rationis videtur esse gaudere de bonis prius actis, et dolere de malis perpetratis. Sed gaudium de bono prius facto non est specialis virtus, sed est quidam *affectus laudabilis ex caritate procedens*, ut patet per Augustinum, XIV de Civ. Dei\*: unde et Apostolus, I Cor. XIII\*, dicit quod *caritas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*. Ergo pari ratione poenitentia, quae est dolor de peccatis praeteritis, non est specialis virtus, sed est quidam affectus ex caritate procedens.

2. PRAETEREA, quaelibet virtus specialis habet materiam specialem: quia habitus distinguuntur per actus, et actus per obiecta. Sed poenitentia non habet materiam specialem: sunt enim eius materia peccata praeterita circa quamcumque materiam. Ergo poenitentia non est specialis virtus.

3. PRAETEREA, nihil expellitur nisi a suo contrario. Sed poenitentia expellit omnia peccata. Ergo contrariatur omnibus peccatis. Non est ergo specialis virtus.

SED CONTRA EST quod de ea datur speciale legis praeceptum, ut supra\* habitum est.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte\* habitum est, species habituum distinguuntur secundum species actuum: et ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quod in poenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati praeteriti in quantum est Dei

offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere quod poenitentia sit specialis virtus.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod a caritate derivatur aliquis actus dupliciter. Uno modo, sicut ab ea elicitus. Et talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem praeter caritatem: sicut diligere bonum et gaudere de eo, et tristari de opposito. — Alio modo aliquis actus a caritate procedit quasi a caritate imperatus. Et sic, quia ipsa imperat omnibus virtutibus, utpote ordinans eas ad finem suum, actus a caritate procedens potest etiam ad aliam virtutem specialem pertinere.

Si ergo in actu poenitentis consideretur sola displicentia peccati praeteriti, hoc immediate ad caritatem pertinet, sicut et gaudere de bonis praeteritis. Sed intentio operandi ad deletionem peccati praeteriti requirit specialem virtutem sub caritate.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentia habet quidem realiter generalem materiam, in quantum respicit omnia peccata: sed tamen<sup>α</sup> sub ratione speciali, in quantum sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam iustificationem.

AD TERTIUM DICENDUM quod quaelibet virtus specialis expellit<sup>β</sup> habitum vitii oppositi: sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subiecto. Sed poenitentia expellit omne peccatum effective, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia homine cooperante. Unde non sequitur quod sit virtus generalis.

\* Cap. ix.

\* Vers. 6.

\* Art. praeced., arg. Sed cont.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LIV, art. 2, 3; II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LVIII, art. 1.

α) sed tamen. — sF et tertia; tamen pF, et tamen ceteri. — Post in quantum tertia addit scilicet.

β) expellit. — corporaliter expellit I, formaliter expellit F et cetera tertia.

## Commentaria Cardinalis Caietani

DUBIUM occurrit magnum circa materiam secundi articuli, an poenitentia virtus sit vere et proprie una specialis virtus distincta a ceteris virtutibus. Et est ratio dubii non sola varietas opinionum, sed quoniam utrinque ratio urget.

Nam quod sit una virtus distincta ab aliis, Auctoris ratio in littera concludit, dicens: Operari ad deletionem peccati praeteriti, in quantum est offensam Dei, per quamdam recompensationem\*, habet specialem rationem actus laudabilis non pertinentem ad rationem alterius virtutis. Ergo poenitentia, cui iste actus attribuitur, est specialis virtus.

II. Ad partem autem negativam urget duplex ratio\*. Una ex propriis. Quia nulla virtus exigit aut praexigit habentem ipsam sub illius contrario. Sed poenitentia prae-

exigit poenitentem fuisse sub peccato, quod contrariatur poenitentiae. Ergo poenitentia non est specialis virtus. — Et haec ratio convincit intellectum meum.

Quae et confirmatur. Quia virtutum semina sunt ita nobis insita ut possint a nobis acquiri, cum auxilio divino et recta ratione, etc.: ut non sit necesse nos peccare si omnes habendae sunt virtutes in actu. Sed ad poenitentiae virtutem habendam in actu impossibile est nos pervenire nisi peccatum interveniat. Igitur non est virtus specialis. — Nec evaditur haec confirmatio ex hoc quod poenitentia poneretur virtus non acquisita, sed infusa: quoniam simile est de utrisque iudicium quoad hoc quod non oportet peccare ut virtutes habeamus in actu.

Et confirmatur iterum ex parte subiecti. Quia in Chri-

\* Cf. art. seq.

\* Cf. num. iii.

sto fuerunt omnes virtutes. Et tamen in ipso non fuit poenitentia.

III. Altera ratio est ex parte obiecti. Quia scilicet obiectum hoc, scilicet offensa ut recompensabilis per actum proprium, etc., non requirit propriam virtutem. Quod ex duobus apparet. Primo, ex eo quod inter homines obiectum hoc laudabili actu voluntario attingitur: ut patet cum is qui aliquem offendit, humiliat se illi, confitendo se male fecisse, dolendo de offensa, et subiiciendo se illi ad recompensandam offensam; per hos enim actus recuperat etiam offensi gratiam, iuxta illud \*, *Parcere subiectis et debellare superbos*. Et tamen nulla virtus specialis ponitur propter actum aut obiectum istud. Proportionaliter igitur loquendo, nulla est ponenda specialis virtus ad recompensandam Dei offensam.

Secundo, ex eo quod ad huiusmodi recompensationem invenitur alia virtus sufficiens, scilicet religio. Religionis enim actus est subiicere se Deo, reddereque debitum Deo, non minus offenso quam benefactori. Ita quod, sicut reddere Deo debitum ob beneficia suscepta non exigit specialem virtutem ultra religionem, eadem ratione reddere Deo debitum ob offensam in eum ad religionem quoque spectabit: cadunt enim hae speciales rationes debiti, scilicet pro beneficiis vel pro offensis, sub illa communi ratione debiti quam attendit religio.

Et confirmatur. Quia praecipuus actus poenitentiae coincidit cum actu primo religionis. Subiectio enim hominis ad Deum est praecipuum quod poenitentiae virtus offert Deo in recompensam. Quam eandem offert religio: secundum actum quidem devotionis, absolute; secundum vero actum gratitudinis, pro beneficiis receptis; secundum actum poenitentiae, pro offensa commissa. Unde, sicut religionis quidam actus est recompensare beneficia, ita recompensare peccata.

Et confirmatur hoc. Quia in lege veteri actu religionis expiatur peccatum \*: et David *cor contritum et humiliatum*, quod est ipsa emenda pro peccato, *sacrificium* appellat \*.

IV. Ad evidentiam huius difficultatis, recolendum est quod non vertitur in dubium an actus poenitentiae sit actus laudabilis et virtuosus: sed, an exigat virtutem specialem, ita quod habitus eius sit virtus distincta a reliquis virtutibus. Et mihi quidem videtur quod non sit virtus distincta, propter primas rationes allatas \* ex parte subiecti et obiecti; sed quod actus poenitentiae est actus religionis.

Quod ut clarius percipiatur, distingue duos actus poenitentiae: alterum, ad recompensandum offensam; alterum, ad recompensandum indulgentiam; nam peccando et Deum offendimus, et nobis plus indulsimus quam fas erat. Et primum, quod est praecipuum in poenitentia, vocatur satisfacere quoad culpam: secundum, satisfacere quoad poenam \*. Horum autem actuum, ut ex his quae inter homines videmus ad divina ascendamus, primus consistit in tribus, scilicet displicentia de offensa, confessione peccati, et submissione sui ad offensum: cum his enim tribus recurrit homo ad hominem pro venia; et si his non placatur offensus, nulla restat recta via obtinendi reconciliationem

offensi. Secunda autem satisfactio consistit in luendo poenam, ut clare patet.

Ex his autem ad divinam reconciliationem ascendendo, eadem tria sufficere credimus ad divinam misericordiam provocandam. Horum autem nullum aliam virtutem quam caritatem religionemque requirit. Nam displicentia offensae in Deum actus est caritatis, cuius est gaudere et complacere in bono divino. Confessio autem peccati, non solum exterior sed etiam interior, actus est religionis absque alia virtute media imperatus rationi, cuius est enuntiare peccatum. Submissio autem sui ad Deum religionis actus est: nec aliquid addit ratio poenitentiae nisi causam, scilicet *pro offensa*; sicut ratio gratitudinis addit *pro beneficio*.

Et probatur ratione. Quia religionis actus est quo excellentiam divinam, nostramque subiectionem ad Deum profitemur. Sed uterque istorum actuum, scilicet interior confessio et voluntaria submissio, in utriusque professione consistit: nam qui *confitetur Deo adversus se iniustitiam suam* \* submittendo se, et confessione et submissione subiectionem suam fatetur; simul et excellentiam divinam, cui se submittit, cuius excellentissima omnipotentia *parcendo manifestatur* \*, cuique *proprium est misereri semper et parcere* \*. Est igitur velle operari ad recompensationem offensae proprie Deo, religionis actus elicitus.

Et confirmatur. Quia virtus poenitentiae non est virtus, ut infra \* patebit, acquisita, sed infusa; non ex ratione naturali, sed ex lumine divinae revelationis vim habens; eodemque cursu quo religio currit accepta. In cuius signum, inter praecipua religionis ita sunt sacrificia et orationes pro peccatis sicut pro beneficiis.

Nec propterea arguimus Auctorem. Quoniam verum est poenitentiam esse specialem virtutem, latiori vocabulo utendo. Nec hoc mirum videatur alicui, aut novum in doctrina Auctoris: quoniam in praecedenti Libro \* simile quid apparet, dum posita est virginitas specialis virtus, quae tamen non est nisi religio determinata ad tam excellentem materiam.

V. Reliquus vero actus poenitentiae, scilicet satisfacere quoad poenam \*, potest poni actus religionis imperatus mediante virtute vindicativae iustitiae participatae in subdito, ita quod peccator puniat se quasi minister Dei vindicantis.

Potest etiam poni actus religionis immediate, pro quanto religio ipsa debitam poenam exsolvit, ut perficiatur satisfactio debita a filio servoque Domino ac Patri: hoc enim iustum secundum quid religio attendit inter hominem et Deum, cum iustum simpliciter esse nequeat.

Potes autem percipere hanc quoque satisfactionem spectare ad religionem, ex eo quod nonnullus cultus est divinae excellentiae ex nostra subiectione, ut voluntarie huiusmodi poenas offeramus ei pro usurpatis contra aut praeter voluntatem divinam.

VI. Et haec de hac difficultate dicta sufficiant. Prosequemur in sequentibus tractatum de poenitentia ea dicendo quae stant cum utraque opinione: scilicet quod poenitentia sit una virtus per se distincta a reliquis; et quod poenitentia coincidat cum religione totaliter aut principaliter, et cum iustitia forte vindicativa seu commutativa quoad actum secundarium.

### ARTICULUS TERTIUS

#### UTRUM VIRTUS POENITENTIAE SIT SPECIES IUSTITIAE

IV *Sent.*, dist. xiv, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 4, ad 4; qu<sup>a</sup> 5.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod virtus poenitentiae non sit species iustitiae. Iustitia enim non est virtus theologica, sed moralis, ut in Secunda Parte \* patet. Poenitentia autem videtur virtus esse theo-

logica, quia habet Deum pro obiecto: satisfacit enim Deo, cui etiam reconciliat peccatorem. Ergo videtur quod poenitentia non sit pars <sup>a</sup> iustitiae.

2. PRAETEREA, iustitia, cum sit virtus moralis, consistit in medio \*. Sed poenitentia non consistit

\* Virgil. *Aeneid.* lib. VI, vers. 853.

\* Ps. xxxi, vers. 5.

\* Collect. Dom. X post Pentec. \* Collect. in die Obitus.

\* Art. 6. Comment. num. II sqq.

\* II<sup>a</sup> II<sup>a</sup>e, qu. c.ii, art. 3.

\* Cf. qu. LXXXIV, art. 7, ad 2.

\* Ps. L, vers. 19.

\* Num. II, III.

\* Cf. num. IV, *Quod ut.*

\* Cf. num. v.

\* I<sup>a</sup> II<sup>a</sup>e, qu. LIX, art. 5; qu. LXII, art. 2, 3.

\* Cf. Arist. *Ethic.* lib. II, cap. vi, n. 15. - S. Th. lect. VII.

a) pars. - species P.



\* Vers. 26. in medio, sed in quodam excessu: secundum illud Ierem. vi \*: *Luctum unigeniti fac tibi, plantum amarum*. Ergo poenitentia non est species iustitiae.

\* Cap. II, n. 12. - S. Th. lect. IV. 3. PRAETEREA, duae sunt species iustitiae, ut dicitur in V *Ethic.* \*, scilicet *distributiva* et *commutativa*. Sed sub neutra videtur poenitentia contineri. Ergo videtur quod poenitentia non sit species iustitiae.

\* Vers. 21. Ord. sine nom. 4. PRAETEREA, super illud Luc. vi \*, *Beati qui nunc fletis*, dicit Glossa \*: *Ecce prudentia, per quam ostenditur quam haec terrena sint misera, et quam beata caelestia*. Sed flere est actus poenitentiae. Ergo poenitentia magis est prudentiae <sup>β</sup> quam iustitiae.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro de *Poenitentia* \*: *Poenitentia est quaedam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet se commisisse*. Sed facere vindictam pertinet ad iustitiam: unde Tullius, in sua *Rhetorica* \*, ponit *vindicativam* unam speciem iustitiae. Ergo videtur quod poenitentia sit species iustitiae.

\* De Vera et Falsa Poenit., cap. VIII, XIX. - Inter Opp. Aug.

\* De Invent. Rhetor. lib. II, cap. LIII.

\* Art. praeced.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, poenitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret caritas: sed ex eo quod poenitens dolet de peccato commisso in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensae contra aliquem commissae fit non per solam cessationem offensae, sed exigitur ulterius quaedam recompensatio, quae habet locum in offensis in alterum commissis sicut et retributio: nisi quod recompensatio est ex parte eius qui offendit, ut puta cum satisfactione; retributio autem est ex parte eius in quem fuit offensa commissa. Utrumque autem ad materiam iustitiae pertinet: quia utrumque est commutatio quaedam. Unde manifestum est quod poenitentia, secundum quod est virtus, est pars iustitiae \*.

\* D. 1017.

\* Cap. VI, n. 4. - S. Th. lect. XI.

Sciendum tamen quod, secundum Philosophum, in V *Ethic.* \*, dupliciter dicitur iustum: scilicet simpliciter, et secundum quid. Simpliciter quidem iustum est inter aequales: eo quod iustitia est aequalitas quaedam. Quod ipse vocat *iustum politicum* vel *civile*: eo quod omnes cives aequales sunt, quantum ad hoc quod immediate sunt sub principe, sicut liberi existentes.

\* D. 803.

\* Arist. loc. prox. cit. n. 8, 9.

Iustum autem secundum quid dicitur quod est inter illos quorum unus est sub potestate alterius: sicut servus sub domino, filius sub patre \*, uxor sub viro \*. Et tale iustum consideratur in poenitentia. Unde poenitens recurrit ad Deum, cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum, secundum illud Psalmi \*, *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec miseretur nostri*; et sicut filius ad patrem, secundum

\* Ps. CXXII, vers. 2.

illud Luc. xv \*, *Pater, peccavi in caelum et coram te*; et sicut uxor ad virum, secundum illud Ierem. III \*, *Fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus*.

\* Vers. 18.

\* Vers. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut in V *Ethic.* \* dicitur, iustitia est <sup>γ</sup> *ad alterum*. Ille autem ad quem est iustitia, non dicitur esse materia iustitiae: sed magis res quae distribuuntur vel commutantur. Unde et materia poenitentiae non est Deus, sed actus humani quibus Deus offenditur vel placatur: sed Deus se habet sicut ille ad quem est iustitia. Ex quo patet quod poenitentia <sup>δ</sup> non est virtus theologica: quia non habet Deum pro materia vel pro obiecto.

\* Cap. I, n. 15 sqq. - S. Th. lect. II.

γ

δ

AD SECUNDUM DICENDUM quod medium iustitiae est aequalitas quae constituitur inter illos inter quos est iustitia, ut dicitur in V *Ethic.* \* In quibusdam autem non potest perfecta aequalitas constitui, propter alterius excellentiam: sicut inter filium et patrem, inter hominem et Deum, ut Philosophus dicit, in VIII *Ethic.* \* Unde in talibus ille qui est deficiens, debet facere quidquid potest, nec tamen hoc erit sufficiens <sup>ε</sup>, sed solum secundum acceptionem superioris. Et hoc significatur per excessum qui attribuitur poenitentiae.

\* Cap. V, n. 17. - S. Th. lect. X.

\* Cap. XIV, n. 4. - S. Th. lect. XIV.

ε

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut est commutatio quaedam in beneficiis, cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit, ita etiam est commutatio in offensis: cum aliquis pro offensa in alterum commissa vel invitatus punitur, quod pertinet ad vindicativam iustitiam; vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad poenitentiam, quae respicit personam peccatoris sicut iustitia vindicativa personam iudicis. Unde manifestum est quod utraque sub iustitia commutativa continetur.

AD QUARTUM DICENDUM quod poenitentia, licet directe sit species iustitiae, comprehendit tamen quodammodo ea quae pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim est iustitia quaedam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quae sunt virtutum theologiarum, quae habent Deum pro obiecto. Unde poenitentia est cum fide passionis Christi; per quam iustificamur a peccatis; et cum spe veniae; et cum odio vitiorum, quod pertinet ad caritatem. - In quantum vero est virtus moralis, participat aliquid prudentiae, quae est directiva omnium virtutum moralium. - Sed ex ipsa ratione iustitiae non solum habet id quod iustitiae est, sed etiam ea quae sunt temperantiae et fortitudinis: in quantum scilicet ea quae delectationem causant ad temperantiam pertinentem, vel <sup>ζ</sup> terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in commutationem iustitiae veniunt. Et secundum hoc ad iustitiam pertinet et abstinere a delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam; et sustinere dura, quod pertinet ad fortitudinem.

ζ

β) est prudentiae. - est species pF, est species prudentiae PsFG et a, prudentiae (quam iustitiae) est actus I; Ergo... iustitiae om. E. γ) est. - virtus addunt F et tertia. - est iustitia PFGHI; dicitur iustitia bc, iustitia dicitur (non est materia) ed. a, iustitia ceteri.

δ) poenitentia. - Ed. a et per Alias margo P; iustitia.

ε) sufficiens. - simpliciter addit tertia.

ζ) pertinentem, vel. - F et tertia praeter P; pertinent vel P, pertinentem ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo tertio tria advertenda occurrunt. Primum est de actu poenitentiae: an contineatur sub commutativa iustitia. — Secundum est: an sistat in commutativa iustitia. — Tertium est: an reddat aequale simpliciter, vel secundum acceptationem Dei tantum.

\* Art. 1. principali. - Cf. num. III.

Et primum quidem propter Scotum, qui, in IV *Sent.*, dist. xiv, qu. II\*, posuit actum poenitentiae esse actum iustitiae punitivae, quae distinguitur contra iustitiam commutativam. Tenuit enim poenitentem ut ministrum iudicis punire se, ut culpa ordinetur per poenam. Ac per hoc, cum actus iudicis sit vindicare, seu velle infligere poenam pro peccato, qui est actus iustitiae vindicativae, idem actus erit in poenitente, tanquam exequente contra seipsum vindictam a iudice statutam.

\* IV *Sent.*

Secundum vero dubium motum est propter Durandum\*, dist. xiv, art. II, ubi ponit poenitentiam esse idem quod iustitia commutativa: quia ordinat hominem ad alterum, idest Deum, in ratione debiti propter offensam.

\* Ad arg. 2. principale.

Tertium autem movetur propter Scotum, ubi supra, qu. III\*, tenentem quod aequale ex natura rei posset reddi, ita quod poena esset aequalis culpae: ut sic culpa sufficienter ordinetur per poenam.

II. Ad horum evidentiam, notandum est primo, quod Auctor loquitur de poenitentia ut est recompensativa Deo tam pro culpa quam pro poena. Scotus vero solam poenae rationem habuit: nec posuit poenitentiam ad reconciliandum Deum offensum, sed solummodo ad puniendam culpam commissam.

Unde adverte secundo, quod Auctor posuit poenitentem ut alterum extremum respectu Dei. Scotus vero posuit poenitentem in utroque extremo: dum ponit ipsum ex una parte ut ministrum iudicis vindicantem; et ex altera parte ponit ipsum ut reum in quem fit vindicta, constituendo aequalitatem poenae ad culpam. Et propterea non est mirum si varia dicuntur ab istis.

Verum si diligentius perspectum fuerit, et praecipuus

poenitentiae actus consideratus fuerit, apparebit quod prima poenitentiae intentio est operari ad reconciliationem offensi per recognitionem peccati et submissionem sui: iuxta illud\*: *Dixi, Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei;* ubi *impietatem* dixit, non *poenam*, monstrans per hoc quod huiusmodi sui ipsius accusatio apud Deum remissioni offensae cooperatur, utpote ad illam ordinata.

\* Ps. xxxi, vers. 5.

Et hinc sequitur quod poenitens, ut poenitens, non tenet personam ministri et rei: sed rei tantummodo, non puniendi tantum, sed principaliter reconciliandi per proprium opus ad divinam misericordiam accedentis.

\* Num. I.

III. Unde ad primum dubium\* dicitur quod, licet poenitentia quoad actum secundarium, qui est solutio poenae, sit forte actus iustitiae vindicativae: quia tamen vindicta fit secundum aequale iustitiae commutativae, ex hoc ipso non excluditur iustitia commutativa, sed includitur, sicut genus includitur in specie. Nec enim aliter distinguitur vindicativa contra commutativam nisi sicut species distinguitur a genere.

Ad secundum vero dubium dicitur quod, cum inter Deum et hominem non sit iustum simpliciter sed secundum quid, non videtur erudite dictum quod poenitentia coincidit cum iustitia absolute. Nec ratio allata hoc infert: quoniam oportet addere quod reddit debitum *aequale*; quod hic non salvatur.

Ad tertium autem dicendum, puto, quod in aequivoco laboramus. Quoniam nos de aequali ad totum quod debetur ex peccati ratione, loquimur: et dicimus non posse reddi aequale Deo. Ille vero de aequali ad solam poenam temporalem, quae post reconciliationem solvenda restat, loqui videtur: quam aequalitatem fieri posse non videtur negandum, cum Iob dicat\*: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris haec gravior appareret.*

\* Cap. vi, vers. 2, 3.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM SUBIECTUM POENITENTIAE SIT PROPRIE VOLUNTAS

IV *Sent.*, dist. xiv, qu. I, art. 3, qu<sup>a</sup> 1.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod subiectum poenitentiae non sit proprie voluntas. Poenitentia enim est tristitiae species. Sed tristitia est in concupiscibili, sicut et gaudium. Ergo poenitentia est in concupiscibili.

\* Loc. cit. in art. 3, arg. *Sed Cont.*

\* Aristot. *Rhetor.* lib. II, cap. II, n. 1. - Cf. Gloss. Ord. *Levit.* cap. XIX, vers. 17.

2. PRAETEREA, poenitentia est *vindicta quaedam*, ut Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia*\*. Sed vindicta videtur ad irascibilem pertinere: quia ira est *appetitus vindictae*\*. Ergo videtur quod poenitentia sit in irascibili.

\* Al. *de Mem. et Remin.*, cap. I. - S. Th. lect. I. - Art. 1, ad 2, 3.

3. PRAETEREA, praeteritum est proprium obiectum memoriae, secundum Philosophum, in libro *de Memoria*\*. Sed poenitentia est de praeterito, ut dictum est\*. Ergo poenitentia est in memoria sicuti in subiecto.

α

4. PRAETEREA, nihil agit ubi non est. Sed poenitentia excludit peccata α ab omnibus viribus

animae. Ergo poenitentia est in qualibet vi animae, et non in voluntate tantum.

SED CONTRA, poenitentia est sacrificium quoddam: secundum illud Psalmi\*: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Sed offerre sacrificium est actus voluntatis: secundum illud Psalmi\*: *Voluntarie sacrificabo tibi*. Ergo poenitentia est in voluntate.

\* Ps. L, vers. 19.

\* Ps. LIII, vers. 8.

RESPONDEO DICENDUM quod de poenitentia dupliciter loqui possumus. Uno modo, secundum quod est passio quaedam. Et sic, cum sit species tristitiae, est in concupiscibili sicut in subiecto.

Alio modo, secundum quod est virtus. Et sic, sicut dictum est\*, est species iustitiae\*\*. Iustitia autem, ut in Secunda Parte\* dictum est, habet pro subiecto appetitum rationis, qui est voluntas. Unde manifestum est quod poenitentia, secundum quod est virtus, est in voluntate sicut

\* Art. praeced. \*\* D. 1017. \* II<sup>a</sup> II<sup>a</sup>, qu. LVIII, art. 4. - Cf. I<sup>a</sup> II<sup>a</sup>, qu. LVI, art. 6.

α) peccata. - peccatum PFC.

in subiecto. Et proprius eius actus est propositum emendandi Deo quod contra eum commissum est.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa procedit de poenitentia secundum quod est passio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod vindictam expetere <sup>β</sup> ex passione de alio pertinet ad irascibilem. Sed appetere vel facere vindictam ex ratione de se vel de alio, pertinet ad voluntatem.

AD TERTIUM DICENDUM quod memoria est vis

<sup>β</sup>) expetere. — appetere tertia.

apprehensiva praeteriti. Poenitentia autem non pertinet ad vim apprehensivam, sed ad appetitivam, quae praesupponit actum apprehensivae. Unde poenitentia non est in memoria, sed supponit eam.

AD QUARTUM DICENDUM quod voluntas, sicut in Prima Parte \* habitum est, movet omnes alias potentias animae. Et ideo non est inconveniens si poenitentia, in voluntate existens, aliquid in singulis potentiis animae operatur.

\* Qu. LXXXII, art. 4; I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. IX, art. 1.

### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Dig. I, 1, de Justit. et Iure, 10; Instit. I, 1, eod. tit.

\* Cf. art. II, Comment. num. VI.

IN articulo quarto intellige, Novitiae, quod, sicut iustitia est voluntas ius suum unicuique tribuens \*, ita poenitentia est voluntas tribuens Deo ius suum pro peccato contra eum commisso. Est enim, sive sit idem quod religio sive non \*, talis voluntas, quoniam pars est iustitiae, quae in actu voluntatis consistit. Reddit autem poenitentia Deo ius suum pro offensa, confitendo, detestando, ac sub-

mittendo se peccatorem Deo offenso, hoc enim est aequale secundum quid, quod ab homine reddi potest: quoad poenam vero, affligendo se, etc.

Et quoniam huiusmodi voluntas ex maiori vel minori potest affectu procedere, ideo varia invenitur dispositio vere poenitentium: maior minorque fructus divinae gratiae inde percipitur.

## ARTICULUS QUINTUS

### UTRUM PRINCIPIUM POENITENTIAE SIT EX TIMORE

IV Sent., dist. XIV, qu. I, art. 2, qu<sup>a</sup> 1.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 6.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod principium poenitentiae non sit ex timore. Poenitentia enim incipit in displicentia peccatorum. Sed hoc pertinet ad caritatem, ut supra \* dictum est. Ergo poenitentia magis oritur ex amore quam ex timore.

\* Art. 2, ad 1; art. 3.

2. PRAETEREA, ad poenitentiam homines provocantur per expectationem regni caelestis: secundum illud Matth. IV \*: *Poenitentiam agite: appropinquabit enim regnum caelorum*. Sed regnum caelorum est obiectum spei. Ergo poenitentia magis procedit ex spe quam ex timore.

\* Vers. 17; cap. III, vers. 2.

3. PRAETEREA, timor est interior actus <sup>α</sup> hominis. Poenitentia autem non videtur esse <sup>β</sup> ex opere hominis, sed ex opere Dei: secundum illud Ierem. XXXI \*: *Postquam convertisti me, egi poenitentiam*. Ergo poenitentia non procedit ex timore.

\* Vers. 19.

SED CONTRA EST quod Isaiae XXVI \* dicitur: *Sicut quae concipit <sup>γ</sup>, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus, scilicet per poenitentiam: et postea subditur, secundum aliam litteram \*: *A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus <sup>δ</sup>, et peperimus spiritum salutis, id est poenitentiae salutaris, ut per praemissa \* patet. Ergo poenitentia procedit ex timore.**

\* Vers. 17.

γ

\* LXX Interpret.

δ

\* In eod. cap.

RESPONDEO DICENDUM quod de poenitentia loqui possumus dupliciter. Uno modo, quantum ad habitum. Et sic immediate a Deo infunditur, sine

nobis \* principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus.

Alio modo possumus loqui de poenitentia quantum ad actus quibus Deo operanti in poenitentia <sup>ε</sup> cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor: secundum illud *Thren. ult. \*: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*. — Secundus actus est motus fidei. — Tertius actus est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur. — Quartus actus est motus spei, quo quis, sub spe veniae consequendae, assumit propositum emendandi. — Quintus actus est motus caritatis, quo <sup>ζ</sup> alicui peccatum displicet secundum se ipsum, et non iam propter supplicia. — Sextus actus est motus timoris filialis, quo, propter reverentiam Dei, aliquis emendam Deo voluntarius offert.*

\* Cf. Magist. II Sent., dist. XXVII, cap. *Hic videndum*; I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LV, art. 4.

\* Orat. Ierem., vers. 21.

Sic igitur patet quod actus poenitentiae a timore servili procedit sicut a primo motu affectus ad hoc ordinante <sup>η</sup>: a timore autem filiali sicut ab immediato et proximo principio.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod peccatum prius incipit homini displicere, maxime peccatori, propter supplicia, quae respicit timor servilis, quam propter Dei offensam vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad caritatem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in *regno caelorum appropinquante* intelligitur adventus regis non solum praemiantis, sed etiam punientis. Unde

<sup>α</sup>) interior actus. — actus E, quidam interior actus F, quidam actus interior tertia.  
<sup>β</sup>) esse. — in nobis esse tertia.  
<sup>γ</sup>) concipit. — concepit PB.

<sup>δ</sup>) parturivimus. — quasi parturivimus tertia.  
<sup>ε</sup>) poenitentia. — DFa et tertia; poenitentiam.  
<sup>ζ</sup>) quo. — DFa et tertia; vel quo.  
<sup>η</sup>) ordinante. — ordinate H, ordinato b, ordinato Pc.

\* Vers. 7.

et, Matth. III \*, Ioannes Baptista dicebat: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?*

AD TERTIUM DICENDUM quod etiam ipse motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor:

unde dicitur *Deuteron. v \**: *Quis det eos talem habere mentem ut timeant me?* Et ideo per hoc quod poenitentia a timore procedit, non excluditur quin procedat ex actu Dei convertentis cor.

\* Vers. 29.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM POENITENTIA SIT PRIMA VIRTUTUM

IV *Sent.*, dist. xiv, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 2.

\* Vers. 2.

\* Ord.

α

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poenitentia sit prima virtutum. Quia super illud Matth. III \*, *Poenitentiam agite*, dicit Glossa \*: *Prima virtus est per poenitentiam punire veterem hominem et vitia odire* α.

2. PRAETEREA, recedere a termino prius esse videtur quam accedere ad terminum. Sed omnes aliae virtutes pertinere videntur ad accessum ad terminum: quia per omnes homo ordinatur ad bonum agendum. Poenitentia autem videtur ordinari ad recessum a malo. Ergo poenitentia videtur prior esse omnibus aliis virtutibus.

3. PRAETEREA, ante poenitentiam est peccatum in anima. Sed simul cum peccato nulla virtus animae inest. Ergo nulla virtus est ante poenitentiam, sed ipsa videtur esse prima, quae aliis aditum β aperit excludendo peccatum.

\* Art. praeced.

β

SED CONTRA EST quod poenitentia procedit ex fide, spe et caritate, sicut iam \* dictum est. Non ergo poenitentia est prima virtutum.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXV, art. 3.

\* D. 1177.

RESPONDEO DICENDUM quod in virtutibus non attenditur ordo temporis quantum ad habitus: quia, cum virtutes sint connexae, ut in Secunda Parte \* habitum est, omnes simul incipiunt esse in anima. Sed dicitur una earum esse prior altera ordine naturae, qui consideratur ex ordine actuum: secundum scilicet quod actus unius virtutis praesupponit actum alterius virtutis \*.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cxiii, art. 7, 8.

Secundum hoc ergo dicendum est quod actus quidam laudabiles etiam tempore praecedere possunt actum et habitum poenitentiae: sicut actus fidei et spei informium, et actus timoris servilis. Actus autem et habitus caritatis simul sunt tempore cum actu et habitu poenitentiae, et cum habitibus aliarum virtutum: nam, sicut in Secunda Parte \* habitum est, in iustificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per caritatem formatus, et motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae. Horum tamen duorum actuum primus

naturaliter praecedit secundum: nam actus poenitentiae virtutis γ est contra peccatum ex amore Dei, unde primus actus est ratio et causa secundi. Sic igitur poenitentia non est simpliciter prima virtutum, nec ordine temporis nec ordine naturae: quia ordine naturae simpliciter praecedunt ipsam virtutes theologicae \*.

γ

\* D. 1018.

Sed quantum ad aliquid est prima inter ceteras virtutes ordine temporis, quantum ad actum eius qui primus occurrit in iustificatione impii. Sed ordine naturae videntur esse aliae virtutes priores, sicut quod est per se prius est δ eo quod est per accidens: nam aliae virtutes per se videntur esse necessariae ad bonum hominis, poenitentia autem supposito quodam, scilicet peccato praeeexistente; sicut etiam dictum est \* circa ordinem sacramenti poenitentiae ad alia sacramenta praedicta.

δ

\* Qu. LXV, art. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod glossa illa loquitur quantum ad hoc quod actus poenitentiae primus est tempore inter actus aliarum virtutum ε.

ε

AD SECUNDUM DICENDUM quod in motibus successivis recedere a termino est prius tempore quam pervenire ad terminum; et prius natura quantum est ex parte subiecti, sive secundum ordinem causae materialis. Sed secundum ordinem causae agentis et finalis, prius est pervenire ad terminum: hoc enim est quod primo agens intendit. Et hic ordo praecipue attenditur in actibus animae ζ, ut dicitur in II *Physicorum* \*.

ζ

\* Cap. ix, n. 3. - S. Th. lect. xv.

AD TERTIUM DICENDUM quod poenitentia aperit aditum virtutibus expellendo peccatum per virtutem fidei et caritatis, quae sunt naturaliter priores. Ita tamen aperit eis aditum quod ipsae simul intrant cum ipsa: nam in iustificatione impii simul cum motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, est remissio culpae et infusio gratiae, cum qua simul infunduntur omnes virtutes, ut in Secunda Parte \* habitum est.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXV, art. 3, 5.

α) odire. - odisse P, odire ergo etc. ed. a.  
β) aditum. - P; ianuam F, animam ceteri.  
γ) poenitentiae virtutis. - virtutis poenitentiae P.

δ) prius est. - Fla; est prius cetera tertia, prius ceteri. - per se ante et post videntur esse habent ABC.  
ε) virtutum. - moralium addunt F et tertia.  
ζ) animae. - D et editiones; om. C, animi ceteri.

## Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulis quinto et sexto simul, ne fallaris, Novitiae, intelligens actus quibus Deo in poenitentia cooperamur, esse actus procedentes a virtute poenitentiae. Hoc enim falsum est: cum multi actus illi, scilicet qui sine caritate esse possunt, praecedant poenitentiam ut est virtus, et tamen sunt actus boni, quibus Deo cooperamur ad poenitentiam consequendam. Nec te turbet actus timoris servilis: quoniam pro timore poenarum sumitur, et est bonus; et non pro timore poenarum tantum.

II. In eodem articulo sexto dubium occurrit ex Scoto et Durando, an poenitentia sit virtus acquisita. Nam Scoto, ubi supra \*, qu. III \*\*, tenet poenitentiam esse virtutem acquisitam: quia voluntas ex frequentatis actibus poenitendi potest generare in se habitum inclinantem ad similes actus; et ille erit vere virtus, quia rectissimae rationi consonus. — Et amplius sentit quod potest esse informis: quia potest manere cum peccato mortali.

Durandus autem, ubi supra \*, negat ipsam esse virtutem infusam: quia nulla talis est praeter theologicas.

III. Ad huius evidentiam, sciendum est quod esse virtutem infusam contingit dupliciter: vel per se, vel per accidens. Per se quidem virtus infusa est quae nec ex natura nec ex acquisitione, sed sola infusione haberi potest, ut caritas. Per accidens autem est quae ex suo genere nata est acquiri, sed accidit quod in hoc sit infusa: ut cum Deus infundit alicui habitum scientiae moralis vel naturalis, aut habitum temperantiae seu fortitudinis.

Rursus sciendum est quod aliud est habere aliquem habitum electivum secundum rationem rectam \*: et aliud

est habere similem habitum secundum rationem virtutis. Verbi gratia, aliud est habere habitum amoris acquisitum ex frequentibus actibus amandi Deum et proximum, etiam secundum regulas fidei: et aliud est habere virtutem caritatis. Habere enim virtutem caritatis est habere habitum infusum *dividentem filios Dei a filiis perditionis* \*: habere autem habitum acquisitae caritatis non est habere huiusmodi virtutem, quae est donum Dei, ut ex se patet.

IV. His praemissis, dicitur quod, quia poenitentia est per se virtus infusa, quantumcunque ex frequentatis poenitendi actibus similis habitus generari possit, nunquam perveniet ad plenam rationem virtutis poenitentiae: quia nunquam perveniet ad hoc quod sit donum reconcilians Deo offenso.

Quod autem poenitentia sit virtus per se infusa, ex eo patet quod omnes illae virtutes quae ex suo genere ordinant hominem secundum statum vitae gratiae, sunt ex suo genere infusae, utpote excedentes statum vitae quae est secundum naturam et rationem naturalem. Sed virtutem poenitentiae constat ad statum vitae quae est secundum gratiam Dei pertinere: sicut et religionem ut est circa sacramenta, circa venerationem Dei unius et trini, etc.

Unde apparet falsum esse solas theologicas virtutes esse infusas; et virtutem poenitentiae posse esse informem, seu cum peccato mortali; optimeque Auctorem dixisse \* quod *actus et habitus caritatis simul sunt tempore cum actu et habitu poenitentiae*, cum iustificatur impius.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

\* Art. 3, Comment. num. 1.  
\*\* Qu. II, ad ult. arg. principale.

\* Art. 3, Comment. num. 1.

\* Aristot. *Ethic.* lib. II, cap. VI, n. 15. — S. Th. lect. VII.

\* Aug. de *Trin.* lib. XIV, cap. XVIII.

\* In corpore.



QUAESTIO OCTOGESIMASEXTA

DE EFFECTU POENITENTIAE  
QUANTUM AD REMISSIONEM PECCATORUM MORTALIUM

IN SEX ARTICULOS DIVISA

**D**EINDE considerandum est de effectu poenitentiae \*. Et primo, quantum ad remissionem peccatorum mortalium; secundo, quantum ad remissionem peccatorum venialium \*; tertio, quantum ad reditum peccatorum dimissorum \*; quarto, quantum ad restitutionem virtutum \*. Circa primum quaeruntur sex.

α Primo: utrum peccata α mortalia per poenitentiam auferantur.

\* Cf. qu. LXXXIV, Introd.

\* Qu. LXXXVII.

\* Qu. LXXXVIII.

\* Qu. LXXXIX.

α

Secundo: utrum possint sine poenitentia tolli.  
Tertio: utrum possit remitti unum sine alio.  
Quarto: utrum poenitentia auferat culpam remanente reatu.  
Quinto: utrum remaneant reliquiae peccatorum.  
Sexto: utrum auferre peccatum sit effectus poenitentiae in quantum est virtus, vel in quantum est sacramentum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PER POENITENTIAM REMOVEANTUR OMNIA PECCATA

II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. xiv, art. 3; IV *Sent.*, dist. xiv, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; III *Cont. Gent.*, cap. CLVI.

**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per poenitentiam non removeantur omnia peccata. Dicit enim Apostolus, *Heb. XII* \*, quod Esau non invenit locum poenitentiae, quamvis cum lacrimis inquisisset eam: Glossa \*: idest β, non invenit locum veniae et benedictionis per poenitentiam. Et II *Machab. IX* \* dicitur de Antiocho: *Orabat scelestus ille Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus.* Non ergo videtur quod per poenitentiam omnia peccata tollantur.

\* Vers. 17.

\* Interl. et Lomb.

\* Vers. 13.

2. PRAETEREA, dicit Augustinus, in libro *de Sermone Dom. in Monte* \*, quod tanta est labes illius peccati (scilicet, cum post agnitionem Dei per gratiam Christi, oppugnat aliquis fraternitatem, et adversus ipsam gratiam invidiae facibus agitatur), ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia agnoscere et annuntiare cogatur. Non ergo omne peccatum potest per poenitentiam tolli \*.

\* Lib. I, cap. xxii, n. 72, 73.

\* D. 1005.

\* Vers. 32.

3. PRAETEREA, Dominus dicit, *Matth. XII* \*: *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum verbum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* Non ergo omne peccatum remitti potest per poenitentiam.

\* Vers. 22.

SED CONTRA EST quod dicitur *Ezech XVIII* \*: *Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor amplius.*

RESPONDEO DICENDUM quod hoc quod aliquod peccatum per poenitentiam tolli non possit, posset γ contingere dupliciter: uno modo, quia aliquis

γ

de peccato poenitere non posset; alio modo, quia poenitentia non posset delere peccatum. Et primo δ quidem modo, non possunt deleri peccata daemonum, et etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum sunt in malo confirmati \*, ita quod non potest eis displicere peccatum in quantum est culpa, sed solum displicet eis in quantum est ε poena quam patiuntur; ratione cuius aliquam poenitentiam, sed infructuosam habent, secundum illud *Sap. V* \*: *Poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes.* Unde talis poenitentia non est cum spe veniae, sed cum desperatione.

δ

\* D. 151.

ε

\* Vers. 3.

Tale autem non potest esse peccatum aliquod hominis viatoris \*, cuius liberum arbitrium flexibile est ad bonum et ad malum. Unde dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita de quo aliquis poenitere non possit, est erroneum. Primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. — Secundo, quia derogaretur ζ virtuti gratiae, per quam moveri potest cor cuiuscumque peccatoris ad poenitendum: secundum illud *Proverb. XXI* \*: *Cor regis in manu Dei, et quocumque voluerit vertet illud.*

\* D. 1019.

ζ

\* Vers. 1.

Quod autem secundo modo non possit per veram poenitentiam aliquod peccatum remitti, est etiam erroneum. Primo quidem, quia repugnat divinae misericordiae, de qua dicitur, *Ioel II* \*, quod *benignus et misericors est, et η multae misericordiae, et praestabilis super malitia.* Vinceretur quodammodo enim θ Deus ab homine, si

\* Vers. 13.

η

θ

α) peccata. — omnia peccata tertia.  
β) Glossa: idest. — F et tertia; om.  
γ) posset. — possit H, potest editiones.  
δ) Et primo. — Primo F et tertia, Et hoc primo ceteri. — Ante deleri F et tertia addunt per poenitentiam.

ε) in quantum est. — in quantum DEpC, om. tertia.  
ζ) derogaretur. — per hoc derogaretur Pl.  
η) et. — et patiens et PGc, patiens et I, et patiens b.  
θ) quodammodo enim. — enim quodammodo Fa et tertia.

homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. — Secundo, quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam poenitentia operatur, sicut et cetera sacramenta: cum scriptum sit, I Ioan. II \*: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non solum nostris, sed etiam totius mundi.*

\* Vers. 2.

Unde simpliciter dicendum est quod omne peccatum in hac vita per poenitentiam deleri potest.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Esau non vere poenituit. Quod patet ex hoc quod dixit: *Venient dies luctus patris mei, et occidam Iacob fratrem meum* \*.

\* Gen. cap. xxvii, vers. 41.

Similiter etiam nec Antiochus vere poenituit. Dolebat enim de culpa praeterita non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur \*.

\* II Machab. cap. ix, vers. 5 sqq.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illud verbum Augustini sic est intelligendum: *Tanta est labes il-*

*lius peccati ut deprecandi humilitatem subire non possit, scilicet, de facili: secundum quod dicitur ille non posse sanari qui non potest de facili sanari. Potest tamen hoc fieri per virtutem divinae gratiae, quae etiam interdum in profundum maris convertit, ut dicitur in Psalmo* \*.

\* Ps. Lxvii, vers. 23.

AD TERTIUM DICENDUM quod illud *verbum* vel *blasphemia* \* contra Spiritum Sanctum est finalis impenitentia, ut Augustinus dicit, in libro *de Verbis Domini* \*: quae penitus irremissibilis est, quia post finem huius vitae non est remissio peccatorum.

\* Cf. loc. cit. in arg., vers. 31.

\* Serm. LXXI, al. de Verb. Dom. XI. cap. xii, xiii, xxi.

Vel, si intelligatur per blasphemiam Spiritus Sancti peccatum quod fit ex certa malitia, vel etiam ipsa blasphemia Spiritus Sancti, dicitur non remitti, scilicet *de facili*, quia tale \* non habet in se causam excusationis; vel quia pro tali peccato punitur aliquis et in hoc saeculo et in futuro; ut in Secunda Parte \* expositum est.

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. xiv, art. 3.

t) poenitentiam. — veram addit tertia praeter b.

x) tale. — talis F, tale peccatum tertia.

## ARTICULUS SECUNDUS

## UTRUM SINE POENITENTIA PECCATUM REMITTI POSSIT

Infra, qu. LXXXVII, art. 1; IV Sent., dist. xiv, qu. II, art. 5.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sine poenitentia peccatum remitti possit. Non enim est minor virtus Dei circa adultos quam circa pueros. Sed pueris peccata dimittit sine poenitentia. Ergo etiam et adultis.

2. PRAETEREA, *Deus virtutem suam sacramentis non alligavit* \*. Sed poenitentia est quoddam sacramentum. Ergo virtute divina possunt peccata sine poenitentia dimitti.

\* Mag. IV Sent., dist. IV, cap. III<sup>ae</sup> autem.

3. PRAETEREA, maior est misericordia Dei quam misericordia hominis. Sed homo interdum remittit offensam suam homini etiam non poenitenti: unde et ipse Dominus mandat, Matth. v \*: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos.* Ergo multo magis Deus dimittit offensam suam hominibus non poenitentibus.

\* Vers. 44.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Ierem. XVIII \*: *Si poenitentiam egerit gens illa a malo quod fecit, agam et ego poenitentiam a malo quod cogitavi ut facerem ei.* Et sic e converso videtur quod, si homo poenitentiam non agat, quod Deus ei non remittat offensam.

\* Vers. 8.

\* RESPONDEO DICENDUM quod impossibile est peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti, loquendo de poenitentia quae est virtus. Cum enim peccatum sit Dei offensa, eo modo Deus peccatum remittit quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directe opponitur gratiae: ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quod repellit eum a gratia sua. Sicut autem habitum est in Secunda Parte \*, hoc in-

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cx, art. 1.

terest inter gratiam Dei et gratiam hominis, quod gratia hominis non causat, sed praesupponit bonitatem, veram vel apparentem, in homine grato: sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eo quod bona voluntas Dei, quae in nomine gratiae intelligitur, est causa boni <sup>α</sup> creati. Unde potest contingere quod homo remittat offensam qua offensus est alicui, absque aliqua immutatione voluntatis eius: non autem potest contingere quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis eius. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquid bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinae offensae quod voluntas hominis sic immutetur quod convertatur ad Deum, cum detestatione praedictae conversionis et proposito emendae. Quod pertinet ad rationem poenitentiae secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine poenitentia secundum quod est virtus.

α

Sacramentum autem poenitentiae, sicut supra \* dictum est, perficitur per officium sacerdotis, ligantis et solventis. Sine quo potest Deus peccatum remittere: sicut remisit Christus mulieri adulterae, ut legitur Ioan. VIII \*, et peccatrici, ut legitur Luc. VII \*. Quibus tamen non remisit peccata sine virtute poenitentiae: nam, sicut Gregorius dicit, in Homilia \*, *per gratiam traxit <sup>β</sup> intus, scilicet ad poenitentiam, quam per misericordiam suscepit foris.*

\* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 2; art. 3.

\* Vers. 11.

\* Vers. 47, 48.

\* Hom. XXXIII in Evang. <sup>β</sup>

α) boni. — omnis boni F et tertia.

β) traxit. — trahit BCDE.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in pueris non est nisi peccatum originale, quod non consistit in actuali deordinatione voluntatis, sed in quadam habituali deordinatione naturae, ut in Secunda Parte \* habitum est. Et ideo remittitur eis peccatum cum habituali immutatione per infusionem gratiae et virtutum, non autem cum actuali. Sed adulto in quo sunt actualia peccata, quae consistunt in deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata, etiam in baptismo,

sine actuali immutatione voluntatis: quod fit per poenitentiam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ratio illa procedit de poenitentia secundum quod est sacramentum.

AD TERTIUM DICENDUM quod misericordia Dei est maioris virtutis quam misericordia hominis in hoc, quod immutat voluntatem hominis ad poenitendum: quod misericordia hominis facere non potest.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo secundo quaestionis octogesimae sextae, circa illud, *Offensa directe opponitur gratiae*, et eius rationem, *Ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quod repellit eum a gratia sua*, dubium occurrit. Tum quia falsum est offensam directe opponi gratiae: cum offensa sit in voluntate, gratia autem, secundum Auctorem \*, in essentia animae. Non est ergo directe oppositio, sive privativa sive contraria: cum utraque requirat identitatem subiecti \*.

\* Supra, qu. LXII, art. 2; I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CX, art. 4.

\* Cf. num. seq.

\* Cf. ibid., Ad secundum.

Tum quia falsum est quod assumitur pro ratione \*. Nam ex parte offensi haec duo, scilicet esse offensum et abiicere a sua gratia offendentem, nec sunt idem, nec secundum est ratio primi, sed primum se habet ut causa secundi: ut patet in exemplo. Prius enim offendor contumelia a Petro, et ex hac denominor offensus passive; deinde per actum propriae voluntatis meae abiicio Petrum a mea gratia quia prius offendit me: ubi manifeste patet non ex hoc dici me offensum quia abiicio Petrum a mea gratia; sed e contra, causaliter tamen, ideo me abiicere Petrum a mea gratia quia offensus sum.

Tum quia haec duo, scilicet esse offensum et abiicere a sua gratia offendentem, non sunt inseparabiliter connexa \*: sed stat aliquem esse offensum, et tamen non abiicere a sua gratia offendentem; ut saepe contingere videtur inter virum et uxorem adulteram, seu inter patrem et filium ingratum; offensi enim retinent adhuc uxorem seu filium in sua gratia. Ruit ergo fundamentum hoc in littera positum.

\* Cf. ibid.

II. Ad hoc dicitur quod offensa potest dupliciter considerari. Primo, ex parte actus quo infertur offensa. Et sic offensa directe opponitur caritatis rectitudini in actu debitae: est enim deformitas actus privans perfectione caritativa. — Alio modo, ex parte suppositi offendentis: persona enim est quae primo offendit; actus autem quo offendit quasi instrumentum personae est. Et sic proprie et formaliter consideratur offensa. Et sic offensa directe opponitur gratiae, demeritorie tamen. Nam offendens, eo ipso quod offendit, demeretur, et, quantum in se est, privat se gratia eius quem offendit. Unde, quia offendens, ut sic, quantum in se est abiicit a se gratiam offensi, recte dicitur quod offensa directe gratiae opponitur, privative, demeritorie. — Ubi etiam videre potes salvari identitatem subiecti primi denominati tam a gratia quam ab offensa: nam persona est quae primo offendit, et quae primo grata est.

Ad secundum vero dicitur quod procedit ex malo intellectu litterae. Aliud est enim, formaliter loquendo, esse offensum ab aliquo: et aliud est, ultra hoc quod est esse offensum, habere se ut offensum. Primum enim, scilicet esse offensum, nihil ponit aut tollit in offenso, sed solam denominationem: secundum autem addit actum quo se habet ut offensus. Obiectiones igitur secundo et tertio loco inductae acceperunt esse offensum quoad primum: littera vero utitur esse seu dici offensum quoad utrumque, scilicet et ad esse offensum et quoad habere se ut offensum. Constat autem quod in hoc consistit offensum habere se ut offensum, quod abiicit a sua gratia offendentem: quantumcumque enim offensus quis sit, nisi abiiciat offendentem

a sua gratia, non se habet ut offensus. Et ad hoc forte denotandum usurpavit Auctor novam constructionem grammaticaliter, dicens, *offensum alteri abiicere eum a sua gratia*: dicendo *offensus alteri*, intelligi voluit, *habens se ut offensum ad alterum*. Et iuxta hunc sensum intellecta littera omnes excludit obiectiones: quoniam omnes in aequivoco laborant.

Et ex hoc sensu patet ratio solutionis ad primum. Nam offensa, ut sic, meretur ut offensus se habeat ut offensus. Quod nihil aliud est quam quod offensus repellat a sua gratia offendentem.

III. In eodem articulo, advertite quod dupliciter loqui possumus de possibili seu impossibili in hac materia, dum dicitur quod *impossibile est peccatum alicui remitti sine poenitentiae virtute*, et similiter quod *non potest contingere quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis eius*: vel de possibili secundum potentiam ordinariam; vel de possibili secundum potentiam absolutam. Et si quidem sit sermo de possibili secundum potentiam ordinariam, nulla relinquitur difficultatis diversa opinio: omnes enim fatemur quod *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te* \*.

Sed si de possibili absolute sit sermo, accedit quaestio cum Scoto, tractata a nobis superius in Commentariis super Primam Secundae, qu. cxxxiii, art. 2 \*. Et ideo nunc repetendam hanc difficultatem non puto: sed pro praesenti proposito sufficit verificare ea quae in littera dicuntur secundum possibile vel impossibile penes potentiam ordinariam.

\* Aug. Serm. CLXIX, al. de Verb. Apostol. XV, cap. xi.

\* Comm. num. viii sqq.

IV. In eodem articulo, et specialiter in responsione ad primum, pro quanto ad omnem remissionem peccatorum actualium actualis immutatio voluntatis concurrens attribuitur poenitentiae etiam in baptismo, dubium occurrit, quoniam falsum hoc videtur. Quia propositum emendae, in qua ratio formalis poenitentiae dicitur consistere \*, non habet locum in adulto consequente per baptismum plenam remissionem omnium peccatorum: quoniam, ut Ambrosius docuit \*, *baptismus omnia condonat, nullumque luctum, etc., requirit*.

\* Cf. qu. LXXXV, art. 2, 3.

\* Comment. in Ep. ad Rom., ad cap. xi, vers. 29. — Inter Opp. Ambros.

Ad hoc dicitur quod baptismus non praesupponit, sed affert secum actum poenitentiae virtutis perfectum. Quoniam, sicut baptismus datur in remissionem peccatorum, ita qui baptizatur suscipit illum in remissionem peccatorum: ac per hoc, in ipsa susceptione baptismi, subiiciendo se illi, et fatetur se peccasse, et detestatur priorem vitam moriendo illi, et subiicit se Deo ut novum Christi membrum. Et quia hoc totum eligit in remissionem peccatorum, evidenter constat intervenire in baptismo propositum emendae, non futurae, sed praesentis, quae magis voluntas ac electio emendae dicenda est: eligere siquidem haec in remissionem peccatorum est eligere emendam pro peccatis quoad culpam et quoad poenam ratione tanti beneficii quantum est baptisma. Non igitur est intelligendum baptismum omnia condonare sic quod nullum actum in adulto requirat: sed sic quod opportunos actus secum affert, nec eget adminiculo alieno. Et hic est optimus modus omnia condonandi.



## ARTICULUS TERTIUS

## UTRUM POSSIT PER POENITENTIAM UNUM PECCATUM SINE ALIO REMITTI

I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXIII, art. 1; IV *Sent.*, dist. xv, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 1; dist. xviii, qu. II, art. 5, qu<sup>a</sup> 3, ad 1.

**A**D TERTIUM SIC PROCEditur. Videtur quod possit per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti. Dicitur enim Amos IV \*: *Plui<sup>a</sup> super unam civitatem, et super alteram non plui: pars una compluta est, et pars super quam non plui, aruit.* Quod exponens Gregorius, *super Ezech.* \*, dicit: *Cum ille qui proximum odit ab aliis vitiis se corrigit, una et eadem civitas ex parte compluitur, et ex parte arida manet: quia sunt qui, cum quaedam vitia resecant, in aliis graviter perdurant.* Ergo potest unum peccatum per poenitentiam remitti sine alio.

\* Vers. 7.  
α

\* Lib. I, hom. X. - Cf. can. *Pluit Dominus, de Poenit.*, dist. III.

β

\* Serm. XVIII (post Comm. in vers. 136). - Cf. can. *Prima consolatio, de Poenit.*, dist. III.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXIII, art. 1.

\* Vers. 3.

\* *De Vera et Falsa Poenit.*, cap. IX. - Inter Opp. Aug.

2. PRAETEREA, Ambrosius dicit, super β *Beati immaculati* \*: *Prima consolatio est, quia non obliviscitur misereri Deus: secunda per punitionem, ubi, et si fides desit, poena satisfacit et relevat.* Potest ergo aliquis relevari ab aliquo peccato manente peccato infidelitatis.

3. PRAETEREA, eorum quae non necesse est esse simul, unum potest auferri sine alio. Sed peccata, ut in Secunda Parte \* habitum est, non sunt connexa, et ita unum eorum potest esse sine alio. Ergo unum eorum potest remitti sine alio per poenitentiam.

4. PRAETEREA, peccata sunt debita quae nobis relaxari petimus cum dicimus in oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra.* Sed homo quandoque dimittit debitum unum sine alio. Ergo etiam Deus per poenitentiam dimittit unum peccatum sine alio.

5. PRAETEREA, per dilectionem Dei relaxantur hominibus peccata: secundum illud Ierem. xxxi \*: *In caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans.* Sed nihil prohibet quin Deus diligat hominem quantum ad unum, et sit ei offensus quantum ad aliud: sicut peccatorem diligit quantum ad naturam, odit autem quantum ad culpam. Ergo videtur possibile quod Deus per poenitentiam remittat unum peccatum sine alio.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* \*: *Sunt plures quos poenitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quaedam in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum simul mutum et surdum a daemonio liberasse, per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanari.*

RESPONDEO DICENDUM quod impossibile est per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti. Primo quidem, quia peccatum remittitur in quantum tollitur Dei offensa per gratiam: unde in

Secunda Parte \* habitum est quod nullum peccatum potest remitti sine gratia. Omne autem peccatum mortale contrariatur gratiae, et excludit eam. Unde impossibile est quod unum peccatum sine alio remittatur \*.

Secundo quia, sicut ostensum est \*, peccatum mortale non potest sine vera poenitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum in quantum est contra Deum. Quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus. Ubi autem eadem ratio est, et idem effectus. Unde non potest esse vere poenitens qui de uno peccato poenitet et non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum quia γ est contra Deum super omnia dilectum, quod requiritur ad rationem verae poenitentiae, sequeretur quod de omnibus peccatis poeniteret. Unde sequitur quod impossibile sit unum peccatum remitti δ sine alio.

Tertio, quia hoc esset contra perfectionem misericordiae Dei, cuius *perfecta sunt opera*, ut dicitur *Deut.* xxxii \*. Unde cuius miseretur, totaliter miseretur. Et hoc est quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* \*: *Quaedam impietas infidelitatis est ab illo qui iustus et iustitia est, dimidiam sperare veniam.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verbum illud Gregorii non est intelligendum quantum ad remissionem culpae, sed quantum ad cessationem ab actu: quia interdum ille qui plura peccata consuevit committere, deserit ε unum, non tamen aliud. Quod quidem fit auxilio divino, quod tamen non pertingit usque ad remissionem culpae.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in verbo illo Ambrosii *fides* non potest accipi qua creditur in Christum: quia, ut Augustinus dicit, super illud Ioan. xv \*, *Si non venissem et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent*, scilicet infidelitatis: *Hoc enim est peccatum quo tenentur cuncta peccata.* Sed accipitur *fides pro conscientia*: quia interdum per poenas quas quis patienter sustinet, consequitur remissionem peccati cuius conscientiam non habet.

AD TERTIUM DICENDUM quod peccata, quamvis non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile, sunt tamen connexa quantum ad aversionem a bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia. Et ex hac parte habent rationem offensae, quam oportet per poenitentiam tolli.

AD QUARTUM DICENDUM quod debitum exterioris rei, puta pecuniae, non contrariatur amicitiae,

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cix, art. 7; qu. cxiii, art. 2.

\* D. 1013.

\* Art. praeced.

γ

δ

\* Vers. 4.

\* Loc. cit. in arg. *Sed cont.* - Cf. can. *Sunt plures, de Poenit.*, dist. III.

ε

\* Vers. 22. - In *Ioan. Evang.*, tract. LXXXIX.

α) *Plui.* - P; *Pluit.* Ita secundo et tertio loco, sed DpCG om. *pars una... plui.*

β) *super.* - *super psalmum BEF, super illum psalmum ed. a.* Post *immaculati* addit in via tertia praeter I.

γ) *displiceret... quia.* - Tertia; *displicet... quod.*

δ) *remitti.* - *per poenitentiam remitti tertia.*

ε) *deserit.* - Tertia (*dixerit* scribit I); *desinit.*

ex qua debitum remittitur. Et ideo potest unum dimitti sine alio. Sed debitum culpae contrariatur amicitiae. Et ideo una culpa vel offensa non remittitur sine altera. Ridiculum etiam videretur quod <sup>ζ</sup> aliquis ab homine veniam peteret de una offensa et non de alia.

AD QUINTUM DICENDUM quod dilectio qua Deus

diligit hominis naturam, non ordinatur ad bonum gloriae, a qua impeditur homo per quodlibet mortale peccatum. Sed dilectio gratiae, per quam fit remissio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam aeternam: secundum illud *Rom.* vi \*: *Gratia Dei vita aeterna.* Unde non est similis ratio.

\* Vers. 23.

ζ) etiam videretur quod. — Ed. a; etiam videretur quod etiam ADE, videretur quod etiam BCHbc, enim videretur (videtur PF) quod etiam PFGI. — aliquis post homine ponit P, om. cetera tertia.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM, REMISSA CULPA PER POENITENTIAM, REMANEAT REATUS POENAE

I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXXVII, art. 6; IV *Sent.*, dist. xiv, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 2; III *Cont. Gent.*, cap. CLVIII; *Ad Rom.*, cap. XI, lect. IV.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, remissa culpa per poenitentiam, non remaneat reatus poenae. Remota enim causa, removetur effectus. Sed culpa est causa reatus poenae: ideo enim est aliquis dignus poena quia culpam commisit. Ergo, remissa culpa, non potest remanere reatus poenae.

\* Vers. 15 sqq.

2. PRAETEREA, sicut Apostolus dicit, *Rom.* v \*, donum Christi est efficacius quam peccatum. Sed peccando homo simul incurrit culpam <sup>α</sup> et poenae reatum. Ergo multo magis per donum gratiae simul remittitur culpa et tollitur poenae reatus.

α

3. PRAETEREA, remissio peccatorum fit in poenitentia per virtutem passionis Christi: secundum illud *Rom.* III \*: *Quem proposuit Deus propitiatorum per fidem in sanguine ipsius, propter remissionem praecedentium delictorum.* Sed passio Christi sufficienter est satisfactoria pro omnibus peccatis, ut supra \* habitum est. Non ergo post remissionem culpae remanet aliquis reatus poenae.

\* Vers. 25.

\* Qu. XLVIII, art. 2; qu. XLIX, art. 3.

\* Vers. 13, 14.

SED CONTRA EST quod, II *Reg.* XII \*, dicitur quod, cum David poenitens dixisset ad Nathan, *Peccavi Domino*, dixit Nathan <sup>β</sup> ad illum: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen filius qui natus est tibi, morte morietur: quod fuit in poenam praecedentis peccati, ut ibidem dicitur.* Ergo, remissa culpa, remanet reatus alicuius poenae.

β

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXXVII, art. 4.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte \* habitum est, in peccato mortali sunt duo: scilicet aversio ab incommutabili bono, et conversio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte igitur aversionis ab incommutabili bono, consequitur peccatum mortale reatus poenae aeternae: ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur. Ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, in quantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicuius poenae: quia inordinatio culpae non reducitur ad ordinem iustitiae nisi per poenam;

iustum est enim ut qui voluntati suae plus indulsit quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiat, sic enim erit aequalitas; unde et *Apoc.* XVIII \* dicitur: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Quia tamen conversio ad bonum commutabile finita est, non habet ex hac parte peccatum mortale <sup>γ</sup> quod debeatur ei poena aeterna. Unde, si sit inordinata conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, sicut est in peccatis venialibus \*, non debetur peccato poena aeterna, sed temporalis.

\* Vers. 7.

γ

\* D. 259.

Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animae a Deo, in quantum per gratiam anima Deo coniungitur. Unde et per consequens simul tollitur reatus poenae aeternae. Potest tamen remanere reatus alicuius poenae temporalis.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod culpa mortalis utrumque habet, et aversionem a Deo et conversionem ad bonum creatum: sed, sicut in Secunda Parte \* habitum est, aversio a Deo est ibi sicut formale, conversio autem ad bonum creatum est ibi sicut materiale. Remoto autem formali cuiuscumque rei, tollitur species: sicut, remoto rationali, tollitur species humana. Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo, simul cum reatu poenae aeternae. Remanet tamen id quod est materiale, scilicet inordinata conversio ad bonum creatum. Pro qua debetur reatus poenae temporalis <sup>δ</sup>.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXI, art. 6.

δ

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte \* habitum est, ad gratiam pertinet operari in homine iustificando <sup>ε</sup> a peccato, et cooperari homini ad recte operandum. Remissio igitur culpae et reatus poenae aeternae pertinet ad gratiam operantem: sed remissio reatus poenae temporalis pertinet ad gratiam cooperantem, in quantum scilicet homo, cum auxilio divinae gratiae, patienter poenas tolerando, absolvitur etiam a

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CXXI, art. 2.

ε

α) culpam. — Tertia; peccatum.  
β) Peccavi Domino, dixit Nathan. — F et tertia; Peccavi Domino dixit quoque Nathan sB manu non antiqua, om. ceteri.  
γ) mortale. — Om. tertia praeter I.

δ) temporalis. — sBE et tertia praeter I; (non debetur...) aeternae sed temporalis F, aeternae ceteri.  
ε) iustificando. — ipsum addunt PFIsG.

reatu poenae temporalis. Sicut igitur prius est effectus gratiae operantis quam cooperantis, ita etiam prius est remissio culpae et poenae aeternae quam plena absolutio a poena temporali: utrumque enim est a gratia, sed primum a gratia sola, secundum ex gratia et ex libero arbitrio.

AD TERTIUM DICENDUM EST quod passio Christi de se sufficiens est ad tollendum omnem reatum poenae non solum aeternae, sed etiam temporalis: et secundum modum quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem a reatu poenae. In baptismo autem

homo participat totaliter virtutem passionis Christi <sup>γ</sup>, utpote per aquam et Spiritum Christo commortuus peccato et in eo regeneratus ad novam vitam \*. Et ideo in baptismo homo consequitur remissionem reatus totius poenae. In poenitentia vero consequitur virtutem passionis Christi secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia poenitentiae, sicut aqua baptismi, ut supra \* dictum est. Et ideo non statim per primum actum poenitentiae, quo remittitur culpa, solvitur reatus totius poenae, sed completis omnibus poenitentiae actibus.

\* Ioan. cap. III, vers 5; Ad Rom., cap. VI, vers. 4 sqq.

\* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 1.

γ) passionis Christi. — Om. CE.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quarto eiusdem quaestionis, in responsione ad primum, pro quanto ibi dicitur quod, remisso peccato mortali, *remanet inordinata conversio ad commutabile bonum, pro qua debetur reatus poenae temporalis*, adverte sententiam hanc intelligi de possibili, et quoad inordinationem. Non enim necesse est remanere huiusmodi conversionem, sed potest simul totum tolli. Et similiter, dato quod non totum sit sublatum, non est necesse remanere ipsam conversionem: sed inordinationem quae fuit ipsius conversionis. Potest enim qui peccato avaritiae deliquit,

ante remissionem peccati, dimissis avaritiae actibus et inclinationibus, in oppositos actus converti. Et tunc apparet quod, adveniente gratia remittente peccatum prioris avaritiae, non remanet conversio illius habitualis ad commutabile bonum: sed inordinatio ipsius incursa, per poenam temporalem ordinanda. Ratione siquidem illius inordinationis, remanet reatus poenae temporalis tandiu quousque culpabilis inordinatio ordinata sufficienter fuerit per poenam.

### ARTICULUS QUINTUS

#### UTRUM, REMISSA CULPA MORTALI, TOLLANTUR OMNES RELIQUIAE PECCATI

Infra, qu. LXXXIX, art. 1, ad 3; II *Sent.*, dist. xxxii, qu. 1, art. 1; IV, dist. xiv, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 3.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiae peccati. Dicit enim Augustinus, in libro *de Poenitentia* \*: *Nunquam <sup>α</sup> Dominus aliquem sanavit quem omnino non liberavit: totum enim hominem sanavit in Sabbato, quia corpus ab omni infirmitate, et animam ab omni contagione*. Sed reliquiae peccati pertinent ad infirmitatem peccati. Ergo non videtur possibile quod, remissa culpa, remaneant reliquiae peccati.

\* De Vera et Falsa Poenit., cap. IX. — Inter Opp. Aug. α

2. PRAETEREA, secundum Dionysium, IV cap. *de Div. Nom.* \*, bonum est efficacius quam malum: quia malum non agit nisi in virtute boni. Sed homo peccando simul totam infectionem peccati contrahit β. Ergo multo magis poenitendo liberatur etiam ab omnibus peccati reliquiis.

\* S. Th. lect. xvi.

β

3. PRAETEREA, opus Dei est efficacius quam opus hominis. Sed per exercitium humanorum operum ad bonum tolluntur reliquiae peccati contrarii. Ergo multo magis tolluntur per remissionem culpae, quae est opus Dei.

\* Vers. 22 sqq.

SED CONTRA EST quod Marci VIII \* legitur quod caecus illuminatus a Domino, primo restitutus est ad imperfectum visum, unde ait, *Video ho-*

*mines velut arbores ambulare* γ; deinde restitutus est perfecte, *ita ut videret clare omnia*. Illuminatio autem caeci significat liberationem peccatoris. Post primam ergo δ remissionem culpae, qua peccator restituitur ad visum spiritualem, adhuc remanent in eo reliquiae aliquae peccati praeteriti.

γ

δ

RESPONDEO DICENDUM quod peccatum mortale ex parte conversionis inordinatae ad bonum commutabile quandam dispositionem causat in anima; vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum est \*, culpa mortalis peccati remittitur in quantum tollitur per gratiam aversionis a Deo. Sublato autem eo quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id quod est ex parte conversionis inordinatae: cum hanc contingat esse sine illa \*, sicut prius \*\* dictum est. Et ideo nihil prohibet quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex praecedentibus actibus causatae, quae dicuntur peccati reliquiae. Remanent tamen debilitatae et diminutae, ita quod homini non dominantur. Et hoc ε magis per modum dispositionum quam per modum habituum: sicut etiam remanet fomes post baptismum.

\* Art. 4, ad 1.

\* D. 250. \*\* Loc. cit.

ε

α) *Nunquam*. — Fa et tertia; *Nunquam enim*. — Pro *corpus ab omni, et corpus ab tertia*.  
β) *contrahit*. — *incurrit PFI*.  
γ) *ambulare*. — *ambulantes tertia*.

δ) *Post primam ergo*. — *Alias post poenitentiam ergo etcet*, margo P; ex quo dele *cet.*, quod in antiquiorum editionum margine non invenitur.

ε) *Et hoc*. — Om. I et per *Alias* margo P.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Deus totum hominem perfecte curat: sed quandoque subito, sicut socrum Petri statim restituit perfectae sanitati, ita ut *surgens ministraret ei*, ut legitur Luc. IV \*; quandoque autem successive, sicut dictum est de caeco illuminato, Marci VIII \*. Et ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis: ut patet de Magdalena, Luc. VII \*. Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, et postea per gratiam cooperantem successive tollit peccati reliquias.

\* Vers. 39. - Cf. Matth. cap. VIII, vers. 15.

\* Vid. arg. *Sec contra.* - Cf. qu. XLIV, art. 3, ad 2.

\* Vers. 47 sqq.

AD SECUNDUM DICENDUM quod peccatum <sup>ζ</sup> etiam quandoque statim inducit debilem dispositionem, utpote per unum actum causatam: quandoque autem fortiolem, causatam <sup>η</sup> per multos actus.

ζ

η

AD TERTIUM DICENDUM quod uno actu humano non tolluntur omnes reliquiae peccati: quia, ut dicitur in *Praedicamentis* \*, *pravus, ad meliores exercitationes deductus* <sup>θ</sup>, *ad modicum aliquid proficiet, ut melior sit*: multiplicato autem exercitio, ad hoc pervenit ut sit bonus virtute acquisita. Hoc autem multo efficacius facit divina gratia, sive uno sive pluribus actibus.

\* Aristot. *Categ.*, cap. VIII, vers. 17.

ζ) peccatum. - PlsG et c; peccatum post baptismum F, poenitentiam b, post baptismum ceteri.  
η) fortiolem, causatam. - FsE et tertia; fortiolem utpote causatam ed. a, fortior est causativa ceteri.

θ) deductus. - Tertia; perductus. - proficiet tertia; proficeret F, faciet ceteri.

## ARTICULUS SEXTUS

### UTRUM REMISSIO CULPAE SIT EFFECTUS POENITENTIAE SECUNDUM QUOD EST VIRTUS

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 1; *Qq. Dispp. de Verit.*, qu. XXVIII, art. 8, ad 2; *Quodl.* IV, qu. VII, art. 1.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod remissio culpa non sit effectus poenitentiae secundum quod est virtus. Dicitur enim poenitentia virtus secundum quod est principium humani actus. Sed humani actus non operantur ad remissionem culpa, quae est effectus gratiae operantis. Ergo remissio culpa non est effectus poenitentiae secundum quod est virtus.

2. PRAETEREA, quaedam aliae virtutes sunt excellentiores poenitentia. Sed remissio culpa non dicitur effectus alicuius alterius virtutis. Ergo etiam non est effectus poenitentiae secundum quod est virtus.

3. PRAETEREA, remissio culpa non est nisi ex virtute passionis Christi: secundum illud *Heb. IX* \*: *Sine sanguinis effusione non fit remissio*. Sed poenitentia in quantum est sacramentum, operatur in virtute passionis Christi, sicut et cetera sacramenta, ut ex supra \* dictis patet. Ergo remissio culpa non est effectus poenitentiae in quantum est virtus, sed in quantum est sacramentum.

SED CONTRA, illud est proprie causa alicuius sine quo esse non potest: omnis enim effectus dependet a sua causa. Sed remissio culpa potest esse a Deo sine poenitentiae sacramento, non autem sine poenitentia secundum quod est virtus, ut supra \* dictum est. Unde et ante sacramenta novae legis poenitentibus Deus peccata remittebat. Ergo remissio culpa est <sup>α</sup> effectus poenitentiae secundum quod est virtus.

RESPONDEO DICENDUM quod poenitentia est virtus secundum quod est principium quorundam

actuum humanorum. Actus autem humani qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in sacramento poenitentiae. Omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae: ex utroque enim est unum sacramentum, ut supra \* habitum est. Unde, sicut remissio culpa fit in baptismo non solum virtute formae <sup>β</sup>, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit; ita etiam remissio culpa est effectus poenitentiae, principaliter quidem ex virtute clavium, quam <sup>γ</sup> habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento, ut supra \* dictum est; secundario autem ex vi actuum poenitentis pertinentium ad virtutem poenitentiae, tamen prout hi actus aliquantulum ordinantur ad claves Ecclesiae. Et sic patet quod remissio culpa est effectus poenitentiae secundum quod est virtus: principaliter tamen secundum quod est sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod effectus gratiae operantis est iustificatio impii, ut in *Secunda Parte* \* dictum est. In qua, ut ibidem dictum est, non solum est gratiae infusio et remissio culpa, sed etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatae, et motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae. Hi tamen actus humani sunt ibi ut effectus gratiae operantis simul producti cum remissione culpa. Unde remissio culpa non fit sine actu poenitentiae virtutis, licet sit effectus gratiae operantis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in iustificatione impii non solum est actus poenitentiae, sed etiam

\* Qu. LX, art. 6, ad 2.

β

γ

\* Qu. LXXXIV, art. 3.

\* Vers. 22.

\* Art. 4, ad 3; qu. LXII, art. 5.

\* Art. 2; qu. LXXXIV, art. 5, ad 3.

α

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CXI, art. 2; qu. CXIII.

α) est. - praecipue addit tertia.  
β) formae. - sed etiam virtute materiae scilicet aquae principaliter tamen virtute formae addunt PlsG.

γ) quam. - quas tertia.

\* Resp. ad 2; I<sup>a</sup>  
II<sup>a</sup>, qu. cxliii,  
art. 4.

actus fidei, ut dictum est \*. Et ideo remissio culpae non ponitur effectus solum poenitentiae virtutis: sed principaliter fidei et caritatis.

AD TERTIUM DICENDUM quod ad passionem Christi ordinatur actus poenitentiae virtutis et per fidem et per ordinem ad claves Ecclesiae. Et ideo utroque modo causat remissionem culpae virtute passionis Christi.

AD ID AUTEM QUOD IN CONTRARIUM obiicitur, dicendum est quod actus poenitentiae virtutis

habet quod sine eo non possit fieri remissio culpae, inquantum est inseparabilis effectus gratiae, per quam principaliter culpa remittitur, quae etiam operatur in omnibus sacramentis. Et ideo per hoc non potest concludi nisi quod gratia est principalior causa remissionis culpae quam poenitentiae sacramentum.

Sciendum tamen quod etiam in veteri lege et in lege naturae erat aliquo modo sacramentum poenitentiae, ut supra \* dictum est.

\* Qu. LXXXIV, art.  
7, ad 1, 2.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo sexto eiusdem quaestionis, pro quanto remissio culpae ponitur effectus poenitentiae secundum quod est virtus, id est virtutis seu virtuosus actus, dubium occurrit, quoniam hoc videtur repugnare ante dictis ab Auctore. Nam si remissio culpae est effectus poenitentiae ut est actus virtuosus, oportet quod sit effectus non solius gratiae, sed gratiae et liberi arbitrii: quoniam actus huiusmodi virtuosus liberi arbitrii actus est. Oppositum autem dixit Auctor in hac eadem quaestione, articulo quarto, ad secundum, dicendo de remissione culpae et de plena absolutione quod *utrumque est a gratia, sed primum a gratia sola, secundum ex gratia et libero arbitrio*. Si enim est a sola gratia ut distinguitur contra liberum arbitrium, sequitur quod non sit a gratia et a liberi arbitrii actu virtuoso.


II. Ad hoc dicitur quod, quidquid alii forte somnient distinguendo in proposito concursum liberi arbitrii active vel pure passive, actus liberi arbitrii in iustificatione impii concurrentes, sive in Deum sive in peccatum, sunt vere actus non solum liberi arbitrii, sed a libero arbitrio. *Suaviter enim omnia disponens divina Sapientia* \* – quae *creavit me sine me* \*, non passive, quoniam creatio in me terminata est, sed sine me cooperante: *non salvat me sine me* \*

cooperante – movet per gratiam suam liberum arbitrium ad obsequendum gratiae, per hoc quod utitur illa secundum illam operando. Et propterea actus liberi arbitrii, tam respectu Dei quam respectu peccati, in iustificatione inventi sunt effectus gratiae operantis, et non ponunt in numerum cum ipsa gratia operante. Et propterea dictio exclusiva addita gratiae non excludit huiusmodi actus liberi arbitrii, utpote suos effectus. Cum enim dicitur, *Sola causa facit hoc*, non excluditur quin faciat illud mediante aliquo suo effectu. – Et hunc esse sensum Auctoris apparet in calce huius articuli \*, ubi dicitur quod *actus poenitentiae virtutis habet quod sine eo non possit fieri remissio culpae, inquantum est inseparabilis effectus gratiae*.

Nec obstant allegata in oppositum. Quoniam ibi loquitur de gratia ut distinguitur contra liberum arbitrium absolute: et non contra liberum arbitrium ut est effectus ipsius gratiae. Unde opposito modo videntur se habere actus liberi arbitrii et gratia penes operandum et cooperandum. Nam in gratia operante liberum arbitrium se habet ut cooperans: in gratia vero cooperante liberum arbitrium se habet quasi ut operans, et propterea connumeratur gratiae.

\* Ad id autem  
quod in contra-  
rium.

\* Sap. cap. viii,  
vers. 1.  
\* August. Serm.  
CLXIX, al. de  
Verb. Apost. XV,  
cap. xi.  
\* Ibid.



QUAESTIO OCTOGESIMASEPTIMA

DE REMISSIONE VENIALIUM PECCATORUM

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXXVI, Intro.  
**D**EINDE considerandum est de remissione venialium peccatorum\*. Et circa hoc quaeruntur quatuor.  
 Primo: utrum sine poenitentia peccatum veniale possit dimitti.  
 Secundo: utrum possit dimitti sine gratiae infusione.

Tertio: utrum peccata venialia remittantur per aspersionem aquae benedictae<sup>α</sup>, et tuncionem pectoris, et orationem Dominicam, et alia huiusmodi.  
 Quarto: utrum veniale possit dimitti sine mortali.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM VENIALE PECCATUM POSSIT REMITTI SINE POENITENTIA

Art. seq., ad 2; IV Sent., dist. xvi, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 2.

\* Qu. LXXXIV, art. 10, ad 4.  
**A**D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod veniale peccatum possit remitti sine poenitentia. Pertinet enim, ut supra\* dictum est, ad rationem verae poenitentiae quod non solum homo doleat de peccato praeterito, sed etiam proponat cavere de futuro. Sed sine tali proposito peccata venialia dimittuntur: cum certum sit homini quod sine peccatis venialibus praesentem vitam ducere non possit<sup>β</sup>. Ergo peccata venialia possunt remitti sine poenitentia.

2. PRAETEREA, poenitentia non est sine actuali displicentia peccatorum. Sed peccata venialia possunt dimitti sine displicentia<sup>γ</sup> eorum: sicut patet in eo qui dormiens occideretur propter Christum; statim enim evolarēt, quod non contingit manentibus peccatis venialibus. Ergo peccata venialia possunt remitti sine poenitentia.

3. PRAETEREA, peccata venialia opponuntur fervori caritatis, ut in Secunda Parte\* dictum est. Sed unum oppositorum tollitur per aliud. Ergo per fervorem caritatis, quem contingit esse sine actuali displicentia peccati venialis, fit remissio peccatorum venialium.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro de Poenitentia\*, quod est quaedam poenitentia quae quotidie agitur in Ecclesia pro peccatis venialibus. Quae frustra esset si sine poenitentia peccata venialia possunt dimitti<sup>δ</sup>.

RESPONDEO DICENDUM quod remissio culpae, sicut dictum est\*, fit per coniunctionem<sup>ε</sup> ad Deum, a quo aequaliter separat culpa. Sed haec separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale, imperfecte autem per peccatum veniale: nam

per peccatum mortale mens omnino a Deo avertitur, utpote contra caritatem agens; per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis ne prompte in Deum feratur. Et ideo utrumque peccatum per poenitentiam quidem remittitur\*, quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum: sicut enim peccatum mortale remitti non potest quandiu voluntas peccato adhaeret, ita etiam nec peccatum veniale, quia, manente causa, manet effectus. Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior poenitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est: ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quae habetur per habitum caritatis vel poenitentiae virtutis: quia sic caritas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quod requiratur quaedam virtualis displicentia: puta cum aliquis fertur hoc modo secundum affectum in Deum et res divinas ut quidquid ei occurrat quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se hoc commisisse, etiam si actu de illo non cogitaret. Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod homo in gratia constitutus potest vitare omnia peccata mortalia et singula; potest etiam vitare singula peccata venialia, sed non omnia; ut patet ex his

\* Ep. CCLXV, al. CVIII, ad Seleucianam, n. 8; Mag. IV Sent., dist. xvi, cap. Praedictis vero. - Cf. can. Tres sunt, de Poenit., dist. I.

\* Qu. LXXXVI, art. 4.

α) benedictae. - et episcopalem benedictionem addit P.  
 β) homini quod... ducere non possit. - hominem... non posse ducere F, quod homo... ducere non potest P; potest etiam GI.  
 γ) displicentia. - actuali addit P.

δ) possunt dimitti. - possent dimitti EFa, possent dimitti videtur ergo quod peccata venialia non possint sine poenitentia dimitti tertia.  
 ε) coniunctionem. - hominis addit tertia.

\* I<sup>a</sup> II<sup>a</sup> qu. LXXIV, art. 3, ad 2; qu. cix, art. 8.

\* D. 397.

quae in Secunda Parte \* dicta sunt. Et ideo poenitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus. Sed ad poenitentiam peccatorum venialium requiritur quod proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus \*: quia hoc infirmitas huius vitae non patitur. Debet tamen habere propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum

proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quae sunt peccata venialia.

AD SECUNDUM DICENDUM quod passio pro Christo suscepta, sicut supra \* dictum est, obtinet vim baptismi. Et ideo purgat ab omni culpa et mortali et veniali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem.

AD TERTIUM DICENDUM quod fervor caritatis virtualiter implicat displicentiam venialium peccatorum, ut supra \* dictum est.

\* Qu. LXVI, art. 11.

\* In corpore.

### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Cf. num. III.

IN primo articulo quaestionis octogesimaeseptimae dubium duplex occurrit. Primum \* circa litteram, ubi dicitur: *Exigitur ad remissionem peccati mortalis ut homo actualiter singula mortalia detestetur*. Videtur enim hoc falsum. Tum quia detestatio universalis sufficit ad gratiam. Alioquin non posset homo peccator subito ingemiscendo consequi gratiam \*: cum non possit homo tam subito rememorari singula peccata. — Tum quia detestari singula mortalia aut intelligitur singulariter, aut in universali. Sed singulariter non potest intelligi: cum ridiculum videatur, etiam in confessione, de singulis singillatim confiteri. Si autem intelligitur universaliter, sequitur quod non erit opus rememorari singula.

\* Cf. Ezech. cap. xxxiii, vers. 12. — Vide Mag. IV Sent., dist. xvii, cap. I.

\* Cf. num. IV.

Alterum dubium \* est circa illud, scilicet: *Virtualis displicentia non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad oblita*. Videtur enim hoc esse falsum. Quoniam, ex Domini sententia \*, *dimissa sunt peccatrici peccata multa quoniam dilexit multum*: constat enim quod dilectio non est nisi virtualis displicentia.

\* Luc. cap. vii, vers. 47.

II. Ad horum evidentiam, duplici utendum est distinctione. Prima, de remissione peccatorum dupliciter: hoc est, plena; vel quoad culpam tantum. Et regulariter; vel ex speciali gratia.

Secunda est de displicentia peccati formalis, vel virtualis: et formalis generali, vel universali. Vocatur autem displicentia formalis quae formaliter est displicentia. Quae potest dupliciter contingere. Scilicet, ut sit universalis, comprehendens scilicet omnia peccata commissa, cum vera voluntate ab omnibus et singulis abstinendi. Et hoc potest esse in momento. Et est contritio sufficiens ad remissionem infinitorum peccatorum mortalium: quia sufficit ad gratiam habendam, quantum est ex parte hominis, iuxta illud Ezech. \*: *In quacumque hora ingemuerit peccator*, etc. Et talis displicentia videtur fuisse in Latrone \*: et crebro accidere creditur his qui vere convertuntur ad Deum post multa crimina. — Alio autem modo contingit displicentia formalis cum homini displicet se peccasse, ita quod et omnia et singula sua peccata in generali sibi displicent, et vellet in ea amplius non incidere; non tamen pervenit ad hoc quod vere vult seu proponit amplius non incidere. Et haec non sufficit ad remissionem peccati mortalis.

\* Loc. cit. num. I.

\* Luc. cap. xxiii, vers. 40 sqq.

Virtualis autem displicentia vocatur quae non est formaliter displicentia, sed est formaliter alius actus: puta dilectio Dei tantae vis ut ex eo nata sit sequi displicentia peccati, ita quod, si tunc occurreret memoria peccati, ex vi illius actus sequeretur formalis displicentia peccati. Et sic omnis actus dilectionis Dei ex caritate procedens potest dici virtualiter displicentia peccati mortalis.

\* Num. I.

III. His praelibatis, ad primum dubium \* dicitur quod verba Auctoris vera sunt de peccati mortalis remissione plena et regulari: quoniam regulariter non fit remissio peccati mortalis, quoad culpam et omnem poenam, nisi homo, quantum in se est, detestetur singula mortalia, sicut in singulis plus sibi indulget quam debuit.

Cum autem quaeritur: An de singulis singillatim, etc.? respondetur quod hoc potest dupliciter intelligi. Vel quod cuilibet peccato singillatim debeatur sua propria detesta-

tio, ita quod, quot fuerunt peccata, tot oporteat esse detestationes et satisfactiones. Et hoc est ridiculum asserere: cum nec etiam confitendo oporteat tot esse actus in confitendo quot sunt peccata; contingit enim unico actu confiteri mille fornicationes. — Vel quod quodlibet peccatum terminet detestationem seu satisfactionem. Et hic est sensus litterae. Ita quod, sicut in confessione dum peccator dicit, *Peccavi millies in fornicatione*, iste unicus confessionis actus terminatur actualiter ad singulas mille fornicationum; ita, quoad actus interiores, dum peccatori displicent mille fornicationes, actualiter detestatur singulas illo uno et eodem actu. Et ad hoc servit *inquisitio diligens ad rememorandum* cuius littera meminit. Nam oblita seu non occurrentia peccata in seipsis, sicut actualiter non adsunt ante mentem peccatoris, ita nec actualiter terminant detestationem seu displicentiam. Et haec non actualis terminatio suppletur, quoad plenam remissionem, ex universali displicentia, detestatione ac satisfactione, quae virtualiter includeret satisfactionem quae debetur huiusmodi non occurrentibus.

IV. Ad secundum dubium \* dicitur quod Auctor loquitur de plena remissione, et regulariter: quoniam plena remissio regulariter exigit contritionem et confessionem singulorum, ubi oportet adesse displicentiam formalem, et non solum virtuales. Magdalenae autem displicentiam formalem licet non legamus, sed virtuales tantum in actu dilectionis et fidei, lacrimae tamen formalis displicentiae attestantur \*. In cuius signum, cum, post resurrectionem Lazari, *pedes Domini iterum ungeret et capillis tergeret* \*, lacrimae non affuerunt, quia iam peccatrix non erat. Dominus autem, originale seu principale actum, qui est causa displicentiae formalis, pro causa remissionis adducens, non exclusit proximum actum displicentiae formalis. Quamvis, si ex speciali dono Dei sola displicentia virtualis affuisset, sufficienter salvatur concursus poenitentiae implicitae et virtualiter.

\* Num. I, *Alterum*.

V. In responsione ad secundum, advertit idem esse iudicium de dormiente occiso pro Christo, vel baptizato. Quod intelligo secundum merita secundarum causarum. Nam si quis iisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, et interim dormiens occideretur pro Christo, crediderim ego ex divina largitate etiam illius peccati plenissimam remissionem per martyrismum consequi: quamvis per baptismum illius remissionem non consequeretur, propter voluntatem actualiter, actualitate virtuali, peccato inhaerentem.

VI. In responsione ad tertium, circa materiam argumenti, scilicet peccatum veniale opponi fervori caritatis, Durandus, in IV Sent., dist. xvi, qu. I, art. 2 \*, occurrit, dicens hoc esse falsum. Tum quia nec formaliter, nec consecutive opponitur fervori caritatis. Et quod non formaliter, probat, quia nec mortale peccatum opponitur formaliter caritati. Quoniam consistit utrumque in deordinatione actus: cui formaliter opponitur reordinatio actus. — Quod vero nec consecutive, probat ex differentia inter mortale et veniale in hoc, quia mortale non stat cum caritate, et ideo opponitur consecutive illi: veniale autem stat cum caritatis fervore, et ideo nec consecutive opponitur illi.

\* Loc. cit. in dubio, vers. 38. \* Ioan. cap. xii, vers. 3.

\* Al., dist. xvi, qu. II.

Tum quia caritatis fervor non delet veniale sine displicentia. Sola autem displicentia, sine tali fervore, illud delet \*.

\* Cf. num. viii.

VII. Ad hoc dicitur quod argumentum supponit unum falsum, scilicet peccatum mortale non opponi formaliter caritati. Nam, licet caritati habituali peccatum mortale non opponatur formaliter, quia actus non opponitur formaliter habitui, sed demeritorie, quia peccans mortaliter meretur privari caritatis habitu; idem tamen mortale peccatum, quatenus divino opponitur bono, actusque est inimicitiae ad Deum, formaliter opponitur amicitiae ad Deum. Et propterea, sicut actualis inimicitia opponitur formaliter actuali amicitiae, ita peccatum mortale opponitur formaliter actui caritatis, qui est actualis amicitia ad Deum. Unde deordinatio actus peccati mortalis primo importat deordinationem contrarie respectu divinae amicitiae, quia hinc primo habet rationem peccati mortalis, ut patet ex hostili poena hinc sibi debita: et secundario habet deordinationem respectu moralis ordinis. Ac per hoc, ordinatio cui formaliter opponitur mortale peccatum, est ordinatio amicitiae divinae: quam constat esse caritatem. Quocirca peccatum veniale, cum in hoc differat a mortali quod mortale est contra divinam amicitiam, veniale autem est praeter illam, bene dictum est ab Auctore quod opponitur fervori caritatis, pro quanto retardat affectum hominis ab his quae sunt promptae amicitiae officia.

Et cum obicitur quod compatitur secum fervorem caritatis, respondetur quod, licet compatiatur secum aliquem fervorem caritatis, non tamen omnem. In cuius signum, fervor patriae nullum compatitur veniale.

Et si instetur: Quis est ille fervor in hac vita qui non compatitur secum veniale? respondetur quod est ille qui virtualiter claudit in se displicentiam omnis retrahentis a divinae ardore amicitiae, sive caritas habitualis sit magna sive parva. Quod patet ex eo quod talis actualis fervor affectus ex caritate, si vere habetur, delet omne veniale: ita quod pro tunc sic affectus homo est sine omni veniali quoad culpam.

VIII. Ad secundam autem obiectionem \* dicitur quod non est ex insufficientia fervoris caritatis quod mediante displicentia delet veniale: sed hoc est ex ordine causarum et effectuum. Sicut non est ex insufficientia caritatis quod mediante poenitentia delet mortale.

\* Num. vi, Tum quia.

Quod autem dicitur quod sola displicentia sine tali fervore delet veniale, potest bene et male intelligi. Si enim intelligatur sine fervore actus elicitus a caritate, tunc quodammodo est verum et quodammodo falsum. Verum quidem quoad hoc, quia sine tali fervore causante displicentia a caritate imperata delet veniale. Falsum autem quoad hoc, quod huiusmodi displicentia omnino sit absoluta a tali fervore: quoniam disponit seu parat affectum promptiorem ad talem caritatis fervorem, sicut veniale retardabat ab huiusmodi fervore. — Si vero intelligatur per fervorem talem fervor cuiuscumque actus a caritate quomodolibet procedentis, sic male intelligitur: quia displicentia non nisi caritate informata delet veniale, ut inferius articulo quarto patet. Huiusmodi enim displicentia, qua deletur veniale, quidam caritatis fervor est: fervet enim per eum caritas ad consumptionem venialium impediendum seu retardantium affectum a motu erga ea quae Dei sunt.

## ARTICULUS SECUNDUS

### UTRUM AD REMISSIONEM VENIALIUM PECCATORUM REQUIRATUR GRATIAE INFUSIO

Art. seq.; art. 4, ad 2; IV *Sent.*, dist. xvi, qu. ii, art. 2, qu<sup>a</sup> 1; dist. xxi, qu. ii, art. 1; *Qu. Dispp.*, de *Malo*, qu. vii, art. 11.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiae infusio. Effectus enim non est sine propria causa. Sed propria causa remissionis peccatorum est gratia: non enim ex meritis propriis hominis peccata propria <sup>α</sup> remittuntur; unde dicitur *Ephes. II* \*: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo* <sup>β</sup>, cuius gratia salvati estis. Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratiae infusione.

\* Vers. 4, 5.

2. PRAETEREA, peccata venialia non remittuntur sine poenitentia. Sed in poenitentia infunditur gratia: sicut et in aliis sacramentis novae legis. Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratiae infusione.

3. PRAETEREA, peccatum veniale maculam quandam animae infert. Sed macula non auferitur nisi per gratiam, quae est spiritualis animae decor. Ergo videtur quod peccata venialia non remittantur sine gratiae infusione.

SED CONTRA est quod peccatum veniale adveniens non tollit gratiam, neque etiam diminuit eam, ut in Secunda Parte \* habitum est. Ergo,

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. xxiv, art. 10.

α) hominis peccata propria. — peccata hominis tertia.  
β) in Christo. — F et tertia; Christo ed. a, Christus ceteri. — salvati PI; sanati.

pari ratione, ad hoc quod peccatum veniale remittatur, non requiritur novae gratiae infusio.

RESPONDEO DICENDUM quod unumquodque tollitur per suum oppositum. Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiae vel caritati, sed retardat actum eius, in quantum nimis haeret <sup>γ</sup> homo bono creato, licet non contra Deum, ut in Secunda Parte \* habitum est. Et ideo ad hoc quod peccatum <sup>δ</sup> tollatur, non requiritur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiae vel caritatis ad eius remissionem.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXXVII, art. 5; qu. LXXXIX, art. 2.

Quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solum possunt esse peccata venialia \*, non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum; ideo, quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.

\* Cf. I<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXXIX, art. 6.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod etiam remissio peccatorum venialium est effectus gratiae, per actum scilicet quem de novo elicit: non autem per aliquid habituale de novo animae infusum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod veniale peccatum nunquam remittitur sine aliquo actu poenitentiae virtutis, explicito scilicet vel implicito, ut supra \* dictum est. Potest tamen remitti veniale

\* Art. praeced.

γ) haeret. — haberet CpE, adhaeret Fa, inhaeret tertia praeter pG, om. pD.  
δ) peccatum. — veniale addunt PF; post requiritur tertia addit quod infundatur.



\* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 2; art. 3; qu. LXXXVI, art. 2.

ε

ζ

peccatum sine poenitentiae sacramento, quod in absolutione sacerdotis formaliter perficitur, ut supra \* dictum est. Et ideo non sequitur quod ad remissionem venialis ε requiratur gratiae infusio, quae licet sit in quolibet sacramento, non tamen ζ in quolibet actu virtutis.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem eius quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris aut debitae proportionis membrorum, alio modo per superinductionem alicuius

impedientis decorem, puta luti aut pulveris; ita etiam in anima η inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiae per peccatum mortale, alio modo per inclinationem inordinatam affectus ad aliquid temporale; et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam mortalis peccati requiritur infusio gratiae: sed ad tollendam maculam peccati venialis, requiritur aliquis actus procedens a gratia per quem θ removeatur inordinata adhaesio ad rem temporalem.

ε) venialis. — peccati addunt tertia et a.  
ζ) tamen. — est addit tertia.

η) in anima. — animae tertia.  
θ) quem. — quam FH et editiones.

### Commentaria Cardinalis Caietani

\* Cf. num. seq.

\* Qu. LXXIX, art. 1, Comm. num. III-IX.

IN articulo secundo eiusdem quaestionis aliquid occurrit notandum, et aliquid dubitandum \*. Diligenter siquidem notandum est ab Auctore hic expresse haberi quod superius \* diximus de effectu Eucharistiae, scilicet quod non infunditur nova gratia nec augetur per illam sine actu liberi arbitrii disponente ad susceptionem seu augmentum. Dicitur enim hic quod *non contingit esse infusionem gratiae in adultis sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum*: et proportionaliter intelligendum est de augmento gratiae.

II. Dubitandum autem occurrit de illata ex praedicta sententia conclusione, scilicet: *Ideo, quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur*. Et est ratio dubii, tum quia non omnis actus caritatis remittit peccata venialia. Tum quia non omnis detestatio peccati remittit peccata venialia. Utrumque tamen videtur sequi ex hac illatione, si bona est: quoniam ex concursu actus liberi arbitrii in Deum et in peccatum infertur quod infusio gratiae remittit venialia.

\* Cf. num. seq.

III. Ad horum evidentiam, sciendum est ad remissionem venialium quatuor concurrere, duo ex parte causae, et duo ex parte effectus \*. Exigitur enim ad remissionem venialium ex parte causae, et quod homo sit in gratia, et quod actualiter utatur illa. Et primum quidem habes ab Auctore in articulo ultimo huius quaestionis: quia sola gratia Dei est remissiva peccati. Secundum autem habetur in articulo praecedenti, et pluries repetitur in hac quaestione. Et quoniam primum potest esse sine secundo, ideo gratia compatitur secum peccata venialia. Secundum autem, quod non potest esse sine primo, non sic accipiendum est quasi quilibet actus caritatis deleat venialia: quoniam hoc esse falsum ex eo probatur quod sequeretur peccata venialia regulariter deleri sine displicentia tam actuali quam virtuali; multi enim sunt actus caritatis neutram displicentiam annexam habentes, quales sunt actus non ferventes religionis, etc., ab habente caritatem eliciti. Intelligendum est ergo quod ad deletionem venialium, ultra habitum gratiae, requiritur actus caritatis virtualiter vel formaliter inferens displicentiam venialium: ut ex primo articulo quaestionis huius habere potes. Et propterea quaecumque remissiva dicuntur peccatorum venialium, ad dictam displicentiam conducunt: ut patet etiam inducendo per illa tria quae in tertio articulo numerantur remissiva venialium;

nam in tertio subintelligitur displicentia virtualis; in secundo displicentia formalis; in primo autem displicentia formalis communiter videtur si gratia infunditur, aut virtualis si gratia augetur.

IV. Ex parte autem effectus consideratur primo remissio culpae; et secundo remissio poenae. Et culpa quidem remittitur, secundum Auctorem, in tertio, ad tertium, *tum virtute alicuius satisfactionis; tum virtute caritatis, cuius actus excitatur*. Quod sic intelligo. Per *satisfactionem* enim *aliquam* intelligo aliquem illorum actuum quos poenitentiae virtus Deo reddit pro recompensatione peccati quoad culpam, puta displicentiam seu dolorem, confessionem interiorum, vel subiectionem, vel aliquid huiusmodi: non enim tam exacta requiritur poenitentia in remissione culpae venialis qualis de remissione mortalium superius \* descripta est.

Poenae vero remissio iuxta quantitatem fervoris in littera eadem \* quantificatur ab Auctore. Et bene. Ita tamen ut per fervorem intelligas non solum fervorem actus eliciti a caritate, sed etiam actus imperati ab eadem: puta displicentiae seu detestationis peccati. Iuxta fervorem siquidem alterius eorum, quicumque sit ille, plus vel minus remittitur poena venialium.

V. Ad obiectionem in oppositum \* dicitur quod ex littera non sequitur id quod obiiciendo infertur: sed solummodo quod detestatio peccati et actus caritatis intervenientes in infusione gratiae, delent venialia. Constat autem quod detestatio quae assequitur infusionem gratiae, non est qualiscumque detestatio: sed talis et tanta ut divina mereatur praesentiam gratiae. Et similiter actus caritatis, seu fidei formatae in Deum, non est quicumque actus: sed ex tali ac tanto conatu proveniens ut divina adsit infusio gratiae. In huiusmodi enim detestatione peccati et motu in Deum intervenit, saltem virtualiter, detestatio et venialium graviorum, quae disposuerunt ad mortalia, et venialium quae impediunt accessum ad *hanc mutationem dexterarum Excelsi* \*. Et communiter intervenire etiam videtur dolor de offensa Dei in communi: in quo clauditur detestatio venialium in genere. Raro enim vel nunquam accidere videtur accedentibus ad sacramenta ut doleant praecise de mortali peccato: communiter enim in communi peccatorum dolor occurrit.

\* Art. 1. - Cf. Comment.

\* Art. 3, ad 3.

\* Num. II.

\* Ps. LXXVI, vers. 11.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PECCATA VENIALIA REMITTANTUR PER ASPERSIONEM AQUAE BENEDICTAE,  
ET EPISCOPALEM BENEDICTIONEM, ET ALIA HUIUSMODI

Supra, qu. LXV, art. 1, ad 6, 8; qu. LXXXIII, art. 3, ad 3;  
IV Sent., dist. XVI, qu. II, art. 2, qu<sup>a</sup> 4; dist. XVII, qu. III, art. 3, qu<sup>a</sup> 3; dist. XXI, qu. II, art. 1, 2; Qu. Dispp., de Malo, qu. VII, art. 12.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccata venialia non remittantur per aspersionem aquae benedictae, et episcopalem benedictionem, et alia huiusmodi. Peccata enim venialia non remittuntur sine poenitentia, ut dictum est \*. Sed poenitentia per se sufficit ad remissionem venialium peccatorum. Ergo ista nihil operantur ad huiusmodi remissionem.

\* Art. 1.

α

β

\* Vers. 12, 15.

γ

\* Ep. CCLXV, al. CVIII, ad Seleucianam, n. 8; Mag. IV Sent., dist. XVI, cap. Praedictis vero. - Cf. can. Tres sunt, de Poenit., dist. I.

\* Art. 2.

ε

2. PRAETEREA, quodlibet istorum relationem α habet ad unum peccatum veniale, et ad omnia. Si ergo per aliquod istorum remittitur peccatum β veniale, sequetur quod pari ratione remittantur omnia. Et ita per unam tunctionem pectoris, vel per unam aspersionem aquae benedictae, redderetur homo immunis ab omnibus peccatis venialibus. Quod videtur inconueniens.

3. PRAETEREA, peccata venialia inducunt reatum alicuius poenae, licet temporalis: dicitur enim, I Cor. III \*, de eo qui *superaedificat lignum, faenum et stipulam, quod salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Sed huiusmodi per quae dicitur peccatum veniale remitti, vel nullam vel minimam poenam in se habent. Ergo non sufficiunt ad plenam remissionem venialium peccatorum.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* \*, quod pro levibus peccatis *pectora nostra tundimus, et dicimus, Dimitte nobis debita nostra*. Et ita videtur quod tunctio pectoris et oratio Dominica causent remissionem peccatorum δ. Et eadem ratio videtur esse de aliis.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, ad remissionem venialis peccati non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia quo homo detestetur peccatum ε vel explicite, vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo, inquantum in eis infunditur gratia: quia per infusionem gratiae

tolluntur peccata venialia, ut supra \* dictum est. Et hoc modo per Eucharistiam et extremam unctionem, et universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. \* Ibid.

Secundo, inquantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo confessio generalis, tunctio pectoris, et oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum: nam in oratione Dominica petimus: *Dimitte nobis debita nostra*.

Tertio, inquantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et ad res divinas. Et hoc modo benedictio episcopalis, aspersionem aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si qua alia sunt huiusmodi, operantur ad remissionem peccatorum ζ.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod omnia ista causant remissionem peccatorum venialium inquantum inclinant animam ad motum poenitentiae, qui est detestatio peccatorum, vel implicite vel explicite.

AD SECUNDUM DICENDUM quod omnia ista, quantum est de se, operantur ad remissionem omnium venialium peccatorum. Potest tamen impedi remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhaeret: sicut etiam per fictionem impeditur aliquando η effectus baptismi.

AD TERTIUM DICENDUM quod per praedicta tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam, tum virtute alicuius sanctificationis θ, tum etiam virtute caritatis, cuius motus per praedicta excitatur. Non autem per quodlibet praedictorum semper tollitur totus reatus poenae: quia sic qui esset omnino immunis a peccato mortali, aspersus aqua benedicta statim evolveret. Sed reatus poenae remittitur per praedicta secundum motum ι fervoris in Deum, qui per praedicta excitatur quandoque magis, quandoque minus.

α) relationem. - eandem relationem F et tertia.

β) peccatum. - aliquod peccatum F et tertia.

γ) sic tamen quasi. - FsD et tertia (I om. per); sic tamen ABCpD, si tamen E, sed tamen ed. a.

δ) peccatorum. - peccatorum venialium Fa, omnium venialium GHbc, venialium peccatorum PI.

ε) peccatum. - veniale addunt F et tertia.

ζ) peccatorum. - venialium addunt Fa, praemittit P.

η) impeditur aliquando. - impeditur interdum F, aliquando impeditur G, interdum impeditur cetera tertia.

θ) sanctificationis. - satisfactionis Pc.

ι) motum. - modum P.

## ARTICULUS QUARTUS

## UTRUM VENIALE PECCATUM POSSIT REMITTI SINE MORTALI

IV *Sent.*, dist. xvi, qu. II, art. 1, qu<sup>a</sup> 3.

\* Vers. 7.

\* Ex Pseudo-Aug. de Vera et Falsa Poenit., cap. xx.

\* Art. 3, ad 2.

\* Vers. 25, 26.  
α

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod veniale peccatum possit remitti sine mortali. Quia super illud Ioan. viii \*, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, dicit quaedam glossa \* quod omnes illi erant in peccato mortali: *venialia enim eis dimittebantur per caeremonias*. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

2. PRAETEREA, ad remissionem peccati venialis non requiritur gratiae infusio. Requiritur autem ad remissionem mortalis. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

3. PRAETEREA, plus distat veniale peccatum a mortali quam ab alio veniali. Sed unum veniale potest dimitti sine alio, ut dictum est \*. Ergo veniale potest dimitti sine mortali.

SED CONTRA EST quod dicitur Matth. v \*: *Non exhibis α inde*, scilicet de carcere, in quem introducit homo pro peccato mortali, *donec reddas novissimum quadrantem*, per quem significatur veniale peccatum. Ergo veniale peccatum non remittitur sine mortali.

α) *Non exhibis*. — Amen dico tibi non exhibis (*exies* P) tertia. Pro *introducitur*, *intruditur* PI.

## Commentaria Cardinalis Caietani

\* Al. dist. xvi, qu. II.

IN articulo quarto, in corpore, adverte rationem moventem Auctorem non se tenere ex parte poenae, sed ex parte culpae: quia scilicet nulla culpa a Deo remittitur nisi per virtutem gratiae. Quod si Durandus advertere voluisset, aut solvisset hanc rationem, aut cessasset ab obiiciendo. Ipse enim, in IV *Sent.*, dist. xvi, qu. I, art. 2 \*, contra hanc doctrinam obiicit tripliciter.

Primo, quia culpa venialis consistit in deordinatione voluntatis. Quae tollitur per debitam displicentiam eius quod indebite placuit.

Secundo, quia puer non baptizatus, in originali existens peccato, quando venit ad aetatem, potest primo peccare venialiter, et statim mori. Et tunc proceditur: An punietur poena aeterna pro peccato veniali, an poena temporalis? etc.

Tertio, per opera bona facta extra caritatem potest aliquis, secundum omnes, mereri de congruo aliquod bonum temporale. Ergo expiationem poenae temporalis debita peccato veniali.

II. Ad haec facile dicitur quod culpa peccati venialis non tollit solummodo rectitudinem actus voluntarii, sed etiam ordinem ad actualem dilectionem Dei: est enim

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, remissio culpae cuiuscumque nunquam fit nisi per virtutem gratiae: quia, ut Apostolus dicit, Rom. iv \*, ad gratiam Dei pertinet quod Deus alicui *non imputat peccatum*, quod Glossa \* ibi exponit de veniali. Ille autem qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. Unde nullum peccatum veniale sibi remittitur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod venialia ibi dicuntur irregularitates sive immunditiae quas contrahebant secundum legem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiae, requiritur tamen aliquis gratiae actus. Qui non potest esse in eo qui subiaceat peccato mortali.

AD TERTIUM DICENDUM quod peccatum veniale non excludit omnem actum gratiae, per quem possunt omnia peccata venialia dimitti. Sed peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiae, sine quo nullum peccatum mortale vel veniale remittitur. Et ideo non est similis ratio.

\* Qu. LXXXVI, art. 3.

\* Vers. 2 sqq. — Cf. Ps. xxxi, vers. 1; 2. Interl. et Lomb.

impeditivum fervoris caritatis. Et ex hac parte habet rationem cuiusdam offensae Dei. Et propterea, dato quod sistens in peccato mortali possit reparare rectitudinem venialis peccati, puta quia ex mendace iocose vel officiose habituatus est ad veritatem dicendam etiam iocose et officiose; non propterea remissionem consecutus est praeteritae culpae, qua aliquo modo Deum offendit; quoniam nulla offensa sine gratia a Deo dimittitur. Nec displicentia illa quae in hoc ponitur, sufficit ad remissionem culpae: quia non est Deo accepta sine gratia, ut in littera dicitur ex Psalmo et Apostolo et glossa *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, etc.

Ad secundum dicitur quod, si casus accideret, peccatum illud veniale aeternaliter puniretur per accidens, hoc est, ratione status. Quia esset in statu in quo semper maneret culpa. Manente autem culpa in aeternum, debet etiam poena esse aeterna: ut ipsemet Durandus, in eodem libro \*, approbat.

Ad tertium dicitur quod, quidquid sit de poena, negandum est quod per bona opera facta extra caritatem possit aliquis mereri de congruo remissionem culpae. Et propterea argumentum non militat contra praesentem doctrinam.

\* Dist. xxi, qu. II.

QUAESTIO OCTOGESIMAOCTAVA

DE REDITU PECCATORUM POST POENITENTIAM DIMISSORUM

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXXVI, introd.

DEINDE considerandum est de reditu peccatorum post <sup>α</sup> poenitentiam dimissorum \*. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum peccata per poenitentiam dimissa redeant simpliciter per sequens peccatum.

Secundo: utrum aliquo modo per ingratitude- nem redeant specialius secundum quaedam peccata.

Tertio: utrum redeant in aequali reatu.

Quarto: utrum illa ingratitude per quam redeunt, sit speciale peccatum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PECCATA DIMISSA REDEANT PER SEQUENS PECCATUM

IV Sent., dist. xxii, qu. i, art. 1; In Matth., cap. xviii, in fin.

\* De Bapt. cont. Donatist. lib. 1, cap. xii. - Cf. Mag. IV Sent., dist. xxii, cap. Cumque.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccata dimissa redeant per sequens peccatum. Dicit enim Augustinus, in libro I de Baptismo \*: *Redire dimissa peccata ubi fraterna <sup>β</sup> caritas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet in illo servo a quo dimissum debitum dominus petiit eo quod ille conseruo suo debitum nollet dimittere.* Sed fraterna caritas tollitur per quodlibet peccatum mortale. Ergo per quodlibet sequens mortale peccatum redeunt peccata prius per poenitentiam dimissa.

\* Vers. 24. \* Expos. in Luc. lib. IV. - Cf. can. Quemcumque, de Poenit., dist. IV.

2. PRAETEREA, super illud Luc. xi \*, *Revertar in domum meam unde exivi*, dicit Beda \*: *Timendus est ille versiculus, non <sup>γ</sup> exponendus: ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.* Hoc autem non esset nisi rediret. Ergo culpa per poenitentiam dimissa redit.

\* Vers. 24.

3. PRAETEREA, Ezech. xviii \* Dominus dicit: *Si averterit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius quas fecerat, non recordabuntur amplius <sup>δ</sup>.* Sed inter alias iustitias quas fecit, etiam praecedens poenitentia concurrat <sup>ε</sup>: cum supra \* dictum sit poenitentiam esse partem iustitiae. Ergo, postquam poenitens peccat, non imputatur ei praecedens poenitentia, per quam consecutus est veniam peccatorum. Redeunt ergo illa peccata.

\* Vers. 2 sqq.

\* Ps. xxxi, vers. 1.

4. PRAETEREA, peccata praeterita per gratiam teguntur: ut patet per Apostolum, Rom. iv \*, inducentem illud Psalmi \*, *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.* Sed per peccatum mortale sequens gratia tollitur. Ergo peccata quae fuerant prius commissa, remanent detecta. Et ita videtur quod redeant.

α) post. - per PI.  
β) fraterna. - P; sr̄na. (idest superna) I, summa ceteri; ita etiam altero loco.  
γ) non. - nec pE, nec non ceteri. - opprimat tertia praeter pG; comprimat.  
δ) amplius. - Ante non ponunt AB, om. PI.  
ε) concurrat. - continetur F et tertia.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, Rom. xi \*: *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio.* Sed peccata poenitentis sunt remissa per donum Dei. Ergo per peccatum sequens non redeunt dimissa peccata, quasi Deus de dono remissionis poeniteat.

\* Vers. 29.

2. PRAETEREA, Augustinus dicit, in libro Responsionum Prosperi \*: *Qui recedit a Christo et alienatus a gratia finit <sup>ζ</sup> hanc vitam, quid nisi in perditionem vadit? Sed non in id quod dimissum est recidit, nec pro originali peccato damnabitur.*

\* Ad obiect. 2 (inter Opp. Aug.) - Cf. can. Qui recedit, de Poenit., dist. IV.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, in peccato mortali sunt duo: scilicet aversio a Deo, et conversio ad bonum creatum. Quidquid autem est aversionis <sup>η</sup> in peccato mortali, secundum se consideratum, est commune omnibus peccatis mortalibus: quia per quodlibet peccatum mortale homo avertitur a Deo. Unde et per consequens macula, quae est per privationem gratiae, et reatus poenae aeternae, communia sunt omnibus peccatis mortalibus. Et secundum hoc intelligitur id quod dicitur Iac. ii \*: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Sed ex parte conversionis, peccata mortalia sunt diversa, et interdum contraria.

\* Qu. LXXXVI, art. 4; I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXXVII, art. 4.

Unde manifestum est quod ex parte conversionis peccatum mortale sequens non facit redire peccata mortalia prius abolita. Alioquin sequeretur quod homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum vel dispositionem avaritiae prius abolitae: et sic contrarium esset causa sui contrarii, quod est impossibile. - Sed considerando in peccatis mortalibus id quod est ex parte aversionis absolute, per peccatum mortale sequens <sup>θ</sup> homo privatur gratia et fit reus poenae

\* Vers. 10.

ζ) finit. - P; vivit. - quid nisi PI; quod EpGH et b, quid F, quidem ceteri. - vadit PFIsG; venit b, vivit ceteri. - pro originali P; originali.  
η) aversionis. - ex parte aversionis tertia.  
θ) per peccatum mortale sequens. - peccatum (per peccatum sG et editiones) mortale sequens reducit (redit sG et editiones) illud quod fuerat in prioribus peccatis ante dimissionem in quantum per peccatum mortale sequens tertia.

aeternae, sicut et prius erat. – Verum<sup>1</sup>, quia aversio in peccato mortali ex conversione quodammodo diversitatem induit<sup>2</sup> per comparisonem ad diversas conversiones sicut ad diversas causas, ita quod sit alia aversio et alia<sup>3</sup> macula et alius reatus prout consurgit ex alio actu peccati mortalis: hoc ergo<sup>4</sup> in quaestionem vertitur, utrum macula et reatus poenae aeternae, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale sequens.

\* Hug. a S. Vict., de Sacrament., lib. II, p. XIV, cap. 9; Petr. Pictav. III Sent., cap. XII.

Quibusdam<sup>5</sup> igitur visum est quod simpliciter hoc modo redeant. – Sed hoc non potest esse. Quia opus Dei per opus hominis irritari non potest. Remissio autem priorum peccatorum est<sup>6</sup> opus divinae misericordiae. Unde non potest irritari per sequens peccatum hominis: secundum illud Rom. III<sup>7</sup>: *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit?*

\* Vers. 3.

\* Cf. Gratian., de Poenit., dist. IV, p. II sqq.

Et ideo alii<sup>8</sup>, ponentes peccata redire, dixerunt quod Deus non remittit peccata poenitenti postmodum peccaturo<sup>9</sup> secundum praescientiam, sed solum secundum praesentem iustitiam. Praescit enim eum pro his peccatis aeternaliter puniendum<sup>10</sup>, et tamen per gratiam facit eum praesentialiter iustum. – Sed nec hoc stare potest. Quia, si causa absolute ponatur, et effectus ponitur absolute. Si ergo absolute non<sup>11</sup> fieret peccatorum remissio, sed cum quadam conditione in futurum dependente, per gratiam et gratiae sacramenta, sequeretur quod gratia et gratiae sacramenta non essent sufficiens causa remissionis peccatorum. Quod est erroneum, utpote derogans gratiae Dei.

Et ideo nullo modo potest esse quod macula et reatus praecedentium peccatorum redeant secundum quod ex talibus actibus causabantur.

Contingit autem quod sequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati: in quantum scilicet aliquis secundo peccans ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat; secundum illud Rom. II<sup>12</sup>, *Secundum duritiam tuam et cor impenitens thesaurizas tibi iram in die irae*, ex hoc solo scilicet quod contemnitur Dei bonitas, quae ad poenitentiam expectat<sup>13</sup>; multo autem magis contemnitur Dei bonitas si, post

\* Vers. 5.

\* Ibid., vers. 4.

remissionem prioris peccati, secundo peccatum iteretur; quanto maius est beneficium peccatum remittere quam sustinere peccatorem. Sic igitur per peccatum sequens poenitentiam redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum, non in quantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis, sed in quantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus. Et hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed secundum quid: in quantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illud verbum Augustini videtur esse intelligendum de reditu peccatorum quantum ad reatum poenae aeternae in se consideratum: quia scilicet post poenitentiam peccans incurrit reatum poenae aeternae sicut et prius; non tamen omnino propter eandem rationem. Unde Augustinus, in libro de *Responsoribus Prosperi*<sup>14</sup>, cum dixisset quod *non in id quod remissum est recidit, nec pro originali peccato damnabitur*, subdit<sup>15</sup>: *Qui tamen ea morte afficitur quae ei propter peccata dimissa debeatur*: quia scilicet incurrit<sup>16</sup> mortem aeternam, quam meruerat per peccata praeterita.

\* Loc. cit. supra.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in illis verbis non intendit Beda dicere quod culpa prius dimissa hominem opprimat per reditum praeteriti reatus: sed per iterationem actus.

AD TERTIUM DICENDUM quod per sequens peccatum iustitiae priores oblivioni traduntur in quantum erant meritoriae vitae aeternae: non tamen in quantum erant impeditivae peccati. Unde, si aliquis peccet mortaliter postquam restituit debitum, non efficitur reus quasi debitum non reddidisset. Et multo minus traditur oblivioni poenitentia prius acta quantum ad remissionem culpae: cum remissio culpae magis sit opus Dei quam hominis.

AD QUARTUM DICENDUM quod gratia simpliciter tollit maculam et reatum poenae aeternae: tegit autem actus peccati praeteritos, ne scilicet propter eos Deus hominem gratia privet et reum habeat poenae aeternae. Et quod gratia semel facit<sup>17</sup>, perpetuo manet.

1) Verum. – Tertia; Veruntamen sE, om. a, vita ceteri.

2) diversitatem induit. – causatur (causam b) recipiunt ea quae sunt ex parte aversionis quodammodo diversitatem (inducit addunt pG et b) tertia, diversitatem inducit ceteri.

3) aversio et alia. – Tertia (excepto I qui om.); conversio et alia. – Pro ex alio, ex alio et alio tertia.

4) hoc ergo. – hoc modo H, et hoc modo editiones.

5) est. – fuit PI.

9) peccaturo. – PFIa; pccor ABC, peccandi D, pccorum EGpH, peccatori sH et c, poenituit b.

10) eum... puniendum. – se pro his peccatis eum aeternaliter puniendum tertia.

11) absolute non. – non absolute tertia. – per gratiam et gratiae sacramenta post fieret ponit P.

12) subdit. – Tertia; subiungit F, om. ceteri.

13) incurrit. – Editiones et a; incurret GH, incurreret ceteri.

14) facit. – fecit PGI.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo primo quaestionis octogesimae octavae, circa illud, *Homo secundo peccans ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat*, dubium occurrit. Nam falsum videtur secundum peccatum esse gravius primo: immo totum oppositum. Quoniam primum peccatum est casus ab innocentia: secundum autem addit sordem sordi, iuxta illud\*, *Qui sordidus est, sordescat adhuc*. Constat autem maioris ingratitude esse peccare contra beneficium innocentiae, ex quo aggravatur primum peccatum, quam

\* Apoc. cap. XXXI, vers. 11.

contra beneficium expectationis ad poenitentiam, ex quo aggravatur secundum peccatum.

II. Ad hoc dicitur quod non est hic sermo comparativus peccatorum penes gravitatem: sed continentiae quasi virtualis prioris peccati in posteriori, non simpliciter, sed secundum quid; hoc est, secundum aliquam certam specialem rationem, puta quia posterius peccatum est contra sustinentem indignum sustineri. Et ideo cum hac doctrina stat quod primum peccatum fuerit ex propria specie gra-

vius, puta blasphemia Dei, secundo existente peccato gulae; et secundum rationem ingratitude, puta quia primum fuit contra beneficium innocentiae. Secundum autem, etiam si levissimum ex sua specie mortale esset, semper habet hanc aggravantem circumstantiam ingratitude ex priore peccato consurgentem, quod est contra hoc beneficium expectationis indigni ex priore commisso peccato. Secundum hanc enim circumstantiam gravius est secundum peccatum quam primum. Et hinc Auctor ad similem gravi-

tatem secundum similem circumstantiam procedit in littera. Peccatum enim post poenitentiam, ut in tertio patet articulo, non oportet esse gravius absolute peccato dimisso: sed semper est gravius secundum quid, hoc est, secundum hanc circumstantiam qua est contra eum qui remisit priora peccata. Secundum hanc enim circumstantiam peccatum post poenitentiam continere dicitur virtualiter peccata prius dimissa: quia ex illis peccatis consurgit haec circumstantia aggravans peccatum post poenitentiam.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM PECCATA DIMISSA REDEANT PER INGRATITUDINEM  
QUAE SPECIALITER EST SECUNDUM QUATUOR GENERA PECCATORUM

IV Sent., dist. xxii, qu. 1, art. 1, 3; In Matth., cap. xviii, in fin.

**A**D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccata dimissa non redeant per ingratitude quae specialiter est secundum quatuor genera peccatorum, scilicet secundum odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, et dolorem de poenitentia habita \*: secundum quod quidam metricè dixerunt: *Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri: Poenituisse piget, pristina culpa redit.* Tanto enim est maior ingratitude quanto gravius est peccatum quod quis contra Deum committit post beneficium remissionis peccatorum. Sed quaedam alia peccata sunt his graviora: sicut blasphemia contra Deum, et peccatum in Spiritum Sanctum. Ergo videtur quod peccata dimissa non redeant magis secundum ingratitude commissam <sup>α</sup> secundum haec peccata, quam secundum alia.

\* Opin. Praepositini, Summ., de Reditu Peccator. - Cod. Vat. Lat. 1174, fol. 41, rect.

\* Can. Si Iudas, de Poenit., dist. IV; Magist. IV Sent., dist. xxii, cap. 1.

\* Cf. qu. LXXXVII, art. 3, arg. Sed cont.

\* Cap. vii.

2. PRAETEREA, Rabanus \* dicit: *Nequam servum tradidit Deus tortoribus quoadusque redderet universum debitum: quia non solum peccata <sup>β</sup> quae post baptismum homo egit reputantur ei ad poenam, sed originalia, quae ei sunt dimissa in baptismo.* Sed etiam inter debita peccata venialia <sup>γ</sup> computantur, pro quibus dicimus: *Dimitte nobis debita nostra* \*. Ergo ipsa etiam redeunt per ingratitude. Et pari ratione videtur quod per peccata venialia redeant <sup>δ</sup> peccata prius dimissa, et non solum per praedicta peccata.

3. PRAETEREA, tanto est maior ingratitude quanto post maius <sup>ε</sup> beneficium acceptum aliquis peccat. Sed beneficium Dei est etiam ipsa innocentia, qua peccatum vitamus: dicit enim Augustinus, in II Confess. \*: *Gratiae tuae deputo quaecumque peccata non feci.* Maius autem donum est innocentia quam etiam remissio omnium peccatorum. Ergo non minus est ingratus Deo qui primo <sup>ζ</sup> peccat post innocentiam, quam qui peccat post poenitentiam. Et ita videtur quod per

α) commissam. - Fa et tertia; commissam. - haec peccata editiones; hoc peccatum.

β) peccata. - I et editiones; debita peccata GH, homo (homini ed. a) peccata omisso mox homo ceteri.

γ) inter debita peccata venialia. - peccata venialia inter debita tertia.

δ) per peccata venialia redeant. - G et editiones; per peccata ve-

ingratitude quae fit secundum peccata praedicta, non maxime redeant peccata dimissa.

SED CONTRA EST quod Gregorius dicit, XVIII Moral. \*: *Ex dictis Evangelicis constat quia, si quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, et illud rursus exigitur quod nobis iam per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus.* Et ita propter odium fraternum specialiter peccata dimissa redeunt per ingratitude. Et eadem ratio videtur de aliis.

\* IV Dialog., cap. LX. - Cf. can. Ex dictis, de Poenit., dist. IV; Mag. IV Sent., dist. xxii, cap. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra \* dictum est, peccata dimissa per poenitentiam redire dicuntur in quantum reatus eorum, ratione ingratitude, virtualiter continentur in peccato sequenti. Ingratitude autem potest committi dupliciter. Uno modo, ex eo quod aliquid fit contra beneficium. Et hoc modo per omne peccatum mortale quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remisit. Et sic per quodlibet peccatum mortale sequens redeunt peccata prius dimissa, ratione ingratitude.

\* Art. praeced.

Alio modo committitur ingratitude non solum faciendo contra ipsum beneficium, sed etiam faciendo contra formam beneficii praestiti. Quae quidem forma, si attendatur ex parte benefactoris, est remissio debitorum. Unde contra hanc formam facit qui fratri petenti veniam non remittit, sed odium tenet. - Si autem attendatur ex parte poenitentis, qui recipit hoc beneficium, invenitur <sup>η</sup> duplex motus liberi arbitrii. Quorum primus est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatae, et contra hoc facit homo apostatando a fide: secundus autem, motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae. Ad quam <sup>θ</sup> primo pertinet, ut supra \* dictum est, quod homo detestetur peccata praeterita: et contra hoc facit ille qui dolet se poenituisse. Secundo pertinet ad actum poenitentiae ut poenitens proponat se subiicere clavibus Ec-

\* Qu. LXXXV, art. 2, 3.

nialia redeant per H, peccata venialia redeant I, peccata venialia redeant per ceteri.

ε) maius. - Tertia; om.

ζ) primo. - Om. editiones.

η) invenitur. - ex parte eius addit P.

θ) quam. - quem F et tertia praeter I.

\* Ps. xxxi, vers. 5.

clesiae per confessionem: secundum illud Psalmi \*: *Dixi, Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.* Et contra hoc facit ille qui contemnit confiteri, secundum quod proposuerat.

Et ideo dicitur quod specialiter ingratitude horum peccatorum facit redire peccata prius dimissa.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod hoc non dicitur specialiter de istis peccatis quia sint ceteris graviora: sed quia directius opponuntur beneficio remissionis peccatorum.

\* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod etiam peccata venialia et peccatum originale redeunt modo praedicto \*, sicut et peccata mortalia: in quantum contemnitur Dei beneficium quo haec peccata sunt

remissa. Non tamen per peccatum veniale aliquis incurrit ingratitude: quia homo, peccando venialiter, non facit contra Deum, sed praeter ipsum. Et ideo per peccata venialia nullo modo peccata dimissa redeunt.

AD TERTIUM DICENDUM quod beneficium aliquod habet pensari dupliciter. Uno modo, ex quantitate ipsius beneficii. Et secundum hoc, innocentia est maius Dei beneficium quam poenitentia, quae dicitur *secunda tabula post naufragium* \*. — Alio modo potest pensari beneficium ex parte recipientis, qui minus est dignus, et sic magis sibi fit gratia. Unde et ipse magis est ingratus si contemnat. Et hoc modo beneficium remissionis culpa est maius, in quantum praestatur totaliter indigno. Et ideo ex hoc sequitur maior ingratitude.

\* Cf. qu. LXXXIV, art. 6.

1) iniustitiam meam. — iniustitias meas GHbc, iniustitias I.

## ARTICULUS TERTIUS

## UTRUM PER INGRATITUDINEM PECCATI SEQUENTIS CONSURGAT TANTUS REATUS QUANTUS FUERAT PECCATORUM PRIUS DIMISSORUM

IV Sent., dist. xxii, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 3.

**A**D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per ingratitude peccati sequentis consurgat tantus reatus quantus fuerat peccatorum prius dimissorum. Quia secundum magnitudinem peccati est magnitudo beneficii quo peccatum remittitur; et per consequens magnitudo ingratitude qua hoc beneficium contemnitur. Sed secundum quantitatem ingratitude est quantitas reatus consequentis. Ergo tantus reatus <sup>α</sup> surgit ex ingratitude sequentis peccati quantus fuit reatus omnium praecedentium peccatorum.

\* Inst. I, xvi, de Capitis Minut.; Dig. XXV, III, de Agnoscendis etc., 6.

\* Vers. 34.

2. PRAETEREA, magis peccat qui offendit Deum quam qui offendit hominem. Sed servus manumissus ab aliquo domino reducit in eandem servitute a qua prius fuerat liberatus, vel etiam in graviores \*. Ergo multo magis ille qui contra Deum peccat post liberationem a peccato, reducit in tantum reatum poenae quantum primo habuerat.

\* Vers. 2.

3. PRAETEREA, Matth. xviii \* dicitur quod *iratus dominus tradidit eum*, cui replicantur peccata dimissa propter ingratitude, *tortoribus, quoad usque redderet universum debitum*. Sed hoc non esset nisi consurgeret ex ingratitude tantus reatus quantus fuit omnium praeteritorum peccatorum. Ergo aequalis reatus per ingratitude redit.

SED CONTRA EST quod dicitur *Deuteron. xxv* \*: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus*. Ex quo patet quod ex parvo peccato non consurgit magnus reatus. Sed quandoque mortale pecca-

tum sequens est multo minus quolibet peccatorum prius dimissorum. Non ergo ex peccato sequenti redit tantus reatus quantus fuit peccatorum prius dimissorum.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam \* dixerunt quod ex peccato sequenti, propter ingratitude, consurgit tantus reatus quantus fuit reatus omnium peccatorum prius dimissorum, supra reatum proprium huius peccati. — Sed hoc non est necesse. Quia supra \* dictum est quod <sup>β</sup> reatus praecedentium peccatorum non redit per peccatum sequens in quantum sequebatur ex actibus praecedentium peccatorum, sed in quantum consequitur actum sequentis peccati. Et ita oportet quod quantitas reatus redeuntis sit secundum gravitatem peccati subsequens. Potest autem contingere quod gravitas peccati subsequens adaequat gravitatem <sup>γ</sup> omnium praecedentium peccatorum: sed hoc non semper est necesse, sive loquamur de gravitate eius quam habet ex sua specie, cum quandoque peccatum sequens sit simplex fornicatio, peccata vero praeterita fuerunt homicidia vel adulteria seu sacrilegia; sive etiam loquamur de gravitate quam habet ex ingratitude annexa. Non enim oportet quod quantitas ingratitude sit absolute aequalis quantitati beneficii suscepti, cuius quantitas attenditur secundum quantitatem peccatorum prius dimissorum. Contingit enim quod contra idem beneficium unus est multum ingratus, vel secundum intensionem contemptus beneficii, vel secundum gravitatem culpa contra benefactorem commissae; alius autem parum,

\* Hugo a S. Vict., de Sacram. lib. II, p. xiv, cap. 9; Gulielm. Paris. de Poenit., cap. xix.

\* Art. 1. β

γ

α) tantus reatus. — tantus est (est tantus P) reatus qui editiones. Pro surgit, consurgit tertia.

β) supra dictum est quod. — sicut supra dictum est tertia.

γ) adaequat gravitatem. — adaequatur (adaequetur P) gravitati Pc. Cf. inferius et qu. vii art. 11 λ.

vel quia minus contemnit, vel quia minus contra benefactorem agit. Sed proportionaliter quantitas ingratitude adaequatur quantitati beneficii: supposito enim aequali contemptu beneficii, vel offensa benefactoris, tanto erit gravior ingratitude quanto beneficium fuit maius.

Unde manifestum est quod non est necesse quod propter ingratitude semper per peccatum sequens redeat tantus reatus quantus fuit praecedentium peccatorum: sed necesse est quod proportionaliter, quanto peccata prius dimissa fuerunt plura et maiora, tanto redeat maior reatus per quaecumque sequens peccatum mortale.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod beneficium remissionis culpa recipit quantitatem absolutam

secundum quantitatem peccatorum dimissorum. Sed peccatum ingratitude non recipit quantitatem absolutam secundum quantitatem beneficii, sed secundum quantitatem contemptus vel offensae, ut dictum est \*. Et ideo ratio non sequitur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod servus manumissus non reducitur in pristinam servitutem pro qualicumque ingratitude, sed pro aliqua gravi.

AD TERTIUM DICENDUM quod illi cui peccata dimissa replicantur propter subsequentem ingratitude, redit <sup>δ</sup> *universum debitum*, in quantum quantitas peccatorum praecedentium proportionaliter invenitur in ingratitude subsequenti, non autem absolute, ut dictum est \*. \* In corpore.

δ) illi... redit. - P; ille... reddit Dia, ille... redit in F, ille... redit ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo tertio eiusdem quaestionis, intellige, Novitie, Ingratitude non habere quantitatem ex quantitate beneficii, quamvis habeat ex illo speciem: sicut nec odium habet quantitatem ex obiecto odio habito. Non enim oportet tantum esse odium quantum est odibile: contingit enim unum et idem plus et minus odio haberi. Et similiter non oportet tantum esse amorem quantum est amatum: est enim aliquid plus amabile quam ametur. Et sic de aliis. Quantificatur autem ingratitude ex beneficio, ut in littera dicitur, *proportionaliter*. Et hoc est dicere quod, si com-

parentur duae ingratitude ad duo beneficia, verum est quod, ceteris paribus, quanto beneficium maius est beneficio, tanto ingratitude maior est ingratitude. Et propterea tanto peccatum post poenitentiam est secundum ingratitude circumstantiam gravior, quanto contra maius est beneficium remissionis peccatorum. Et quia beneficium remissionis quantificatur secundum peccata dimissa, ideo tanto gravior quis post poenitentiam peccat, quanto maior peccator prius fuit; et, ceteris paribus, quanto pluries dimissa sibi peccata fuerunt.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM INGRATITUDO RATIONE CUIUS SEQUENS PECCATUM FACIT REDIRE PECCATA PRIUS DIMISSA, SIT SPECIALE PECCATUM

II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cvii, art. 2, ad 1; IV *Sent.*, dist. xxii, qu. 1, art. 2, qu<sup>o</sup> 1.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ingratitude ratione cuius sequens peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum. Retributio enim gratiarum pertinet ad *contra-passum*, quod requiritur in iustitia: ut patet per Philosophum, in V *Ethic.* \* Sed iustitia est specialis virtus. Ergo ingratitude est speciale peccatum.

\* Cap. v, n. 6 sqq. - S. Th. lect. viii.

\* De Invent. Rhetor., lib. II, cap. liii.

2. PRAETEREA, Tullius, in II *Rhetoric.* \*, ponit quod *gratia* est specialis virtus. Sed ingratitude opponitur gratiae. Ergo ingratitude est speciale peccatum.

3. PRAETEREA, specialis effectus a speciali causa procedit. Sed ingratitude habet specialem effectum: scilicet quod facit aliquo modo redire peccata prius dimissa. Ergo ingratitude est speciale peccatum.

SED CONTRA EST. Id quod sequitur omnia peccata, non est speciale peccatum. Sed per quodcumque peccatum mortale aliquis efficitur Deo ingratus, ut ex praemissis \* patet. Ergo ingratitude non est speciale peccatum.

\* Art. 2.

RESPONDEO DICENDUM quod ingratitude peccantis quandoque est speciale peccatum; quandoque non, sed est circumstantia generaliter consequens omne peccatum mortale quod contra Deum committitur. Peccatum enim speciem recipit ex intentione peccantis \*: unde, ut Philosophus dicit, in V *Ethic.* \*, *ille qui moechatur ut furetur, magis est fur quam moechus*. Si igitur aliquis peccator in contemptum Dei et suscepti beneficii aliquod peccatum committit, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitude: et haec <sup>α</sup> ingratitude peccantis est speciale peccatum. Si vero aliquis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium aut adulterium, non retrahatur ab hoc propter hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitude non erit speciale peccatum \*, sed traheretur ad speciem alterius peccati sicut circumstantia quaedam. Ut autem Augustinus dicit, in libro *de Natura et Gratia* \*, non omne peccatum est ex contemptu: et tamen in omni peccato Deus contemnitur in suis praeceptis. Unde manifestum est quod ingratitude peccan-

\* D. 785.

\* Cap. II, n. 4. - S. Th. lect. III.

\* D. 992.

\* Cap. xxix.

α) et haec. - et quod haec pG et bc, abraza pH, et secundum hoc IsG, et hoc modo P.



tis quandoque est speciale peccatum, sed non semper.

Et per hoc patet responsio ad obiecta. Nam primae rationes concludunt quod ingratitude se-

cundum se sit quaedam species peccati. Ultima autem ratio concludit quod ingratitude secundum quod invenitur in omni peccato, non sit speciale peccatum.

Commentaria Cardinalis Caietani

**I**N articulo quarto eiusdem quaestionis, adverte, Novitie, ingratitude de qua est sermo, non esse speciale peccatum non solum ea ratione quia ipsa et peccatum, puta fornicatio post poenitentiam, non constituunt duo peccata, scilicet ingratitude et fornicationis; sed ea potius ratione quia huiusmodi ingratitude circumstantia non apponit circa peccatum post poenitentiam deformitatem alterius speciei ab ipso peccato; immo ingratitude ista trahitur ad speciem peccati quod circumstat, puta fornicationis si peccatum post poenitentiam est fornicatio, et sic de aliis. Simile est enim de similibus consequentibus ad omnia

peccata mortalia, puta odio Dei et contemptu divini praecepti. Quilibet enim peccans mortaliter interpretative et contemnit divinum praeceptum quod transgreditur, et in odium inimicitiae divinae caritati oppositum incidit. Haec tamen circumstantiae ad eandem pertinent speciem peccati in qua est peccatum cuius sunt circumstantiae, et non trahunt peccatum in speciem odii divini et speciem inobedientiae prout secundum se haec sunt specialia peccata. Ad quas tamen species traherent si quis ex Dei odio et contemptu praecepti fornicaretur.



QUAESTIO OCTOGESIMANONA

DE RECUPERATIONE VIRTUTUM PER POENITENTIAM

IN SEX ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXXVI, Intro.

DEINDE considerandum est de recuperatione virtutum per poenitentiam\*.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum per poenitentiam restituantur virtutes.

Secundo: utrum restituantur in aequali quantitate.

Tertio: utrum restituatur poenitenti aequalis dignitas.

Quarto: utrum opera virtutum per peccatum mortificentur.

Quinto: utrum opera mortificata per peccatum per poenitentiam reviviscant.

Sexto: utrum opera mortua, idest absque caritate facta, per poenitentiam vivificentur.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PER POENITENTIAM VIRTUTES RESTITUANTUR

II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CLII, art. 3, ad 3; IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 2.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per poenitentiam virtutes non restituantur. Non enim possent virtutes amissae per poenitentiam restitui nisi poenitentia virtutes causaret. Sed poenitentia, cum sit virtus, non potest esse causa omnium virtutum: praesertim cum quaedam virtutes sint naturaliter priores poenitentia<sup>α</sup>, ut supra\* dictum est. Ergo per poenitentiam non restituantur<sup>β</sup>.

2. PRAETEREA, poenitentia in quibusdam actibus poenitentis consistit. Sed virtutes gratuitae non causantur ex actibus nostris: dicit enim Augustinus, in libro *de Lib. Arbit.*\*, quod virtutes *Deus in nobis sine nobis operatur*. Ergo videtur quod per poenitentiam non restituantur virtutes.

3. PRAETEREA, habens virtutem sine difficultate et delectabiliter actus virtutum operatur: unde Philosophus dicit, in I *Ethic.*\*, quod *non est iustus qui non gaudet iusta operatione*. Sed multi poenitentes adhuc difficultatem patiuntur in operando actus virtutum. Non ergo per poenitentiam restituantur virtutes.

SED CONTRA est, quod, Luc. XV<sup>γ</sup>\*, pater mandavit quod filius poenitens indueretur *stola prima*: quae, secundum Ambrosium\*, est *amicus sapientiae*, quam simul consequuntur omnes virtutes, secundum illud *Sap. VIII*\*: *Sobrietatem et iustitiam docet, prudentiam et virtutem, quibus in vita nihil est utilius hominibus*. Ergo per poenitentiam omnes virtutes restituantur.

RESPONDEO DICENDUM quod per poenitentiam, sicut dictum est supra\*, remittuntur peccata. Remissio autem peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiae. Unde relinquitur quod per poenitentiam gratia homini infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes

gratuitae, sicut ex essentia animae fluunt omnes potentiae\*: ut in Secunda Parte\*\* habitum est. Unde relinquitur quod per poenitentiam omnes virtutes restituantur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod eodem modo poenitentia restituit virtutes per quem modum est causa gratiae, ut iam\* dictum est. Est autem causa gratiae in quantum est sacramentum: nam in quantum est virtus, est magis gratiae effectus. Et ideo non oportet quod poenitentia, secundum quod est virtus, sit causa omnium aliarum virtutum: sed quod habitus poenitentiae simul cum habitibus aliarum virtutum per sacramentum<sup>δ</sup> causetur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in sacramento poenitentiae actus humani se habent materialiter: sed formalis vis huius sacramenti dependet ex virtute clavium. Et ideo virtus clavium effective causat gratiam et virtutes: instrumentaliter tamen. Sed actus primus poenitentis se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, scilicet contritio: alii vero sequentes actus poenitentiae procedunt iam ex gratia et virtutibus.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra\* dictum est, quandoque post primum actum poenitentiae, qui est contritio, remanent quaedam reliquiae peccatorum, scilicet dispositiones ex prioribus actibus peccatorum causatae, ex quibus praestatur difficultas quaedam poenitenti ad operandum opera virtutum: sed quantum est ex ipsa inclinatione caritatis et aliarum virtutum, poenitens opera virtutum delectabiliter et sine difficultate operatur; sicut si virtuosus per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis propter somnum aut aliquam corporis dispositionem<sup>ε</sup>.

α Qu. LXXXV, art. 6.

\* Mag. II *Sent.*, dist. XXVII, cap. Hic videndum. - Cf. Aug. in Ps. cxviii, serm. 26.

\* Cap. VIII, n. 12. - S. Th. lect. XIII.

\* Vers. 22.

\* Expos. in Luc., lib. VII, ad istum loc.

\* Vers. 7.

\* Qu. LXXXVI, art. 1, 6.

\* D. 677. \*\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cx, art. 4.

\* In corpore.

δ

\* Qu. LXXXVI, art. 5.

ε

α) poenitentia. - scilicet fides spes et caritas addit tertia.  
β) restituantur. - virtutes addunt F et tertia.  
γ) Luc. XV. - Addunt dicit F, dicitur sG, legitur P.

δ) sacramentum. - poenitentiae addunt FI et editiones. Pro causetur, causentur tertia.  
ε) dispositionem. - indispositionem tertia.

## Commentaria Cardinalis Caietani

IN quaestione octogesimanona quatuor notanda occurrunt. Primum in articulo primo, ad secundum, ubi dicitur quod *contritio se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam*. Sciendum est enim dupliciter sumi contritionem: vel pro ipso actu nudo; vel pro ipso actu informato caritate. Perfectus siquidem dolor de peccatis commissis, cum voluntate satisfaciendi, etc., contritio dicitur: formata quidem, si caritate vestita consideretur; absolute vero, si nuda sumatur. Et sic nude consideravit eam Auctor cum dixit quod est ultima dispositio ad gratiam. Formata autem caritate consideratur cum describitur quod est *dolor caritate informatus*.

II. Secundum notandum est in secundo articulo, in calce corporis, ubi dicitur: *Et eadem ratio est de virtutibus, quae ex gratia consequuntur*. Potest siquidem hoc dupliciter intelligi: vel referendo singulas virtutes ad singulas pro eis dispositiones in resurgente; vel referendo quantitatem virtutum ad quantitatem gratiae. Et primo quidem intellectu sensus esset quod resurgens a peccato recuperat aliquam infusam virtutem maiorem et aliquam minorem, si ad unam magis se disposuit quam ad aliam, sicut recuperat gratiam maiorem vel minorem prout magis vel minus se disponit ad illam. — Iuxta secundum vero intellectum, sensus esset quod recuperans gratiam minorem recuperat etiam virtutes minores; et si recuperat gratiam aequalem deperditae, recuperat etiam virtutes aequales; et si maiorem, maiores.

Quidquid autem de veritate primi dicti secundum se sit, praesenti tamen litterae secundus solus sensus consonat. Quoniam in littera redditur ratio quare est eadem ratio de gratia et virtutibus. Et ratio quae redditur est sequela virtutum ex gratia. Ex hoc enim quod virtutes consequuntur ad gratiam, absque scrupulo ambiguitatis cuiusque deducitur quod ad maiorem gratiam sequuntur maiores virtutes, et ad minorem minores.

III. Tertio advertendum est in tertio articulo, in corpore, ubi de irregularitate homicidii ex defensione commissi tangitur. Distinguendum siquidem est de defensione.

Nam quaedam est necessitas ad homicidium: cum quis scilicet non potest totaliter, se defendendo, suum evadere invasorem, nisi occidat illum. Et haec non inducit irregularitatem, per nova iura, condita scilicet post transitum beati Thomae: ut patet in Sexto \*, *de Homicidio*, cap. unico. — Defensio autem non urgens ad homicidium et olim et nunc irregularem constituit. Et de hac textus iste intelligendus est.

\* Clementin., cap. Si furiosus.

IV. Quarto advertendum est, in quinto articulo, in corpore iuncto cum responsione ad tertium, quod aliud est loqui de opere meritorio: et aliud est loqui de quantitate operis meritorii. Cum enim mortificata reviviscunt, semper omnia opera meritoria quae mortificata erant reviviscunt: quoniam isti in quo reviviscunt debita est vita aeterna ex vi illorum priorum operum, et non solum ex vi praesentium operum; ita quod hoc operatur reviviscere, quod ex pluribus capitibus debetur huic vita aeterna, scilicet ex meritis prioribus et ex meritis posterioribus. Sed quantitas operis meritorii non semper reviviscit simpliciter, quoniam non semper recuperat propriam efficaciam, quae est perducere hunc ad tantum gradum beatitudinis aeternae: ut patet in eo qui resurgit in minori gratia, ita quod in illa minore decedit; talis enim nunquam perveniet ad illum beatitudinis gradum quem quantitas prioris meriti debitum sibi fecerat. Et in promptu causa huius non-reviviscitiae est ipsa resurgentis indispositio. Sicut enim, si non resurrexisset a peccato, mortificata merita non sibi revixissent, quia peccatum proprium impedivisset meritorum efficaciam; ita, resurgendo a peccato, cum minore tamen gratia, ex hoc ipso indispositus est ad suscipiendum fructum maioris meriti: ipse enim minor conatus resurgentis et ad maiora non progredientis impedimentum praestat efficaciae quantitatis magni meriti praecedentis, et facit ut quantitas illa non reviviscat sibi simpliciter et absolute. Cum quo tamen stat quod reviviscit illi secundum quid, hoc est quoad gaudium accidentale: quia, ut in littera dicitur, plus gaudebit de maiore merito praecedente quam de minore quod subsecutum est.

## ARTICULUS SECUNDUS

## UTRUM POST POENITENTIAM RESURGAT HOMO IN AEQUALI VIRTUTE

III Sent., dist. xxxi, qu. 1, art. 4.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. 11.

\* Vers. 28.

\* Apud Lomb.

\* Pseudo-Aug., Hypognost. lib. III, cap. ix.

\* Vers. 5.

\* Cf. Aug. de Gen. ad litt., lib. 1, cap. xvii.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR\*. Videtur quod post poenitentiam resurgat homo in aequali virtute. Dicit enim Apostolus, *Rom. viii* \*: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: ubi dicit Glossa Augustini \* quod hoc adeo verum est *ut, si qui horum devient et exorbitent, hoc ipsum Deus faciat eis in bonum proficere*. Sed hoc non esset si homo resurgeret in minori virtute <sup>α</sup>.

2. PRAETEREA, Ambrosius \* dicit quod *poenitentia optima res est, quae omnes defectus revocat ad perfectum*. Sed hoc non esset nisi virtutes in aequali quantitate recuperarentur. Ergo per poenitentiam semper recuperatur aequalis virtus.

3. PRAETEREA, super illud *Genes. i* \*, *Factum est vespere et mane dies unus*, dicit Glossa \*: *Vespertina lux est a qua quis cecidit: matutina in*

*qua resurgit*. Sed lux matutina est maior quam vespertina. Ergo aliquis resurgit in maiori gratia vel caritate quam prius habuerat. — Quod etiam videtur per id quod Apostolus dicit, *Rom. v* \*: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*.

\* Vers. 20.

SED CONTRA, caritas proficiens vel perfecta maior est quam caritas incipiens. Sed quandoque aliquis cadit a caritate proficiente, resurgit autem in caritate incipiente. Ergo semper resurgit homo in minori etiam <sup>β</sup> virtute.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est \*, motus liberi arbitrii qui est in iustificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam: unde in eodem instanti est gratiae infusio cum praedicto motu liberi arbitrii, ut in Secunda Parte \* habitum est. In quo quidem motu comprehenditur actus poenitentiae, ut supra \* dictum est. Manifestum est

\* Art. praeced., ad 2.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. cxiii, art. 8.

\* Qu. Lxxxvi, art. 6, ad 1.

<sup>α</sup>) virtute. — Ergo videtur quod poenitens nunquam in minori virtute resurgit addit F, Ergo videtur quod nunquam poenitens resurgat in minori virtute addunt Pl.

<sup>β</sup>) etiam. — Om. DFa et tertia.

autem quod formae quae possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subiecti: ut in Secunda Parte \* habitum est. Et inde est quod, secundum quod motus liberi arbitrii in poenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc poenitens consequitur maiorem vel minorem gratiam.

Contingit autem intensionem motus poenitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiae quam illa a qua cecidit per peccatum; quandoque vero aequali; quandoque vero minori. Et ideo poenitens quandoque resurgit in maiori gratia quam prius habuerat; quandoque autem in aequali; quandoque etiam in minori. Et eadem ratio <sup>γ</sup> est de virtutibus, quae ex gratia consequuntur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonum hoc ipsum quod per peccatum a Dei amore <sup>δ</sup> cadunt, quod patet in his qui cadunt et nunquam resurgunt, vel qui resurgunt iterum casuri: sed in his <sup>ε</sup> qui secundum propositum vocati sunt sancti \*, scilicet praedestinati, qui, quotiescumque cadunt <sup>ζ</sup>, finaliter tamen resurgunt. Cedit igitur eis in bonum hoc quod cadunt, non quia semper in maiori gratia resurgant, sed quia resurgunt in permanentiori gratia: non quidem ex parte ipsius gratiae, quia, quanto gratia est maior, tanto de se est permanentior; sed ex parte hominis, qui tanto stabilis in gratia permanet quanto est cautior et humilior. Unde et Glossa ibidem \* subdit quod ideo proficit eis in bonum quod cadunt, quia humiliores redeunt, et quia <sup>η</sup> doctiores fiunt.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentia, quan-

tum est de se, habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, et etiam promovendi in ulteriorem statum: sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissius movetur in Deum et in detestationem peccati. Sicut etiam in baptismo aliqui adulti consequuntur maiorem vel minorem gratiam, secundum quod diversimode se disponunt.

AD TERTIUM DICENDUM quod illa assimilatio utriusque gratiae ad lucem vespertinam et matutinam fit propter similitudinem ordinis, quia post lucem vespertinam sequuntur tenebrae noctis, post lucem autem matutinam sequitur lux diei: non autem propter maiorem vel minorem similitudinem <sup>θ</sup> quantitatis.

Illud etiam verbum Apostoli intelligitur de gratia <sup>ι</sup>, quae exsuperat omnem abundantiam humanorum peccatorum. Non autem hoc est verum in omnibus, quod quanto abundantius peccavit, tanto abundantiore gratiam consequatur, pensata quantitate habitualis gratiae. Est tamen \* superabundans gratia quantum ad ipsam gratiae rationem: quia magis gratis beneficium remissionis magis <sup>λ</sup> peccatori confertur. — Quamvis quandoque abundanter peccantes abundanter dolent: et sic abundantiore habitum gratiae et virtutum consequuntur, sicut patet in Magdalena \*.

AD ID VERO quod in contrarium obiicitur, dicendum quod una et eadem gratia maior est proficiens quam incipiens: sed in diversis hoc non est necesse. Unus enim incipit a maiori gratia quam alius habeat in statu profectus: sicut Gregorius dicit, in II Dialog. \*: Praesentes et secuturi <sup>μ</sup> omnes cognoscant, Benedictus puer a quanta perfectione conversionis gratiam incoepisset.

\* Ia IIae, qu. LII, art. 1, 2.

\* Ad Rom., loc. cit. in arg.

\* Cf. arg.

γ) ratio. — ratio etiam AB, etiam ratio C.  
δ) amore. — Tertia; timore.  
ε) in his. — pro his tantum I, his tantum P.  
ζ) cadunt. — cadant DE et tertia.  
η) et quia. — et F, quia H, atque IsG et editiones. — fiunt om. Pl.  
θ) maiorem vel minorem similitudinem. — similitudinem maioris vel minoris tertia.  
ι) gratia. — Christi addit tertia. Pro exsuperat, superat E et tertia.  
λ) Est tamen. — PF; Et tamen est bc, Et tamen ceteri.

λ) magis. — Om. bc. — Pro abundanter primo loco, abundavit A BCpE et a, abundantius D. — peccantes abundanter om. HpG et bc; Alias non habetur ly abundanter peccantes margo P.  
μ) Praesentes et secuturi. — Quatenus et praesentes et secuturi P, Praesentes executuri ceteri. — cognoscant G; agnoscant I, agnoscerent P, agnoscant quod Hbc, cognoscant quoniam E, cognoscant quod ceteri. — Pro a quanta... incoepisset, a quanta conversionis perfectione incoepisset F, conversionis gratiam a quanta perfectione coepisset tertia.

\* Luc. cap. VII, vers. 47.

\* Cap. I.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PER POENITENTIAM RESTITUATUR HOMO IN PRISTINAM DIGNITATEM

III Sent., dist. xxxi, qu. 1, art. 4, qu<sup>a</sup> 1, ad 2; IV, dist. xiv, qu. 1, art. 5, qu<sup>a</sup> 1, ad 3; dist. xix, qu. 1, art. 3, qu<sup>a</sup> 2, ad 2; dist. xxxvii, qu. II, art. 2, ad 4.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. III.

\* Vers. 1, 2.

\* Ord. ex Hieron.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod per poenitentiam non restituatur homo in pristinam dignitatem. Quia super illud Amos v \*, Virgo Israel cecidit, dicit Glossa \*: Non negat ut resurgat, sed ut resurgere virgo possit <sup>α</sup>: quia semel oberrans ovis, etsi reportetur in humeris Pastoris, non habet tantam gloriam quantam quae nunquam erravit. Ergo

per poenitentiam non recuperat homo pristinam dignitatem.

2. PRAETEREA, Hieronymus dicit \*: Quicumque dignitatem divini gradus non custodiunt, contenti fiant animam salvare: reverti enim in pristinum gradum difficile est. — Et Innocentius Papa \* dicit quod apud Nicaeam constituti canones poenitentes etiam ab infimis clericorum officiis excludunt. Non

\* Can. Quicumque dignitatem, dist. L.

\* Primus. — Epist. VI, Agapito et caet. Cf. Can. Canones apud, dist. L.

α) Non negat... possit. — Non negat posse resurgere, sed non resurget virgo Israel P. Pro oberrans, aberrans Pl. Pro in humeris, in brachiis F, humeris Pl.

ergo per poenitentiam homo recuperat pristinam dignitatem.

3. PRAETEREA, ante peccatum potest aliquis ad maiorem gradum ascendere. Non autem hoc post peccatum conceditur poenitenti: dicitur enim Ezech. XLIV \*: *Levitae qui recesserunt a me, nunquam appropinquabunt mihi, ut sacerdotio fungantur*. Et, sicut habetur in Decretis, dist. L \*, in Hilerdensi Concilio legitur: *Hi qui sancto altario deserviunt, si subito flenda debilitate carnis <sup>β</sup> corruerint, et, Domino respiciente, poenituerint, officiorum suorum loca recipiant, nec possint ad altiora officia ulterius promoveri*. Non ergo poenitentia restituit hominem in pristinam dignitatem.

SED CONTRA EST quod, sicut in eadem distinctione \* legitur, Gregorius, scribens Secundino \*\*, dixit: *Post dignam satisfactionem, credimus hominem posse redire ad suum honorem*. Et in Concilio Agathensi \* legitur: *Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab episcopis corrigantur: ita ut, cum eos poenitentia correxerit, gradum suum dignitatemque recipiant*.

RESPONDEO DICENDUM quod homo per peccatum duplicem dignitatem amittit: unam quantum ad Deum, aliam vero quantum ad Ecclesiam. Quantum autem ad Deum, amittit duplicem dignitatem. Unam principalem, qua scilicet *computatus erat inter filios Dei* \* per gratiam. Et hanc dignitatem recuperat per poenitentiam. Quod significatur Luc. xv \* de <sup>γ</sup> filio prodigo, cui pater poenitenti iussit restitui *stolam primam et anulum et calceamenta*. — Aliam vero dignitatem amittit secundariam, scilicet innocentiam: de qua, sicut ibidem legitur \*, gloriabatur filius senior, dicens, *Ecce, tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum praeterivi*. Et hanc dignitatem poenitens recuperare non potest. — Recuperat tamen quandoque aliquid maius. Quia, ut Gregorius dicit, in Homilia de *Centum Ovibus* \*, *qui errasse a Deo se considerant, damna praecedentia lucris sequentibus recompensant. Maius ergo gaudium de eis fit in caelo: quia et dux in praelio plus eum militem diligit qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga praebuit et nunquam aliquid fortiter fecit*.

Dignitatem autem ecclesiasticam homo <sup>δ</sup> per peccatum perdit, qui indignum se reddit ad ea quae competunt dignitati ecclesiasticae exercenda. Quam quidem recuperare prohibentur, uno modo, quia non poenitent <sup>ε</sup>. Unde Isidorus ad *Misianum Episcopum* \* scribit, sicut in eadem distinctione legitur, cap. *Domino: Illos ad pristinam gradus*

*canones redire praecipunt quos poenitentiae praecessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. At contra hi qui a vitio corruptionis non emendantur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis*. — Secundo, quia poenitentiam negligenter agunt <sup>ζ</sup>. Unde in eadem distinctione, cap. *Si quis diaconus*, dicitur: *Cum in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi appareat, nec ieiuniis vel lectionibus eos vacare videamus, possumus agnoscere, si ad pristinam honores redirent, cum quanta negligentia <sup>η</sup> permanerent*. — Tertio, si commisit aliquod peccatum habens <sup>θ</sup> irregularitatem aliquam admixtam. Unde in eadem distinctione \*, ex Concilio Martini Papae \*, dicitur: *Si quis viduam, vel ab alio relictam duxerit, non admittatur ad clerum. Quod si irreperit, deiciatur. Similiter si homicidii aut facti aut praeepto aut consilio aut defensione, post baptismum, conscius fuerit*. Sed hoc non est ratione peccati, sed ratione irregularitatis. — Quarto, propter scandalum. Unde in eadem distinctione legitur, cap. *De his vero: Rabanus \* dicit: Hi qui deprehensi vel capti fuerint publice in periurio, furto aut fornicatione, et ceteris criminibus <sup>ι</sup>, secundum canonum sacrorum instituta a proprio gradu decidunt: quia scandalum est populo Dei tales personas superpositas habere. Qui autem de praedictis peccatis absconse a se commissis sacerdoti \* confitentur, si se per ieiunia et elemosynas vigiliisque et sacras orationes purgaverint, his etiam, gradu proprio servato, spes veniae de misericordia Dei promittenda est*. Et hoc etiam dicitur Extra, de *Qualitate Ordinand.* \*, cap. *Quaesitum: Si crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, praeter reos homicidii, post poenitentiam in susceptis vel iam suscipiendis ordinibus impedire <sup>λ</sup> non possunt*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod eadem ratio est de recuperatione virginitatis et de recuperatione innocentiae \*, quae pertinet ad secundariam dignitatem quoad Deum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Hieronymus in verbis illis non dicit esse impossibile, sed dicit esse difficile hominem recuperare post peccatum pristinum gradum: quia hoc non conceditur nisi perfecte poenitenti, ut dictum est \*.

AD STATUTA autem canonum qui <sup>μ</sup> hoc prohibere videntur, respondet Augustinus, Bonifacio scribens \*: *Ut constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicuius criminis poenitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiae, sed rigore factum est disciplinae. Alioquin contra cla-*

β) flenda debilitate carnis. — (in P) flenda carnis fragilitate F et tertia. Ante poenituerint PI addunt digne. Pro loca recipiant nec, sic loca recipiant ut non P.

γ) de. — in tertia. — Pro cui pater poenitenti iussit, cui poenitenti iussit pater (pater iussit editiones) tertia.

δ) ecclesiasticam homo. — Fa et tertia; homo ecclesiasticam. — Pro qui, quia tertia.

ε) prohibentur... poenitent. — prohibetur... poenitet P. — Misianum Ea; Missianum tertia. Iulianum ceteri; Alias Massanum margo P.

ζ) agunt. — faciunt bc, facit P.

η) negligentia. — Tertia praeter H; diligentia.

*canones redire praecipunt quos poenitentiae praecessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. At contra hi qui a vitio corruptionis non emendantur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis*. — Secundo, quia poenitentiam negligenter agunt <sup>ζ</sup>. Unde in eadem distinctione, cap. *Si quis diaconus*, dicitur: *Cum in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi appareat, nec ieiuniis vel lectionibus eos vacare videamus, possumus agnoscere, si ad pristinam honores redirent, cum quanta negligentia <sup>η</sup> permanerent*. — Tertio, si commisit aliquod peccatum habens <sup>θ</sup> irregularitatem aliquam admixtam. Unde in eadem distinctione \*, ex Concilio Martini Papae \*, dicitur: *Si quis viduam, vel ab alio relictam duxerit, non admittatur ad clerum. Quod si irreperit, deiciatur. Similiter si homicidii aut facti aut praeepto aut consilio aut defensione, post baptismum, conscius fuerit*. Sed hoc non est ratione peccati, sed ratione irregularitatis. — Quarto, propter scandalum. Unde in eadem distinctione legitur, cap. *De his vero: Rabanus \* dicit: Hi qui deprehensi vel capti fuerint publice in periurio, furto aut fornicatione, et ceteris criminibus <sup>ι</sup>, secundum canonum sacrorum instituta a proprio gradu decidunt: quia scandalum est populo Dei tales personas superpositas habere. Qui autem de praedictis peccatis absconse a se commissis sacerdoti \* confitentur, si se per ieiunia et elemosynas vigiliisque et sacras orationes purgaverint, his etiam, gradu proprio servato, spes veniae de misericordia Dei promittenda est*. Et hoc etiam dicitur Extra, de *Qualitate Ordinand.* \*, cap. *Quaesitum: Si crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, praeter reos homicidii, post poenitentiam in susceptis vel iam suscipiendis ordinibus impedire <sup>λ</sup> non possunt*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod eadem ratio est de recuperatione virginitatis et de recuperatione innocentiae \*, quae pertinet ad secundariam dignitatem quoad Deum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Hieronymus in verbis illis non dicit esse impossibile, sed dicit esse difficile hominem recuperare post peccatum pristinum gradum: quia hoc non conceditur nisi perfecte poenitenti, ut dictum est \*.

AD STATUTA autem canonum qui <sup>μ</sup> hoc prohibere videntur, respondet Augustinus, Bonifacio scribens \*: *Ut constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicuius criminis poenitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiae, sed rigore factum est disciplinae. Alioquin contra cla-*

θ) habens. — quod habet tertia. — Pro aliquam admixtam, aliquam annexam ed. a, adiunctam F, admixtam GH, annexam I et editiones.

ι) criminibus. — huiusmodi criminibus PI. — a proprio PI; proprio. — Pro superpositas, super se positas PI.

κ) sacerdoti. — occulte sacerdoti F et tertia. — Pro purgaverint, purgare c'averint I, purgare curaverint cetera tertia. — etiam gradu I et editiones: in gradu. — de misericordia P; ex misericordia I, misericordia ceteri.

λ) impedire. — Pac; impediri.

μ) qui. — quae DFa et tertia. — ne Ia et editiones; neque F, ut ne GH, ut nec ceteri.

\* Vers. 10, 13.

\* Can. Hi qui altario. — Cf. Friedberg, ibid., not. 782.

β

\* Can. Tua Sanctitas; \*\* Regist. lib. IX, Ep. LII, al. lib. VII, Ep. LIV.

\* Can. 2. — Cf. can. Contumaces, dist. L.

\* Sap. cap. V, vers. 5.

\* Vers. 22. γ

\* Vers. 29.

\* Homil. XXXIV in Evang.

δ

\* Epist. IV. ε

\* Can. Si quis viduam.

\* Martini Bracaren. Interpret. can. Apost. 17 et can. 21. — Cf. Friedberg, loc. cit., not. 63.

\* Ep. ad Heribald.

\* Al. de Temprib. Ordin. et Qualit. Ordin.

\* D. 1169.

\* In corpore.

μ

\* Ep. CLXXXV, al. L, cap. x, n. 45. — Cf. can. Ut constitueretur, dist. L.

ves datas Ecclesiae disputabitur, de quibus dictum est: « Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo ». Et postea subdit: Nam et sanctus David de criminibus <sup>v</sup> egit poenitentiam: et tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum, quando amarissimas lacrimas fudit, utique Dominum negasse poenituit: et tamen Apostolus posteriorum <sup>ξ</sup> diligentia, qui, ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt: experti, ut credo, aliquorum fictas poenitentias per affectatas honorum potentias <sup>o</sup>.

AD TERTIUM DICENDUM quod illud statutum in-

telligitur de illis qui publicam poenitentiam agunt, qui postmodum non possunt ad maiorem pro- vehi gradum. Nam et Petrus post negationem pastor ovium Christi constitutus est, ut patet Ioan. ult. \* Ubi dicit Chrysostomus \*\* quod Petrus post negationem et poenitentiam ostendit se habere maiorem fiduciam ad Christum. Qui enim in Cena non audebat interrogare, sed Ioanni interrogationem commisit, huic postea et praepositura fratrum credita est, et non solum non committit alteri interrogare quae ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipse pro Ioanne Magistrum interrogat.

\* Vers. 15 sqq.  
\*\* Hom. LXXXVIII,  
al. LXXXVII, in  
Ioan., n. 2.

<sup>v</sup>) criminibus. — mortiferis addit tertia.  
<sup>ξ</sup>) posteriorum. — praeteritorum DEFHI, posteriorum doctorum P.

<sup>o</sup>) potentias. — personas F, pompas bc et margo P per alias.

## ARTICULUS QUARTUS

### UTRUM OPERA VIRTUTUM IN CARITATE FACTA MORTIFICARI POSSINT

III Sent., dist. xxxvi, art. 5, ad 1; IV, dist. xiv, qu. ii, art. 3, qu<sup>a</sup> 2;  
dist. xxi, qu. i, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, ad 3; dist. xxii, qu. i, art. 1, ad 6; Ad Heb., cap. vi, lect. i.

**A**D QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod opera virtutum in caritate facta mortificari non possunt. Quod enim non est, immutari non potest. Sed mortificatio est quaedam mutatio de vita in mortem. Cum ergo opera virtutum, postquam facta sunt, iam non sint, videtur quod ulterius mortificari non possunt.

2. PRAETEREA, per opera virtutis in caritate facta homo meretur vitam aeternam. Sed subtrahere mercedem merenti est iniustitia, quae non cadit in Deum \*. Ergo non potest esse quod opera virtutum in caritate facta per peccatum sequens mortificentur.

3. PRAETEREA, fortius non corrumpitur a debiliore. Sed opera caritatis sunt fortiora quibuslibet peccatis: quia, ut dicitur Proverb. x \*, *universa delicta operit caritas*. Ergo videtur quod opera in caritate facta per sequens mortale peccatum mortificari non possunt <sup>α</sup>.

SED CONTRA EST quod dicitur Ezech. xviii \*: *Si averterit se iustus a iustitia sua, omnes iustitiae eius quas fecerat, non recordabuntur*.

RESPONDEO DICENDUM quod res viva per mortem perdit operationem vitae: unde per quandam

similitudinem dicuntur res *mortificari* quando impediuntur a proprio suo effectu vel operatione. Effectus autem operum virtuosorum quae in caritate fiunt, est perducere ad vitam aeternam. Quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit. Et secundum hoc, opera in caritate facta dicuntur mortificari per sequens peccatum mortale.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut opera peccatorum transeunt actu et manent reatu, ita opera in caritate facta, postquam transeunt actu, manent merito in Dei acceptatione. Et secundum hoc mortificantur: inquantum impeditur homo ne consequatur suam mercedem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sine iniustitia potest subtrahi merces merenti quando ipse reddiderit se indignum mercede per culpam sequentem. Nam et ea quae homo iam accepit, quandoque iuste propter culpam perdit.

AD TERTIUM DICENDUM quod non est propter fortitudinem operum peccati quod mortificantur opera prius in caritate facta: sed est propter libertatem voluntatis, quae potest a bono in malum deflecti.

\* Cf. ad Heb., cap. vi, vers. 10.

\* Vers. 12.

\* Vers. 24.

<sup>α</sup>) videtur quod... possunt. — a et tertia; videtur quod... posse F, videtur... posse ceteri.

## ARTICULUS QUINTUS

### UTRUM OPERA MORTIFICATA PER PECCATUM PER POENITENTIAM REVIVISCANT

IV Sent., dist. xiv, qu. ii, art. 3, qu<sup>a</sup> 3; dist. xxii, qu. i, art. 1, ad 6; Ad Thess., cap. iii, lect. 1; Ad Heb., cap. vi, lect. i, iii.

\* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. iv.

**A**D QUINTUM SIC PROCEDITUR \*. Videtur quod opera mortificata per peccatum per poenitentiam non reviviscant. Sicut enim per poenitentiam subsequentem remittuntur peccata praeterita, ita etiam per peccatum

sequens mortificantur opera prius in caritate facta. Sed peccata dimissa per poenitentiam non redeunt, ut supra \* dictum est. Ergo videtur quod etiam opera mortificata per caritatem non reviviscant.

\* Qu. LXXXVIII,  
art. 1.

2. PRAETEREA, opera dicuntur mortificari ad similitudinem animalium quae moriuntur, ut dictum est \*. Sed animal mortuum non potest iterum vivificari. Ergo nec opera mortificata possunt iterum per poenitentiam reviviscere.

\* Art. praeced.

3. PRAETEREA, opera in caritate facta merentur gloriam secundum quantitatem gratiae vel caritatis. Sed quandoque per poenitentiam homo resurgit in minori gratia vel caritate. Ergo non consequetur gloriam secundum merita priorum operum. Et ita videtur quod opera mortificata per peccatum non reviviscant.

\* Vers. 25.

\* Interlin.

SED CONTRA EST quod, super illud Ioel II \*, *Reddam vobis annos quos comedit locusta*, dicit Glossa \*: *Non patiar perire ubertatem quam cum perturbatione animi amisistis*. Sed illa ubertas est meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum. Ergo per poenitentiam reviviscunt opera meritoria prius facta.

\* Hugo a S. Vict. de Sacram. lib. II, part. XIV, cap. IV.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam \* dixerunt quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata non reviviscunt per poenitentiam sequentem, considerantes quod opera illa non remanent, ut iterum vivificari possent.

Sed hoc impedire non potest quin vivificentur. Non enim habent vim perducendi in vitam aeternam, quod pertinet ad eorum vitam, solum secundum quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum <sup>α</sup> est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur: quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, et sancti de eis gaudebunt, secundum illud *Apoc. III* \*: *Tene quod*

\* Vers. 11.

α) quantum. — Tertia; inquantum.  
β) ex. — in P.  
γ) hominis. — operantis addit tertia.

*habes, ne alius accipiat coronam tuam*. Sed quod isti qui ea fecit non sint efficacia ad ducendum ad vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditur indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per poenitentiam, inquantum per eam remittuntur peccata. Unde restat quod opera prius mortificata per poenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit ea in vitam aeternam: quod est ea reviviscere. Et ita patet quod opera mortificata per poenitentiam reviviscunt \*.

\* D. 952.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod opera peccati per poenitentiam abolentur secundum se: ita scilicet quod ex eis ulterius, Deo indulgente, nec macula nec reatus inducitur. Sed opera ex <sup>β</sup> caritate facta non abolentur a Deo, in cuius acceptatione remanent: sed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis. Et ideo, remoto impedimento quod est ex parte hominis <sup>γ</sup>, Deus implet ex parte sua illud quod opera merebantur.

β

γ

AD SECUNDUM DICENDUM quod opera in caritate facta non mortificantur secundum se, sicut dictum est \*, sed solum per impedimentum superveniens ex parte operantis. Animalia autem moriuntur secundum se, inquantum privantur principio vitae. Et ideo non est simile.

\* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod ille qui per poenitentiam resurgit in minori caritate, consequetur quidem praemium essenziale secundum quantitatem caritatis in qua invenitur: habebit tamen gaudium maius de operibus in prima caritate factis quam de operibus <sup>δ</sup> quae in secunda fecit. Quod pertinet ad praemium accidentale.

δ

δ) in prima... operibus. — F et tertia; om. — in secunda fecit P, secundo fecit F<sup>s</sup>G et b, secundo facit ceteri.

## ARTICULUS SEXTUS

## UTRUM PER POENITENTIAM SUBSEQUENTEM ETIAM OPERA MORTUA VIVIFICENTUR

IV Sent., dist. XIV, qu. II, art. 3, qu<sup>a</sup> 1; dist. XV, qu. I, art. 3, qu<sup>a</sup> 3, 4, 5.

**A**D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per poenitentiam subsequentem etiam opera mortua, quae scilicet non sunt in caritate facta, vivificentur. Difficilius enim videtur quod ad vitam perveniat illud quod fuit mortificatum, quod nunquam fit secundum naturam, quam illud quod nunquam fuit vivum, vivificetur: quia ex non vivis secundum naturam viva aliqua <sup>α</sup> generantur. Sed opera mortificata per poenitentiam vivificantur, ut dictum est \*. Ergo multo magis opera mortua vivificantur.

\* Art. praeced.

2. PRAETEREA, remota causa, removetur effectus. Sed causa quare opera de genere bonorum sine caritate facta non fuerunt viva, fuit defectus

caritatis et gratiae. Sed iste defectus tollitur per poenitentiam. Ergo per poenitentiam opera mortua vivificantur.

3. PRAETEREA, Hieronymus dicit \*: *Si quando videris inter multa opera peccatorum facere <sup>β</sup> quemquam aliqua quae iusta sunt, non est tam iniustus Deus ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum*. Sed hoc videtur maxime quando mala praeterita per poenitentiam tolluntur. Ergo videtur quod post poenitentiam Deus remuneret priora bona <sup>γ</sup> in statu peccati facta: quod est ea vivificari.

\* Comment. in Aggaeum, cap. I, vers. 6.

β

γ

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, I Cor. XIII \*: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam,*

\* Vers. 3.

α) viva aliqua. — aliqua viva DEa et tertia.  
β) opera peccatorum facere. — mala opera facere peccatorem P.

γ) bona. — opera addit P.

*caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hoc autem non esset si saltem per poenitentiam subsequentem vivificarentur. Non ergo poenitentia vivificat opera prius mortua.

RESPONDEO DICENDUM quod opus aliquod dicitur mortuum dupliciter. Uno modo, effective: quia scilicet est causa mortis. Et secundum hoc, opera peccati dicuntur opera mortua: secundum illud *Heb. IX* \*: *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.* Haec igitur opera mortua non vivificantur per poenitentiam, sed magis abolentur: secundum illud *Heb. VI* \*: *Non rursus iacentes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis.*

Alio modo dicuntur opera mortua privative: scilicet quia carent vita spirituali, quae est ex caritate, per quam anima Deo coniungitur, ex quo vivit sicut corpus per animam. Et per hunc modum etiam fides quae est sine caritate, dicitur mortua: secundum illud *Iac. II* \*: *Fides sine operibus mortua est.* Et per hunc etiam modum omnia opera quae sunt bona ex genere, si sine caritate fiant, dicuntur mortua: inquantum scilicet non procedunt ex principio vitae; sicut si dicamus sonum citharae vocem mortuam dare <sup>δ</sup>. Sic igitur differentia mortis et vitae in operibus est secundum comparisonem ad principium a quo procedunt. Opera autem non possunt iterum a principio procedere: quia transeunt, et iterum eadem numero assumi non possunt. Unde impossibile est quod opera mortua iterum fiant viva per poenitentiam \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in rebus naturalibus tam mortua quam mortificata carent principio vitae. Sed opera dicuntur mortificata non ex parte principii a quo processerunt, sed ex parte impedimenti extrinseci. Mortua autem dicuntur ex parte principii. Et ideo non est similis ratio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod opera de genere bonorum sine caritate facta dicuntur mortua propter defectum caritatis et gratiae sicut principii. Hoc autem non praestatur eis per poenitentiam subsequentem, ut ex tali principio procedant. Unde ratio non sequitur.

AD TERTIUM DICENDUM quod Deus recordatur bonorum quae quis facit in statu peccati, non ut remuneret ea in vita aeterna, quod debetur solis operibus vivis, idest ex caritate factis: sed remunerat temporali remuneratione \*. Sicut Gregorius dicit, in *Homilia de Divite et Lazaro* \*, quod, *nisi dives ille aliquod bonum egisset et in praesenti saeculo remunerationem accepisset, nequaquam ei Abraham diceret, Recepisti bona in vita tua.*

Vel hoc etiam potest referri ad hoc quod patietur tolerabilius iudicium \*. Unde dicit Augustinus, in libro *de Patientia* \*: *Non possumus dicere schismatico melius fuisse ei ut <sup>ε</sup>, Christum negando, nihil eorum pateretur quae passus est confitendo: ut illud quod ait <sup>η</sup> Apostolus, « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest », intelligatur ad regnum caelorum obtinendum, non ad extremi iudicii supplicium <sup>θ</sup> tolerabilius subeundum.*

\* Vers. 14.

\* Vers. 1.

\* Vers. 20.

δ

\* D. 952.

\* D. 951.

\* Homil. XL in Evang.

\* D. 426, 1142.

\* Cap. xxvi. <sup>ε</sup> ζ

η

θ

δ) dare. — Om. tertia.

ε) Patientia. — P; Poenitentia.

ζ) melius fuisse ei ut. — F; ut melius fuisse ei ut G, non melius fuisse ei ut Hbc, melius esse fuisse pl, melius ei fuisse sl, non melius fuisse ei ceteri. — Post confitendo F et tertia addunt: Sed existimandum est tolerabilius ei futurum iudicium quam si Christum negando nihil eorum pateretur.

η) ut illud quod ait. — Tertia praeter c; Ad illud quod ait

ABCac, quod ait D, Ad primum ergo dicendum quod ait pE, Ad primum quod ait sE, ut ait F. — ita om. tertia praeter P. — intelligatur tertia praeter I; nihil prodesse intelligatur FI, intelligitur ceteri.

θ) iudicii supplicium. — iudicii iudicium B, iudicium supplicii G, (extremum) supplicium iudicium H, supplicium iudicii bc, supplicii iudicium P.





## QUAESTIO NONAGESIMA

### DE PARTIBUS POENITENTIAE IN GENERALI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

\* Cf. qu. LXXXIV, Introd.  
\* Cf. Supplem., qu. I.

DEINDE considerandum est de partibus poenitentiae \*. Et primo, in generali; secundo, in speciali de singulis \*.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo: utrum poenitentia habeat partes.

Secundo: de numero partium.

Tertio: quales partes sint.

Quarto: de divisione eius in partes subiectivas.

### ARTICULUS PRIMUS

#### UTRUM POENITENTIAE DEBEANT PARTES ASSIGNARI

IV Sent., dist. xvi, qu. I, art. 1, qu<sup>a</sup> 1, 4.

\* Isidor. *Etymol.* lib. VI, cap. xix.



AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poenitentiae non debent partes assignari. Sacramenta enim sunt in quibus *divina virtus secretius operatur salutem* \*. Sed virtus divina est una et simplex. Non ergo poenitentiae, cum sit sacramentum, debent partes assignari.

2. PRAETEREA, poenitentia est virtus, et est sacramentum. Sed ei in quantum est virtus, non assignantur partes: cum virtus sit habitus quidam \*, qui est simplex qualitas mentis \*\*. Similiter etiam ei <sup>α</sup> poenitentiae in quantum est sacramentum, non videtur quod partes sint assignandae: quia baptismo et aliis sacramentis non assignantur partes. Ergo poenitentiae nullae <sup>β</sup> debent partes assignari.

\* Cf. Arist. *Ethic.* lib. II, cap. vi, n. 15. - S. Th. lect. vii.  
\*\* Cf. Iam II<sup>ae</sup>, qu. Lv, art. 4.  
α

β

3. PRAETEREA, poenitentiae materia est peccatum, ut supra \* dictum est. Sed peccato non assignantur partes. Ergo etiam nec poenitentiae sunt partes assignandae.

\* Qu. LXXXIV, art. 2, 3.

SED CONTRA EST quod partes sunt ex quibus perfectio alicuius integratur. Sed poenitentiae perfectio integratur ex pluribus, scilicet ex contritione, confessione et satisfactione. Ergo poenitentia habet partes.

RESPONDEO DICENDUM quod partes rei sunt in quas materialiter totum dividitur: habent enim se partes ad totum sicut materia ad formam; unde in II *Physic.* \* partes ponuntur in genere causae materialis, totum autem in genere causae formalis \*. Ubi cumque igitur ex parte materiae in-

\* Cap. III, n. 5. - S. Th. lect. v.

\* D. 852.

venitur aliqua pluralitas, ibi est invenire partium rationem. Dictum est autem supra \* quod in sacramento poenitentiae actus humani se habent per modum materiae. Et ideo, cum plures actus humani requirantur ad perfectionem poenitentiae, scilicet contritio, confessio et satisfactio, ut infra \* patebit, consequens est quod sacramentum poenitentiae habeat partes.

\* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 1, 2; art. 2.

\* Art. seq.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod quodlibet sacramentum habet simplicitatem ratione virtutis divinae, quae in eo operatur. Sed virtus divina, propter sui magnitudinem, operari potest et per unum et per multa: ratione quorum alicui sacramento possunt partes assignari.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentiae secundum quod est virtus, non assignantur partes: actus enim humani, qui multiplicantur in poenitentia, non comparantur ad habitum virtutis sicut partes, sed sicut effectus. Unde relinquitur quod partes assignentur poenitentiae in quantum est sacramentum, ad quod actus humani comparantur ut materia. In aliis autem sacramentis materia non sunt actus humani, sed aliqua res exterior: una quidem <sup>γ</sup> simplex, ut aqua vel oleum; sive composita, ut chrisma. Et ideo aliis sacramentis non assignantur partes.

γ

AD TERTIUM DICENDUM quod peccata sunt materia remota poenitentiae: in quantum scilicet sunt ut <sup>δ</sup> materia vel obiectum humanorum actuum, qui sunt propria materia poenitentiae prout est sacramentum.

δ

α) ei. - et editiones; poenitentiae om. F.

β) nullae. - nullo modo tertia; Ergo... assignantur partes om. F.

γ) quidem. - sive PI.

δ) ut. - Om. tertia praeter H.

#### Commentaria Cardinalis Caietani

IN quaestione nonagesima, in qua de partibus poenitentiae agitur, scilicet contritione, confessione et satisfactione, sciendum est varias inveniri de hoc opiniones. Scotus namque, in IV Sent., dist. xvi, qu. I, tenet quod ista tria nullo modo sunt partes sacramenti poenitentiae. Et fun-

damentum eius est quia, apud ipsum, in eodem Quarto, dist. xiv, qu. iv, sacramentum poenitentiae est absolutio sacramentalis: cuius nulla pars est contritio, quae est quoddam spirituale in anima; neque confessio, quia nihil est ipsius sententiae sacerdotis, sed est actus rei accusantis

seipsum; neque satisfactio, quae sequitur absolutionem sacramentalem.

\* Al. an. III.

Durandus vero in IV Sent. dist. xv. qu. II. art. 1. \* tenet

*quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quae quidem maxime fit per orationem.*

tem pertinet ad poenitentiam exteriorem, in quantum scilicet implicat propositum confitendi et satisfaciendi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod satisfactio confert gratiam prout est in proposito, et auget eam prout est in executione: sicut baptismus in adultis, ut supra \* dictum est.

\* Qu. LXVIII, art. 2; qu. LXIX, art. 1, ad 2; art. 4, ad 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod satisfactio est pars poenitentiae sacramenti; fructus autem poenitentiae virtutis.

AD QUARTUM DICENDUM quod plura requiruntur ad bonum, quod procedit *ex integra causa*, quam ad malum, quod procedit *ex singularibus defectibus*, secundum Dionysium, IV cap. *de Div. Nom.* \*

\* S. Th. lect. xxii.

Et ideo, licet peccatum perficiatur in consensu cordis, ad perfectionem tamen poenitentiae requiritur et contritio cordis, et confessio oris, et satisfactio operis.

AD CONTRARIUM patet solutio per ea quae dicta sunt \*.

\* In corpore.

### Commentaria Cardinalis Caietani

IN eiusdem quaestionis articulo secundo, in responsione ad primum, dubium occurrit circa ipsam responsionem, pro quanto dicit quod contritio secundum essentiam non est pars sacramenti, *virtualiter autem pertinet ad exteriorem poenitentiam*, idest, est pars sacramenti *in quantum implicat propositum confitendi et satisfaciendi*. Secundum enim responsionem hanc non sunt tres, sed duae partes poenitentiae: quoniam contritio, ut distinguitur a confessione et satisfactione, non est pars poenitentiae. Et sic Auctor sibi ipsi contrarius invenitur.

II. Ad hoc dicitur quod in contritione plura inveniuntur. Inter quae unum est velle recompensare ad arbitrium sacerdotis. Et ratione huius ponitur prima pars poenitentiae sacramenti, tanquam initium eius: ita quod actus iste interior, licet secundum se non spectet ad exteriorem poenitentiam, ut est tamen ratio et initium exterioris poenitentiae, ad exteriorem spectat poenitentiam. Sicut in aliis videmus, tam bonis quam malis, quod interiores actus et passiones, ut sunt rationes exteriorum, ad extrinseca spectant iudicia: aliter enim iudicatur offendens ex odio, aliter offendens ex ira, etc.

Et praeter communem hanc rationem, specialis in proposito intervenit ratio, quae ex differentia inter recompensationem purae iustitiae, et recompensationem iustitiae et amicitiae, facile patet. Recompensatio enim iustitiae attenditur secundum aequalitatem exteriorem, sive sponte sive invite fiat recompensatio: ut patet tam in solutione pecuniae, quam in abscissione membrorum seu vapulatione, etc.; satisfactum est enim iustitiae etiam si invitus reus solverit aut passus fuerit. Recompensatio autem iustitiae et amicitiae, nisi sponte fiat a reo, nihil valet: quoniam non est reconciliativa. Et quoniam ad sacramentum poenitentiae spectat recompensatio reconciliativa, ideo, ad hoc denotandum, initium et ratio eius ponitur velle recompensare. Quod velle quia clauditur in contritione, ideo contritio ponitur prima pars sacramenti poenitentiae: et dicitur in littera de ea quod, non secundum essentiam, sed *virtualiter*, hoc est, ut est initium et ratio recompensationis, est pars sacramenti poenitentiae. Auctor enim per illa verba, *in quantum scilicet implicat propositum confitendi et satisfaciendi*, circumloquitur voluntatem recom-

pensandi, quam in corpore articuli concluderat esse primam partem poenitentiae. Unde patet quod contritio, non solum secundum se, sed ut est prima pars poenitentiae, distinguitur a confessione et satisfactione: nam voluntas recompensandi distinguitur a subiectione et ab executione.

Et per haec patet responsio ad Scotum \* et Durandum \* utentes hoc argumento.

\* IV Sent., dist. xvi, qu. 1.  
\* Ibid., qu. 1.

III. In eodem articulo, in responsione ad secundum, nota diligenter et praedica doctrinam hanc, quod satisfactio sacramentalis auget gratiam, ex hoc quod est pars sacramenti. Et potes hoc intelligere ex differentia quae est inter satisfactionem sacramentalem et non sacramentalem. Nam satisfactio sacramentalis valet non solum secundum se, sed etiam ex virtute clavium: satisfactio autem non sacramentalis valet solum secundum se, quoniam a clavibus non emanavit. Quocirca plus prodest unus ieiunii dies aut unum psalterium ex impositione confessoris quam sine tali impositione.

Et hinc sequuntur duo. Primum, quod poenitentes errant parvam satisfactionem volentes sibi a confessore imponi. — Secundum, quod confessores minus bene provident poenitentibus (paratis tamen) dando eis levem poenitentiam. Ipsa enim prorogatio satisfactionis sacramentalis virtute clavium et augere nata est gratiam; et plus valere ad satisfaciendum pro peccatis.

IV. In eadem responsione solvenda occurrit obiectio Durandi, in Quarto, dist. xvi, qu. 1, contra satisfactionem \*. Quia id non est pars sacramenti sine quo sacramentum est completum: — vel, deficiente una parte sacramenti, sacramentum nullum est. Sed sine subsecuta satisfactione sacramentum poenitentiae iam fuit verum sacramentum. Ergo.

\* Cf. art. praec., Comment. num. 1, Durandus vero.

Ad hoc dicitur quod pars est duplex: essentialis, vel integralis. Et sine parte quidem essentiali sacramentum nullum est: sicut nec homo est si desit anima aut corpus. Sed sine una parte integrali sacramentum verum quidem, sed imperfectum, esse potest: sicut homo sine manu est verus homo, sed mancus. Satisfactio autem non ponitur pars essentialis sacramenti poenitentiae, sed integralis \*: est enim pars actuum poenitentis, qui sunt ut materia seu pars essentialis sacramenti; sicut manus est pars corporis humani, quod est materia et pars essentialis hominis.

\* Art. seq.

## ARTICULUS TERTIUS

### UTRUM PRAEDICTA TRIA SINT PARTES INTEGRALES POENITENTIAE

IV Sent., dist. xvi, qu. 1, art. 1, qu<sup>a</sup> 3.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod praedicta tria non sint partes integrales poenitentiae. Poenitentia enim, ut dictum est \*, contra peccatum ordinatur. Sed peccatum cordis, oris et operis sunt partes subiectivae peccati \*, et non partes integrales:

\* Qu. LXXXIV, art. 2.

\* D. 994.

quia peccatum de quolibet horum praedicatur. Ergo etiam in poenitentia contritio cordis et confessio oris et satisfactio operis non sunt partes integrales.

2. PRAETEREA, nulla pars integralis in se continet aliam sibi condivisam. Sed contritio continet

in se confessionem et satisfactionem in proposito. Ergo non sunt partes integrales.

3. PRAETEREA, ex partibus integralibus simul et aequaliter constituitur totum: sicut linea ex suis partibus. Sed hoc non contingit hic. Ergo praedicta non sunt partes integrales poenitentiae.

SED CONTRA, illae dicuntur partes integrales ex quibus integratur perfectio totius. Sed ex tribus praedictis integratur perfectio poenitentiae. Ergo sunt partes integrales poenitentiae.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam dixerunt haec tria esse partes subiectivas poenitentiae. — Sed hoc non potest esse. Quia partibus subiectivis singulis adest tota virtus totius, et simul, et aequaliter \*: sicut tota virtus animalis, in quantum est animal, salvatur in qualibet specie animalis, quae simul et aequaliter dividunt *animal*. Sed hoc non est in proposito.

Et ideo alii \* dixerunt quod sunt partes potentiales. — Sed nec hoc iterum <sup>a</sup> esse potest. Quia singulis partibus potentialibus adest totum secundum totam essentiam: sicut tota essentia animae adest cuilibet eius potentiae. Sed hoc non est in proposito.

Unde relinquitur quod praedicta tria sint partes integrales poenitentiae: ad quarum rationem exigitur ut totum non adsit singulis partibus neque secundum totam virtutem eius, neque secundum totam essentiam, sed omnibus simul \*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod peccatum, quia

rationem mali habet, potest in uno tantum perfici, ut dictum est \*. Et ideo peccatum quod in solo corde perficitur, est una species peccati. Alia vero species est peccatum quod perficitur in corde et ore. Tertia vero species est peccatum quod perficitur in corde et opere. Et huius peccati partes quasi integrales sunt quod est in corde, et quod est in ore, et quod est in opere. Et ideo poenitentiae, quae in his tribus perficitur, haec tria sunt partes integrales.

AD SECUNDUM DICENDUM quod una pars integralis potest continere totum, licet non secundum essentiam: fundamentum enim quodammodo virtute continet totum aedificium. Et hoc modo contritio continet virtute totam poenitentiam.

AD TERTIUM DICENDUM quod omnes partes integrales habent ordinem quendam ad invicem. Sed quaedam habent ordinem tantum in situ: sive consequenter se habeant, sicut partes exercitus; sive se tangant, sicut partes acervi; sive etiam colligentur, sicut partes domus; sive etiam continentur <sup>β</sup>, sicut partes lineae. Quaedam vero habent insuper ordinem virtutis: sicut partes animalis, quarum prima virtute est cor, et aliae quodam ordine virtutis dependent ab invicem. Tertio modo ordinantur ordine temporis: sicut partes temporis et motus. Partes igitur poenitentiae habent ad invicem ordinem virtutis et temporis, quia sunt actus; non autem ordinem situs, quia non habent positionem.

\* D. 970.

\* B. Albert. M.,  
IV Sent., dist.  
xvi, art. 3.  
α

\* D. 945.

\* Art. 2, ad 4.

β

α) iterum. — verum FI et editiones.

β) continentur. — PFIac (continuantur c); continentur DE, continentur ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo tertio eiusdem quaestionis, in responsione ad primum, scito quod peccata cordis, oris et operis dupliciter distinguuntur inter se: primo, specificè; secundo, gradualiter. Nam si sumatur peccatum secundum suam rationem consummatum, et distinguatur in peccatum cordis, vel oris vel operis: sic est distinctio non solum specificè, sed generica. Nam peccatum cordis est illud quod in solo actu interiori consummatur: ut est infidelitas, odium Dei, et huiusmodi. Peccatum vero oris est quod in ipso ore consummatur: ut contumelia, blasphemia, detractio, et huiusmodi. Peccatum autem operis est quod in exteriori opere consummatur: ut adulterium, homicidium, furtum, et huiusmodi.

Si vero peccatum aliquod quod in opere consummatur, distinguatur in cogitationem, locutionem et opus, puta quia primo deliberavit hominem occidere, deinde dicit se occisurum, et demum occidit illum: sic distinctio non est specificè, quoniam omnia ista peccata sunt unius speciei; sed est gradualis, quoniam gradatim peccatum consummatur ex eo quod est in corde, et quod est in ore, etc.

Et si bene perspexeris litteram, utramque in eadem invenies \*.

ET HAEC TAM DE HAC QUAESTIONE, QUAM DE TOTO HOC OPERE AB AUCTORE EDITO DICTA SUFFICIENT. Hic enim, felici transitu ad caelestem patriam praeventus, divus Thomas scribendi finem fecit. Unde residua alio modo tractanda sunt \*.

\* Cf. Iam II<sup>ae</sup>, qu. LXXII, art. 7.

\* Vide infra Caietani *Quaestiones de Sacramentis*.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CONVENIENTER DIVIDATUR POENITENTIA IN POENITENTIAM ANTE BAPTISMUM, ET POENITENTIAM MORTALIUM, ET POENITENTIAM VENIALIUM

IV Sent., dist. xvi, qu. 1, art. 2, qu<sup>a</sup> 1, 5.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter dividatur poenitentia in poenitentiam ante baptismum, et poenitentiam mortalium, et poenitentiam venialium. Poenitentia enim est *secunda tabula post naufragium*, ut supra \* dictum est: bapti-

smus autem prima. Illud ergo quod est ante baptismum, non debet poni species poenitentiae.

2. PRAETEREA, quod potest destruere maius, potest etiam destruere minus. Sed mortale est maius peccatum quam veniale. Illa vero poenitentia quae est de mortalibus, eadem etiam est

\* Qu. LXXXIV, art. 6.

de venialibus. Non ergo debent poni diversae species poenitentiae.

3. PRAETEREA, sicut post baptismum peccatur venialiter et mortaliter, ita etiam ante baptismum. Si ergo post baptismum distinguitur poenitentia venialium et mortalium, pari ratione debet distingui ante baptismum. Non ergo convenienter distinguitur poenitentia per has species.

SED CONTRA EST quod Augustinus, in libro *de Poenitentia* \*, ponit praedictas tres species poenitentiae.

RESPONDEO DICENDUM quod haec divisio est poenitentiae secundum quod est virtus. Est autem considerandum quod quaelibet virtus operatur secundum congruentiam temporis, sicut et secundum alias debitas circumstantias. Unde et virtus poenitentiae actum suum habet in hoc tempore secundum quod convenit novae legi. Pertinet autem ad poenitentiam ut detestetur peccata praeterita, cum proposito immutandi vitam in melius, quod est quasi poenitentiae finis. Et quia moralia recipiunt speciem secundum finem, ut in Secunda Parte \* habitum est; consequens est quod diversae species poenitentiae accipiantur secundum diversas immutationes quas poenitens

intendit. Est autem triplex immutatio a poenitente intenta. Prima quidem per regenerationem in novam vitam. Et haec pertinet ad poenitentiam quae est ante baptismum. – Secunda autem immutatio est per reformationem vitae praeteritae iam corruptae. Et haec pertinet ad poenitentiam mortalium post baptismum. – Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitae. Et haec pertinet ad poenitentiam venialium: quae remittuntur per aliquem ferventem actum caritatis, ut supra \* dictum est.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod poenitentia quae est ante baptismum, non est sacramentum, sed est actus virtutis disponens ad sacramentum baptismi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentia quae delet peccata mortalia, delet etiam venialia: sed non convertitur. Et ideo hae duae poenitentiae se habent sicut perfectum et imperfectum.

AD TERTIUM DICENDUM quod ante baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus. Et quia veniale sine mortali dimitti non potest, ut supra \* dictum est; ideo  $\alpha$  ante baptismum non distinguitur poenitentia mortalium et venialium  $\beta$ .

\* Serm. CCCLI, al. ult. inter. L Homil., cap. II; Serm. CCCLII, al. XXVII inter L Homil., cap. I, II, III.

\* I<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. I, art. 3; qu. XVIII, art. 6.

\* Qu. LXXXVII, art. 2, 3.

\* Ibid., art. 4.

$\beta$

$\alpha$ ) Et quia... ideo. – Tertia; quia... et ideo.  
 $\beta$ ) venialium. – Deinde considerandum est de singulis partibus poenitentiae et primo de contritione. Secundo de confessione. Tertio

de satisfactione addit I; item Ambrosianus, Brixianus (qui omittunt singulis) et Matritensis Bibl. Nation. B. 51.



THOMAE DE VIO CAIETANI

ORDINIS PRAEDICATORUM

S. R. E. CARDINALIS

QUAESTIONES DE SACRAMENTIS

COMMENTARIOS EIUS IN TERTIAM PARTEM

SUMMAE THEOLOGIAE SANCTI THOMAE AQUINATIS

COMPLENTES

—x—

QUAESTIONES DE CONTRITIONE  
QUAESTIONES DE CONFESIONE  
QUAESTIONES DE SATISFACTIONE  
QUAESTIO DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE  
QUAESTIONES DE THESAURO INDULGENTIARUM  
QUAESTIONES DE CAUSA INDULGENTIARUM  
QUAESTIONES DE SUSCIPIENTIBUS INDULGENTIAS  
DE MODO TRADENDI AUT RECIPIENDI ORDINES ARTICULUS UNICUS  
DE SACRAMENTO MATRIMONII TRIPLEX QUAESITUM  
QUAESTIONES DE USU MATRIMONII  
DE MOROSA DELECTATIONE TRIPLEX DUBIUM



THOMAE DE VIO CAIETANI

ORDINIS PRAEDICATORUM

S. R. E. CARDINALIS

# QUAESTIONES DE SACRAMENTIS

COMMENTARIOS EIUS IN TERTIAM PARTEM

SUMMAE THEOLOGIAE SANCTI THOMAE AQUINATIS

COMPLENTES

## PROLOGUS



POENITENTIO mea in subsequentibus, quae ab Auctore tractanda erant ad perfectionem operis, est, non aggredi ordinem per quaestiones et articulos singillatim decidendo, quasi complere vellem Tertiam Partem, impari enim me tanto ne-

gotio et cognosco et fateor: sed dubia aliqua utilia, nec non discussione digna, tractare, et, iuxta ingenii vires, divina adspirante gratia, determinare. Servaboque ordinem sacramentorum supra \* positum.

\* Part. III, qu. LXV, art. 2; qu. LXVI, Intro.

## QUAESTIONES DE CONTRITIONE

### QUAESITUM PRIMUM

AN ATTRITIO POSSIT FIERI CONTRITIO

\* Cf. Part. III, qu. xc, Intro.

DE partibus igitur poenitentiae in speciali \* tractando, primum occurrit, de prima parte poenitentiae, dubium circa quidditatem eius: quae ex differentia inter attritionem et contritionem facilius cognoscetur. Et propterea quaeritur primo: An attritio possit fieri contritio.

\* Cf. num. vi.

Videtur enim quod non \*. Tum quia contritio et attritio differunt penes principia. Quoniam contritio est a caritate: attritio autem est a voluntate sine caritate.

Tum quia imperfectio attritionis est de ratione eius. Ac per hoc, remota imperfectione, non remanet attritionis actus, qui possit perfici per caritatem.

\* Num. III.

\* Num. IV.

II. Ad evidentiam huius, tria facienda sunt: primo, dicetur quid nominis; secundo, manifestabitur quotuplex est tam attritio quam contritio \*; tertio, respondebitur quaesito \*.

Quoad primum, *attritio* sonat imperfectam displicentiam peccati: *contritio* autem sonat displicentiam perfectam peccati. Et est sermo de peccato mortali. Notanter autem dico *displicentiam*, et non dico *dolorem* seu *tristitiam*. Quoniam contritio proprie significat displicentiam, quae est causa tristitiae seu doloris: quamvis frequenti usu dicatur quod contritio est dolor, significando causam ab effectu. Quanta autem differentia sit inter displicentiam et tristitiam quae est in voluntate, manifestat status caelestis patriae, in qua sanctis displicebunt peccata olim ab eis commissa, nullam tamen tristitiam de eis habebunt: ex hoc enim quod in patria erit displicentia et non erit tri-

stia, manifeste patet quod tristitia ipsa quae est in voluntate, non est essentialiter displicentia. Sed ad displicentiam sequitur tristitia in his qui sunt tristitiae capaces. Et hanc doctrinam habes superius ab Auctore, in qu. LXXXV, art. 4. — Haec de primo.

III. Quoad secundum \*, quia imperfectum dicit negationem perfecti, et negatio per affirmationem oppositam cognoscitur, ideo inchoandum est a contritione, quae est displicentia perfecta. Ex tribus siquidem constat huiusmodi perfecta displicentia: primum est ipsa displicentia peccati; secundum est propositum de cetero non peccandi mortaliter; tertium est quod sit caritate informata. Et si quidem primum defecerit totaliter, nec attritio nec contritio est: quoniam displicentia communis est utrique. Si vero defecerit secundum quid, puta quia adest peccati displicentia modica seu levis, tunc attritio esse potest. Verum usque ad quem terminum quantitas displicentiae limites habeat, ita quod ibi sint confines attritio et contritio, in tertia conditione declarabitur \*.

\* Cf. num. praec., init.

Si vero secunda defecerit conditio, scilicet propositum de cetero non peccandi mortaliter, tripliciter hoc contingere potest. Vel per positionem contrarii propositi in actu: puta quia actualiter intendit peccare mortaliter. Et tunc non habet locum attritio. — Vel per positionem contrarii habitualiter tantum: puta quia non intendit actualiter committere peccatum mortale, nec intendit mutare statum suum, quo detinetur in peccato mortali; ut patet in usurariis,

\* Infra in hoc num., *Et hinc habere.*



concupinariis, et aliis similibus, qui confitentur peccata sua, displicetque eis peccasse, habentque velleitatem relinquendi peccatum, non tamen deserunt concubinatum, aut restituunt usuras, etc. Et haec displicentia cum huiusmodi velleitate attritio dici potest. – Vel per negationem propositi expliciti: puta quia poenitens est sic dispositus quod displicent ei peccata praeterita, et non intendit peccatum mortale aliquod committere, et intendit tanquam in quodam confuso cavere a peccatis; ita quod duo prima, scilicet affirmatio displicentiae et negatio intentionis peccandi, habentur explicite; tertium autem, scilicet affirmatio propositi de cetero non peccandi mortaliter, non nisi in confuso habetur, pro quanto in voluntate non peccandi confunditur et tempus proxime futurum et totum tempus vitae suae, ad quod non explicite extendit se hoc debile propositum de quo est sermo. Et talis displicentia forte est valde communis, et illa quae communiter vocatur attritio.

Circa defectum vero tertiae conditionis advertendum est quod in conditione illa clauduntur duo: quorum unum est in potestate nostra, et de eo certi esse possumus; alterum est ex divina gratia, et nobis incertum. Horum primum est diligere Deum super omnia: secundum est quod huiusmodi diligere sit informatum caritate *diffusa a Spiritu Sancto in cordibus filiorum Dei* \*. Et si quidem defecerit primum, scilicet dilectio Dei super omnia; attritio, non contritio est: si vero primum affuerit, contritio vocatur. – Esse autem hanc dilectionem in potestate nostra ex eo patet quod, sicut in potestate nostra est constituere nobis pro ultimo fine delectationem veneream aut lucra aut regnum, ita in potestate nostra est habere Deum, etiam ut beatitudo est sanctorum, pro ultimo fine, ita quod intendamus et deliberemus praeferre ipsum in voluntate nostra omnibus quae desiderari haberive possint. – Quod etiam huiusmodi dilectio exigatur ad contritionem, et distinguatur ab attritione, ex eo patet quod sine huiusmodi dilectione non potest esse informatio caritatis. Substernitur enim huiusmodi dilectio acquisita caritatis formationi: et tunc tam sapientes quam boni fideles tam seipsos quam alios habent pro contritis cum haec dilectio *testimonium perhibet*. – Quod demum huiusmodi tam dilectio quam contritio possit esse sine caritate, ex eo patet quod multi sciunt se habere hanc dilectionem, et nesciunt se esse in caritate. Si enim huiusmodi tam contritio quam dilectio non posset esse informis, manifeste sequeretur quod scire possemus evidenter nos esse in Dei gratia: quia evidenter certi sumus de nobis ipsis quod habemus hanc voluntatem deliberatam praeferendi omnibus Deum, etc. Et haec est dilectio similis caritati infusae: in tantum quod, propter similitudinem actuum, censet divus Thomas \* non discerni a nobis an dilectio nostra qua Deum diligimus et proximum, sit ex infusa gratia vel non. Et ab hoc amore provenire potest quod Apostolus ait \*: *Si distribuero facultates meas in cibum pauperum, et si tradidero corpus meum ita ut audeam, caritatem autem non habuero, etc.*

Et hinc habere potes terminos quantitatis tam displicentiae peccati quam propositi non peccandi \*. Quantificatur enim utrumque horum ex quantitate amoris Dei: ita quod, sicut amor Dei est super omnia amabilia, ita propositum vitandi peccati debet esse super omnia evitabilia, et similiter displicentia peccati super omnia odibilia. Ac per hoc, displicentia peccati modica, quae non pervenit ad displicentiam contritionis, est illa qua minus odio habemus peccatum quam aliquod aliud damnum: et similiter propositum illud est debile ac deficiens a proposito contritionis, quo plus proponimus cavere ab aliquo alio malo quam a peccato mortali.

Si postremo deficiat caritas, stantibus reliquis conditionibus, contritio, ut dictum est, vocatur: quamvis appelletur attritio ab illis qui sine caritate contritionem non noverunt.

Ex quibus omnibus colligere possumus duplicem esse attritionem, et duplicem contritionem. Prima attritio est displicentia peccati, cum velleitate non peccandi, in statu tamen peccati. Et haec est attritio meretricum, usurarium, et aliorum huiusmodi. Et haec vocatur *attritio impenitentium*. – Secunda attritio est displicentia peccati

cum non-voluntate peccandi, et cum voluntate non peccandi in confuso. Et haec est attritio poenitentium, qui sic in confuso tam totum tempus futurum, quam comparisonem peccati ad alia odibilia, quam etiam comparisonem Dei ad alia amabilia, in voluntate sua habent. Et haec vocatur *attritio imperfectorum*.

Prima vero contritio est acquisita displicentia peccati supra omne odibile, cum proposito vitandi peccatum supra omne vitabile, ex amore Dei supra omne amabile. Et haec vocatur *contritio informis*. – Secunda autem contritio est haec eadem displicentia, cum dicto tam proposito quam amore, caritate informatam. Et haec vocatur *contritio formata*. – Haec de secundo.

IV. Quoad tertium \*, praenotandum est quod aliud est quaerere an de attrito fiat contritus: et, an attritio fiat contritio. Prima enim quaestio clara est: quoniam constat multos peccatores paulatim ad poenitentiam converti, et ex imperfecta displicentia ac ex imperfecto proposito imperfectoque Dei amore ad perfectionem contritionis deduci, ita ut vere contritionem caritate informatam assequantur.

Secunda autem quaestio, de qua est sermo, non est usquequaque clara: quoniam permanentia actuum interiorum in identitate numerali satis occulta videtur. Veruntamen dicendum est quod *attritio impenitentium* \* non potest fieri contritio. Quod probatur non solum ex eo quod velleitas non est idem actus cum voluntate deliberata, et similiter displicentia proportionalis velleitati non est idem actus cum displicentia proportionali voluntati deliberatae: sed praecipue ex eo quod actus unius speciei non transit in actum alterius speciei. Displicentia autem summi odibilis, quae est contritio, et displicentia odibilis non summi, quae est attritio, differunt specie: quia summum odibile ex suo genere specie differt ab odibili non summo, et hoc tam in genere mali quam in genere odibilis. Et haec intellige formaliter: idest, quia attritio est displicentia peccati sub ratione non summe odibilis, contritio autem sub ratione summe odibilis; cui enim offensa Dei est summe odibilis, illi Deus est summe amabilis, et a quo Deus non summe amatur, illi offensa Dei non est summe odibilis.

Attritio quoque *imperfectorum* \* non fit contritio: eadem ratione qua cognitio confusa non fit cognitio distincta. Sed, sicut cognitio confusa approximatur intellectum ad cognitionem distinctam, ita displicentia confusa, quae attritio dicitur, ducit et appropinquat voluntatem ad displicentiam distinctam, quae est contritio.

De acquisita autem contritione, quae *contritio informis* \* dicitur, dicendum est quod potest fieri contritio formata: quoniam potest continuari idem numero actus acquisitae contritionis usque ad caritatis infusionem inclusive, et sic caritate informari. Et quia huiusmodi contritio, antequam informetur caritate, vocatur etiam quandoque attritio; ideo hoc tertio modo sumpta attritio potest fieri contritio. Et hoc iam habere potes a divo Thoma superius, in qu. lxxxix \*, ubi dixit quod contritio est ultima dispositio ad caritatem.

V. Sed occurrit hic non dissimulandum dubium, per quid, seu quomodo huiusmodi attritio, seu contritio acquisita, sit ultima dispositio ad gratiam. Est enim quandoque non ultima dispositio: ut patet ex eo quod potest esse informis. Si enim semper esset ultima dispositio, cum Deus tam in naturalibus quam in gratuitis det semper ultimo dispositis formam pro qua sunt ultimo disposita, sequeretur quod homo habens huiusmodi contritionem acquisitam certus esset se esse in gratia Dei. Quandoque autem est ultima dispositio: ut divus Thomas dixit, et ratio approbat; quia gratia perficit naturam, ac per hoc, rationabile est ut a nobis acquisita displicentia peccati suprema perficiatur quandoque gratuita caritate.

Si dicatur quod huiusmodi transitus fit per motum intentionis: ita quod acquisita huiusmodi perfecta displicentia peccati, si est remissa, est attritio, et non habet rationem ultimae dispositionis ad caritatem; si autem intenditur et crescit, est contritio et ultima dispositio ad caritatem; ut sic verificetur, quasi commune dictum, quod contritio et attritio differunt secundum magis et minus: – contra. Nam,

\* Ad Rom., cap. v, vers. 5.

\* I Sent., dist. xviii, qu. 1, art. 4; Qd. Dispp. de Verit., qu. x, art. 1, ad 1.  
\* I ad Cor., cap. xiii, vers. 3.

\* Cf. priores parag. huius num.

\* Cf. num. ii, princip.

\* Cf. num. praec., Ex quibus.

\* Cf. ibid.

\* Cf. ibid., Prima vero.

\* Art. 1, ad 2.

loquendo de attritione tam impenitentium quam imperfectorum \*, constat quod differt a contritione non penes obiectum materiale, quia utriusque materia est peccatum mortale, sed penes obiectum formale: quia contritio attingit mortale peccatum sub ratione summi odibilis; attritio autem tam impenitentium quam imperfectorum attingit mortale peccatum non sub ratione formali summi odibilis. Et propterea neutra differt a contritione penes magis et minus: tum quia differentia secundum magis et minus non est differentia formalis; tum quia, quantumcumque cresceret displicentia mortalis peccati extra formalem rationem summi odibilis, nunquam esset contritio. — Tertio vero modo sumpta attritio \* nec penes materiam nec penes rationem formalem obiecti differt a contritione acquisita: quia sunt respectu eiusdem mortalis peccati, et sub ratione summi odibilis. Et quod nec differant penes magis et minus, ex eo patet quod minimus gradus huiusmodi displicentiae sufficit ad caritatem *operientem multitudinem peccatorum* \*. Quod Ecclesiae testimonio comprobatur: credimus enim omnes, tam nosmetipsos quam alios, esse in caritate cum ad huiusmodi displicentiam quantumcumque remissam pervenimus.

\* Cf. num. praec.  
\* Cf. ibid.  
\* Prov. cap. x, vers. 12; I Pet. cap. iv, vers. 8.

Unde nec est verum contritionem et attritionem differre secundum magis et minus in eadem specie: licet sit verum secundum magis et minus in diversis speciebus, sicut album habet magis de luce quam viride. Nec allata responsio satisfacit quaesito.

Aliter ergo dicendum mihi videtur: quod gratuita Dei motio est quae huiusmodi acquisitam contritionem efficit ultimam dispositionem ad gratiam seu caritatem. Ita quod ex hoc ipso quod Deus, non per aliquod superadditum donum habituale, sed per gratuitam dilectionem qua dignatur uti nostra acquisita contritione ut dispositione ultima ad suum proprium opus, quod est caritas quae in-

funditur, — transfertur nostra contritio in fore ultimam dispositionem pro gratia habituali; iuxta illud Ieremiae ad Deum \*: *Postquam convertisti me, poenitentiam egi.* — Haec de tertio.

\* Cap. xxxi, vers. 19.

VI. Ad argumenta in oppositum \*, pro quanto contra attritionem tertio modo dictam militant, respondendo dicitur quod, quidquid sit de diversitate penes principia in esse naturae, diversitas tamen principiorum in genere moris seu meriti non infert unum eundemque actum non posse esse et sine tali principio, et cum tali principio: unus namque et idem actus exterior qui a principio non fuit bonus moraliter, potest esse bonus moraliter in prosecutione. Et similiter in proposito contritio acquisita, quae a principio non est meritoria, potest in sui prosecutione fieri meritoria, superveniente caritate; nec oportet re-inchoare actum quoad substantiam actus, sed sufficit quod inchoetur actus quoad esse meritorium. Cum enim dicitur actum meritorium inchoari a caritate, est sermo formalis, hoc est, non de actu simpliciter, sed in quantum est meritorium. Et propterea stat actum esse simpliciter inchoatum sine merito et caritate; et eundem continuari cum merito, et inchoari a caritate secundum esse meritorium.

\* Num. i.

Ad secundum dicitur quod, licet imperfectio attritionis tam impenitentium quam imperfectorum \* sit de illius ratione, quia penes defectum obiecti formalis attenditur; imperfectio tamen contritionis acquisitae, quae attritio tertio modo vocatur, non est de ratione illius, quoniam penes solam negationem potentis supervenire divini doni attenditur; non enim informitas huiusmodi contritionis seu attritionis est magis de ratione ipsius quam informitas fidei sit de ratione fidei. Et propterea, sicut actus fidei informis potest in sui prosecutione formari caritate, ita actus acquisitae contritionis potest, superveniente caritate, imperfectio- nem suae informitatis deserere, et formatus continuari.

\* Cf. num. iv.

## QUAESITUM SECUNDUM

### AN EXIGATUR AD CONTRITIONEM QUOD SIT SINGULORUM PECCATORUM MORTALIUM

SECUNDO quaeritur, de materia contritionis: An exigatur ad contritionem quod sit singulorum peccatorum mortalium.

\* Cf. num. vii, viii.

\* De Poenit. et Remiss.

Videtur enim quod sic \*. Tum quia contritio debet adaequare confessionem. Confessio autem comprehendit omnia mortalia: ut patet in cap. *Omnis utriusque sexus* \*. Ergo. Tum quia haec est differentia inter poenitentiam mortalium et poenitentiam venialium, quod ad remissionem venialium sufficit virtualis displicentia: ad remissionem autem mortalium exigitur ut homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur. — Et confirmatur hoc auctoritate divi Thomae superius, in calce corporis primi articuli quaestionis octogesimae septimae, dicentis quod *displicentia virtualis non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem*.

\* Cf. num. iii, vi.

II. Ad huius evidentiam, sciendum est quaestionem hanc posse intelligi tripliciter \*. Primo, an exigatur quod singulis secundum numerum peccatis mortalibus respondeant totidem contritiones. Et sic intellecta quaestio facile solvitur negative. Quoniam nec quoad actum displicentiae, nec quoad actum confessionis, nec quoad actum satisfactionis, oportet multiplicari actus poenitentiae iuxta multitudinem actuum peccatorum: unicus siquidem satisfactionis actus potest satisfacere pro multis mortalibus commissis; et similiter unica enunciatione potest quis simul confiteri mille mortalia, dicendo, *Percussi millies*; et similiter unica displicentia potest respondere mille peccatis, non minus quam confessio et satisfactio.

Tum quia ridiculum est ita velle adaequare numerum contritionum numero peccatorum, tanquam in multitudine actuum, et non in perfectione potius actus consistat virtus: quasi non possit una perfecta displicentia aequivalere decem millibus imperfectis; cum tamen etiam in sensibilibus

videamus quod unum numisma aureum aequivalet mille aereis.

III. Secundo vero modo potest quaestio intelligi, an singula peccata mortalia in seipsis, seu formaliter, attingi debeant a contritione: ita quod non sufficiat homini displicere sibi in generali quaecumque commisit contra Deum, sed exigatur ut displiceant sibi in speciali peccata a se patrata, puta decem adulteria, centum furta, mille blasphemiae, etc.; et hoc quoad peccata quorum memoria subest. Et sic intellecta quaestio dupliciter examinanda est: primo, de contritione relata ad sacramentum poenitentiae \*; deinde de contritione absolute \*. Multum enim refert sic vel sic loqui: quoniam contritio relata ad sacramentum poenitentiae sub Evangelica lege inchoat; contritio autem absolute, post Adae peccatum, et ante scriptam legem, et sub lege Moysi, omnibus peccatoribus necessaria fuit.

\* Num. seq.

\* Num. v.

IV. Si igitur contritio, relata ad sacramentum poenitentiae, exigit quod terminetur ad singula mortalia formaliter, seu in seipsis, oportet quod hoc habeat vel ex satisfactione, vel ex confessione, vel ex seipsa, vel ex absolute sacerdotali: plura enim in sacramento poenitentiae non inveniuntur. Sed non convenire sibi ex satisfactione, patet ex hoc quod una satisfactio virtualiter potest adaequare multa mortalia. — Quod nec etiam ex confessione, ex eo patet quod ratio quare confessio exigit singula mortalia pro materia est quia confessio fit humano iudici, qui non potest iudicare nisi de cognitis: incognita autem sibi ut iudici remanent quaecumque non essent a poenitente in seipsis explicata. Quae ratio non habet locum in contritione, quae Deo offertur, qui non pensat quantum aut quot, sed ex quanto offertur. Unde de Magdalena legitur \*, *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum*: et non dixit, *quoniam displicuerunt ei multa*. — Quod etiam hoc non proveniat ex absolute, manifestat

\* Luc. cap. vii, vers. 47.

unica absolutio, quae simul fit absque explicatione singularum. — Quod demum contritio non habeat hoc ex se ipsa, ex eo patet quod communis doctrina tenet sufficere, post singularum peccatorum mortalium attritiones, unam contritionem in generali. Ex hoc enim dicto manifeste habetur quod, licet aggregatum ex contritione et attritione, seu attritionibus, terminetur ad singula mortalia in seipsis; ipsa tamen contritio non terminatur ad singula mortalia in seipsis, seu formaliter, sed tantum virtualiter. Et si dicatur quod contritio sequens tot attritiones operatur in vi illarum, ac per hoc terminatur ad obiecta illarum formaliter: manifeste patet nihil valere illationem hanc, sed destruere commune dictum. Quoniam hinc non sequitur contritionem terminari formaliter ad obiecta attritionum, sed virtualiter tantum: sicut non formaliter, sed virtualiter claudit in se attritiones. Et falsum esset quod contritio sequens esset una contritio generalis.

Ex quibus omnibus apparet quod, proprie loquendo, contritio, relata ad sacramentum poenitentiae, non exigit quod terminetur formaliter ad singula mortalia, sed sufficit quod terminetur ad ea virtualiter.

V. Si autem spectemus ad contritionem simpliciter et absolute, dicendum est quod non exigit terminari formaliter ad singula mortalia peccata, sed exigit virtualiter attingere singula mortalia, etiam oblita et incognita. Dico autem, *virtualiter attingere singula*: quia per hoc simpliciter et absolute differt contritio remittens peccata venialia a contritione remittente peccata mortalia. Ad remissionem siquidem peccatorum mortalium exigitur quod contritionis displicentia sit adeo perfecta extensive quod formaliter aut virtualiter attingat omnia et singula mortalia quorum poenitens est reus: et hoc manifestatur ex eo quod *impium est dimidiam a Deo sperare veniam* \* mortalium peccatorum. Ad remissionem autem venialium non exigitur haec extensiva perfectio: potest siquidem unum peccatum veniale dimitti sine alio; et illa tantum venialia remittuntur ad quae displicentia virtualis se extendit.

\* De Vera et Falsa Poenit., cap. ix. (inter Opp. Aug.) — Cf. can. *Sunt plures, de Poenit.*, dist. III.

Probat ergo declarata conclusio ex eo quod contritio generalis, virtualiter se extendens ad omnia mortalia, sufficit ad remissionem eorum, concurrente caritate, etc. Probat hoc. Quia in instanti fit iustificatio impii et converti potest peccator ad Deum: scriptum est enim \*: *In quamcumque hora ingemuerit peccator*, etc.

\* Ezech. cap. xxxiii, vers. 12, 14, 15. — Cf. Append. ad can. *Facilius, de Poenit.*, dist. I.

Et si forte obiiciatur contra hoc dicendo quod huiusmodi momentanea ac generalis contritio fert secum propositum specialis contritionis de singulis mortalibus in seipsis, sicut baptismus fluminis fert secum propositum baptismi fluminis; et ideo contritio illa generalis, utpote imperfecta, concurrat ad remissionem peccati ut tendens ad contritionem specialem, quae est perfecta: — advertat haec obiiciens quod voluntarie apponitur iste ordo contritionis perfectae virtualiter ad contritionem perfectam formaliter. — Tum quia, nec ex sacra Scriptura nec ex sacris Doctoribus traditus, communi sententiae superius \* recitatae adversatur. Nam, si contritio perfecta virtualiter remittit peccata ut tendens in contritionem perfectam formaliter, sequeretur quod, post omnes attritiones in speciali, subsecuta una contritio generalis perfecta virtualiter non sufficeret ad salutem: quoniam exigeretur quod, post generalem contritionem perfectam virtualiter, sequeretur contritio specialis perfecta formaliter; si enim perfecta virtualiter fert secum propositum perfectae formaliter, oporteret post illam hanc exequi. Cuius contrarium pro certo habemus.

\* Num. iv.

Et bene nota quod aliud est dicere contritionem generalem perfectam virtualiter coexistere, ante vel post, *dete-*

*stationes speciales* peccatorum mortalium in seipsis: et aliud est dicere contritionem generalem perfectam virtualiter coexistere, ante vel post, *contritiones speciales* peccatorum in seipsis. Nos enim hoc secundum dicimus esse falsum, tam nunc quam omnibus praeteritis temporibus. Primum autem sacri doctores tradunt. Et verum procul dubio est tempore Evangelicae legis, in quo contritio fert secum propositum confessionis sacramentalis, ratione cuius exiguntur speciales detestationes peccatorum: sive ut praecedentes contritionem generalem virtualiter perfectam, ut contingit illis qui suscipiendo actualiter sacramentum poenitentiae fiunt de attritis contriti; sive ut consequentes saepe dictam contritionem, ut contingit illis qui ex toto corde statim convertuntur ad Deum, habentes, virtualiter saltem, propositum confitendi suo tempore peccata sua. — Utrum autem hoc sacrorum doctorum dictum verum etiam sit de contritione simpliciter et absolute: — ex dictis apparere potest quod non. Nulla siquidem apparet ratio cogens ad huiusmodi detestationes speciales, secluso sacramento poenitentiae: nam et voluntas potest perfecte mutari et exercitari in necessariis virtutum actibus, et pro peccatis potest perfecte satisfieri, absque huiusmodi specialibus detestationibus; ut patet ponendo peccatorem poenitentem qui totum se divinae dilectioni, eleemosynis ieiuniisque daret; hic enim prisco tempore perfecte satisfecisset pro peccatis, absque tot detestationibus.

VI. Et hinc patet quid dicendum sit ad quaestionem tertio modo intellectam \*, scilicet: An contritio exigit quod terminetur ad omnia et singula peccata mortalia, non curando de modo terminandi. Ex dictis siquidem patet respondendum esse affirmative. Quoniam, non curando de modo, hoc est an formaliter vel virtualiter, certum est oportere sub contritione comprehendi omnia mortalia peccata commissa, sive sint sibi cognita sive incognita: quoniam, ut dictum est \*, *impium est a Deo dimidiam sperare veniam*.

\* Cf. num. ii, princip.

\* Num. v.

VII. Ad primum ergo in oppositum \* dicitur quod, propriissime loquendo, contritio respondet absolutioni, et detestationes respondent confessioni: et propterea detestationes sunt aequales numero actibus confessionis. Et saepe sunt simul tempore: quando scilicet poenitens simul recordatur peccati et confitetur illud. Unde contritio secundum annexas detestationes adaequat confessionem quoad modum attingendi peccata, scilicet in speciali: et non convenit hoc contritioni secundum se.

\* Num. i.

VIII. Ad secundum \* dicitur quod assumptum verum est de poenitentia, seu contritione, relata ad sacramentum poenitentiae. — Et similiter intelligenda sunt verba divi Thomae.

\* Ibid., *Tum quia*.

Potest quoque aliter dici, iuxta differentiam ultimo \* explicatam inter perfectionem displicentiae requisitam ad remissionem mortalium et requisitam ad remissionem venialium, quod remissio mortalium exigit generalem contritionem perfectam virtualiter sic quod actualiter homo huiusmodi displicentiam perfectam extensive ad omnia et singula mortalia habeat: remissio autem venialium non requirit huiusmodi extensive perfectam displicentiam, sed cum hoc quod aliquis in solis venialibus constitutus non habuerit generalem displicentiam de omnibus suis venialibus, stat quod ex aliquo fervore caritatis, in quo, si occurrerent, displicerent contraria venialia, consequatur remissionem venialium illorum quae displicerent. Quod non sufficere dicitur ad remissionem peccati mortalis, nisi obliti: quia, ut dictum est, oportet actualiter habere illam contritionem generalem perfectam virtualiter ad remissionem mortalium.

\* Num. v, princip.

## QUAESITUM TERTIUM

### AN PECCATOR TENEATUR AD CONTRITIONEM QUANDO RECORDATUR PECCATORUM SUORUM

TERTIO quaeritur, circa tempus contritionis: An peccator teneatur ad contritionem quando recordatur peccatorum suorum. Et quia quaestionem hanc discussimus in

Quolibet nostris \*, ideo quaere ibi. Sat sic hic scire partem negativam esse veram.

\* Opusc. Caiet. tom. I, tr. xvii (Edit. Lugdun. 1563). — Vide infra in fine *Quaestionum Caiet. de Sacramentis*.

QUAESITUM QUARTUM

AN CONTRITIO REMITTAT NON SOLUM CULPAM, SED POENAM DEBITAM PECCATO

QUARTO quaeritur, circa effectum contritionis: An contritio remittat non solum culpam, sed poenam debitam peccato.

\* Cf. num. vii.

Videtur enim quod non \*. Tum quia ad remissionem poenae ordinatur tertia pars poenitentiae, scilicet satisfactio. Non ergo ad illam ordinatur contritio: nisi quatenus forte habet satisfactionem annexam.

Tum quia contritio sufficiens ordinatur per se ad remissionem culpae: nec apparet unde habeat quod poenam sensus remittat.

II. Ad huius evidentiam, sciendum est duplicem esse modum dicendi de hac re: quamvis omnium sententia in idem tandem concurrat. Primus est quod alia est poena quae debetur incontrito, et alia est quae debetur contrito: nam incontrito debetur poena inferni, contrito autem poena temporalis. Et propterea, cum contritio tollat poenam inferni, nunquam enim contritus perseverans ad poenam infernalem ibit; dici potest quod contritio tollit totam poenam peccato mortali prius debitam.

Alter vero dicendi modus est quod contritio non tollit totam poenam, sed commutat poenam aeternam in temporalem: nam incontritus reus erat aeternae poenae, contritus autem reus est poenae temporalis.

III. Sed uterque dicendi modus deficit. Primus quidem tripliciter. Scilicet et dicendo poenam deberi contrito. Nam non nisi per accidens hoc verificatur: contritio enim, ut sic, non ponit reatum poenae; alioquin cuilibet contrito deberetur poena. — Et dicendo arietatem poenae debitae contrito et incontrito. Nam, ut patebit \*, non alia poena est quae utrique, si qua contrito alicui debetur. — Et inferendo quod dici potest totam poenam incontrito prius debitam per contritionem remitti. Nam, ut patebit \*, pars quaedam poenae sibi prius debitae communiter remanet, scilicet poena sensus: absque aeternitate tamen.

\* Num. iv.

\* Num. iv, vii.

Secundus autem modus deficit ponendo commutationem. Nam idem est quod Deus interius operatur in poenitente, et quod Dei minister sacramentum adhibendo significat: exterior enim sacramentalis actus significat interiorem Dei operationem. Sed sacramentalis actio in sacramento poenitentiae non significat commutationem, sed absolutionem. Ergo interior Dei operatio quae in contritione intervenit, non est commutatio, sed absolutio.

IV. Ad cuius plenioris intelligentiam, advertendum est in poena inferni inveniri tria: poenam damni, poenam sensus, et aeternitatem poenae, iuxta tria quae sunt in peccato mortali. Per peccatum siquidem mortale fit aversio ab incommutabili bono, cui respondet poena damni separans animam a Deo; et fit conversio ad commutabile bonum, cui respondet poena sensus; et constituitur inimicus Dei, cui respondet aeternitas poenae; inimicus enim, quia est hostiliter exterminandus, est aeternaliter puniendus. Cum autem peccator conteritur, quia caritate Deo coniungitur, tollit contritio poenam damni, quae separationem a Deo ponebat. Et quia per eandem caritatem amicus Dei constituitur, tollit contritio aeternitatem poenae: amicus enim non est aeternaliter puniendus. Et, si nihil aliud efficit contritio, remanet contritus obligatus ad poenam sensus, ad quam prius tenebatur: sed non aeternaliter sustinendam, sicut prius tenebatur. Et sic, licet contritus perseverans nunquam ad infernum iret passurus totam poenam inferni, nihil tamen prohibet obligatum eum remanere ad partem illius poenae quae in inferno sustinenda ab ipso erat, scilicet ad poenam sensus.

Ubi vides quod non est alia poena quae debetur alicui contrito ab illa quae sibimet incontrito debebatur, sed est illamet poena sensus relicta. Et hoc contra primum modum dicendi. — Nec intervenit commutatio poenae aeternae

in temporalem: sed expoliatio poenae ab aeternitate. Et hoc contra secundum modum dicendi.

V. Ut autem restans dubitatio, an scilicet contritio remittat poenam sensus, solvatur, sciendum est quod hic certa sunt duo. Primum est quod, quanto contritio est maior, tanto plus tollit de poena sensus peccato debita. Secundum est quod tanta potest esse contritio quod tolleret totam poenam sensus.

Ambiguum vero est an quantulumcumque contritio caritate informata (de tali enim est sermo) tollat aliquid de illa poena sensus. Multi enim videntur de hoc dubitare.

Mihi autem apparet quod pars affirmativa est vera; propter duas rationes, quarum quaelibet, verificata, sufficiens est. Potest enim contritio ex duplici capite tollere, in toto vel in parte, poenam sensus. Primo, ex poenaltate sibi annexa. Displicentia enim commissi criminis non fert secum necessario poenaltatem, cum sit in patria, ubi nulla est poenaltas: sed in subiecto susceptivo doloris, seu poenae, fert secum naturaliter displicentia poenaltatem quandam; dolemus enim communiter de nostris quae nobis displicent. Et quoniam huiusmodi poenam parere contritioni conveniret seclusa relatione ad sacramentum poenitentiae, ideo, secundum hoc caput, dicendum est quod contritio quaelibet simpliciter et absolute, ex annexa poenaltate, tollit aliquid poenae sensus: habet enim satisfactoriam vim poena voluntarie assumpta *secundum Deum* \*.

\* Cf. II ad Cor., cap. vii, vers. 9 sqq.

Secundo, ex merito passionis Christi. Est enim passio- nis Christi meritum remissivum suis membris poenae pro peccatis debitae, plus et minus prout illis coniungitur. Quod primo apparet in baptismo, ubi, quia passio Christi totaliter communicatur baptizato, quasi ipse baptizatus passus esset, tota poena tollitur. Apparet deinde et in sacramento poenitentiae actualiter suscepto, dum ex vi sacramenti communicatur meritum passionis Christi ad remissionem aliquantae saltem poenae sensus. Et quia coniunctio ad meritum passionis Christi convenit contritioni, non simpliciter et absolute, sed relate ad sacramentum poenitentiae, ex hoc quod contritio fert secum votum sacramenti poenitentiae, coniungit merito passionis Christi per sacramenta nobis communicato. Et secundum hoc caput, dicendum est quod quaecumque nostra contritio tollit aliquid poenae sensus ex merito passionis Christi. Nam rationabile est quod plus poenae tollat caritas extensa ad sacramentum, quam non extensa ad illud. Sed caritas non extensa ad sacramentum, qualis erat antiquorum poenitentium caritas, tollebat ex vi quidem caritatis et poenam damni et aeternitatem poenae, ex annexa autem poenaltate tollebat in toto vel in parte poenam sensus. Ergo caritas poenitentium in nova lege, quae est caritas extensa ad sacramentum poenitentiae, plus poenae tollit.

Minor huius rationis propositio clara est. — Maior autem facile suadetur ex eo quod poenitentiae sacramentum actualiter exhibitum est procul dubio remissivum poenae sensus in toto vel in parte. Ex hoc enim consequens est ut idem ipsum sacramentum in voto caritatis existens apud contritum, aliquid huiusmodi poenae remittat. Simile enim quid perspiciamus in baptismo: quod scilicet id quod operatur baptismus exhibitus, operatur etiam in voto caritatis habitus non ita copiose. — Nec excluditur maioris huius veritas si dicatur quod caritas extensa ad sacramentum habet ex extensione ad sacramentum quod tollat illamet quae tollebat caritas antiquorum poenitentium absolute. Nam hoc non est caritatem extensam ad sacramentum efficere plus: sed est efficere pluribus rationibus unum et idem. Extensa siquidem caritas ad sacramentum duplici ratione tollit poenam damni et aeternitatem poenae: sci-

licet ex vi caritatis; et ex vi sacramenti in voto. Sed haec veritas non excludit quin verum quoque esse debeat quod huiusmodi extensa caritas plus efficiat, plus poenae tollat: quia hoc ad vim sacramenti spectat.

VI. Ex quibus omnibus patet dicendum esse ad quaesitum quod contritio, ratione caritatis qua formatur, non solum tollit culpam, sed et poenam damni et aeternitatem poenae; ratione vero annexae poenae, tollit aliquid poenae sensus; et ratione sacramenti in voto, tollit rursus aliquid poenae sensus. Et tam vehemens, inquit divus Thomas, in lxxii cap. IV *Contra Gentes* \*, potest esse huiusmodi coniunctio contriti ad meritum passionis Christi, quod tolleret totam poenam sensus.

\* Circa med.

VII. Ad primum ergo argumentum in oppositum \* dicitur quod satisfactio distincta est a contritione secundum ea quae communiter in humano genere inveniuntur: communiter enim contriti non tam vehementer iunguntur passioni Christi ut non sit opus satisfactione ad arbitrium sacerdotis. Traditur enim tam doctrina quam lex moralis secundum ea quae ut in pluribus contingunt \*.

Ad secundum dicitur quod iam ex dictis \* apparent duo capita unde quantulumcumque contritio tollat aliquid poenae sensus. Inter quae capita coniunctio ad meritum Christi praecipue perspici debet: quoniam illud est de ratione contritionis; annexus autem dolor quasi vicem satisfactionis tenere videtur.

\* Num. i.  
\* Dig. I, m, de  
Leg. et Senatus-  
cons., 3, 4. - Cf.  
s. Th. 1<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>,  
qu. xcvi, art. 1.  
\* Num. v.



## QUAESTIONES DE CONFESSIONE

### QUAESITUM PRIMUM

#### AN OMNES TENEANTUR AD CONFESSIONEM

DE confessione, quae secunda est pars poenitentiae, quaeritur primo, circa eius necessitatem: An omnes teneantur ad confessionem. Et est ratio dubitandi quia nonnulli sunt viventes absque peccato mortali. Et propterea in dubium vertitur an omnes teneantur confiteri.

\* Cf. num. iv.

\* Cap. *Omnis utriusque sexus.*

Videtur enim quod sic \*. Quia Extra, *de Poenit. et Remiss.* \*, expresse dicitur: *Omnis utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerit, etc.*

Et confirmatur. Quia, cum nullus excipiatur, sequeretur quod Ecclesia in hoc statuto praesupponeret omnes fideles singulis annis peccare mortaliter. Et patet sequela, si sola peccata mortalia praecipiantur confitenda.

Et rursus confirmatur, ex hoc quod absque distinctione aliqua *omnis utriusque sexus* ibidem obligatus est semel in anno ad confessionem, et ad communionem in Pascha. Sed constat quod omnis utriusque sexus, etc., sive peccaverit mortaliter sive non, comprehenditur sub illo praeepto quoad communionem. Ergo omnis etiam utriusque sexus, etc., sive peccaverit mortaliter sive non, comprehenditur sub eodem praeepto quoad confessionem.

*In oppositum* est quod nullus tenetur confiteri venialia.

II. Ad hanc quaestionem respondetur distinguendo, et bene, de necessitate vel sacramenti, vel praeepti ecclesiastici. Et dicitur quod, de necessitate sacramenti, nullus tenetur confiteri nisi peccatum mortale certum vel dubium: quia post baptismum non potest aliter remitti mortale peccatum nisi per sacramentum poenitentiae in re vel in voto.

De necessitate autem praeepti Ecclesiae duplex est opinio. Una est quod carens peccato mortali tenetur confiteri semel in anno aliquod veniale, ut sic impleat Ecclesiae praeeptum. — Altera est quod carens peccato mortali non tenetur confiteri aliquod veniale: quia non comprehenditur sub Ecclesiae praeepto.

III. Et licet prima opinio sit tutior, secunda tamen est verior: immo sola vera. Quod probatur multipliciter. Primo, ex ratione praeepti. Ratio enim ecclesiastici praeepti non est praecipere confessionem, sed praeeptam divino iure confessionem determinare quoad tempus executionis. Et propterea sub Ecclesiae praeepto non alia comprehenditur confessio quam illa quae a Christo est praeepta. Sed a Christo non est praeepta nisi confessio mortalium. Ergo ab Ecclesia sola peccatorum mortalium confessio praeepta est.

Secundo, et est confirmatio praecedentis, patet idem ex verbis ipsius statuti, dum dicit, *omnia sua peccata*. Non enim hoc potest intelligi de peccatis venialibus: cum constet neminem quocumque praeepto teneri ad omnium venialium confessionem. Oportet ergo intelligi de mortalibus. Et propterea ex explicata materia confessionis, scilicet quod sint omnia sua peccata, clare patet quod de

sola confessione praeepta ex divino iure ecclesiasticum statutum loquitur. Est enim materia confessionis a Christo praeeptae omnia poenitentis peccata comprehendens: materia autem confessionis venialium non comprehendit omnia poenitentis peccata.

Tertio, patet idem ex poena subiuncta, scilicet quod *vivus arceatur ab ingressu Ecclesiae, et moriens Christiana careat sepultura*. Huiusmodi enim poenae non sunt a pia matre Ecclesia perfectioribus viris, quales sunt viventes sine peccato mortali, pro omissione confessionis venialium, ad quam alii non tenentur, infligendae. Quin immo ex hoc sequeretur quod meliores essent deterioris conditionis.

Quarto, patet idem ex subiuncta causa frequentis publicationis dicti statuti, scilicet: *ne quisquam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat*. Hoc enim in huiusmodi confessione venialium locum habere non videtur.

Et confirmantur haec omnia ex Clementina *Ne in agro Dominico, de Statu Monach.*, ubi menstrua confessio nigris monachis imponitur absque explicatione materiae. Non enim dicitur quod confiteantur *omnia sua peccata*: ut ex hoc intelligatur adstringi illos, etiam si mortali peccato careant, ad confessionem semel in mense. Unde non supra dicta, sed poena *regularis disciplinae* subiungitur imponenda temerario violatori: sicut enim religiosi ex suis statutis obligantur ad alia quae absolute sunt bona supererogationis, ita obligantur ad confessiones statutas, etiam si mortali careant peccato. In cuius signum, puniuntur in religionibus qui statutis diebus non confitentur, quantumcumque nullum habeant mortale.

IV. Ad obiectionem ergo primam \* dicitur quod materia confessionis explicata per ly *omnia sua peccata*, restringit ly *omnis utriusque sexus* ad indigentes confessione, ac per hoc excipit omnes carentes mortali peccato: ita quod sensus est, *Omnis utriusque sexus indigens confessione*, etc.

\* Num. i.

Et ad primam confirmationem dicitur quod falsum assumit, seu supponit: scilicet, nullum excipi ab illa universali, *omnis utriusque sexus* etc. Immo ideo Ecclesia apposuit ly *omnia sua peccata* ut exciperet multos quos credit sine peccato mortali vitam ducere.

Ad secundam autem confirmationem dicitur quod, cum duo praedicata exigant duo subiecta, enunciatio illa quae omnis utriusque sexus *confiteri et communicare* praecipitur, est enunciatio non una, sed plures: licet secundum vocem sit una. Unde sensus primae est: *Omnis utriusque sexus indigens confessione omnia sua peccata confiteatur*, etc. Sensus vero secundae est: *Omnis utriusque sexus communicet in Pascha*, etc. Et ratio diversitatis iam dicta est: quia ibi explicatur materia restringens ly *omnis utriusque sexus* respectu confessionis, et non restringens respectu communionis.

### QUAESITUM SECUNDUM

#### AN PECCATA MORTALIA TOTALITER OCCULTA, UT SUNT PECCATA IN SOLO CORDE, SINT NECESSARIO CONFITENDA

CIRCA materiam confessionis, quaeritur secundo: An peccata mortalia totaliter occulta, ut sunt peccata in solo corde, sint necessario confitenda.

Videtur enim quod non \*. Tum quia non sunt de necessitate ecclesiastici praeepti: non potest enim Ecclesia de huiusmodi occultis secundum se praecipere aut iudicare \*.

\* Cf. num. vi.

\* Cap. *Sicut tuis, de Simonia.*

Et si dicatur quod occultorum confessio cadit sub praeepto Ecclesiae indirecte, scilicet ratione integritatis, pro quanto is qui tenetur singulis annis alia peccata confiteri, tenetur quoque ex consequenti peccata cordis singulis annis confiteri, ut confessio omni anno sit integra: — haec instantia nihil valet. Quoniam, posito homine qui sola peccata cordis mortalia haberet aliquo anno, sequeretur quod illo anno non teneretur confiteri: quoniam tunc non haberet locum ratio integritatis.

II. Tum quia huiusmodi occultorum confessio non est de necessitate sacramenti \*. Quoniam sola illa peccata sunt de necessitate sacramenti quae sub iudicio homini commisso a Christo comprehenduntur. Sed nullum iudicium commissum homini a Christo extendit se ad huiusmodi occulta. Ergo occulta haec non sunt de necessitate confitenda. — Maior patet: quoniam iudicium fori poenitentialis homini commissum est a Christo, et non angelis aut quibuscumque aliis. — Minor vero probatur auctoritate Apostoli \*: *Nolite ante tempus iudicare*, etc.

\* I ad Cor., cap. iv, vers. 5.

Si dicatur quod duplex iudicium commissum est homini a Christo: alterum secundum potestatem iurisdictionis, et hoc non se extendit ad huiusmodi occulta, et de hoc loquitur Apostolus; alterum secundum potestatem ordinis, et hoc extendit se ad occulta, et est iudicium quod exercet Ecclesia per suos ministros in foro poenitentiali: — contra dupliciter. Primo, quia iudicium poenitentialis, licet exigit potestatem ordinis, exigit quoque potestatem iurisdictionis: quoniam solus sacerdos ordinariam vel delegatam iurisdictionem habens est minister huius sacramenti, ut patet in cap. *Omnis utriusque sexus* \*, et alibi \*. — Secundo, quia *unumquodque recipitur in alio secundum modum recipientis*: ac per hoc, iudicium secundum potestatem ordinis a Christo commissum homini, ex hoc ipso quod homini commissum est, modificari oportet secundum conditionem ipsius hominis, quae est non se extendere ad occulta cordium; haec enim soli Deo sunt reservata, non minus in iudicando quam in cognoscendo \*.

\* De Poenit. et Remiss.  
\* Cf. Conc. Florent., Decret. pro Armenis.

\* I Reg., cap. xvi, vers. 7; ad Rom., cap. ii, vers. 16.

Et confirmatur haec ratio ex hoc quod, cum apud ipsum Dominum Iesum Christum resideat utraque potestas, scilicet ordinis et iurisdictionis, non diminute, sed plenissime; et utramque inveniatur Ecclesiae suae commisisse non imperfecte, sed latissime, ut de potestate iurisdictionis patet Matth. xviii \*, et de potestate ordinis Ioan. xx \*\*: sicut potestas iurisdictionis, ex hoc ipso quod commissa est homini, non extendit se ad occulta omnino, ita potestas ordinis, ex hoc ipso quod commissa est homini, non debet se extendere ad totaliter occulta.

\* Vers. 17, 18.  
\*\* Vers. 21 sqq.

III. Ad veritatem dubii huius plenius percipiendam, sciendum est quod, licet quidam, ex huiusmodi forte rationibus aut melioribus moti, opinari videantur peccata omnino occulta non esse necessario confitenda sacerdoti, sed soli Deo, eorum tamen error ex tribus patet.

Primo, ex formali ratione materiae confessionis: seu, quod in idem reddit, iudicii poenitentialis. Cum enim Dominus poenitentialis iudicium instituerit ac commiserit post resurrectionem suam, dicens, Ioan. xx \*, Apostolis iam sacerdotibus, *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*; et materiam iudicii explicaverit quoad substantiam tantum, dum remittendo vel retinendo explicavit peccata; et non possit intelligi ita nude ut sonat littera, quoniam certum est quod per huiusmodi commissionem non possunt nec potuerunt ministri novi Testamenti remittere peccata eis totaliter incognita, inconfessa, obstinata: oportet aliquas subintelligere conditiones peccatorum remittendorum. Et quia iudicium praesupponit cognitionem; et modus iudicii modum cognitionis: ideo communi Catholicae Ecclesiae sensu subintelligitur, *spontanea confessione ad vos delata*, ita quod sensus est: *Quorum remisistis peccata spontanea confessione reorum ad vos delata, remittuntur eis*, etc. Ubi clare patet materiam iudicii poenitentialis esse peccata spontanea reorum confessione delata: haec est enim formalis ratio materiae huius iudicii, ad quam totam se extendit, et extra quam non se extendit poenitentialis iudicium; quoniam haec omnia et sola remittere vel retinere potest. Ex hac autem formali

\* Vers. 23.

ratione materiae huius iudicii, habetur facile quod peccata quantumcunque occulta sunt materia huius iudicii: nam quantumcunque occulta peccata comprehenduntur sub his quae sunt spontanea confessione detegenda; nullum enim est ita latens quod non possit eius qui commisit confessione spontanea aperiri.

Et confirmatur ratio haec ex parte formalis materiae, ex ipsis verbis Domini. Differenter siquidem significavit Dominus materiam iudicii poenitentialis, seu potestatis ordinis, et materiam iudicii secundum potestatem iurisdictionis. Quoniam respectu potestatis ordinis, explicavit pro materia *peccata*, dicens, *Quorum remisistis peccata*: respectu vero potestatis iurisdictionis, explicavit pro materia *peccatum in alium*, dicens \*, *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. Ex qua differentia docuit nos divina Sapientia a materia iudicii poenitentialis nullum peccatum excipi, ac per hoc, comprehendere praecipue peccatum in sua primaria sede residens, hoc est peccatum cordis: sub materia vero potestatis iurisdictionis non comprehendere peccatum omne, sed exterius tantum, quod solum potest alium offendere; et propterea ab illa excipi peccatum cordis, nisi pro quanto esset ratio exterioris commissionis vel omissionis.

\* Matth. cap. xviii, vers. 15.

IV. *Secundo*, ex ratione proprii finis ipsius confessionis, ex quo fine sumitur formalis ratio eiusdem confessionis quatenus est actus poenitentiae. Ordinatur enim confessio ad subiiciendum voluntarie reum ministro Dei offensi, ut ad arbitrium ipsius recompenset. Et hinc confessio ipsa, quae est actus veritatis, fit actus poenitentiae, dum reus, veraciter proponendo in quo offendit, seipsum accusat ac subiicit ad recompensandum, non de quibusdam sic et de quibusdam non, sed omnes accusando offensas, ut de omnibus arbitrari possit minister offensi. Hoc autem constat quod non fieret si omnino occulta peccata cordis non accusarentur. Ut igitur de peccatis cordis possit ad arbitrium offensi recompensare, oportet peccatorem offensas cordis subiicere ipsius Dei offensi iudicio in persona sui ministri.

V. *Tertio*, ex usu Ecclesiae. Nam communis animi conceptio Christianorum est peccata omnia, sive occulta sive manifesta, oportere in sacramento poenitentiae confiteri. Et ad hoc est determinatio generalis Concilii, primo, Lateranensis sub Innocentio III, ubi dicitur \* quod *omnis utriusque sexus confiteatur peccata sua omnia*, — nullum ergo excipitur peccatum; et deinde in Concilio Florentino, sub Eugenio IV, ubi dicitur \*, *Omnia sua peccata quorum memoriam habet, confiteatur*, ubi patet etiam peccatum cordis non excipi.

\* Cap. xxi (cap. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.*).

\* Decret. pro Armenis.

VI. Ad primam autem obiectionem in oppositum \* dicitur quod Ecclesia potest praecipere, et praecepit \*, singulis annis confiteri omnia sua peccata mortalia, etiam si solum peccatum cordis occultissimum haberet: non quia ipsa habeat iudicare de occultis, sed quia ipsius est determinare praecepta Christi ad certum tempus. Hinc enim fit ut, praecipiente Christo confessionem cuiuscumque mortalis peccati post baptismum, sive peccatum sit solum in corde sive ad extra prodierit, Ecclesia, determinans tempus confessionis ad singulos annos, obligat ad confitendum singulis annis omnem qui pro tunc habet aliquod peccatum mortale, sive occultum sive non. Nam determinatio Ecclesiae non minuit aut restringit materiam confessionis praeceptae a Christo: sed tempus tantum confessionis determinat, relinquens materiam in suis limitibus.

\* Num. i.

\* Cit. cap. *Omnis utriusque sexus*.

VII. Ad secundam \* vero dicitur quod responsio ibi data vera est. Et ad primam illius impugnationem dicitur quod concursus potestatis ordinis et potestatis iurisdictionis non tollit aliquid a potestate ordinis. Et ideo cum hoc quod potestas ordinis extendit se ad occulta cordium peccata, stat quod cum ea concurrat potestas iurisdictionis, quae secundum se ad huiusmodi occulta non se extendit. Et, si perspicacius fueris intuitus, videbis quod, quoad forum poenitentialis, potestas ordinis concurrat directe respiciens ipsa peccata; potestas autem iurisdictionis concurrat directe respiciens personam peccatoris, ut scilicet peccator sit subditus sacerdoti, ut habeat potestas ordinis in quem exerceat actum suum remissionis vel retentionis peccatorum.

\* Num. ii.

Ad secundam vero dicitur quod, quia omne iudicium homini commissum intelligitur de cognitio; et diversus est institutus a Deo modus cognoscendi in utroque iudicio: ideo ex huiusmodi instituta diversitate modi cognoscendi provenit diversitas ista, scilicet quod iudicium poenitentiale extendit se ad omnino occulta peccata, iudicium vero iurisdictionis purae extendit se ad externa tantum. Ideo non est miranda disparitas utriusque potestatis in homine. — Quod enim iudicium omne commissum homini a Christo intelligatur cum cognitione causae, probatione non eget: cum non sit delegatum purum ministerium, sed commissum sit auctoritas iudicandi remittendo vel retinendo, absolvendo vel ligando. — Quod etiam diversus modus cognoscendi sit utrobique a Christo institutus, patet. Nam modus cognoscendi in potestate iurisdictionis est cognitio per testes: ut patet Matth. xviii \*. Modus autem cognoscendi in iudicio potestatis ordinis est spontanea confessio secreta, etc.: ut universalis Ecclesia testatur. — Quod demum ex hac diversitate modi cognoscendi proveniat differentia dicta inter materiam et materiam, ex supra dictis clare patet. Quoniam ex hoc quod peccatum spontanea rei confessione accusandum est materia iudicii poenitentialis, conclusum est \* sub hac materia comprehendi peccatum cordis quantumcumque occultissimum. Et per oppositum, quia solum peccatum testificabile est materia iudicii exterioris, ideo peccata in solo corde manentia exempta remanent a materia ecclesiasticae iurisdictionis.

\* Vers. 16.

\* Num. III.

Cum ergo obiicitur unumquodque recipi in alio per modum recipientis: admittatur. Et cum infertur, *Ergo iudicium secundum potestatem ordinis commissum homini modificatur secundum conditionem hominis*: conceditur, formaliter loquendo; quoniam nullum actum commisit Christus ministro sacramenti poenitentiae qui non exerceatur ab eodem secundum conditionem hominis; nam et audire peccata, et discernere inter ea, et interrogare circumstantias peccati et peccatoris, et retinere seu remittere, facit humano more, utendo divina potestate. Et ideo, cum ulterius infertur, *Ergo non se extendit ad occulta*, negatur illatio: quoniam aliunde provenit quod iudicium hoc se extendat ad occulta. Provenit enim ex modo accusandi quo reus tenetur se accusare, scilicet spontanea confessione, etc.: et hoc quia Christus sic instituit. Cognoscere autem et iudicare de occultissimis spontanea confessione accusatis, non excedit modum conditionis humanae utentis potestate divina.

Unde ad confirmationem ex simili ratione in potestate iurisdictionis, dupliciter dici potest, ut patet ex dictis \*, quod non est similis ratio de utriusque potestatis iudicio. Primo, quia modus cognoscendi in utroque iudicio est ex divina institutione diversus. — Secundo, quia ipse Dominus expressit diversimode utriusque materiam: dum unius materiam dixit *peccata*, absque limitatione aliqua; alterius vero dixit *peccatum in alium*, limitando peccatum ad peccatum in alium.

\* In hoc num., et num. III.

### QUAESITUM TERTIUM

#### UTRUM OPORTEAT CONFITERI IN SPECIALI SINGULAS SPECIES ET NUMERUM CERTUM PECCATORUM

CIRCA materiam rursus confessionis, quaeritur tertio: Utrum oporteat confiteri in speciali singulas species et numerum certum peccatorum. Et est ratio dubii \*, quoniam pars affirmativa communi auctoritate doctorum firmata videtur.

\* Cf. num. IX.

\* Cf. num. X.

Et ratione comprobatur \*. Tum quia circumstantia varians speciem peccati mortalis est necessario confitenda. Ergo a fortiori quaelibet species mortalis peccati est exprimenda. — Et similiter numerus peccatorum, cum non sit circumstantia peccati, sed multiplicatio eiusdem, necessario est exprimendus, prout memoriae occurrit: cum non magis teneatur poenitens accusare se de decimo quam de vicesimosecundo peccato, vel e converso.

Et confirmatur. Quia si non omnes species et omnia singularia oportet exprimere, consequens est quod aut nullas species nullaque singularia, aut quasdam species et quaedam singularia sic, et quasdam ac quaedam non, necesse est explicari. Et, cum non possit affirmari primum, oportet reddere rationem quare quaedam sic et quaedam non.

Tum quia poenitens tenetur explicare omnia quae oportet cognosci a confessore ad hoc ut possit suo arbitrio adaequare poenam culpae \*: quoniam confitendo nihil aliud facit poenitens quam quod submittit se sacerdoti in persona Christi ad recompensandum secundum illius arbitrium. Sed confessor non posset arbitrari de aequalitate recompensationis nisi cognosceret diversitatem offensarum, quae in diversitate specifica consistit; et numerum peccatorum, quoniam recompensa adaequans centum offensas non adaequat mille, et sic de aliis. Ergo.

\* Cf. num. XI.

\* Cf. num. VIII.

II. Pro parte autem negativa \* videtur esse usus maioris forte partis confessorum ac poenitentium, non curantium de huiusmodi subtili discussione.

Et confirmatur ratione. Quia huiusmodi discussio est molesta, inutilis, atque melioris boni impeditiva. Et molestia quidem satis patet expertis. — Quod vero sit inutilis, ex eo patet quod tam cum huiusmodi discussione, quam sine ea, poenitentibus providetur eodem modo. — Quod autem sit impeditiva maioris boni, testatur experientia. Quoniam et confessores circa huiusmodi discussionem sol-

liciti impediuntur a multorum confitentium audientia, dum forte totum tempus consumunt circa unum. Et poenitentes minus devote confitentur implicati huiusmodi discussionibus.

III. Ad huius quaestionis evidentiam, sciendum est duplex esse iudicium: quoddam est cuius actus est propter seipsum intentus; quoddam vero cuius actus est propter aliud. Ad primum iudicium, quia spectat facere iustum absolute, pertinet quoque cognoscere singula peccata, ut singula possit adaequare puniendo. Ad alterum vero iudicium, quia non tendit ad punitionem secundum se, sed in ordine ad alium finem, puta bonum commune; sicut sufficit punire prout expedit illi fini, ita sufficit cognoscere quantum opus est ad illum finem. Inter praesentis autem vitae tempus et futurae hoc interest, quantum ad iudicium, quod nullum praesentis vitae iudicium tendit ad punitionem secundum se, sed ut medicinalem: eo quod praesentis vitae tempus non est tempus punitionis, sed in quo poenae sunt medicinae, vel ipsius qui punitur vel aliorum. Iudicium autem futurae vitae est id quod ad punitionem secundum seipsam tendet: quoniam ad adaequandum poenam culpae ordinatur, non ad bonum puniti nec ad cautelam aliorum, sed ut reus patiat quod meretur.

IV. Nec putet aliquis iudicium quod in foro poenitentiali exercetur, locari debere sub iudicio primo modo, propterea quia iudicium hoc est magis divinum quam humanum, et confessor in tantum personam Dei in actu illo tenet ut nesciat ipse quod scit ut Deus. Falsa est imaginatio ista. Tum quia iudicium poenitentiale ad praesentis vitae tempus spectat: ac per hoc, non est exemptum a communissima ratione iudicii praesentis vitae. — Tum quia Salvator noster hoc attestatur, dicens, Ioan. III \*: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum: sed ut salvetur mundus per ipsum*. Hinc enim apparet quod Christus non venit in primo adventu ad iudicandum mundum per ministros suos, hoc est, ad iudicandum se exercendum: sed ad salvandum, hoc est, quantum ad poenitentiae sacramentum spectat, ad iudicium salutare

\* Vers. 17.



per suos iudices exercendum. Idem est autem iudicium salutare, et iudicium medicinale. Et poenitentiale iudicium ad primum Domini adventum spectat procul dubio, ad quem spectat sacramentum poenitentiae. — Est igitur poenitentiale iudicium non iudicium absolute, sed iudicium salutare seu medicinale. Ac per hoc, non tendit ad punitionem secundum se, sed in ordine ad salutem, non aliorum, sed ipsius rei solius.

V. Et quia hoc proprie est officium confessoris, ideo hinc perspicere oportet quanta debet esse cognitio peccatorum. Oportet enim tantum manifestari peccata, quantum exigit huiusmodi salutare iudicium. Si enim ad hoc salutare iudicium exigitur manifestatio omnium et singularum specierum, et certi numeri singularium, consequens est quod oportet poenitentem haec explicare, iuxta possibilitatem suam. Si vero huiusmodi discussio non exigitur, consequens est quod non oporteat poenitentem haec explicare. Et si haec negativa admittitur, consequens est ut declaretur quae et quanta discussio exigitur ad hoc salutare iudicium.

Dicamus igitur quod iudicium huiusmodi claudit in se duo: scilicet esse iudicium, et esse salutare; ita quod secundum est finis primi. Et propterea ex secundo manifestandum est primum: tantum enim debet concurrere de eo quod est iudicii, quantum expedit, vel saltem opus est, ad hoc ut iudicium sit salutare poenitenti. Et quia salutare poenitenti iudicium a iudicio absolute differt, ut dictum est\*, quantum ad punitionem, in hoc quod in iudicio absolute intenditur ad punitionem secundum se, in iudicio vero salutari intenditur punitio salutaris poenitenti; consequens est ut differentia quoque sit quoad cognitionem. Nam quia punitio secundum se consistit in adaequatione poenae ad culpam, oportet in iudicio absolute cognoscere exacte culpas omnes et singulas, ut aequari illis possit poena. Et quia punitio medicinalis consistit in commensuratione poenae ad poenitentem et illius salutem, sicut medicina consistit in commensuratione tam ad infirmum quam ad sanitatem acquirendam; et commensurata poena tam poenitenti quam ipsius saluti absque exacta cognitione omnium et singularum culparum recte iudicatur atque imponitur; ut patet, quantum ad peccatorum species, de superstitionis seu divinationis et similibus speciebus: absque discussione harum commensurata tam poenitenti quam eius saluti punitio atque provisio fit. Quantum vero ad peccatorum numerum, ex eo quod medicinalis tam punitio quam provisio idem habet iudicium si certificatus fuerit numerus vicenarius, et si incertus relictus sit an duobus demptis vel adiunctis; et similiter si certificatus fuerit centenarius, an dubium inter nonagenarium et decem supra centum; et sic de aliis. Haec enim, et similia, manifestant quod salutare iudicium non exigit exactam omnium et singularum culparum cognitionem: sed ex sua formali ratione exigit omnes et singulas mortales culpas cognosci usque ad hoc quod notum fiat confessori quae, qualis, quanta, etc., poena commensurari debeat huic poenitenti recte disposito et illius saluti.

Dico autem, *recte disposito*: quia, licet aliquis poenitens sit minus devote dispositus, ac per hoc commensurata sic indispositio poenitentia erit forte oratio Dominica semel; manifestatio tamen peccatorum in iudicio salutari debet perducere confessorem ad cognoscendum quanta, qualis, etc., poena deberet sibi commensurari si esset recte dispositus; huiusmodi enim indispositio poenitentis, quia est per accidens, non variat id quod per se exigit salutaris iudicii ratio. — Notanter quoque dixi iudicium salutare *non requirere* cognitionem exactam omnium et singulorum peccatorum mortalium, et non dixi quod *requirit imperfectam eorum cognitionem*: quoniam nec exigit nec excludit plenam eorum cognitionem; sub formali namque ratione iudicii medicinalis potest materialiter quandoque contineri exacta notitia peccatorum.

VI. Et quoniam practica nimis est et valde communis notitia de confessione, idcirco, ad particularia descendendo, dicimus quod species peccatorum mortalium sunt in duplici differentia. Nam quaedam sunt quarum diversitas

diversitatem iudicii salutaris inducit: aliter enim iudicandus est pro salute blasphemus, aliter adulter, aliter homicida, etc. Et tales sunt species peccatorum quae in communi habentur notitia: ut adulterium, fornicatio, furtum, rapina, contumelia, detractio, etc. Quaedam vero species sunt quae nullam videntur facere in salutari iudicio differentiam, ut sunt species divinationis: idem est enim iudicium poenitentiale si quis aqua vel terra abusus fuerit, et sic de aliis. Et huiusmodi videntur esse species gulae, et universaliter omnes latentes: quas forte vix doctores discernunt. Et propterea explicare primas peccatorum species in confessione oportet: secundas vero sufficit explicare in generibus subalternis, puta, *Peccavi in nigromantia*, et sic de aliis.

VII. Circa numerum vero peccatorum, sciendum est quod dupliciter accusandus occurrit: primo, secundum se; secundo, ut circumstantia peccatoris. Et secundum quod est circumstantia peccatoris, differentiam quodam modo inducit in iudicio salutari, et quodam modo non inducit. Nam aliter iudicandus est, et medendus, qui semel tantum aut bis offendit: et aliter qui centies offendit. Sed qui toties quoties potuit offendit, eodem modo iudicatur ac medetur si millies, et si centies millies offendit. Nec hoc eget probatione: quoniam experientia testatur.

Secundum se autem numerus peccatorum accusandus venit, non ut facit differentiam in iudicio absolute, sed ut facit differentiam in iudicio salutari. Et propterea, si nescitur, sufficit explicare illum crassa quadam aestimatione: nam salutaris iudicii ratio non variatur ex hoc. Verbi gratia, commisit quis furtum multoties, videtur sibi quod parum plus aut minus fuerit quam vigesies: non est opus sollicitari, *Forte fuerunt vigintiduo, forte undeviginti*; sed sat est ita confuse numerum explicare ut occurrit. Quocirca numerus peccatorum, tam ut circumstantia peccatoris quam secundum se, si certus non est (nam ad certum numerum occultandum nulla conducit ratio), vel explicandus est sub quodam verisimili numero; vel, cum consuetudo peccandi praecessit, explicato tempore, puta quod per decennium fuit in hac mala consuetudine, et frequentia delinquendi, puta quod quotidie aut fere, seu quovis alio modo multitudine maxima seu frequentia manifestata, aperiendus est.

Nec oportet in huiusmodi numeris poenitentem aut confessorem multum sollicitari: quoniam par est salutaris iudicii ratio; et quandoque utrique nocet sollicitudo circa hoc. Magis enim debet manifestari frequentia cum pronitate, quam indagari verisimilis certus numerus, puta ter centum, seu mille, etc. Unde, si meretrix audienda est ad poenitentiam conversa, facillime potest quoad haec expediri, narrando discursum vitae suae in annis meretriciis: nec oportet sollicitari quoties cum coniugatis, quoties cum clericis potuit peccare, sed ex discursu vitae suae discrete manifestato arbitretur et medeatur prudens confessor.

VIII. Haec sunt quae ex parte salutaris iudicii exprimentur videntur in confessione. Quibus si adiunxeris quod, ex parte poenitentis, tenetur reus ipse accusare se de omnibus, ut reconciliatio amicitiae fiat, dicendum est quod poenitens debet habere intentionem explicandi omnia mortalia; ac per hoc, sub quocumque modo dicendi debet intendere comprehendere omnia. Ita quod explicare species vel individua tali vel tali modo, non eligitur a poenitente aut confessore ad occultandum aliquid, sed ad faciliorem modum explicandi omnia.

Et sic dicendo evitatur error putantium quod sufficit explicare numerum in communi, puta dicendo quod *pluries furatus sum*. Hoc enim non sufficere manifeste patet ex eo quod aliter iudicandus est et medendus qui bis tantum, et qui centies furatus est. Et vitatur molestia ac sollicitudo reducendi incertum numerum ad certum. Media siquidem via incedendum est: ut salutaris iudicii ratio habeatur, quod medium est inter purum iudicium et caecum iudicium.

Et utraque pars quaesiti aequaliter est vera; et auctoritati doctorum et usui confessorum ac poenitentium simul defertur\*.

\* Num. III, IV.

\* Cf. num. II.

\* Num. i.

IX. Ad obiectiones tamen primo allatas \*, pro quanto contra conclusa militant, respondendum est. Et ad auctoritatem quidem doctorum dicitur quod intelligitur quando certus est numerus peccatorum: ex quo enim poenitens intendit omnia dicere, et certus est de numero peccatorum, nulla apparet ratio quare non debeat numerum illum explicare. De incerto autem numero in solis forte verbis ab aliquo doctore discordare credimus.

De speciebus vero, dicitur quod de communiter notis speciebus verificatur eorum dictum. Alioquin non relinqueretur in Ecclesia Dei millesimus quisque confessor non errans: cum huiusmodi latentes species rarissimis sint manifestae.

\* Ibid., Et ratione.

X. Et per hoc patet solutio sequentis obiectionis et suae confirmationis \*. Nam non dicimus quaedam singularia esse confitenda et quaedam non; nec dicimus quasdam species peccatorum esse manifestandas et quasdam occultandas; sed dicimus alio modo aperiri quasdam species, scilicet communiter notas, et alio modo aperiri quasdam alias species, scilicet quarum diversitas est latens, illas in speciali, istas in una earum seu aliquo huiusmodi. Et similiter dicimus omnia singularia confitenda, sed non eodem modo: nam certa in numero certo, incerta autem, non excessivae tamen multitudinis, in numero verisimili (etiam si aliquantulum crassa affuerit aestimatio) seu frequentia idem insinuante; incerta autem excessivae multitudinis sufficit in confuso significare, ut prudens confessor intelligat. Et ratio diversitatis est diversa habitudo ad salutare iudicium: hinc enim omnia pendent.

Et quia non omnes confessores sunt aequalis perspicacitatis ac prudentiae, ideo aliquis explicandi modus sufficit apud aliquem confessorem, perpendentem inde totum quantum sufficit ad iudicium salutare, qui alteri non suf-

ficeret. Similis quoque accidit quandoque disparitas ex parte poenitentium: quibusdam scientibus ante confessoris oculos brevissime et clare omnia sua peccata, ut ipsimet sciunt, proponere; quibusdam autem involventibus aut laborantibus in singulorum explicatione.

XI. Ad rationem autem magis urgentem \*, dicitur quod, ut iam \* dictum est, adaequare poenam culpae contingit dupliciter: vel simpliciter, propter se; vel quodammodo, in ordine ad aliud. Et quod primo modo exigit exactam cognitionem cuiusque tam culpae quam poenae: quia in aequalitate poenae ad culpam consistit. Secundo autem modo non exigit exactam cognitionem culpae et poenae, quia non consistit in utriusque aequalitate: sed exigit cognitionem commensurationis poenae ad finem. Et quoniam primo modo non est actus iudicii praesentis vitae, ideo ad confessorem non spectat actus iste. Et, cum potentia sit propter actum, non est opus ut confessori sic exacte nota fiant peccata ut possit poenam culpae adaequare simpliciter et absolute. Sed quia ad confessorem spectat commensurare poenam poenitenti in ordine ad suam salutem, quoniam hic est actus iudicii salutaris sibi commissi; et huiusmodi commensuratio in quadam proportione media inter poenitentem et illius salutem consistit, sicut medicinam oportet esse proportionatam et sanitati recuperandae et infirmo, sunt enim medicinales poenae praesentis temporis: ideo et vera est doctorum sententia dicentium quod confessor debet posse adaequatam poenitentiam arbitrari, salvatur enim commensurationis adaequatio, licet non interveniat aequalitas inter culpam et poenam; et verum est quod peccatorum notitia non exacta sufficit ad adaequatam poenitentiam arbitrandam a confessore.

\* Num. i, Tum quia poenitens.  
\* Num. iii, iv.

### QUAESITUM QUARTUM

AN PECCATA SEMEL RITE CONFESSA, SUBSECUTA ABSOLUTIONE ET SATISFACTIONE, POSSINT ITERUM FRUCTUOSE CONFITERI, ETC.

QUAERITUR quarto, adhuc circa materiam confessionis, an peccata semel rite confessa, subsecuta absolutione et satisfactione, possint iterum fructuose confiteri, etc.

\* Cf. num. iv.

Videtur enim quod non. Primo \*, quia nulla forma sacramenti est iterabilis super eadem numero materia. Peccata autem sunt materia in hoc sacramento. Ergo.

\* Cf. num. v.

Secundo \*, quia oportet salvari veritatem efficacem in formis sacramentorum. Quae in hoc casu non salvaretur: falsum namque diceret sacerdos dicendo, *Absolvo te a peccatis tuis*, etc.; quoniam non absolvitur nisi ligatus, hic autem praesupponitur absolutus.

\* Cf. num. vi.

Tertio \*, quia hoc sacramentum, cum ministretur per modum iudicii, exigit cognitionem vinculi. Quae in proposito non haberetur, si confitens denuo peccata alias confessa solummodo exprimeret: lateret enim confessorem istum esse alias ab his absolutum, ac per hoc lateret ipsum poenitentem hunc vinculis horum peccatorum adstringi vel non adstringi. Quod est inconveniens.

\* Cf. num. vii.

Quarto \* quia, si replicatio confessionis eorundem esset fructuosa, sequeretur quod aliquis eidem confessori replicando solummodo in communi confessionem, puta, *Dico meam culpam de his quae alias dixi*, etc., fructum sacramenti perciperet. Et sic in uno die centies replicando, centies fructum sacramenti perciperet. Quod est ponere sacramenta in ridiculum.

\* Cf. num. viii.

Quinto \*, quia iudicium semel latum sine errore a confessore Deus sic ratificat quod est irrevocabile. Ergo rationabile est, inquit Scotus \*, quod etiam sic ratificet quod sit irreiterabile quoad fructum.

\* IV Sent., post dist. xix, ad arg. 1<sup>m</sup> quaestionis motae in dist. xviii.

Et confirmatur ex his quae videmus in foro litigioso. Nam sententia definitiva absolutoria accusati innocentis non replicatur: nec, si replicaretur, absolveret, quia non est amplius obligatus, ut absolvi possit.

In oppositum videtur esse communis opinio.

II. Ad evidentiam huius, sciendum est contineri hic duo quaesita, scilicet: an iterare eorundem confessionem sit licitum; et an sit fructuosum. Et est sermo de confessione non mixta, quae scilicet continet quaedam peccata alias confessa et quaedam nunquam confessa, sed de confessione continente solummodo alias confessa. Et similiter est sermo de fructu ex parte sacramenti, seu clavium: et non de fructu ex parte poenitentis, scilicet erubescencia et ampliori satisfactione et huiusmodi. Nullus enim dubitat huiusmodi erubescenciam ac satisfactionem esse fructuosam. Et similiter nullus dubitat confessionem mixtam esse licitam et fructuosam: saltem ea ratione quia *utile per inutile adiunctum non vitiatur* \*.

\* De Reg. Iur., reg. xxxvii, in Sexto.

III. De primo igitur quaesito, non memini legisse me aliquem tenentem esse illicitum iterare eorundem puram confessionem. Et quae circa hoc ingerere possent ambiguitatem, in primis argumentis \* tanguntur, ex quorum solutione \* manifestum erit licitum esse eadem peccata pluries confiteri pure.

\* Num. i.

\* Num. iv sqq.

Et quia ratio quam in secundo quaesito adducemus, hoc idem concludit, ideo transeo ad secundum quaesitum. In quo invenio Scotum, in IV Sent., dist. xviii \*, respondendo ad primum, tenere partem negativam esse probabilioem: ita quod sentit iteratam confessionem non esse fructuosam ex parte clavium, hoc est, nec remittere culpam, quae iam dimissa supponitur, nec remittere partem aliquam poenae. Movetur autem ex argumento quinto loco allato, cum sua confirmatione.

\* Cf. num. i, Quinto.

Sed revera non solum minus probabilis, sed falsa est eius opinio. Quod sic patet. Quicumque suscipit quodcumque Ecclesiae sacramentum rite ac digne, concurrentibus omnibus requisitis ad sacramentum, puta forma, materia, partibus omnibus, ministro idoneo, etc., non solum licite recipit sacramentum, sed etiam recipit fructum sa-

cramenti. Sed in casu proposito poenitens rite ac digne suscipit sacramentum, etc. Ergo est illi fructuosum sacramentum. Quod est intentum. — Maior est per se nota: positus enim omnibus tam ex parte agentis, quam ipsius sacramenti, quam suscipientis, non est intelligibile, regulariter loquendo, non esse fructuosum sacramentum. Et patet inductive in singulis sacramentis. — Minor autem facile patet discurrenti per singula requisita ad sacramentum poenitentiae, tam ex parte ministri, quam suscipientis, quam ipsius sacramenti.

Unde dicendum est quod fructus iteratae confessionis, praesupposito fructu primae, est augmentum gratiae, et remissio aliquantae poenae, si tota prius non est remissa. Similem enim fructum habet prima confessio, ad quam, heri contritus, hodie accessit: augmentavit enim gratiam, et remisit aliquantam partem temporalis poenae, si poenitens adhuc debitor illius erat.

IV. Ad prima ergo argumenta \*, quae contra primum militant quaesitum \*, respondendo dicitur quod, materia sacramenti poenitentiae existente duplici, scilicet remota et propinqua, nam remota est peccatum, propinqua vero est ipse actus poenitentis, scilicet confessio; non inconvenit super eadem materia remota, diversa tamen existente materia propinqua, iterari formam sacramenti. Et propterea, quia confessio non est eadem, licet sit eorundem peccatorum, potest licite replicari forma: immo, recte loquendo, sicut materia propinqua est alia numero et non est replicatio eiusdem, ita forma est alia numero et non est replicatio eiusdem.

V. Ad secundum dicitur quod hoc argumentum patitur difficultatem communem huic quaesito et alteri quaesito: quid scilicet solvit quando totaliter contritus, et solutus a culpa et poena, accedit prima confessione ad sacramentum poenitentiae. Eadem est enim utrobique difficultas. Et eadem responsione satisfit utrique: dicendo quod, quia sacramentum est exterius sensibile signum, secundum ea quae exterius geruntur ab Ecclesia iudicatur et ministratur. Ac per hoc, quia poenitens proponit peccata sua ut expiabilia, ac ut ea quibus seipsum alligavit, ideo Ecclesiae minister absolvit, idest, *sacramentum absolutionis impendit* \* licite profitenti alligationem. Et quia in sacramento efficitur intus quod significatur extra, ideo intus communiter fit absolutio peccati, saltem quoad aliquam partem poenae.

Et licet hoc sufficere videatur, quia ad id quod communiter invenitur leges respiciunt \*: subiungendum tamen est stringentibus casum ad immunes etiam a poena, quod ipsa gratia augmentata, quae per sacramentalem absolutionem confertur, habet rationem magis absolutorii. Quia enim sacramentum poenitentiae ex propria ratione habet quod sit medicinale et curativum infirmitatis peccati actualis; et peccati actualis infirmitas consistit non solum in culpa et vocata poena, sive aeterna sive temporalis, sed in multis aliis malis, ut clare patet in augmento vulnerum originalium: ideo absolutio sacramentalis non solum extendit se ad culpam et poenam, sed ad alia ex peccato

actuali incurra mala. Ita quod gratia per sacramentalem absolutionem significata et collata, quatenus est sacramentalis huius sacramenti, eo ipso quod extenditur ad amplius sanandum a morbo peccati actualis, habet rationem magis absolutorii a peccato: sicut gratia baptismalis, si baptizaretur quis plene prius consecutus baptismalem gratiam ex baptismo flaminis, esset magis ablutiva a peccato, dum a peccati reliquiis magis mundaret. Cuilibet siquidem Christiano, sicut convenit orare, *Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea* \*, ita convenit orare, *Amplius sana, Domine, et, Amplius absolve, Domine, etc.*

Nec putes novam me introducere de effectu sacramenti poenitentiae doctrinam. Vide superius divum Thomam, in art. I, qu. LXV, dicentem: *Extrema unctio ordinatur contra reliquias peccatorum, quae scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, aut ex negligentia aut ex ignorantia*. Et percipe ex his sacramentum poenitentiae ad tollendas etiam reliquias peccatorum se extendere, si ignorantia aut negligentia ex parte nostra non impediatur sufficientem illarum ablationem.

VI. Ad tertium dicitur quod, quia confessio fit de actibus peccatorum, et non de esse sub peccato, debemus enim confiteri quod fecimus tale et tale peccatum, an autem adhuc detineamur illius peccati vinculo, vel sub peccato non simus, sub confessione non cadit: ideo satis est confessori cognoscere poenitentem confitentem se perpetrasset tale peccatum, et paratum ad poenitentiam, etc.; sufficit enim quod subiiciat se iudicio, accusando seipsum, etc.

Et confirmatur. Quia poenitentiam egisse de talibus peccatis pertinet ad circumstantias alleviantes sententiam iudicis. Quas constat non esse opus confiteri.

VII. Ad quartum dicitur quod, quia praecipuus sacramenti effectus est gratia prima vel eius augmentum, ideo frequentia sacramenti illis solis convenit qui seipsos paratos reddunt ad gratiae augmentum. Et propterea non sequitur quod fructus sacramentorum exponat ea ridiculo. Non sunt enim frequentanda, quantumcunque fructuosa sint, nisi a dispositis ad praecipuum eorum effectum: communiter autem huiusmodi dispositio non tam frequenter invenitur in hominibus ut toties expediat confiteri.

VIII. Ad quintum dicitur quod sequela nihil valet. Quoniam irrevocabilitas sententiae pertinet ad firmitatem iudicis et iudicii: infructuositas autem, supposita iterabilitate, prae se fert aut infirmitatem aut minorem largitatem iudicis vel iudicii; iudicis quidem, si non vult aut non potest virtutem dare similem iterato iudicio; iudicii autem, si iudicium ipsum secundum se non est virtuosum, quale est humanum iudicium in foro litigioso. — Et per hoc patet responsio ad confirmationem.

Notanter autem dixi, *supposita iterabilitate*. Quoniam ex hoc ipso quod Deus iterabile instituit sacramentum poenitentiae super eisdem peccatis, consequens est ut fructuosum replicet. Secus autem est in non iterabilibus sacramentis: huiusmodi enim, eo ipso quod sunt non iterabilia, vana sunt si iterantur.

\* Psalm. L, vers. 4.

\* Num. I.

\* Cf. num. II.

\* Cf. III Part. qu. LXXXIV, art. 3, ad 5.

\* Cf. loc. cit. supra, Q. de Contrit., quaesito IV, num. VII.

## QUAESITUM QUINTUM

### AN CONFESSIO INFORMIS SIT ITERANDA

CIRCA qualitatem confessionis, quaeritur: An confessio informis sit iteranda.

Videtur enim quod sic \*. *Primo*, quia instrumentum oportet moveri a principali agente: alioquin instrumenti ratio non salvatur. Ergo iudicium poenitentiale oportet a ministro exerceri prout movetur a Deo. Sed, confessione existente informi, non exercetur iudicium poenitentiale secundum motionem divinam. Ergo oportet denuo confiteri, ut exerceatur poenitentiale iudicium ut instrumentum motum a Deo principaliter absolvente.

*Secundo* \*. Confessione existente informi, deest una pars sacramenti, quae est contritio. Ergo sacramentum non valet, sed est iterandum: ut patet in aliis sacramentis quando deficit aliqua pars.

*Tertio* \* quia, confessione existente informi, necesse est peccatum aliquod mortale subtrahi a materia absolutionis. Ac per hoc, necesse est confessionem non esse integram: et consequenter esse reiterandam. — Assumptum probatur. Tum quia communiter confessio informis accidit propter aliquid non explicatum in confessione. — Tum quia pec-

\* Cf. num. VI.

\* Cf. num. VII.

\* Cf. num. V.

catum illud quod dum absolutio fit a poenitente committitur irreverenter suscipiendo sacramentum, non est materia absolutionis: quoniam non potest simul poenitens peccare et absolvi ab illo peccato.

\* Cf. num. viii.

*Quarto* \*, quia fructus sacramenti poenitentiae est remissio peccati ex coniunctione passionis Christi per sacramentum ad poenitentem. Sed, confessione existente informi, non fit huiusmodi coniunctio, nec habetur hic fructus. Ergo vanum fuit huiusmodi sacramentum: et consequenter iterandum est.

*In oppositum* est auctoritas divi Thomae, in *IV Sent.*, dist. xvii \*.

\* Qu. iii, art. 4, qu<sup>a</sup> 1.

II. Circa hanc difficultatem, quae propter diversas opiniones *adhuc sub iudice* videtur esse, sciendum est quod vitandi sunt duo extremi errores. Alter est quod omnis confessio informis est valida, ita ut non sit iteranda. Clare siquidem patet confessionem illius qui propter verecundiam peccatum aliquod mortale tacuit, esse informem et reiterandam. — Alter est quod nulla confessio informis est valida ita quod non sit iteranda. Nam clare constat nescire nos an aliqua nostra confessio fuerit formata, quia nescimus nos esse in gratia; et, cum hoc dubio, non curare nos amplius de memoria peccatorum ut denuo confitentur; cum tamen oporteret nos esse sollicitos ad pluries confitendum, ut quandoque fieret confessio formata. Et sic nunquam finis imponendus esset confessioni, ut tutior pars eligeretur. Quod constat universalis Ecclesiae aures offendere.

Ex utroque autem errore perspiciendum est quod non ad ipsam informitatem, sed ad informitatis causam resolvitur oportet validitatem vel non validitatem informis confessionis: ex eo enim quod aliqua informis confessio est valida, et aliqua non est valida, non ex ipsa informitate, sed aliunde, puta ipsius informitatis causa, provenire debet quod aliqua sit valida et aliqua non. Et quoniam causa haec se tenet ex parte poenitentis, cuius duo sunt actus usque ad absolutionem, scilicet contritio et confessio, ideo hinc scrutandum est quid veri appareat.

Ex parte igitur confessionis, certum est confessionem ex proposito non integram propter verecundiam aut aliquid huiusmodi, esse invalidam ac reiterandam. Et in hoc nulla est quaestio. — Ex defectu autem contritionis tota oritur difficultas.

III. Quae ut clarius elucescat, distinguendus est contritionis defectus: habet enim multos gradus. Minimus autem contritionis defectus est ipsa absentia caritatis. Qui enim sunt ita attriti quod dolent de peccatis omnibus ut de summo odibili, et proponunt vitare mortale peccatum ut summum vitabile, si confessionem subeunt informem, non tenentur iterare confessionem, sed est eorum confessio valida. Nec alia hoc eget probatione quam superius \* adducta ex universalis Ecclesiae testimonio: omnes enim sapientes et timorati viri sic dispositis mandant imponendum esse confessioni finem.

\* Num. praeced.

In inferiori autem gradu contritionis sunt sic attriti ut doleant quidem de omnibus peccatis, non tamen ascendunt usque ad hoc ut doleant de eis tanquam summo odibili: et similiter proponunt cavere de futuro, non tamen tanquam a summo vitabili. Et hoc bifariam contingit. Primo, sine discussione talis defectus: quia scilicet non discutit poenitens dolorem suum de commisso mortali, an sit tanquam de summo vitabili, et similiter propositum suum vitandi mortale, an intendat vitare tanquam summum vitabile; sed occurrit tantum eis dolere de peccato et cavere de futuro, sicut si offendissent unum hominem et dolerent de offensa praeterita et intenderent amplius illum non offendere, in eorum tamen animo non ita dominatur affectus tam vitandi offensam in futuro quam detestandi commissam in praeterito, ut pro summis malis haec habeant. De horum numero utinam non maxima pars Christianorum poenitentium sit! Quos non, sicut primos, puto virtute clavium de attritis regulariter fieri contritos: sed in sua attritione absolvi et communicare. Cuius signum est quod caritas, sicut positive praefert Deum omni amabili, ita facit apud habentem ipsam offensam Dei odibilio-

SUMMAE THEOL. D. THOMAE T. IX.

rem omni odibili, et magis vitandam omni alio vitabili: *operatur enim haec magna amor Dei si est* \*, et si haec non operatur, non est caritas Dei. De istorum confessione intelligo doctrinam divi Thomae \* quod confessio informis per defectum contritionis est valida, ita ut non sit iteranda. Et erit eis fructuosa quando *ascendent ad cor altum* \*, ut habeant peccatum pro summo odibili et summo vitabili, et confitebuntur fictionem suam hanc, qua ut contriti sacramentum susceperunt, cum in veritate contriti non essent. Quare autem huiusmodi confessio sit valida, inferius \* declarabitur.

\* Greg. M. Homil. lib. II, hom. xxx.

\* Cf. num. i, fin.

\* Ps. lxxiii, vers. 7.

\* Num. iv.

Si vero huiusmodi attriti animadverterint se non esse contritos, simile est de eorum confessione iudicium et de confessione illorum qui sunt in tertio gradu, de quibus modo subiungimus quod in infimo loco attritorum sunt: qui ambas contritionis partes aut parum attingunt, aut saltem altera carent. Ad contritionem enim cum duo spectent, dolor de peccato et propositum cavendi de cetero, infimi procul dubio sunt qui de praeteritis quidem aliquantulum dolent, et de futuro velleitatem habent cavendi. Inter quos est etiam latitudo: non solum secundum gradus doloris et velleitatis; sed etiam secundum differentiam percipientis vel non percipientis statum proprium; et similiter secundum differentiam explicantis vel non explicantis in confessione plene seipsum. Nam qui huiusmodi statum suum non percipit, ac per hoc, non explicat confitendo, integre quidem confitetur quantum est ex intentione; qui autem percipit et confitetur, etiam integre ex intentione confitetur; qui vero percipit et non confitetur, quia non occurrit sibi hoc quasi peccatum confitendum, adhuc integre ex intentione confitetur; secus autem si nollet hoc confiteri, tunc enim ex proposito dimidiaretur confessio. Et similes distinctiones fieri possunt de attritis in secundo gradu positus. Quocirca de omnibus dicitur quod, cum ex proposito tacetur peccatum sacrilegii ex tali statu poenitentis consurgens, confessio non est valida, sed iteranda: deest siquidem confessioni non sola contritio, sed integritas ex proposito. Quando vero confessio ex proposito est integra, omnium confessio videtur valida, ita quod non est necessario iteranda. — Quamvis differentia inter eos sit quoad vitandum sacrilegii peccatum. Quoniam percipientes statum suum malum, et confitentes eundem, putantesque se non sacrilegio sed bono operam dare, rogando confessorem ut eos absolvat, excusantur, si bona fide cum sacerdote docto id tractent, a sacrilegii peccato. Nec obstat si dicatur quod ista est ignorantia iuris divini: quoniam in huiusmodi quae sunt iuris divini positivi, excusantur indocti quando a doctoribus iudicibus sic erudiuntur; statuit enim Deus leges suas *ad infimos per medios* \* pervenire; unde et Apostolus mulierem a viro suo interrogare iubet \*, si quid voluerit scire. Illos autem qui non explicant confitendo huiusmodi malum statum suum, nescio excusare a novo sacrilegii peccato. Deberent enim saltem sacerdotis arbitrio iudicandos offerre seipsos in his quae communiter poenitentes nosse et confiteri consueverunt: communissimum autem est poenitentibus omnibus confiteri voluntatem suam de non cavendo de cetero; hoc enim etiam mulierculae et sciunt et servant.

\* Cf. Dionysium. Cael. Hier. cap. iv.

\* I ad Cor., cap. xiv, vers. 35.

IV. Communis autem ratio quare attritorum omnium integra quidem sed informis confessio est valida, ita quod non est iteranda, assignatur a divo Thoma \*, quia sacramentum poenitentiae verum invenitur et fructuosum, non tunc, sed quando aderit contritio. Et quidem quod verum invenitur sacramentum, non solum secundum illorum opinionem qui negant contritionem esse partem sacramenti poenitentiae, apparet, quia nihil deest huic sacramento nisi contritio: sed etiam tenendo contritionem esse partem sacramenti poenitentiae manifestatur, ex eo quod contritio, non secundum se, sed relata ad confessionem, hoc est ut est spontanea voluntas recompensandi ad arbitrium sacerdotis, pars sacramenti est posita superius \* a divo Thoma. Haec autem in proposita confessione invenitur, dum quilibet sponte eligit submittere se iudicandum sacerdoti, etc. Quia concurrunt igitur ad sacramentum huiusmodi omnes partes eius, quae se tenent loco materiae, et forma et

\* Cf. num. i, fin.

\* Part. III, qu. xc, art. 2.

minister debitus, consequens est ut sit verum ecclesiasticum sacramentum. Quod autem, existente vero sacramento, informitas non pariat reiterationem, sed fructum futuro tempore, a divo Thoma probatur quia sic est in aliis sacramentis. Et vere sic est de baptismo, confirmatione, ordine, etc. Nec obstat dicere quod hoc verificatur in istis sacramentis quia non sunt iterabilia, aut quia imprimunt characterem: utrumque enim per accidens se habet ad fructum pro futuro tempore. Ex quo inferri potest quod non oportet iterari, etiam si esset iterabile: ex eo namque quod sacramentum est propter fructum eius; et fructus eius potest in futurum haberi sine ipsius iteratione; optime sequitur quod non oportet sacramentum ipsum iterari. Amplius, extrema unctio est sacramentum iterabile: et tamen, si incontritus suscipit quis extremam unctionem et post horam conteratur, non reiterabitur extrema unctio, nec carebit infirmus moriens illius fructu; quoniam, si careret illius fructu, petenti infirmo iterari extremam unctionem ob suam incontritionem, Ecclesia non negaret; quam tamen negat, dum super eundem morbum, etc., ordinat non repetendam. Ex hoc ergo quod informiter suscipiens sacramenta, sive iterabilia sive non, ex ipsa informitate, licet perdat fructum pro tunc, immo quandoque addat novum peccatum mortale pro tunc, non tamen perdit fructum sacramenti pro quando erit contritus, habetur quod non oportet iterari sacramentum. Nec oportet aliam huius rationem quaerere quam ipsam sacramenti vim ritumque Ecclesiae. Augustinus enim primus hoc docuisse videtur de baptismi fructu \*; divus Thomas ad alia sacramenta hoc extendit; et Ecclesiae ritus hoc videtur semper servasse, fructu quoque extremae unctionis attestante. Et propterea concludendum videtur hoc loco *non plus sapere quam oportet* \*.

V. Ad primum in oppositum \* dicitur quod, sacerdote praesumente absolvere impenitentem, sacramentale iudicium exercetur ut Dei instrumentum quodammodo non, et quodammodo sic. Nam quoad modum exercendi non procedit a Deo: quoniam sacrilege exercetur. Quoad substantiam vero sacramenti a Deo procedit simpliciter et absolute. Et quia sacramentum secundum se est fructuosum, ideo a Deo procedit ut sacramentum fructuosum sortiturum effectum quando suscipiens est dispositus. Et licet tempus dispositionis ex parte recipientis arctetur ad tunc, tamen ex divina largitate extensum intelligimus ad

tunc vel postea, quando erit dispositus, ut in baptismo contingit. Ideo non oportet sacramentum repetere ut Deo actore exercentur.

VI. Ad secundum dicitur quod in contritione duo sunt: scilicet velle recompensare, et caritas informans illud velle. Et respectu quidem sacramenti poenitentiae absolute, sufficit contritio quoad primum: respectu autem eiusdem fructuosi in ipsius praesentia, concurrat contritio etiam quoad secundum. Et hoc solum deest in proposito. Unde nulla pars sacramenti, ut necessaria est ad sacramentum, deficit: quamvis deficiat ut necessaria ad sacramenti effectum nunc.


VII. Ad tertium dicitur quod, quia actus morales ex per se obiecto iudicantur, ille solus dimidiat confessionem qui ex intentione integritatem violat. Et propterea, cum in proposito supponatur confessionem esse ex intentione integram, licet materialiter non sit integra, non sequitur confessionem esse iterandam.

Adverte tamen hic quod, sicut in aliis vitiis tam enormiter contingit errare materialiter ut actus redeat ad naturam formalem sui generis, ut patet in detractone, contumelia et huiusmodi (contingit enim tam graviter, absque intentione detrahendi, detrahere famae proximi ut ipsa magna laesio incursa, minus aestimata, detrahendi actum in detractone naturam reducat): ita potest contingere quod ex nulla aut tam crassa et supina conscientiae discussione aliquorum peccatorum mortalium confessio omititur, ut materialis violatio integritatis in formalem reducat, tanquam dimidiationis incursus ille qui pro nihilo aestimatus est, intentus fuerit. Unde tales ad reiterandum confessionem inducendi sunt. In quorum numero videntur esse illi qui cum sola velleitate abstinendi a peccato confitentur et absolvuntur, tacentes huiusmodi peccatum et impedimentum, quod etiam mulierculae noverunt et consueverunt explicare.

VIII. Ad quartum dicitur proportionaliter sicut ad primum, quod, licet sacrilege, sacramentum tamen coniunctionis fructuosae secundum se passionis Christi ad poenitentem exercetur, cuius fructus, etsi non tunc, quando tamen erit dispositus poenitens, percipietur. Unde non fuit sacramentum vanum, quod Deus adeo acceptat ut, non exacta repetitione, sacramentalem gratiam conferat quam primum poenitens fuerit dispositus, quam per sacramentum praesens erat daturus si tunc poenitens fuisset dispositus.

\* De Baptismo cont. Donatist. lib. I, cap. xii.

\* Ad Rom. cap. xii, vers. 3.  
\* Num. I.



## QUAESTIONES DE SATISFACTIONE

### QUAESITUM PRIMUM

#### AN SATISFACTIO POENITENTIALIS POSSIT ESSE DE ALIAS DEBITO

CIRCA satisfactionem poenitentialem quaeritur primo: An possit esse de alias debito.

\* Cf. num. III.

Et videtur quod non \*. *Primo*, ex ipsa ratione satisfactionis. Nam satisfacere est facere aequale debito. Non fieret autem aequalitas si alias id quod fit esset debitum: minus enim fieret quam deberetur. — Et confirmatur hoc ex simili in reliquis satisfactionibus.

\* Cf. num. IV.

*Secundo* \*, quia ritus Ecclesiae hoc habet ut poenitentias iniungat non de ieiuniis et orationibus quae sunt in praecepto.

\* Cf. num. V.

\* Lib. I, cap. XI.

*Tertio* \*, quia secundum Anselmum, in libro *Cur Deus homo* \*, per illa fit satisfactio quae non possent ab homine exigi nisi peccasset. Sed praecepta possent ab homine exigi etiam si non peccasset. Ergo de praeceptis non potest fieri satisfactio poenitentialis.

*In oppositum* est quod in casu quo martyrium est in praecepto, satisfactio per illud fit. Non derogat ergo satisfactioni poenitentialem esse alias debitum.

II. Ad huius evidentiam, sciendum est plures tenuisse doctores partem negativam quaestionis, propter argumenta inducta. Et quoniam pars affirmativa mihi videtur vera, ideo eius veritas monstranda est: assumendo pro fundamento quod unum et idem opus, a diversis directum seu assumptum principiis, multiplicis est efficaciae in his quae sunt iustitiae mixtae, qualis est inter hominem et Deum; sub qua constat comprehendi satisfactionem poenitentialem, quoniam nulla nostra satisfactio est sufficiens secundum aequivalentiam exactam a pura iustitia, sed secundum divinam acceptationem.

Probatum ergo primo intentum sic. Eadem poena, si a minori caritate procedit, est minus satisfactoria; et a maiori caritate procedens est magis satisfactoria. Ergo poena alias debita, si procedat a maiore caritate vel a virtute clavium, erit plus satisfactoria quam ipsa secundum se, ut erat alias debita. Ergo poena alias debita potest assumi in satisfactionem poenitentialem. — Assumptum est notum et approbatum de excellentia satisfactionis in passione Christi propter excellentissimam illius caritatem, a qua procedebat. — Consequentia autem est per se evidens: et tanto evidentior quanto in satisfactione poenitentialem plus pensatur quantitas ex divina acceptatione quam secundum substantiam operis seu poenae, quam pura iustitia consideraret.

Praeterea, unum et idem opus, cum hoc quod est alias debitum Deo, est meritorium de condigno aeternae vitae. Ergo potest esse etiam satisfactorium poenae pro peccatis debita. — Assumptum patet: quia honorando parentes, quod est opus praeceptum, mereor, si ex caritate illos honoro, vitam aeternam de condigno. — Consequentia probatur, ex eo quod ratio alias debiti non minus officit ad constituendum ius futurae mercedis quam ad constituendum ius recompensandi peccatum debitum: opus siquidem alias debitum, si potest, cum hoc, efficere ut, exigente iustitia, merces sibi debeatur tam excellens qualis est aeterna felicitas, multo magis sufficiens est ut constituat ius soluti pretii debiti tam minimi quale est temporalis poena.

Et confirmatur. Quia, tribus existentibus virtutibus, scilicet caritate, gratitudine et poenitentia; et actus alias debitus potest ex caritate efficaciam meritoriam, ex gratitudine efficaciam gratiarum actionis sortiri; cur non assumptus a poenitentia vim satisfactoriam sortietur? Nunquid divina acceptatio, tam larga in merito et gratitu-

dine, manca est in satisfactione? An forte plus iustitiae locum habet in amico circa solutionem poenae quam circa gratiarum actionem aut meritum?

Praeterea, ad particularia descendendo, et discurrendo per consilia quando sunt in praecepto, idem apparet. In casu enim quo tenetur quis eleemosynam facere, cur non potest poenitens ordinare illam pro satisfactione poenitentialem? Et similiter in casu quo praebere alteram maxillam, vel angariari, vel esurire aut sitire, penuriam pati, aut huiusmodi aliquid, esset in praecepto, quis sapiens prohibeat poenitentem offerre haec Deo in satisfactionem, aut neget solvi per haec poenam debitam pro peccatis? An forte huiusmodi opera debita ex praecepto possunt ab ipso quidem poenitenti assumi in satisfactionem poenitentialem, sed per confessoris ministerium non possunt haec in poenitentiam dari? Hoc enim Ecclesiae clavibus est derogare, maioremque virtutem humanae intentioni quam Christi clavibus tribuere: tanquam humana intentio quaedam possit pro satisfactione assumere ad quae claves non se extendunt. Quod a fidelium aestimatione longe sit. In cuius signum, laudabilis multorum confessorum consuetudo antiqua, absolvendo poenitentem, dicit: *Quidquid boni feceris et facere intendis, et mala quae sustines et sustinebis, sint tibi in remissionem peccatorum*, etc. Et non dicit: *Quidquid supererogationis boni feceris aut mali sustinebis*.

III. Ad primum ergo in oppositum \* dicitur quod aliud est loqui de satisfactione infra limites purae iustitiae: et aliud est loqui de satisfactione sapiente magis naturam amicitiae quam iustitiae. Argumentum enim procedit de satisfactione infra limites iustitiae conclusa: de qua non est hic sermo. Unde et poenitentia posita est a divo Thoma \* differens a iustitia vindicativa, quia illa ius attendit, haec autem voluntatem offensi et offendentis, quod amicitiae magis est quam iustitiae.

\* Num. I.

IV. Ad secundum dicitur quod, quia ecclesiasticus minister homo est, qui non intuetur cor \*, quem latet poenitentis caritas; ideo provide ad tutiorem partem iudicium suum declinat, et, id quod est amicitiae praeteriens, ad id quod est iustitiae se convertit. Et quoniam ex parte iustitiae satisfactio habet quod sit de non alias debito, ideo confessores non imponunt ieiunia alias debita, sed opera ad quae alias poenitens non tenetur. Cum quo stat quod, si opera ad quae alias poenitens tenetur, imponeret in satisfactionem peccatorum, prodesset, saltem virtute clavium, poenitenti satisfactio huiusmodi ex caritate adimpleta.

\* Part. III, qu. LXXXV, art. 3, ad 3; qu. XC, art. 2.

V. Ad tertium dicitur quod auctoritas non videtur adduci ad propositum. Quoniam ex illa nihil aliud habetur nisi quod satisfactio fit per poenalia: haec enim sunt quae, si homo non peccasset, ab eo non exigentur. De hoc enim nulla est quaestio: sed an huiusmodi poenalia sint satisfactoria si sint alias debita. De quo nihil dicit auctoritas allata.

\* I Reg. cap. XVI, vers. 7.

Veruntamen scito quod opus hoc quod est honorare parentes, quod, etiam si homo non peccasset, praeceptum fuisset, si in praesenti statu exercendum cum poenalitate aliqua occurrat, illud unum opus, praeceptum quantum est pietatis, esset meritorium ut est a caritate; et gratiarum actio Deo ut est a superexcellenti gratitudine quae vocatur religio; et esset satisfactorium quatenus esset a poenitentia. Et simile est in aliis. Unde habes quod etiam per ea quae, si homo non peccasset, essent exacta, alio tamen modo, post peccatum exercita satisfactio fit.

## QUAESITUM SECUNDUM

AN PRO CONTRITO ET CONFESSO PECCATO IMPOSITA SATISFACTIO,  
SI EXSOLVATUR IN PECCATO MORTALI, SIT ITERANDA

SECUNDO circa satisfactionem poenitentialem quaeritur: An pro contrito et confesso peccato imposita satisfactio, si exsolvatur in peccato mortali, sit iteranda.

\* Cf. num. v.

Videtur enim quod non \*. *Primo*, ex ipsa ratione iustitiae. Ex quo enim secundum plenam iustitiam punitivam semel imposita est poena temporalis pro peccato de quo vere poenituit, nunquam pro illo debetur nisi poena temporalis; et, illa soluta, nulla.

Et confirmatur hoc in actibus humanis. Si enim alicui culpa praecise correspondeat secundum legem abscissio manus, non debet secundum iustitiam, manu abscissa, exigi maior punitio. Ergo, a simili, si quis remanet debitor praecise temporalis poenae, puta quatuor dierum, non debet secundum divinam iustitiam, illa soluta, plus exigi.

\* Cf. num. vi.

*Praeterea* \*, si huiusmodi satisfactio extra caritatem datur non sufficere, sententia nimis dura, et occasio peccandi videtur. Quoniam poenitens, cum hoc audierit, post lapsum in peccatum mortale non prosequetur executionem poenitentiae, utpote inutiliter. Et sic incidet in novum peccatum mortale, transgrediendo praeceptum Ecclesiae et vicarii Dei in illo actu. Et hinc formatur, inquit Scotus \*, talis ratio: Si post lapsum non exequatur quis satisfactionem pristinam sibi impositam, peccat mortaliter. Ergo, si exequatur, bene facit: quia actum obedientiae facit. Sed non facit actum obedientiae nisi in quantum illud est sibi impositum tanquam pars satisfactionis. Ergo, etc.

\* IV Sent., dist. xv, qu. 1, de 2º principali, De quarto dicitur.

\* Cf. num. vii.

*Praeterea* \*, sequitur aliud inconveniens: scilicet quod huiusmodi peccator, si damnaretur, aeternaliter puniretur pro peccatis semel dimissis. Ac per hoc, dimissa peccata redirent simpliciter: quia redirent quoad poenam aeternam. — Et ulterius sequitur quod ita aeternaliter punitur quis pro peccatis dimissis sicut pro non dimissis.

*In oppositum* est quod satisfactio mortua non est satisfactio: sicut nec homo mortuus est homo.

II. Haec quaestio *sub iudice* ab omnibus communiter videtur derelicta: cum ipse Scotus, qui partem negativam tenet, cuius sunt argumenta inducta, non audeat eam asserere, sed dicat se *absque praeiudicio* loqui, in 1 qu. dist. xv Quarti Sent. \*; et divus Thomas varia videatur sentire \*; Durandus solvat ad utramque partem \*\*, etc. Quocirca, ut radicales rationes examinentur, et rationabilior pars eligatur, hanc movimus.

\* Loc. cit.

\* IV Sent., dist. xv, qu. 1, art. 3, qu. 2; dist. xxii, qu. 1, art. 1, ad 5. \*\* IV Sent., dist. xv, qu. 2. \* Aristot. de Anima, lib. I, cap. v, n. 16. — S. Th. lect. xii.

Et quoniam *rectum est iudex sui et obliqui* \*, hinc incipiendum reor, quod, secundum omnes, nulla nostra poenitentia satisfactio apud Deum est sufficiens sine caritate: quia nulla est sufficiens secundum aequivalentiam simpliciter, sed quaecumque est sufficiens, ex divina acceptance est sufficiens; acceptabilem autem caritas reddit. Ex hoc communi principio oportet doctrinam procedere per se, absque diversione ad ea quae sunt per accidens aut extranea: alioquin doctrina magis erit voluntarium dogma quam vera doctrina. Ex hoc autem principio manifeste deducitur nullam satisfactionem sufficere nisi caritas reddat eam acceptabilem. Nec oportet in hac deductione laborare, sed tantummodo subsumere: *Sed haec satisfactio, Ergo.*

Unde, cum reliqua ista de qua quaeritur satisfactio, sit vere satisfactio pro peccati poena, et nullam habeat conditionem diminuentem rationem satisfactionis; mirum, ut non dicam voluntarium, videtur eximere huiusmodi satisfactionem a communi regula satisfaciendi. Aut enim oportet negare illud universale ac commune principium: aut, illo concessio, oportet universaliter dicere nullam satisfactionem poenitentialem sufficere nisi secundum acceptance, quae extra caritatem non invenitur.

Et confirmatur ex casu simili, ponendo hominem post contritionem suorum peccatorum et aliquot dies poeni-

tentiae, citra tamen confessionem, relapsum, et nihilominus prosequi actus poenitentiales pro peccatis pristinis. Hoc enim stante, quaeratur an huiusmodi actus poenitentiales post relapsum sint satisfactorii an non. Si dicitur quod sunt satisfactorii, sequitur quod non oportet recurrere ad determinationem poenae factam per punitivam iustitiam clave non errante, etc., cum in hoc casu huiusmodi determinatio per claves non intervenerit: et ultra hoc, videtur negari communis doctorum sententia. Si vero non sunt satisfactorii, cum sola temporalis poena pro pristinis peccatis in utroque casu remanserit solvenda, nulla est ratio quare solutio unius extra caritatem valeat, et alterius non. Si enim iniustum est plus exigere in primo casu, iniustum quoque est plus exigere in secundo: quoniam secundum divinam iustitiam utrobique debitum solius poenae temporalis remanet. Et si illa solvitur extra caritatem, nullius restat poenae debitum: si autem caritas exigitur ad hoc ut solutio sit sufficiens, neutrius solutio aliquid valet. Concludendum igitur ex communi hoc principio videtur quod nulla satisfactio poenitentialem est sufficiens nisi secundum divinam acceptance, quam constat, ut saepe dictum est, extra caritatem non inveniri.

Et confirmatur hoc ex ipso modo remissionis peccatorum. Fit enim remissio mortalis peccati per modum amicabilem reconciliationis: ex hoc enim modo fit ut peccator, ex proprio demerito hostiliter puniendus, amicablem corripiendus restet; hoc est enim auferri reatum poenae aeternae et transire in reatum poenae temporalis. Ex hoc autem quod peccator de hostiliter puniundo transit in amicabilem puniendum, hic vel in purgatorio, sequitur quod, nisi amicabilem poena exsolvatur, nunquam solvetur: quia quod amice debeo nunquam exsolvo nisi amice tribuam.

III. Ex eodem quoque principio deducitur exceptionem aliam de satisfactionibus relinquentibus post se effectum, non esse usquequaque veram: sed ex famosa apparentia humanae compassionis processisse videtur distinctio inter satisfactiones relinquentes post se effectum, et satisfactiones non relinquentes post se effectum, ita ut, licet utraque extra caritatem factae sint mortuae, effectus tamen primarum remanens potest vivificari per subsequentem caritatem; et ideo primae non sunt reiterandae, secundae autem, quia totaliter transierunt, sunt reiterandae. Favorabilis siquidem magis quam vera videtur interpretatio haec. Nam opus satisfactorium relinquens post se effectum, puta ieiunium vel eleemosyna extra caritatem, si est sic per subsequentem caritatem vivificabile, vel hoc habet ex sacramentalitate sola. Et hoc non; quia sic etiam conveniret satisfactionibus non relinquentibus effectum, quoniam ipsae etiam sunt sacramentales.

Vel hoc habet ex relicto effectu solo. Et hoc non: quia hoc conveniret similibus satisfactionibus factis ante contritionem et confessionem; quod omnes negamus, dicentes cum Augustino quod peccator non est dignus etiam pane quo vescitur, et cum Apostolo \*, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, etc.

\* I ad Cor., cap. xiii, vers. 3.

Vel hoc habet ex utroque simul, scilicet sacramentalitate et effectu relicto. Et hoc non. Tum quia ad hoc quod opus sacramentale sortiatur effectum per sequentem caritatem, non requiritur relictus effectus: ut de confessione informi patet \*. — Tum quia huiusmodi relictus effectus non est sacramentalis: quoniam non est effectus operis satisfactorii ut est sacramentale aut morale, sed secundum naturam operis; afflictio enim carnis non est effectus ieiunii ut est actus moralis aut sacramentalis, sed ut est subtractio cibi; et similiter diminutio boni exterioris non est effectus eleemosynae nisi secundum naturam operis, puta

\* Cf. supra. Qg. de Confess., qu. v, num. iv.

quia subtrahit illud a se; unde effectus iste est valde remotus a sacramentalitate. — Tum quia vacillans, aut claudicans inveniretur hoc verum. Nam non esset verum universaliter, sed in solo illo casu quo relictus effectus duraret usque ad adventum novae caritatis, ut sic inventus possit a caritate vivificari. Nam, si non perduraret, non posset per illam vivificari, plus quam transitoria quae praeterit oratio. Et sic, si quis extra caritatem ieiuniorum iniunctam poenitentiam peregisset, et debilitatis seu afflictionis derelictus effectus non duraret post duos menses, quia interim poenitens bene se confortavit, et nova caritas non fuisset recuperata usque ad quartum mensem, iteranda essent praedicta ieiunia.

IV. Quia igitur neutra via solide fundata videtur, occurrit media via incedendum, dicendo tria. Primum est quod omnis poenitentialis satisfactio a confessore imposita, etiam si extra caritatem fiat, sufficiens est quoad forum militantis Ecclesiae. Probatur hoc: quia satisfactio huiusmodi est sacramentalis, est enim tertia pars sacramenti; ac per hoc, satisfactio Ecclesiae si est informis, sicut confessio informis \*. Et hinc oritur ut non solum ieiunia et eleemosynas, verum etiam orationes non sit solita Ecclesia iterum imponere poenitentibus qui eas semel solverunt: quamvis iuniores nonnulli, *trepidantes timore ubi non est timor* \*, adinvenierint quandam momentaneam satisfactiunculam pro poenitentia sacramentali, et deinde arbitrantur quasi condignam poenitentiam quae aut non est poenitentia sacramentalis, aut, si est, vanum monstrat eorum timorem. Nec hoc facere sunt edocti a sancta Catholica Ecclesia. Et propterea reprehensione magis dignum est quam usu.

Secundum est quod quaecumque sacramentalis satisfactio, si extra caritatem fit, nihil tunc valet ad expiationem poenae pro peccato debitae apud Deum. Hoc ex supra \* dictis satis probatum est; et a Magistro Sententiarum multis auctoritatibus, in xv distinctione Quarti, firmatur.

Tertium est quod omnis satisfactio sacramentalis, si extra caritatem fit, valere incipiet quando, recuperata caritate, poenitens *ad cor redibit* \*, etc. Probatur hoc ex eo quod regulariter opus sacramentale, utpote opus Dei, recedente fictione, sortitur effectum: ut de baptismo, confessione et extrema unctione dictum est \*. Satisfactio autem sacramentalis pars sacramenti est, vimque habet ex clavibus. Ergo, si est informis, sortietur postea, recedente fictione, effectum.

An autem totum effectum sortiat postea quem sortita fuisset si in caritate peracta esset, non facile dixerim. Videtur tamen mihi quod non totum satisfactionis effectum sortiat postea. Quia sacramentalis satisfactio plus se tenet ex parte humani operis quam ex parte divini, hoc est sacramenti. Cuius oppositum accidit in aliis: ut patet in baptismo, in quo totum opus est Dei, et hominis est solum ministerium. In satisfactione vero sacramentali opus est praecipue poenitentis: et tam parum habet sacramenti ut multi doctores negent ipsam esse partem sacramenti. Et propterea rationabile videtur quod satisfactio sacramentalis informis aliquem effectum postea sortiat, ex illa parte qua sacramentalis est: non totum autem, ex illa praecipua sui parte qua humanum opus mortuum habuit.

V. Ad primum ergo in oppositum \* dicitur quod obiectio confecta est *ex lana et lino* \*: quoniam orsa est ex amicitia, et contexta est ex mera iustitia. Supponit enim poenitentem secundum meram iustitiam debere poenam solummodo temporalem; et cum hoc, reconciliatum esse ex gratia; quasi post reconciliationem satisfactio sit sufficiens secundum aequivalentiam simpliciter, et non secundum acceptationem. Et quoniam satisfactio secundum aequivalentiam simpliciter non consonat satisfactioni amabili et possibili inter hominem et Deum, ideo ut praedictum est \* repetitur dicendo satisfactionem impositam temporalem pro poena peccati, sive imposita sit a sacerdote sive non, esse amicabiliter solvendam; et si amicabiliter non solvitur, nunquam solvitur. Et propterea quae de mera iustitia et humanis punitionibus adducuntur, extra propositum sunt: quoniam de vindicativa loquuntur iustitia, in qua attenditur aequalitas rei ad rem; nos autem de satis-

factione poenitentiali loquimur, in qua attenditur aequalitas secundum acceptationem Dei offensi.

VI. Ad secundum \* dicitur quod sententia haec non est dura, sed dulcedine amicitiae divinae plena: nec est occasio peccandi, nisi forte *accepta*. Et ad formam rationis dicitur primo, ipsam valde errare: ut patet applicando eam ad peccatorem communicatum in Paschate, dicendo: Si non communicat, peccat novo peccato: Ergo, si communicat, bene facit obediendo. Quod patet esse ridiculum.

Et quia multiplicare inconvenientia non est solvere, dicitur secundo, quod huiusmodi rationi, in quacumque materia fiat, respondendum est sic: *Si non exequitur, peccat*: admittitur. *Ergo, si exequitur condigne, bene facit*. Alioquin: negetur sequela, quoniam et communicando et non communicando in Paschate peccat novo peccato indignus.

Dicitur tertio, quantum ad materiam quae tangitur, de novo peccato mortali omittentis poenitentiam iniunctam a confessore pro mortalibus, quod nulla ratione apparet omissionem huiusmodi esse peccatum mortale: ut patet discurrendo per omnia concurrentia ad huiusmodi actum. Iniuncta siquidem a confessore pro mortalibus satisfactio quatuor habet capita. Primum est quod est iudicata et praecipua a Christi vicario: et hinc satisfactio fit actus iustitiae cuiusdam et obedientiae. Et hinc satisfactionis omissio non habet peccati mortalis rationem: si desit contemptus, qui contrariatur praeepto, et abiiceret gratiam iudicii facti. — Secundum est ex parte poenitentis, quod est actus poenitentiae et caritatis. Et hinc nulla est in omissione ratio peccati mortalis, nisi actus iste iustitiae, poenitentiae et caritatis sit necessarius ad salutem. Quod constat esse falsum: quia actus iste non est necessarius ad dilectionem Dei aut sui ipsius aut proximi; quoniam versatur circa ea quae sunt ad finem, scilicet solutionem poenae temporalis; quam potest poenitens reservare sibi in purgatorio absque mortali offensa Dei. — Tertium est ex parte finis, quod est expiativa poenae pro peccato debitae. Et hinc, ut nunc nunc monstratum est, non habet omissionem quod sit mortale peccatum, sed quod sit reservatio luendae poenae. — Quartum est quod est pars sacramenti. Et hinc quod omissio non constituat sacrilegium, ex eo apparet quod Ecclesia utitur poenitentiae sacramento quandoque absque hac tertia parte, ut patet de poenitentibus in fine, quibus non imponitur, secundum canones \*, satisfactio; et ex eo quod, si quis sua sponte ante confessionem satisfacisset, non esset imponenda satisfactio aliqua a confessore. Nec desunt dicentes posse poenitentem male paratum ad suscipiendam satisfactionem in hac vita, absolvi, reservata satisfactione in purgatorio.

Ex his enim omnibus habetur quod omissio huius partis sacramenti non est peccatum mortale ex suo genere. Unde, cum satisfactio a confessore non imponatur nisi ut descripta est; et, ut sic, illius omissio non habeat ex suo genere rationem peccati mortalis: concludendum est peccare quidem omittentem iniunctam satisfactionem, cum agat praeter obedientiam et alias virtutes; non tamen mortaliter, deficiente contemptu, cum nec contra obedientiam caritatemve omittat.

VII. Ad tertium \* dicitur quod distinctio inter *per se* et *per accidens* evitat haec inconvenientia. Poenam siquidem temporalem fieri per se aeternam est inconveniens: per accidens autem aeternari non inconvenit. Sic autem est in proposito: quoniam temporalis poena amice solvenda propterea ordinatur in inferno, quia nunquam amice solvitur. Unde nec propterea redeunt simpliciter dimissa peccata, nec aequae puniuntur pro peccato dimisso et pro non dimisso. Si enim redirent simpliciter, deberetur per se poena aeterna, et similiter peccato non dimisso deberetur per se poena aeterna: in proposito autem aeternitas poenae invenitur per accidens. Non tamen sicut in poena venialium. Ratio enim proxima aeternitatis poenae perseverantium venialium in inferno est aeternitas culpae: perseverante enim culpa, semper debet perseverare poena. Ratio autem aeternitatis poenae in proposito est defectus acceptabilitatis: quia scilicet solutio poenae nunquam est acceptabilis, quia nunquam solvitur amice.

\* Cf. supra Qg. de Confess., qu. v, num. iv.

\* Cf. Ps. xiii, vers. 5.

\* Isai. cap. xlvi, vers. 8.

\* Supra, Qg. de Confess., qu. v, num. iv.

Num. i.

\* Cf. Deuteron. cap. xxii, vers. 11.

\* Num. ii.

\* Num. i, Praeterea si.

\* Can. Ab infirmis, caus. XXVI, qu. vii.

\* Num. i, Praeterea sequitur.



## QUAESTIO DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

### QUAESITUM UNICUM

AN MINISTER SACRAMENTI POENITENTIAE POSSIT ESSE SACERDOS ABSQUE IURISDICTIONE

CIRCA ministrum sacramenti poenitentiae, quaeritur an possit esse sacerdos absque iurisdictione.

\* Cf. num. iv.

Et est ratio dubii \*, tum quia confessor summi Pontificis ministrat ei sacramentum poenitentiae sola potestate ordinis: cum potestatem iurisdictionis super eum habere nequeat.

\* Cf. num. v.

Tum quia videtur communiter dici quod sola potestas ordinis sufficit ad absolvendum a peccatis venialibus \*.

\* Cf. num. vi.

Tum quia videtur etiam communiter dici quod potestas ordinis ex se se extenderet ad omnes absolvendos, nisi per Ecclesiam essent limitatae iurisdictiones \*.

\* De Poenit. et Remiss.

In oppositum est decretum *Omnis utriusque sexus* \*.

\* Decret. pro Armenis.

II. Ad evidentiam huius, sciendum est quod, licet multa doctorum verba sonare videantur solam ordinis potestatem quandoque sufficere ad hoc sacramentum, secundum tamen rei veritatem nunquam sufficit, sed semper exigitur, ultra potestatem ordinis, auctoritas iurisdictionis aliquo modo. Et hoc quidem non solum per Ecclesiam determinatum est, sed ex ipsa sacramenti natura habetur. Legimus enim in Concilio Florentino \* sub Eugenio IV, quod *minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem ordinariam vel delegatam*. Ex quo patet quod sacerdos sola ordinis potestate fultus non est minister huius sacramenti. Et cum in proposito non habeat locum distinctio illa de ministro ex officio vel in articulo necessitatis, sicut in baptismo \*; oportet dicere quod, si sacerdos sola ordinis potestate absolvat, sacramentum nullum est, quia deficit minister.

\* Cf. Part. III, qu. LXVII, art. 3 sqq.

Est quoque sacramentum hoc ex sua natura iudiciale: quoniam forma eius consistit in actu iudicis ut sic. Actus autem iudicialis, etiam si fingendi detur licentia, non potest intelligi exerceri nisi in subditum. Igitur non ex Ecclesiae constitutione, sed ex ipsius sacramenti iudicialis natura exigitur potestas iurisdictionis in hoc sacramento.

III. Dupliciter autem contingit haberi potestatem iurisdictionis. Primo, ex parte principii iudicandi, ita quod potestas ipsa iurisdictionis sit principium iudicii: sicut in naturalibus calor est principium calefaciendi, et in politicis potestas principis est principium puniendi, et in ecclesiasticis potestas pontificia est principium excommunicandi, et huiusmodi. — Alio modo invenitur iurisdictionis ex parte eius qui iudicandus est: sicut contingit in iudicio arbitratorum a partibus tantum potestatem habentium ex hoc ipso quod illis se submittunt in illa causa.

In ministro vero sacramenti poenitentiae, cum ordinaria vel delegata a superiori potestate est minister, licet inveniantur potestas iurisdictionis primo modo, ad ministrandum tamen sacramentum poenitentiae sufficit potestas iurisdictionis secundo modo. Et ratio est, quia sacramentalis absolutionis principium non est potestas iurisdictionis, sed potestas ordinis: potestas autem iurisdictionis concurrat quoad hoc solum quod facit de peccatore subditum, vel simpli-

citer vel quoad talia peccata. Et hinc fit ut quicumque potest se subiicere in foro poenitentiali cui vult, non egeat aliunde iurisdictione in ministrante sibi hoc sacramentum.

\* Num. i.

IV. Et per hoc patet responsio ad primum \*. Ex hoc enim quod Summus Pontifex nulli in terris subditus est, potest se ipsum subdere in foro poenitentiali cuilibet sacerdoti. Nec confessor ille habet, proprie loquendo, potestatem iurisdictionis super Papa poenitente a Christo, vel Ecclesia, vel ab ipso Papa tanquam a superiore: sed ex hoc ipso quod Papa se subdit illi. Et hic modus iurisdictionis reductive spectat ad iurisdictionem delegatam: quamvis proprie non sit delegata.

V. Ad secundum dicitur quod, quia quoad peccata venialia quilibet est liber respectu sacramenti poenitentiae, eo quod nullus tenetur confiteri venialia; ideo satis rationabile est quod quilibet potest se subdere cui vult sacerdoti pro sacramento poenitentiae venialium. Et sic invenitur hic non sola potestas ordinis, sed potestas iurisdictionis reductive. Quae quia non est proprie delegata, tacita videtur a dicentibus quod sola potestas ordinis ministrat sacramentum venialibus: cum tamen, secundum veritatem, si nullo modo iurisdictionis interveniret, nullum esset sacramentum, ut dictum est \*.

\* Num. ii.

Cave tamen ne huiusmodi iurisdictionem extendas ad absolutionem ab excommunicatione minori, etiam per peccatum veniale incursa. Nam, quia excommunicatio minor vinculum est introductum a potestate iurisdictionis, quae est principium iudicii, impossibile est quod sine huiusmodi potestate iurisdictionis, quae est principium actuum iudicialium, absolvat quis ab excommunicatione minori. Unde, quamvis habens venialia tantum possit a quocumque sacerdote poenitentiae sacramentum suscipere ex hoc ipso quod se subdit illi, non potest tamen a quocumque sacerdote absolvi ab excommunicatione minori: sed, si illam habet, oportet prius a *proprio sacerdote* \* ab illa absolvi.

\* Cf. can. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.*

VI. Ad tertium dicitur quod illud dictum potest dupliciter intelligi: vel ut omnes sacerdotes a principio, ex hoc ipso quod erant sacerdotes, poterant omnes absolvere; vel quod omnes sacerdotes instituebantur non solum sacerdotes communes, sed iudices communes in foro poenitentiali. Primus sensus est falsus: quia de necessitate sacramenti iudicialis est iurisdictionis. Secundus sensus est verus, supposita veritate dicti: quoniam ante distinctiones parochiarum, etc., sacerdotes utramque potestatem accipiebant, ita quod tunc erant et sacerdotes communes et iudices communes. Postea autem ordinantur quidam sacerdotes communes, fiunt autem iudices proprii assignando eis plebes proprias. Et multi relinquuntur sacerdotes communes qui nunquam fiunt iudices nec communes nec proprii: ut patet de his qui non sunt expositi ad audientiam confessionum, nec aliquis se subdit eis quoad venialia, etc.



QUAESTIONES DE THESAURO INDULGENTIARUM

QUAESITUM PRIMUM

AN THESAURUS ALIQUIS SIT NECESSARIUS AD EFFICACIAM INDULGENTIARUM

CIRCA indulgentias, post tractatum quendam alias editum\*, et plures quaestiones in secundo Quolibeto\*\* positas, iam tertio scribendum occurrit tripartita consideratione\*: primo, de thesauro; secundo, de causa; tertio, de suscipientibus.

Circa thesaurum occurrunt quatuor quaerenda: primum, an aliquis thesaurus sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum; secundo, ex quibus constat dictus thesaurus\*; tertio quorum sunt vel fuerunt reposita in dicto thesauro\*; quarto, an dictus thesaurus subsit dispensationi Summi Pontificis\*.

\* De Indulgent. Opuscul. Caiet. tom. I, Tract. xv. Ed. Lugd. 1562.  
\*\* Ibid., Tract. xvi.  
\* Vide Quaestiones proxime sequentes.

\* Quaesitum II.  
\* Quaesitum III.  
\* Quaesitum IV.

CIRCA primum, an thesaurus aliquis sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum, sciendum est quod ex duplici capite dubitatio haec oritur. Vel ex eo quod creditur Papam posse facere effectum indulgentiae auctoritative, sicut potest absolvere ab excommunicatione: sic quod ita potest absolvere a debito poenarum temporalium quas poenitentes pro suis debent peccatis, sicut potest absolvere a vinculis suspensionis, interdicti, et huiusmodi\*.

\* Cf. num. seq.

Vel ex eo quod creditur effectum indulgentiarum non esse aliud quam solutionem ecclesiastici vinculi, quo poenitens alligatus est ad iniunctas poenitentias\*.

\* Cf. num. IV.

Ex utraque siquidem opinione sequitur nullo opus esse thesauro ad efficaciam indulgentiarum, ut manifeste patet.

II. Prima autem opinio est Francisci Maironis, in Quarto, dist. XIX\*. Et fundatur super verbo Christi, *Quodcumque solveris super terram*\*, etc. Hinc enim vult Papam veluti principem Christianae Reipublicae constitutum, et postea, ex regulari potestate principum qua quilibet princeps habens plenariam potestatem potest remittere debita peccatoribus in sua politia, infert Papam posse remittere debita poenarum temporalium quas poenitens tenetur in hac vita vel in purgatorio exsolvere.

\* Qu. II.

\* Matth. cap. XVI, vers. 19.

Firmaturque hoc, inducendo quod sacerdos absolvendo transfert poenam aeternam in temporalem: ac per hoc, de foro inferni in forum temporale, etc.

III. Sed hic dicendi modus tripliciter errat. Primo, in hoc quod non distinguit inter forum poenitentiale, et forum extrinsecae iurisdictionis ecclesiasticae. Papa enim, licet sit quasi princeps in foro ecclesiasticae iurisdictionis exterioris (cuius signum est quod est solutus ecclesiasticis poenis et legibus ut princeps), in foro tamen poenitentiali est subditus: unde et potest et solvi et ligari a sacerdote in foro poenitentiali, et potest et debet sibi negari absolutio, sicut et reliquis fidei accedentibus ad sacramentum poenitentiae. Poena autem temporalis pro peccatis actualibus post contritionem et confessionem debita non spectat ad extrinsecum forum, sed ad forum poenitentiale. Quod etiam ex eo patet quod est eiusdem rationis cum suis aliis partibus, quae remissae sunt ex virtute clavium vel per satisfactionem poenitentialem. Unde quoad hoc non habet Papa a Christo potestatem tanquam princeps, sed tanquam minister.

Secundo errat in hoc quod non discernit inter causas debitorum. Nam si princeps non posset remittere causam debiti, nec ipsum debitum remittere posset. Unde, cum Papa non possit remittere causam debiti, quoniam causa debiti est peccatum, Papa autem non potest etiam veniale remittere peccatum; non igitur ad potestatem principatus eius spectat remittere poenam ex peccato debitam.

Tertio errat non discernens modum potentiae. Aliud est enim Papam posse remittere huiusmodi poenas: aliud est Papam posse tali modo remittere huiusmodi poenas.

Dato enim quod Papa possit, sicut rei veritas est quod potest, ex illo Christi verbo, *Quodcumque solveris* etc.; non tamen sequitur, *Potest hoc tali modo*, puta solo iussu; stat enim quod potest hoc alio modo, puta per ecclesiastici thesauri dispensationem. Et hoc patet in simili. Nam, sicut Christus dixit Petro, *Quodcumque solveris* etc., ita dixit discipulis\*, *Quorum remiseritis peccata* etc. Et sicut non valet, *Discipuli seu sacerdotes possunt remittere peccata*, Ergo possunt solo iussu seu auctoritate, sed stat quod possunt alio modo, scilicet ministrando sacramentum poenitentiae; ita non valet, *Papa potest quodcumque solve super terram*, Ergo solo iussu seu auctoritate hoc potest: stat enim quod hoc possit diversimode; quoad exteriora quidem, solo iussu; quoad intima vero, peccata scilicet et eorum poenas apud Deum, mediante sacramento quoad peccata, mediante vero dispensatione thesauri quoad dictas poenas. — Nec sacerdos aliter quam per sacramentum transfert poenam aeternam in temporalem.

\* Ioan. cap. XX, vers. 23.

IV. Secunda autem opinio\*, verborum sonum habens pro se, pro quanto *indulgentiae* sonant pro iniunctis poenitentibus, fundatur super hoc, quod poena debita a poenitente apud divinam iustitiam est reservata superiori tribunali, scilicet ipsius divinae iustitiae: ac per hoc, non potest ab inferiori, qualis est Papa, remitti, nisi Papa posset supra ius divinum; quod constat esse falsum.

\* Num. I.

V. Et haec opinio tripliciter errat. Primo, minutissime exponendo remissionem iniunctarum poenitentiarum, dum exponit pro remissione solius vinculi: cum etiam ipsa verba sonent remissionem ipsarum iniunctarum poenitentiarum, et non solius vinculi iniunctionis. Non enim dicitur quod relaxamus iniunctionem, sed quod relaxamus *iniunctas poenitentias*.

Secundo, quod impietatem tribuit Ecclesiae. Nam, si indulgentia liberaret a sola iniunctione poenitentiae, impie ageret Ecclesia dando indulgentias: quoniam, absolvendo a vinculo iniunctionis, transmitteret poenitentes ad poenas purgatorii, a quibus liberati fuissent exequendo iniunctas poenitentias. Unde magna impietas esset dicere se facere gratiam dando indulgentiam.

Tertio errat in hoc quod non discernit inter posse remittere ministerialiter, et posse remittere auctoritative. Licet enim Deo debita solus Deus auctoritative remittere possit, homo tamen minister Dei, divina auctoritate sibi concessa, potest Deo debita remittere ministerialiter: nec solum debita poenarum, sed etiam debita culparum, ut patet in sacramento poenitentiae. Nec hoc est posse supra ius divinum: sed est ministerialiter fungi auctoritate divina.

VI. His igitur exclusis opinionibus, quia ex fine necessitas medii sumitur, finis autem et effectus in huiusmodi coincidunt, sanitas enim est finis et effectus medicinae; ideo stabiliendus est effectus indulgentiarum ex his quae certa sunt. Et quoniam certum est, omni hoc attestante ecclesia, indulgentias succedere loco iniunctarum poenitentiarum, consequens est quod idem est effectus indulgentiae qui erat futurus effectus iniunctae satisfactionis poenitentialis. Constat autem quod per iniunctam satisfactionem poenitentialem digne executam solvitur poena temporalis pro actuali peccato debita apud divinam iustitiam: hoc enim universalis credit Ecclesia. Igitur per indulgentiam loco satisfactionis succedentem, si veraciter ac digne acquisita fuerit, solvetur quoque tantum de poena temporali pro actuali peccato debita apud divinam iusti-

tiam, quantum apud eandem aequivalet indulgentia acquisita. Et haec ratio non eget ampliori confirmatione, cum iam determinatum sit per Ecclesiam Romanam \* id quod communis doctorum opinio sentiebat, scilicet effectum indulgentiarum esse *remissionem poenae temporalis pro peccato actuali debitae apud divinam iustitiam*. Sed hinc sumenda est necessitas quaesiti thesauri.

Unde considerandum est quod remissio peccatorum, ut tota clamat Scriptura, effectus est passionis Christi: ita quod cuicumque remittitur peccatum, sive quoad culpam sive quoad poenam, ex virtute passionis Christi remittitur. Credimus autem in huiusmodi remissione, sicut et *in universis viis Domini*, non solum *misericordiam*, sed etiam *iustitiam* inveniri \*: misericordiam quidem in hoc quod miseriam peccatoris computat Christus quasi suam; iustitiam vero in hoc quod meritum ac passio Christi communicatur peccatori quasi peccator ipse pateretur, ut sic peccator debitum Deo solvat de suo, non per seipsum, sed per Christi communionem acquisito; ut patet in baptismo, in quo propterea fit plenaria peccatorum remissio

quia plenissime *commoritur et consepelitur Christo* baptizatus \*.

Ex quibus formatur talis ratio. Ad remissionem peccatorum, sive quoad culpam sive quoad poenam, per sacramenta habendam, exigitur thesaurus aliquis, puta meritum passionis Christi remanentium in divina acceptance. Ergo a fortiori ad remissionem peccatorum quoad poenam tantum per indulgentiam, exigitur aliquis similis thesaurus. — Antecedens patet discurrendo per sacramenta et Ecclesiae doctrinam, quam diximus. — Consequens vero ex se est satis evidens: quoniam omnis ratio exposcit quod divina providentia, si subiicientibus se sacramentis ordinavit non remitti poenam peccatorum nisi computando poenam Christi pro his quibus remittitur, multo magis ordinavit non remitti poenas peccatorum per indulgentias nisi computando alienas poenas pro acquirentibus indulgentias; quandoquidem submittere se indulgentiis multo minus est quam submittere se sacramentis. Est igitur ad efficaciam indulgentiarum thesaurus aliquis necessarius, non minus quam ad efficaciam sacramentorum.

\* Ad Rom. cap. vi, vers. 3 sqq.; ad Coloss. cap. ii, vers. 12.

\* Leo X, in Bulla, *Exsurge Domine*, an. 1520; et in decretali ad Carj. Caietan. in Germania legatum (vide Part. III, qu. XLVIII, art. 5, Comment. num. III).

\* Psalm. xxiv, vers. 10.

## QUAESITUM SECUNDUM

### EX QUIBUS CONSTET THESAURUS UNDE FIUNT INDULGENTIAE

\* Cf. quaesitum I, introd.

CIRCA secundum quaesitum \*, ex quibus constet thesaurus unde fiunt indulgentiae, ratio dubitandi est, quoniam interdum merita, interdum passiones, interdum satisfactiones dicuntur esse ea quae sunt in hoc thesauro reposita.

Veritas autem, ut patebit, formaliter explicatur per *satisfactiones superfluas*.

II. Ad cuius evidentiam, non aliunde quam ex fundamento prius posito procedendum est, ex hoc scilicet quod indulgentiae succedunt loco poenitentium satisfactionum \*. Hoc enim dictum oportet *cum grano salis* sumere. In poenitentiis siquidem satisfactione digne executi, puta ieiunio, considerandum est quadruplex officium: habet enim huiusmodi opus quatuor officia, scilicet bonificandi, medendi, merendi et satisfaciendi. Nam ex eo quod est opus bonum, bonificat operantem, et disponit illum ad alia bona opera; ex eo vero quod est tale opus, puta ieiunium, medicinam praebet contra carnis concupiscentiam, sicut eleemosyna contra avaritiam, etc.; ex eo autem quod a caritate procedit, meritorium est vitae aeternae; et ex eo demum quod poenale est, satisfactorium est pro poena temporali pro peccato debita; solvitur enim poena, absque omni contradictione, per opus poenale ut sic. Indulgentia autem non succedit loco satisfactionis poenitentialis nisi quoad ultimum officium, quod est satisfacere: nam ex vi indulgentiae non fit homo bonus, nec medicatur, nec meretur, sed solummodo solvit poenam quam per poenitentiam solvisset. Et propterea doctores consulunt assequentibus indulgentias adimplere nihilominus suas poenitentias: et meritum longe melius esse praedicant quam indulgentiam. Nec propter hoc tamen vilipendendae sunt indulgentiae: quoniam salutare sunt tollendo poenam quae impediret ingressum coelestis patriae.

Notanter autem dixi, *ex vi indulgentiae*. Quoniam, si indulgentiae mixtum cointelligatur opus sanctum quo acquiritur indulgentia, puta eleemosyna aut aliquid huiusmodi, sic mixta intellecta indulgentia melior esse potest quam satisfactio poenitentialis: nam nullum officiorum inventorum in satisfactione poenitentiali sibi deficit. Est enim digne data eleemosyna pro acquirenda indulgentia

reddens bonum, et disponens ad bona opera dantem illam; et praebet medicinam contra cupiditatem pecuniae; et est meritoria vitae aeternae; et est satisfactoria ex propria poenaltate. Et ultra haec, supervenit sibi solutio poenae, seu satisfactio, per indulgentiam.

III. Ex hoc igitur quod indulgentia pura succedit satisfactioni poenitentiis solummodo quoad vim satisfactivam, manifeste sequitur quod thesaurus indulgentiarum thesaurus est satisfactionum. Quae quia per opera poenalia et meritoria fiunt, ideo idem dicitur thesaurus passionum et meritum quatenus satisfactoria sunt.

Rationabile autem, ultra dicta in praecedenti articulo \*, monstratur esse debere esse thesaurum hunc thesaurum satisfactionum, seu meritum quatenus satisfactoria, ex eo quod unus pro alio et in temporalibus et in spiritualibus satisfacere potest; non medicatur autem, nec fit bonus, nec meretur unus pro alio. Sunt igitur ea quae sunt reposita in hoc thesauro satisfactiones.

IV. Quod autem non quaecumque satisfactiones, sed solae superfluae in eodem reconditae sint, ex eo patet quod satisfactiones illae quibus satisfacientes indiguerunt pro seipsis, iam cesserunt in solutionem poenarum debitarum pro propriis peccatis: et propterea non possunt pro aliis solvere. Et simile est iudicium de satisfactionibus quae pro quibusdam determinate oblatae sunt: sunt enim et ipsae sortitae suum effectum. Quia igitur oportet satisfactiones in thesauro repositas pro alienis poenis solvendis offerri posse, oportet huiusmodi satisfactiones esse superfluas, ita quod nec pro his qui illas egerunt, nec pro aliis, hactenus satisfecerint: hoc enim est merita seu opera esse superflua quoad officium satisfaciendi.

V. Obiectiones autem quae ingerere videntur plus requiri ad recondita in hoc thesauro, puta quod non solum sint satisfactiones superfluae sed etiam non plene remuneratae, in sequenti articulo monstrabuntur vanae. Et ideo concludendum est thesaurum indulgentiarum esse thesaurum superfluarum satisfactionum, seu meritum quatenus superfluunt quoad officium satisfaciendi pro poena actualibus peccatis debita.

\* Quaesit. praec., num. vi.

\* Quaesit. praec., num. vi.

QUAESITUM TERTIUM

QUORUM SINT SATISFACTIONES EX QUIBUS CONSTAT THESAURUS UNDE FIUNT INDULGENTIAE

\* Cf. quaesitum I, introd.

CIRCA tertium de thesauro quaesitum \*, scilicet, quorum sint huiusmodi superfluae satisfactiones, dubitandi ratio est, quia dicitur quod sunt Christi et sanctorum: multis tamen doctoribus adversantibus, dum quidam nec in Christo nec in sanctis superfluas concedunt satisfactiones; quidam autem, etsi in Christo concedunt, de sanctis tamen dubitant.

\* Qu. II.

Franciscus igitur Maironis, in Quarto, dist. XIX \*, negans omni ex parte hunc thesaurum, dicit nulla esse Christi superflua merita: quoniam omnia sunt plene sibi remunerata, iuxta illud \*: *Exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem: propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit ei nomen, etc.*

\* Ad Philipp. cap. II, vers. 7 sqq.

\* Qu. 3.

Durandus vero, in Quarto, dist. XX \*, Christi quidem superflua merita in thesauro hoc affirmat: de sanctorum vero superfluis meritis dubitat, duplici ratione. Prima, communi sibi et Francisco: quia merita sanctorum sunt plenissime remunerata; immo ultra condignum, quoniam *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam* \*. — Secundo, quia ad hoc quod satisfactio unius valeat pro alio, exigitur intentio dirigens et applicans satisfactionem illam ad alium. De nullo autem sanctorum authentice constat quod habuerit intentionem satisfaciendi pro nobis. Non igitur sanctorum sunt merita satisfactoria, ex quorum thesauro fiunt indulgentiae.

\* Ad Rom. cap. VIII, vers. 18.

II. Sed horum opinio, tam in rationibus quam in conclusione, falsa et irrationabilis invenitur. Et a Christo inchoando, falsissimum est Christi merita esse remunerata: cum Christus meruerit nobis, et continue remuneretur in membris suis; ut patet in baptizatis, qui non proprio, sed Christi merito ad caelestem perveniunt patriam.

\* Ad Coloss. cap. I, vers. 24.

A ratione quoque hoc alienum est. Quoniam Christus est caput mystici corporis, *quod est Ecclesia* \*. Ac per hoc, gratia eius est gratia capitalis. Et proinde meritum eius ita se habet ad membra eius sicut meritum privati hominis se habet ad corpus suum. Et propterea, sicut quilibet homo meretur non solum animae, sed etiam corpori suo; ita Christus non solum sibi, sed aliis meruit. Immo maius quid meruit nobis quam sibi: quia nobis meruit beatitudinem, quam sibi ipsi non meruit, sed sine merito a principio conceptionis suae habuit.

\* Part. III, qu. XLIX.

Auctoritas autem Apostoli non dicit merita Christi fuisse plene remunerata in seipso, sed duo illius praemia narrat, scilicet exaltationem ipsius et excellentiam sui nominis: meruit enim praeter haec multa alia Christus, ut patet ex supra \* dictis a divo Thoma.

\* Num. seq.

III. De sanctorum autem remuneratione duo dicenda sunt: primum, non curando de proprietate vocabuli, sed communicando in vocabulis cum argumentibus; deinde proprie loquendo de remuneratione \*. Loquendo siquidem de remuneratione communiter, sive sit proprie remuneratio sive non, distinguendum est quod merita sanctorum quoad aliquid sunt totaliter remunerabilia in ipsis sanctis: quoad aliquid vero non sunt totaliter remunerabilia in ipsis sanctis, et quoad hoc superfluunt ipsis sanctis, et ponuntur in thesauro, remanentia in divina acceptatione, remuneranda in aliis. Merita siquidem sanctorum, licet secundum reliqua officia sua \* possint remunerari in ipsis sanctis, secundum tamen hoc officium quod est satisfacere pro poena temporali peccatis actualibus debita, remunerari non possunt in ipso sancto si non est debitor alicuius temporalis poenae pro suo peccato actuali: ex hoc enim ipso quod sanctus ponitur non debitor talis poenae, necessario sequitur quod non sit capax talis remunerationis, scilicet quod satisfactio sua valeat sibi ad solutionem poenae pro se. Si supponamus ergo, quod postea \* probabitur, sanctos plus satisfecisse quam pro propriis peccatis erant debitores, oportet consequenter dicere quod satisfactiones suae, in quantum excedunt sua debita, non sunt remuneratae in

\* Num. v.

\* Cf. quaesitum II, num. II.

ipsis sanctis, quia ipsi non indigebant solutione poenarum, quae est, seu dicitur, remuneratio satisfactionis, abusive, ut dictum est, de remuneratione loquendo.

IV. At si proprie loquendum est de remuneratione, dicendum est quod merita sanctorum omnia sunt plenissime remunerata sibi, ita quod etiam ipsae eis superfluae satisfactiones sunt plenissime remuneratae, vel remunerandae, in ipsis sanctis: quoniam quidquid inde meruerunt, totum eorum erit, sive sit praemium essenziale sive accidentale. Sed plenissima remuneratio non minuit vim satisfactivam pro aliis: quoniam solvere pro se vel alio non est meritum aut merces aut remuneratio quaecumque. Actus enim satisfaciendi qui a sanctis processit, pro quanto fuit mereri, remuneratus est vita aeterna, etc. Et rursus pro quanto fuit tale opus poenale sibi, remuneratus est gaudium accidentale: gaudebit enim de hoc quod plus passus est quam peccata sua demeruerint; unde et aureola datur quibusdam generibus operum ex ipsa executione. Sed propter huiusmodi, et quascumque alias remunerationes, non perdit actus ille officium suum quod est solvere pro poena temporali actualis peccati proprii vel alieni: immo, cum continget superfluum satisfactionem Laurentii solvere pro poena debita Ioanni poenitenti, gaudium quoddam accidentale Laurentius in coelo habebit de hoc quod satisfactio sua solvit pro Ioanne.

Intervenit igitur in huiusmodi ratione super plena remuneratione meritorum fundata, error in hoc quod satisfacere, seu solvere poenam temporalem pro actuali peccato debitam, inter remunerationes seu remunerabilia computatur: cum longe sit a genere tam meriti quam mercedis. Ut etiam attestantur doctores tenentes huiusmodi residuas poenas, si contingat inveniri in damnatis, posse solvi in inferno: ubi constat non inveniri meritum aut mercedem. Attestatur etiam et communis doctrina tenens in purgatorio solvi huiusmodi poenas: et tamen in huiusmodi solutione non mereri neque remunerari.

Quia ergo plenissima remuneratio, quantumcumque ultra condignum, non tollit a meritis sanctorum superfluens officium satisfaciendi pro poena temporali actualium peccatorum, si constat sanctorum merita plus esse satisfactoria quam ipsi essent debitores, nihil obstat ratio de plena remuneratione.

V. Quod autem sancti plus satisfecerint quam demeruerint, testatur Iob, VI cap. \*, dicens: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris haec gravior appareret.* Ubi clare liquet Iob plus passum fuisse quam pro peccatis suis debuerit pati. In superabundantia autem passionum consistit superabundantia satisfactionum: ut patet ex ante \* dictis. Simile autem esse de multis aliis iudicium, nemo dubitat. \* Vers. 2, 3. \* Num. IV.

De intentione vero sanctorum, quod scilicet fuerit pati pro nobis, testatur Apostolus, *ad Coloss. I \**, dicens: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Ubi manifeste patet divinam providentiam disposuisse passiones aliquas in carne sanctorum spectare ad complementum passionum Christi *pro corpore eius, quod est Ecclesia*; et hanc divinam ordinationem sanctos adimplere suis passionibus superabundantibus. \* Vers. cit.

VI. Ex quibus omnibus patet argumenta supra dictorum doctorum falsa esse \*. \* Cf. num. I.

De conclusione autem non est amplius dubitandum: quoniam iam per Romanam Ecclesiam determinatum est indulgentias fieri ex thesauro superabundantium meritorum seu passionum Christi et sanctorum \*.

Quae etiam conclusio, quoad superabundantiam passionum Christi pro nobis, fundamentum habet in Scriptura

\* Leo X, in Bulla *Exsurge Domine*, et in decretali ad Card. Caiet.; cf. quaesit. praeced., num. V.

\* Vers. 2.

I Ioan. II \*: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed totius mundi.* Ex qua auctoritate patet passionem Christi sufficienter satisfacere pro toto mundo: ac per hoc, cum executive pro paucis tantum satisfaciatur, infinitum thesaurum satisfactionum Christi superesse in sacramentis, quibus eadem Christi passio satisfaciatur. De sanctorum autem superabundantibus meritis quoad officium satisfaciendi pro nobis, fundamentum est in Scriptura in locis allegatis \* ex Iob et Apostolo. Unde apparet quam rationabiliter Ecclesia Romana determinaverit.

\* Num. praeced.

VII. Et si quaeratur: Ad quid utilis erit tanta superabundantia satisfactionum Christi et sanctorum quanta secundum praedicta supererit post universale iudicium, quando nulli amplius proderit, dum pro nullo amplius solvere poterit poenam pro peccato debitam? — dicendum est quod hoc ipsum quod est merita Christi et sanctorum, ut satisfactoria, tam excellenter superare omnes quae solvendae fuerant poenas, non est vanum, sed ad gloriam Christi et sanctorum, et ad commendandam libertatem salvationis

electorum. Haec enim superabundantia meritorum attestatur quod non ex insufficientia satisfactionum Christi et sanctorum damnati sunt reprobi, quasi solis electis illa suffecissent: sed ex propria iniquitate damnati sunt reprobi, pro quibus sufficiens remanet satisfactio, si divina misericordia ad illos eam applicare vellet.

VIII. Si autem quaeritur: Ad quid superabundans satisfactio sanctorum ponitur, cum Christi satisfactio sufficientissima sit pro toto mundo? — respondendum est hoc propterea esse ut Christi membra simillima essent capiti. Videmus enim divinam providentiam disposuisse quod Christi membra, praesertim praecipua, sibi assimilarentur quantum fas est. Unde, sicut sunt sancti quidam aliorum curatores, quidam aliorum doctores, quidam qui pro aliis merentur (de congruo tamen), quidam qui pro aliis impetrant; ita quidam sunt alienarum poenarum satisfactores, ita ut assimilentur Christo etiam in hoc quod pro aliis passus est, dum et ipsi, qui patiuntur plus quam demerentur, pro aliis satisfaciunt.

## QUAESITUM QUARTUM

### AN THESAURUS HIC SUBDITUS SIT DISPENSATIONI PAPAE ALITER QUAM PER SACRAMENTORUM COLLATIONEM

\* Cf. quaesitum I, introd.

CIRCA quartum de thesauro quaesitum \*, an scilicet thesaurus hic subditus sit dispensationi Papae aliter quam per sacramentorum collationem, ambiguitas magna est. Quoniam conferre effectum sacramenti sine sacramento spectat ad claves *excellantiae*, quas constat non esse communicatas Papae, sed reservatas soli Christo \*. Remissio autem poenae temporalis pro actuali peccato debitae est effectus sacramenti: quoniam hoc fit per baptismum, et per tertiam partem sacramenti poenitentiae, quae est satisfactio.

\* Part. III, qu. LXIV, art. 3, 4. Cf. num. VII.

II. In hac quaestione sciendum est totam difficultatem consistere, non in hoc, an thesaurus iste sit dispensabilis per Papam, sed in hoc: An aliter quam per sacramentorum collationem possit Papa thesaurum istum communicare.

\* Cf. num. V.

Quoniam nulla auctoritate Scripturae, nullave ratione haberi videtur quod dispensatio talis sit credita Petro \*. Auctoritates siquidem illae, *Quodcumque solveris super terram \**, et, *Quorum remisit peccata \*\**, intelliguntur procul dubio secundum subjectam materiam: ut scilicet ea quae spectant ad remissionem peccatorum, commissae sint solvenda et remittenda mediantibus sacramentis.

\* Matth. cap. XVI, vers. 19. \*\* Ioan. cap. XX, vers. 23.

Ratio quoque communiter allata, scilicet quod communia bona Ecclesiae sunt dispensabilia per praesidentem Ecclesiae, eandem patitur difficultatem \*. Declaratur enim quod communia Ecclesiae bona spectantia ad remissionem peccatorum, sunt quidem dispensabilia per praesidentem Ecclesiae, sed non quomodolibet, sed certo modo, hoc est per collationem sacramentorum.

\* Cf. num. VI.

Ratio demum ducens ad inconveniens, puta quod superfluae satisfactiones sanctorum frustra repositae essent in thesauro, quia illae non communicantur per sacramenta, sicut satisfactiones Christi, nec possunt dispensari sine sacramentis, ergo vane sunt in thesauro Ecclesiae: — haec, inquam, ratio facile solvitur, dicendo quod sunt in thesauro Ecclesiae ut a Christo dispensentur membris Ecclesiae militantis; et quod hoc fit quotidie, dum meritis sanctorum petimus remissionem peccatorum, et exaudimur.

Ita quod, secundum has difficultates, huius thesauri dispensatio aliter quam per sacramentum, reservata videtur Summo Sacerdoti Christo, qui solus novit merita causarum circa remissionem peccatorum.

III. Licet autem difficilis sit notitia quaestionis huius, quia tamen universalis Ecclesia facto declaravit Ecclesiae praelatos posse huiusmodi thesaurum sine sacramentis dispensare, dum Episcopi omnes indulgentias dant, non crudeliter loco solius vinculi iniunctionis transmittendo ad poenas purgatorii, sed gratiose loco ipsarum satisfactio-

num iniunctarum: ex hoc enim, ut in superioribus \* manifestatum est, oportet dicti thesauri dispensationem intervenire, cum non possint aliter fructuose huiusmodi indulgentiae succedere poenitentis iniunctis: — ideo, absque haesitatione aliqua, etiam si nulla adesset ratio, fatendum est dicti thesauri dispensationem non solum per sacramenta quoad merita Christi, sed aliter quam per sacramenta quoad merita Christi et sanctorum, commissam esse praelatis Ecclesiae, et praecipue Papae. Et hoc tanto magis fatendum est, quanto per Leonem X determinatum est \*.

\* Quaesitum I, num. V, VI.

IV. Suffragatur autem huic veritati ratio tanto acceptabilior quanto magis solvit omnes difficultates accidentes in hac re. Est autem ratio haec. Communia praesentis Ecclesiae bona communicabilia aliter quam per sacramenta, sunt a praesidente Ecclesiae dispensabilia aliter quam per sacramenta. Sed merita Christi et sanctorum, ut superabundanter satisfactoria, sunt communia bona praesentis Ecclesiae communicabilia aliter quam per sacramenta. Ergo sunt a praesidente Ecclesiae dispensabilia aliter quam per sacramenta.

\* Locis cit. in quacs. praeced., num. VI.

Maior propositio nullam videtur habere instantiam. — Minor autem ex supra \* dictis clara est, excepta ultima particula, scilicet quod haec bona sint communicabilia aliter quam per sacramenta. Quae particula manifestatur ex eo quod haec eadem bona potuissent, si voluissent, sancti communicare, non per viam sacramenti, aliis membris Ecclesiae in particulari: ex hoc enim quod ipsi potuissent hoc efficere aliter quam per sacramenta, sequitur quod satisfactiones istae suapte natura sunt communicabiles aliis aliter quam per sacramenta.

\* Quaesit. praeced.

V. Hinc quoque monstratur validam esse ad propositum auctoritatem illam, *Quodcumque solveris \**. Nam verus illius intellectus est, *Quodcumque solveris eo modo quo illud est solubile.* Et sic in omni materia currit, et ad propositum efficax invenitur. Est enim sic practicanda: *Quodcumque per sacramentum solubile solveris per sacramentum;* et similiter, *Quodcumque aliter quam per sacramentum solubile solveris etiam aliter quam per sacramentum,* etc. Et sic, subsumendo quod poena temporalis pro actuali peccato debita est solubilis et per sacramentum et per alienam satisfactionem sine sacramento applicatam, infertur quod huiusmodi poena potest a Petro solvi non solum per sacramentum, sed etiam per alienam satisfactionem sine sacramento applicatam.

\* Cf. num. II.

VI. Per hoc etiam salvatur ratio communis de potestate praesidentis Ecclesiae \*. Quoniam vera est respective intellecta: hoc est, quod bona communicabilia per sacramenta

\* Num. II, Ratio quoque.


solum potest per sacramenta communicare; bona autem communicabilia etiam aliter quam per sacramenta, potest sine sacramento communicare.

Illud vero quod glossando seu respondendo dicitur, ea quae spectant ad remissionem peccatorum commissa esse praelatis Ecclesiae mediantibus solummodo sacramentis: verum est de spectantibus ad remissionem peccatorum simpliciter; non autem de his quae spectant ad remissionem peccatorum secundum quid. De quorum numero est remissio poenae temporalis pro actuali peccato debita: praesupponit enim peccatum simpliciter remissum, et secundum minimum quid tantum, puta temporalem poenam, remittendum.

\* Num. I.

VII. Et per hoc patet solutio principalis argumenti \*.

Nam sine sacramento conferre sacramenti effectum simpliciter, seu totalem, spectat ad claves excellentiae: conferre autem sine sacramento id quod partialiter potest esse effectus sacramenti, potest pertinere ad claves ministerii. Sic autem est in proposito. Quoniam remissio poenae temporalis pro actuali peccato debita nullius sacramenti est simpliciter, seu totalis effectus: licet sit partialis baptismi effectus, et possit esse partialis aliorum sacramentorum effectus; et possit etiam sine sacramento effici, et sine actu clavium. Quia constat quod potest vel per proprios actus poenitentis, vel per amicorum satisfacentium pro eo actus fieri: ut patet cum aliquis mortificat seipsum ieiunando, peregrinando, etc., pro peccatis suis, vel amicus similia facit ut pro amico satisfaciat.



## QUAESTIONES DE CAUSA INDULGENTIARUM

### QUAESITUM PRIMUM

#### UTRUM NECESSARIO REQUIRATUR CAUSA RATIONABILIS INDULGENTIARUM

CIRCA causam indulgentiarum dubium duplex occurrit: primum, an necessario requiratur causa rationabilis; secundo, an causa expressa in bulla, ex hoc ipso quod est expressa, sit rationabilis\*.

\* Quaesitum II.

\* Cf. num. VII.

Circa primum, videtur pars negativa vera\*. Quoniam indulgentiae indiscretae, licet peccet concedens, sunt efficaces. Dicuntur autem indulgentiae indiscretae quae ex causa non rationabili procedunt.

Praeterea, dispensatio ministeriorum Dei in Ecclesia praesenti est valida etiam sine causa rationabili facta. Ergo dispensatio indulgentiarum, etiam sine causa rationabili facta, debet esse valida. — Antecedens patet in promotione indignorum. Si enim indigni aliqui promoveantur ad episcopatum, prioratum, abbatiam, etc., quamvis promotor pessime dispenset huiusmodi ministeria, facta tamen tenent. — Consequentia vero probatur. Quia, sicut credita est Papae dispensatio indulgentiarum, ita et dispensatio ministeriorum Dei: iuxta illud\*, *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum Dei.*

\* I ad Cor., cap. IV, vers. 1.

In oppositum autem est quod *indiscretae indulgentiae enervant satisfactionem poenitentialem*, ut dicitur Extra, de Poenit. et Remiss., cap. Cum ex eo. Non enervarent autem si essent validae, sed supplerent, adimplentes in veritate quod per satisfactionem poenitentialem agendum erat.

II. In hac quaestione aliquid supponitur, et aliquid quaeritur. Supponitur enim, cum doctrina communi, quod unum requisitorum necessario ad efficaciam indulgentiae est causa rationabilis. — Quod etiam manifestatur ex eo quod, si daretur indulgentia ob causam profanam, puta pro eundo ad theatrum, constat quod indulgentia esset nulla.

Hoc autem supposito, in quaestionem vertitur an, quemadmodum ad collationem indulgentiae requiritur rationabilis causa ita necessario quod sine illa indulgentia non est valida, ita ad efficaciam tantae indulgentiae, puta centum vel mille annorum, etc., exigatur simili necessitate rationabilis causa tantae quantitatis indulgentiae, ita quod sine huiusmodi rationabili causa tanta quantitas indulgentiae est invalida.

III. Ex communibus autem applicatis ad hoc, non est difficile concludere partem affirmativam veram, scilicet: Ad efficaciam tantae indulgentiae exigitur rationabilis causa quantitatis indulgentiae, ita quod sine illa non est valida. Nam si, ut supponitur et communiter confitemur, rationabilis causa est sic necessaria ad indulgentiam, necessario sequitur quod ad tantam indulgentiam est etiam sic necessaria rationabilis causa illius quantitatis. Et probatur sequela inductive.

IV. Verum, ad minus communia descendendo, considerandum est quod, licet potestas Papae super communia Ecclesiae bona tam spiritualia quam corporalia sit dispensativa, iuxta illud Apostoli\*, *Dispensatio mihi credita est*; res tamen subiectae huiusmodi potestati diversimode illi subduntur, et diversimode ab illa attinguntur. Et, quantum ad propositum spectat, distinguenda sunt in duo genera: scilicet, validorum ex solo imperio; vel non validorum ex solo imperio.

\* I ad Cor., cap. IX, vers. 17.

Sunt enim quaedam in Dei Ecclesia quae, quamvis ad hoc quod recte fiant, ultra Pontificis imperium, exigant rectam regulam voluntatis imperantis, si tamen absque recta regula solo Pontificis imperio fiant, valida sunt: de quibus iura dicunt quod multa fieri prohibentur quae tamen facta tenent. De quorum numero sunt distribu-

tiones beneficiorum, dispensationes matrimoniorum in casibus dispensabilibus, et similia.

Secundum autem genus, scilicet invalidorum ex solo imperio, adhuc subdistinguitur. Nam quaedam invalida ex solo imperio attingi, cum hoc, possunt a Pontifice verbo et opere per viam facti: quaedam vero sunt invalida ex solo imperio quae, cum hoc, per viam facti attingi non possunt opere, sed verbo tantum. In primo membro huius subdivisionis continetur dilapidatio bonorum Ecclesiae. Si enim Pontifex pro suo libito Ecclesiae terras, etc., donaret, donatio esset invalida, quoniam ipse non est dominus bonorum Ecclesiae: et si facto et bullis poneret eos quibus donavit in possessionem, non propterea transferret dominium rerum illarum in illos.

In secundo autem membro continetur dispensatio votorum. Si enim votum castitatis solo imperio a Papa dispensetur, constat dispensationem esse nullam. Et circa voti vinculum propterea per viam facti nullum actum Pontifex haberet nisi verborum: executio enim cuiuscumque operis Pontificii ex solo imperio emanans non attingit aliquid circa voti vinculum.

Tribus igitur existentibus generibus rerum subiectarum dispensativae potestati Pontificis, facile patere potest quod primum genus dupliciter a potestate Pontificia attingitur, scilicet dispensatione regulata, et dispensatione non regulata. — Secundum autem a potestate quidem Pontificia unico modo attingitur, scilicet dispensatione, hoc est rationabili operatione: sed ab ipso Pontifice aliter de facto attingitur, puta dissipatione, dilapidatione, etc. — Tertium vero sola dispensatione, idest rationabili operatione (seclusis verbis, sicut et in secundo), attingi potest tam a potestate Pontificia quam ab ipso Pontifice.

V. In quo autem horum generum indulgentiae continentur, facile est discernere. Quod enim non sint sub primo genere, quae scilicet sunt valida ex solo imperio, ex eo patet quod Papa non potest dare indulgentias hac sola ratione quia vult: et si pro solo libito daret, indulgentia non esset valida, ut ex communi doctrina supponimus, et aequaliter probatum est\*. — Et iterum probatur ex hoc quod communia Ecclesiae bona temporalia non potest Pontifex donare, donatione valida, ex hoc solo quia vult. Non minus enim pretiosa ac cara Ecclesiae sunt bona communia spiritualia quam temporalia: et propterea, si illorum donatio ex solo imperio est invalida, multo magis invalida erit horum effusio ex solo imperio. — Nec solvitur haec ratio dicendo quod donatio temporalium est cum damno Ecclesiae, donatio vero horum spiritualium est sine damno Ecclesiae. Nam habere damnum annexum, vel carere annexo damno, per accidens se habet ad potestatem dispensativam: ut patet ex hoc quod etiam in quibusdam habentibus annexum damnum Ecclesiae donatio ex solo imperio est valida, ut attestatur distributio praelationum. Unde non penes damnum vel non damnum attenditur vis potestatis dispensativae.

\* Num. II.

Quia igitur communia Ecclesiae bona ex quibus efficaces sunt indulgentiae, non continentur sub primo genere; et a secundo genere ex hoc distant quod per viam facti nullum operis, sed solius verbi actum Papa habere potest circa illa, non enim potest transferre possessorium de facto horum bonorum, sicut potest respectu temporalium: restat ut sub tertio genere thesaurus contineatur indulgentiarum.

VI. Ex quibus potest formari talis ratio. Thesaurus indulgentiarum non potest veraciter attingi a potestate Pontificia nisi actu verae dispensationis. Ergo tam indulgentia quam tanta indulgentia, data sine causa rationabili tantae indulgentiae, est invalida.

Antecedens probatum est: et supponitur secundum communem doctrinam.

Consequentia vero, quoad secundam partem, probatur. Tum quia eiusdem rationis est actus dans indulgentiam, et dans indulgentiam tantam. Ac per hoc, si solus actus verae dispensationis potest attingere thesaurum indulgentiae, solus etiam verae dispensationis actus poterit attingere thesaurum tantae indulgentiae. — Tum quia, si quantitas indulgentiae attingitur aliter quam per veram dispensationem, oportet alium actum fingere, puta actum imperii seu liberae donationis, respectu talis quantitatis. Et tunc, aut iste actus attingit thesaurum via facti, aut via iuris. Non via facti: quia ad istum thesaurum nullus est humanus accessus per viam facti. Nec via iuris: quia de iure sola dispensatio credita est Papae.

Sicut sunt ergo invalidae indulgentiae quae ex causa rationabili non fiunt, ita non est valida tanta indulgentia, puta mille annorum, nisi fiat ex causa rationabili tantae quantitatis, scilicet mille annorum.

VII. Ad primum autem in oppositum \* dicitur quod sententia illa, scilicet, *Indulgentiae indiscretae sunt validae*, verificatur de indiscretis quoad eventum, non autem de indiscretis quoad causam. Sunt enim indulgentiae indiscretae ratione eventus, quando indulgentiae alias bene concessae pariunt, propter earum multitudinem, quasi contemptum aut ipsarum aut satisfactionum poenitentialium. Et tales sunt validae. — Sed si sunt indiscretae quia carent rationabili causa, aut omnino aut quoad tantam quantitatem, sunt invalidae.

Ad secundum iam patet responsio ex dictis \*. Nam ministeria sunt in alio genere dispensabilium: et indulgentiae sunt in alio dispensabilium genere. Illorum enim efficacia ex solo pendet imperio: horum autem efficacia absque vera dispensatione esse nequit. Et propterea non est similis ratio.

\* Num. I.

\* Num. IV, V.

### QUAESITUM SECUNDUM

#### AN EX HOC IPSO QUOD IN BULLA EXPRIMITUR ALIQUID PRO CAUSA INDULGENTIAE, SIT RATIONABILIS CAUSA TANTAE INDULGENTIAE

\* Cf. quaesitum I, num. I.  
\* Cf. num. IV.

CIRCA secundum de causa rationabili indulgentiarum quaesitum \*, an ex hoc ipso quod in bulla exprimitur aliquid pro causa indulgentiae, sit rationabilis causa tantae indulgentiae, pro parte affirmativa occurrit multiplex argumentum \*.

Primo, quia aliter praedicatio Ecclesiae esset falsa.

Secundo, quia doctrina Romanae Ecclesiae periclitaretur.

Tertio, quia non esset universaliter vera illa communis sententia: *Indulgentiae tantum valent quantum sonant*.

Quarto, quia aliter deciperetur populus ab Ecclesia, audiens tantam indulgentiam pro tali opere, et exequens illud ut habeat indulgentiam, et tamen non acquireret illam in veritate.

II. Quaestio haec non est mota propter difficultatem quam in seipsa habeat, sed ad excitandos illos qui sciunt in universali et deficiunt in singulari \*. Unde, distinguendo de rationabili praesumpto vel vero, duo dicenda sunt \*.

\* Cf. I<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>, qu. LXXVII, art. 2.  
\* Cf. num. seq.

Primum. Causa indulgentiae expressa in bulla, nisi manifestus sit error, est semper rationabilis, loquendo de rationabili praesumpto. Nam, sicut sententia a iudice lata, nisi errorem contineat manifestum, praesumitur iusta; ita causa a principe expressa in dispensationibus praesumitur rationabilis, nisi, ut dictum est, error sit manifestus.

III. Secundum est. Causam indulgentiae tantae expressam in bulla non oportet esse rationabilem in veritate. Et ratio in promptu est multiplex. Tum quia Papa potest in istis errare: cum non sit haec sententia iudicialis de his quae sunt fidei. Ubi scito quod, licet accessus ad indulgentias, et earum susceptio, sit quaedam Christianae fidei professio, fides tamen Christiana eo modo quo est de indulgentiis, non est de hac vel illa indulgentia. Sed, sicut fides nostra circa Eucharistiae sacramentum est quod sub hostia rite consecrata continetur corpus Christi, non autem est quod ista hostia sit rite consecrata, neque est quod sub hac hostia quae proponitur adoranda, continetur corpus Christi, quoniam utrumque eorum potest esse falsum, fidei autem Christianae non potest subesse falsum: ita circa indulgentias, non curando pro nunc quomodo spectent ad fidem, fides nostra est quod indulgentiae rite datae sunt validae; et non spectat ad fidem an ista indulgentia sit rite data, an ista causa eius sit rationabilis, an ista indulgentia sit valida. Et simile est de aliis singularibus: quoniam haec omnia possunt esse falsa; et propterea non spectant ad fidem nostram, sed ad humanam opinionem seu credulitatem, quae est de his singularibus,

et potest falli. Et propterea accessus ad indulgentias in communi quidem est quaedam fidei professio: sed accessus ad istam indulgentiam procedit ex fide tanquam ex causa remota, et humana credulitate huius indulgentiae, huius causae, et huiusmodi, tanquam ex causa proxima. Et quia effectus sequitur conditionem causae proximae, sicut conclusio minorem seu deteriorem praemissam, ideo potest concursus iste falli absque Christianae fidei detrimento.

Tum quia non solum potest Papa errare in huiusmodi, sed etiam facile potest errare, sicut et in aliis similibus actibus. Dare siquidem indulgentias consistit in actibus absolutionis et dispensationis: absolvuntur enim per eas poenitentes ab iniunctis poenitentiis, et dispensatur thesaurus meritorum Christi et sanctorum. Sed tam in actu absolutionis quam in actu dispensationis facile committi potest error, etiam ex proposito: ut patet in dispensatione votorum, et in dispensatione bonorum temporalium Ecclesiae et ministeriorum ecclesiasticorum, et in absolutionibus a censuris et iuramentis in praeiudicium aliorum, etc. Ergo in hoc quoque singulari facto quo dat indulgentiam, seu exprimit talem causam pro tanta indulgentia, errare facile potest.

Nec est recurrendum ad Spiritus Sancti assistentiam, et propterea pie debere credi quod non potest Papa in istis errare. Nam in maiori causa permisit Spiritus Sanctus Romanos Pontifices errare, scilicet in causa spectante ad sacramentum matrimonii, in qua, ut habetur Extra, *de Sponsa duorum*, in cap. *Licet*, Alexander III dicit: *Quamvis aliter a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum*. Quod longe plus est quam dare indulgentiam indiscretam ex causa: tum quia erat causa sacramentalis; tum quia iudicialiter actum est. Indulgentiae autem possunt dari passim sine consilio et sine meditatione, ac per hoc, sine discretionem.

Quamvis igitur non spectet ad subditos discutere et iudicare de Pontificiis indulgentiis aut causarum meritis, dubium tamen non est posse etiam per Papam dari indulgentias indiscretas et quoad causam et quoad eventum.

IV. Ad primum ergo in oppositum \* dicitur quod praedicatio Ecclesiae quoad indulgentias tripliciter se habet. Primo, narrative: prout scilicet narrat contenta in bulla. Et hic nulla est falsitas: quoniam narratio est vera. — Secundo, doctrinaliter. Et hic subdistinguitur. Vel docendo doctrinam fidei. Et sic etiam nullum est periculum falsitatis: quoniam, sicut fides non se extendit ad istam indulgentiam aut istam causam istius indulgentiae, ita nec doctrina

\* Num. I.



Ecclesiae extendit se ad haec singularia. – Vel docendo opiniones doctorum. Et sic potest praedicare falsa, si opinio praedicata est falsa. Et propterea, ad praeservandum praedicationem ab huiusmodi falsitate, debent praedicatores aut opinative, aut recitative opiniones praedicare.

*Ad secundum* dicitur quod aliud est loqui de doctrina Romanae Ecclesiae, seu Romani Pontificis, et aliud est loqui de operibus eiusdem. Docuerunt siquidem Romani Pontifices multi indulgentias ex causis rationabilibus dari: in qua doctrina continetur quod etiam tanta indulgentia debet procedere ex causa rationabili tantae quantitatis, ut superius \* deductum est. Factum autem quod in bullis indulgentiarum continetur si quandoque periclitaretur, non propterea Romanae Ecclesiae doctrina periclitaretur.

*Ad tertium* dicitur dupliciter. Primo, quod illa senten-

tia communis intelligitur negative, hoc est: *Non plus valent quam sonant*. Divulgata enim videtur sententia illa ad excludendas extensiones indulgentiarum ad ea quae sub earum tenore non continentur. – Secundo dicitur quod vera est de indulgentiis discretis: non autem de indiscretis quoad causam. – Potest et tertio dici quod vera est in foro exteriori, in quo statur praesumptionibus iuris.

*Ad quartum* dicitur quod populus potest quidem decipi in huiusmodi, sed non decipitur ab Ecclesia: sicut etiam potest decipi adorando hostiam propositam a sacerdote in missa. Si contingeret autem in huiusmodi populum falli, falleretur aut a propria credulitate, aut ab humanis opinionibus, aut ab indiscreto facto dantis indulgentiam, vel ab omnibus simul: et non ab Ecclesia, ad cuius doctrinam non spectant haec singularia, sicut nec ad eius fidem.

\* Quaesit. praec.,  
num. II sqq.



## QUAESTIONES DE SUSCIPIENTIBUS INDULGENTIAS

### QUAESITUM PRIMUM

AN, PRAETER GRATIAM, REQUIRATUR EX PARTE SUSCIPIENTIS INDULGENTIAS  
ALIQUA ALIA DISPOSITIO

CIRCA suscipientes indulgentias dubium duplex occurrit: primum, an, praeter gratiam, requiratur ex parte suscipientis aliqua alia dispositio; secundum est, an, tempore quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia\*.

\* Quaesitum II.

Et in primo quidem dubio, pro parte negativa est auctoritas doctrinae communis tenentis ad indulgentiam sufficere tria: auctoritatem in dante, gratiam in suscipiente, pietatem in causa\*.

\* Cf. num. VIII.

In oppositum est quod ad plenariam remissionem poenae per viam sacramenti poenitentiae non sufficit gratia ex parte suscipientis. Ergo nec ad plenariam huiusmodi remissionem per viam indulgentiae sufficit gratia ex parte suscipientis. — Antecedens est clarum: alioquin quilibet confessus in gratia consequeretur plenariam remissionem poenae. — Consequentia vero probatur. Tum quia sacramentum est potius quam indulgentia. Et distributor thesauri per sacramentum est longe liberalior quam quilibet Pontifex: quoniam liberalitas divina in infinitum excedit liberalitatem humanam.

II. In hac quaestione, quia difficile admittitur oppositum eorum quae consuevimus, censorem desidero intellectum mundum ab opinionibus. Videtur siquidem mihi rationabiliter dici quod non sufficit sola gratia ex parte suscipientis ad veraciter consequendam indulgentiam coram Deo. Sunt siquidem confessi in gratia duplicis ordinis: quidam solliciti ad satisfaciendum per seipsos pro peccatis suis; quidam negligentis satisfacere per seipsos. Primi condignas poenitentias vel petunt a confessoribus sibi imponi, parati eas implere: vel sponte illas assumunt, dum continue student per sua sancta opera satisfacere, ieiunando, orando, eleemosynas dando, etc., ad hoc. Secundi vero parvissimam poenitentiam aut rogant, aut laeti suscipiunt: et, cum illam impleverint, quam sciunt esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo, reputantes sibi sufficere quod non ibunt ad infernum. Et hi sunt quibus indulgentiae non prosunt, iudicio meo.

Et ratio quae me movet est: Nullus indignus aliena satisfactione pro poena sibi debita, consequitur veraciter fructum indulgentiae. Sed quilibet in gratia constitutus negligens satisfacere per seipsum, est indignus aliena satisfactione pro poena propriis peccatis debita. Ergo nullus constitutus in gratia negligens satisfacere per seipsum, acquirit fructum indulgentiae.

III. Maior propositio intelligentibus terminos est evidens. Indulgentia enim per satisfactionem alienam, hoc est Christi et sanctorum, parit fructum qui est remissio poenae temporalis pro actuali peccato debita: ac per hoc, si est aliquis indignus aliena satisfactione, indignus est indulgentia. Indignos autem indulgentia non consequi veraciter fructum illius, tam verum ac manifestum est ut probatione non egeat, apud intelligentes distributionem divinatorum donorum in solis dispositis habere locum (constat autem indignos non esse dispositos), et divina operatione remissiones fieri poenarum per indulgentias humano ministerio rite concessas.

IV. Ad evidentiam autem minoris, praelibanda sunt duo. Primum est quod satisfactio pro poena temporali actuali peccato debita, est onus personale: tenetur enim ipse qui peccavit facere satis. — Secundum est quod, licet tam contritio quam confessio sit ita personalis quod non possit per amicum suppleri, satisfactio tamen, quia per exteriora

bona fit, inter quae computantur amici, ita est onus personale quod capax est amicabile adiutorii.

Quibus praemissis, probatur minor. Primo, sic. Indignus amicali adiutorio est indignus aliena satisfactione. Sed constitutus in gratia negligens satisfacere per seipsum, indignus est amicali adiutorio. Quoniam amicitiae ratio poscit quod *amicorum sit idem velle et idem nolle*\*: et propterea, si ego pro meipso nolo satisfacere, par est ut amicus quoque hoc nolit. Quin potius non amice petrem ut, me negligente satisfacere, ipse pro me pateretur. Possentque recte huiusmodi negligentes, quaerentesque per indulgentias satisfacere, verbo Domini reprehendi: *Alligant onera gravia et importabilia in humeros hominum*, idest amicorum, *digito autem suo nolunt movere ea*\*. — Nec obstat quod sancti iam passi sunt. Quoniam similis est ratio de passionibus praeteritis et futuris: quia illis solis prosunt praeteritae pro quibus patiendum fuerat; et ideo, si pro huiusmodi negligentibus non fuerat ab amicis patiendum, nec postea quam passi sunt, illis amicorum prosunt passiones.

\* Sallust. *Catalinar.* cap. xx.

\* Matth. cap. xxiii, vers. 4.

Secundo probatur eadem minor similiter ex habitudine ad communem Ecclesiae thesaurum. Quia in qualibet bene ordinata republica, quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos aere alieno, negligentes tamen solvere indigni censerentur adiutorio thesauri: ex eo enim quod possunt de suo solvere et non curant, indignos se reddunt tali sublevamine. Et nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia, quoniam alii horum exemplo ad similem negligentiam provocarentur: legis autem est facere non negligentis, sed virtuosos\*. Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, aequum non est ut spiritualis dispensatio thesauri negligentis satisfacere pro dignis habeat: hoc enim vere esset *enerviare satisfactiones poenitentiales*\*.

\* Arist. II *Ethic.*, cap. i, n. 5. — S. Th. lect. 1.

\* Cf. supra *Og. de Causa Indulgent.*, quaesit. 1, num. 1, fin.

V. Non prosunt igitur indulgentiae constitutis in gratia negligentibus satisfacere per seipsos, quoniam indigni sunt indulgentia: sed oportet, ultra gratiam, dispositos ipsos esse ut digni sint alienis satisfactionibus. Fiunt autem digni per hoc quod sunt parati per seipsos satisfacere: sic enim sunt digni amicali adiutorio ad satisfaciendum. Parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere, sed illi soli quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata quod non retardat opus nisi impedita.

VI. Confirmatur autem hoc ex antiqua forma indulgentiae, cum dicitur, *vere poenitentibus*. Poenitens enim dupliciter dicitur. Vel per exclusionem contrarii, quia scilicet nihil habet in suo animo contrarium poenitentiae: et hoc modo quilibet existens in gratia est poenitens, etiam si sit negligens ad satisfaciendum. Vel per positionem virtualis poenitentiae: quia scilicet vis affectus poenitentialis in eo secundum veritatem viget. Et hoc modo poenitens non est nisi sollicitus ad per seipsum satisfaciendum. Cum ergo dicitur, *vere poenitentibus*, nisi superflue seu ad maiorem expressionem appositum sit *ly vere*, denotat indulgentias non consequi poenitentes negligentis, sed poenitentes sollicitos, qui soli sunt vere poenitentes, significante participio actum poenitendi, qui non invenitur apud negligentis, sed apud sollicitos.

Manifestius quoque suadet hoc idem ex alio verbo eiusdem formae, cum dicitur, *de iniunctis poenitentiis*. Constat enim communiter quemlibet poenitentem paratum

esse ad iniunctam poenitentiam peragendam: alioquin non acceptasset illam. Et propterea ex hoc verbo duo habentur. Alterum est quod indulgentia, nisi nova forma detur, non absolvit nisi a poenitentibus iniunctis. Alterum est quod indulgentia non prodest nisi parato per se satisfacere. Primum enim horum explicite, secundum autem implicite, in quantum paratus ad satisfaciendum supponitur, ex eodem verbo habetur.

VII. Et hinc sequitur primo, quod frustra faceret quis sibi iniungi magnas poenitentias a confessore, non ut ipsas adimpleret, sed ut per indulgentias ipsas exsolveret: quoniam hoc non est esse paratum ad satisfaciendum, sed ad imponendum amicis iugum suum.

Sequitur secundo quod, si forma indulgentiae mutaretur et ad non iniunctas extenderetur poenitentias, dispositio tamen suscipientis non propterea mutaretur: quoniam ex natura rei exigitur ex parte suscipientis esse paratum ad satisfaciendum secundum vires per seipsum, ut declaratum est \*.

\* Num. iv sqq.

Nec intelligo hanc praeparationem ad satisfaciendum ita stricte quin per aliquid aequivalens aut maius suppleri possit: ut patet ex hoc quod contingit quandoque causam pro qua datur indulgentia tale ac tantum exigere opus ut excedat praeparationem ad satisfaciendum; puta si detur plenaria pro actu quo se exponit morti pro Christo, aut perpetuae mancipationi alicuius pii servitii, aut aliquo hu-

iusmodi. Et tunc causa indulgentiae ex parte concedentis tenet locum causae rationabilis tantae indulgentiae; et ex parte suscipientis supplet locum dispositionis reddentis dignum amabili satisfactione. Secus autem est si daretur plenaria pro visitante aliquam ecclesiam: nam, dato quod causa esset rationabilis ex parte concedentis, visitatio tamen ipsa non supplet vicem praeparationis ad satisfaciendum, cum nec illi aequivaleat nec excedat.

VIII. Ad obiectionem autem in oppositum \* dicitur, quantum ad divum Thomam spectat, quod aliorum opinioniones secutus est: ut ipsemet, tria illa colligendo, explicat in IV *Sent.*, dist. xx, qu. 1, art. 3, qu. 2.

\* Num. 1, Et in primo.

Quantum vero ad communem doctrinam, quia non nisi opinativa est, cum bona reverentia dictum sit, non inconvenit adinventis ab ipsis aliquid novi superaddi, quod sub forma indulgentiae latebat, et ratione probabili roboratur.

Et scito quod iuxta hunc dicendi modum solvuntur omnes quaestiones: tam de nimis largo Dei foro; quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte; quam de admiratione sapientum, et de oblocutionibus detrahentium; et excitantur Christi fideles ad poenitentiae opera. Nec aliquid adimitur efficaciae indulgentiarum: sicut nihil adimitur efficaciae sacramentorum ex hoc quod oportet accedentes ad illa esse digne dispositos, si fructuosa sibi esse volunt. Soli siquidem indigni indulgentia ab illius fructu, iuxta hunc dicendi modum, excluduntur.

## QUAESITUM SECUNDUM

### AN TEMPORE QUO FIT OPUS PRO INDULGENTIA, OPORTEAT OPERANTEM ESSE IN GRATIA

\* de suscipientibus indulgentias. Cf. quaesit. praeced., num. 1.

CIRCA secundum quaesitum de causa indulgentiarum \*, sciendum est quod dupliciter dantur indulgentiae. Vel ita quod tempus indulgentiae et tempus operis sit unum et idem: ut cum datur indulgentia visitanti ecclesiam. Et tunc non habet locum haec quaestio: quoniam constat tempus fructus indulgentiae coexistere gratiam in percipiente illum.

Vel ita quod aliud sit tempus operis, et aliud sit tempus percipiendi fructum indulgentiae: ut cum datur indulgentia semel in vita et semel in morte suscipientibus crucem. Et tunc habet locum proposita quaestio, an exigatur gratia tunc cum fit opus pro quo datur indulgentia.

\* Cf. num. iv.

\* Cf. quaesit. praeced.

II. Videtur enim pars negativa vera \*. Tum quia absque gratia tempore operis salvari possunt omnia requisita ad fructum indulgentiae \*: nam salvatur auctoritas in dante, pietas in causa, gratia, etiam sollicita, in suscipiente tempore quo suscipit illam. Ergo, etc.

Tum quia non minus valet huiusmodi opus pro se quam pro alio. Sed si pro alio, puta existente in purgatorio, opus hoc quis faceret sine gratia, indulgentia valeret pro illa anima: praesupposito, ut quandoque fit, quod possit quis accipere indulgentiam pro defuncto faciendo tale opus. Ergo ad faciendum opus pro indulgentia non requiritur gratia.

III. In hac quaestione videtur mihi non solum tutior, sed longe rationabilior pars affirmativa, scilicet quod exigitur gratia etiam tempore operis. Probaturque hoc dupliciter. Primo, ex antiqua indulgentiarum forma, cum ordinate utrumque exprimitur, ita quod primo loco exprimitur gratia, et secundo exprimitur opus, non qualitercumque, sed ut ipsa gratia afficiat operantem. Dicitur enim sic: *omnibus vere poenitentibus et confessis qui visitaverint talem ecclesiam; seu, qui manus porrexerint adiutricibus*, etc. Ubi manifeste patet ex forma Ecclesiae consueta haberi poenitentiam seu gratiam coexistere ad tale opus pro quo fit indulgentia.

Deinde probatur hoc ratione. Sicut thesaurus civilis non nisi pro civili causa dispensatur, ita thesaurus vitalis non nisi pro sola vitali causa dispensatur. Sed thesaurus indulgentiarum est thesaurus vitalis: utpote ex passionibus vivis Christi et sanctorum constans, et vitae aeternae impedimenta tollens. Ergo pro sola vitali causa communica-

tur. Sed opus extra gratiam non est vivum, sed mortuum. Ergo pro eo thesaurus indulgentiarum non communicatur.

Et confirmatur ex hoc quod reliqua requisita ad dispensationem thesauri indulgentiarum sunt viva: vivunt enim qui passi sunt sancti; vivae sunt et passionibus eorum; vivit et Summus Sacerdos, qui est ut principalis dispensator indulgentiae; vivit particeps indulgentiae. Ergo et vivam oportet esse causam indulgentiae: *quae est enim conventio lucis ad tenebras* \*, et vitae ad mortem?

\* II ad Cor., cap. vi, vers. 14.

Nec obstat quod Pontifex dans indulgentiam possit esse mortuus secundum vitam gratiae: quoniam ipse minister tantum est, et velut instrumentum Christi concurrens. Ad causam enim principalem respiciendum est: ut patet in simili, cum scilicet dominus in caritate existens per reprobum dispensatorem eleemosynas distribuit; est enim opus illud vivum, non obstante spirituali morte ministri.

Oportet ergo vivum esse opus pro quo datur indulgentia.

IV. Ad primam ergo obiectionem in oppositum \* dicitur falsum esse quod sine vivo opere omnia requisita ad indulgentiam salvantur: nam pietas in causa claudit in se vitam operis. Ex hoc enim quod exigitur pietas in causa, hoc est in opere pro quo datur indulgentia, consequens est quod exigitur etiam vita: nam pietas ipsa, nisi sit viva, pietas non est; cum nulla sit Christiana virtus sine caritate.

\* Num. ii.

Ad secundum dicitur quod opus mortuum, sicut non sufficit ad indulgentiam pro se pro tempore quo erit in gratia, ita non sufficit ad indulgentiam pro alio existente in gratia.

Et si instetur quod eleemosyna facta extra caritatem pro existente in purgatorio, valet pro illo: ergo multo magis valet mediante indulgentia: — respondetur quod eleemosyna talis non valet pro defuncto per modum satisfactionis, sed per modum supplicationis: scriptum est enim \*: *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orat pro vobis*. Peccatorum autem supplicationes quandoque exaudiri Augustinus testatur \*, reprehendens verbum caeci nati, *Nos scimus quia peccatores Deus non exaudit* \*. Ex hoc autem quod valet per modum supplicationis mortuae, non sequitur quod valet pro indulgentia acquirenda: quoniam indulgentia habet vim satisfactionis vivae; supplicatio autem mortua soli misericordiae innititur Dei, cui supplicatur.

\* Eccli. cap. xxix, vers. 15.

\* In Ioan. Evang. tract. XLIV.  
\* Ioan. cap. ix, vers. 31.

## DE MODO TRADENDI AUT RECIPIENDI ORDINES ARTICULUS UNICUS

CIRCA sacramenta tam extremae unctionis quam ordinis nihil mihi scribendum occurrit, nisi, circa sacramentum ordinis, cautos reddere ne pertinax quisquam aut levis sit circa modum tradendi aut recipiendi ordines. Nam, si collecta fuerint quae pontificales codices, quaeque ratio auctoritasque doctrinae tradidit, incerta valde apparebit, presbyteratu excepto, reliquorum natura ordinum.

II. Et de minoribus quidem ordinibus et subdiaconatu, Magister Sententiarum, in xxiv distinctione IV *Sent.* \*, dicit institutos esse ab Ecclesia.

De diaconatu vero ambiguum magis est. Quia non constat ex *Actibus Apostolorum* diaconos altaris, sed diaconos mensarum et viduarum institutos esse ab Apostolis, *Act.* vi \*. Quin potius oppositum ibi dicitur: quoniam diaconi altaris *ad orandum et praedicandum* ordinantur, ut in pontificalibus patet; ibi vero dicunt Apostoli \*, *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Quocirca, licet tunc non fuerint diaconi altaris instituti, videntur tamen ab Apostolis instituti, licet nesciatur quando et ubi. Iungit siquidem diaconos episcopis Paulus, *ad Philipp.* i \*, dicens, *Omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus:* et I *ad Tim.* iii \*, descripto episcopo, describit qualis debet esse diaconus. Et quia ambae Ecclesiae, scilicet Philippensis et Ephesina, cuius erat Timotheus episcopus, erant ecclesiae gentium, in quibus non legimus vixisse in communi Christianos, ut Hierosolymis \*, ac per hoc, non egebant diaconis mensarum et viduarum, ideo diaconi altaris videntur esse isti. Et confirmatur ex Dionysio, ponente \* diaconatus ordinem in primitiva ecclesia. Unde diaconatum ab Apostolis credimus coepisse.

\* *Act.* cap. iv, vers. 34, 35.

\* *Eccles. Hier.* cap. v, § 6, 7.

Et, quod magis urget, nulla videtur certa forma in diaconatu. Nam secundum antiqua pontificalia impositio manuum super diaconum non habet certam verborum formam, nisi orationem illam, *Emitte, quaesumus, in eos Sanctum Spiritum*, etc., quae secundum nova pontificalia post impositionem manuum dicenda est. Datio autem libri Evangeliorum certam habet formam verborum: sed tunc non imprimi characterem ex eo videtur quod, antequam Evangelium aliquod esset scriptum, diaconi ab Apostolis videntur ordinati, non dicendo, *Accipe potestatem legendi Evangelium*, sed, ut creditur, per impositionem manuum.

Idem quoque apparet in subdiaconatu: in quo nullum pontificale habet nisi materiam sine forma, scilicet traditionem calicis vacui, etc.

Taceo de minoribus ordinibus: in quibus varietas multiplex invenitur etiam inter antiqua pontificalia.

Ex quibus apparet quod huiusmodi ordines sacramentalia quaedam videntur, magis quam sacramenta. Et ad hoc ducit ratio. Quia per nullum dicatorum ordinum potest ordinatus actum aliquem qui, si sine illo ordine fieret, esset nullus: ut patet discurrendo per singulos actus diaconi et inferiorum.

Et per hanc rationem episcopatus videtur ordo: quia aliquem actum potest episcopus qui, a non-episcopo factus, nullus est; ut confirmare, praesupposita veritate decretalis Extra, *de Consuetudine*, cap. *Quanto*.

III. Haec autem sint collecta non ea ratione ut novam velimus ingerere doctrinam de sacramento ordinis: sed ut doctus quisque percipiat incertitudinem materiae de qua est sermo, et non velit *plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* \*; hoc est, ut sit contentus consueto pontificali ecclesiae in qua ordinatur. Et si aliquid fuerit omissum eorum quae ex novis pontificalibus sunt addita, puta quia non est datus subdiacono liber Epistolarum cum illis verbis, *Accipe librum*, etc.; non propterea suppleri oportet in alia ordinatione huiusmodi omissum: huiusmodi enim nova additio non facit legem novam.

Nec mihi aliquis obiiciat oppositum me alibi scripsisse, dum de similitudine contactus in primo Quolibeto \* scripsi. Haec enim non adversantur illis: quoniam non nisi de his quorum contactus simul cum traditione in pontificali mandatur, locutus sum.

IV. Tutius tamen esse constat sequi antiqua pontificalia in tribus infimis ordinibus quam modernum, in quo ostensio materiae prius mandatur cum verbis, et postea tactus materiae. Et certe mirum est, cum corrector ille mutaverit ministerium materiae in acolythatu, scilicet archidiaconum in episcopum, ut tutiorem viam eligeret, quod in praecedentibus ordinibus labori episcopi tantum pepercit ut minus tutam viam eligeret. In antiquis siquidem pontificalibus diversimode de minoribus ordinibus habetur: nam alicubi de ostiario et lectore habetur, *Tradit sibi claves vel librum episcopus dicens*; de exorcista vero habetur, *Accipiat librum de manu episcopi dicentis sibi*; de acolytho autem, *Accipiat candelabrum*, etc., *de manu archidiaconi, dicente sibi episcopo*. Ubi apparet semper similitas formae et materiae: et quod materia non est monstratio, sed traditio et acceptio. Alicubi vero habetur ut in novo pontificali tempore Innocentii VIII impresso \* legis.

\* *Ad Rom.* cap. xii, vers. 3.

\* *Opusc. Caiet.* tom. I, Tr. xxvi. - Ed. Lugdun. 1562.

\* *Pontificalis Liber.* Roma, opera Magistri Stephani Plannock, clerici Patav. dioec., 1485.



## DE SACRAMENTO MATRIMONII TRIPLEX QUAESITUM

### QUAESITUM PRIMUM

#### AN MATRIMONIUM CONTRACTUM PER PROCURATOREM SIT SACRAMENTUM

CIRCA sacramentum matrimonii pauca tractanda occurrunt. Et primo, circa ipsum matrimonii contractum tria occurrunt dubia. Primum est, an matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum; secundum, an contractus matrimonii clandestinus sit quandoque licitus\*; tertium est, an matrimonii contractus non propter prolem nec propter vitandam fornicationem, sit licitus\*.

\* Cf. num. iv. CIRCA primum ratio dubii est\*, quia matrimonium inter fideles verum et ratum est sacramentum. Contractus autem huiusmodi per procuratores efficit matrimonium verum et ratum. Ergo est ibi sacramentum.

Praeterea, coniugium inter infideles est sacramentum: ut dicitur Extra, *de Divortiis*, cap. *Gaudemus*. Ergo a fortiori coniugium huiusmodi, quod est verum et ratum, est sacramentum.

*In oppositum* est quod nullum sacramentum ministratur per procuratorem.

\* Cf. num. seq. II. Ad hoc dicuntur duo\*. Primum, directe respondendo quaesito, quod matrimonium contractum tantummodo per procuratorem non est sacramentum Ecclesiae. Quod manifestatur dupliciter. Primo, quia nullum sacramentum suscipitur per procuratorem. Quia receptio sacramenti est passio personalis: cum sit intus quidem receptio gratiae sacramentalis; foris vero exigit aliquam in sua persona sensibilem actionem vel passionem, ut patet ex communi ratione omnibus sacramentis.

Et confirmatur ex hoc quod sacramentum poenitentiae non potest suscipi per procuratorem. Nam, sicut sacramentum matrimonii consistit in contractibus, ita sacramentum poenitentiae consistit in actibus iudicialibus. Tam autem in iudicialibus quam in contractibus nihil prohibet multa fieri per procuratorem nisi ratio sacramenti: potest enim quis iudicari, absolvi, ligari per procuratorem, sed non sacramentaliter. Et similiter potest quis contractum facere de propria persona per procuratorem, sed non sacramentaliter.

Et confirmatur rursus. Quia, si per procuratorem posset suscipi sacramentum, sequeretur quod, dormientibus ambobus coniugibus dum procuratores contrahunt, coniuges sacramentum susciperent, et nihil omnino a seipsis aut ministro aliquo sacramenti circa ipsos tunc fieret. Quod non solum est absurdum, sed non intelligibile, stante constantia sacramenti ex materia et forma, etc. — Et ultra hoc, sequeretur quod dormiens peccaret mortaliter peccato sacrilegii, suscipiens sacramentum in peccato mortali, si contigisset ut ivisset tunc dormitum in peccato mortali.

Non est ergo coniugium contractum inter fideles per procuratores sacramentum, donec coniuges ipsi coram ratificent contractum. Quod tunc fit cum, coram positi, primo manifestant sibi invicem se habere ut coniuges.

III. Secundum est quod, licet huiusmodi coniugium per procuratorem contractum non sit sacramentum, est tamen verum coniugium, dirimens quodcumque aliud postea contractum et consummatum: multo magis quam primum coniugium inter infideles dirimit secundum, ut dicitur Extra, *de Divortiis*, cap. *Gaudemus*.

Potest tamen facilius dissolvi de consensu partium Apostolica auctoritate matrimonium per procuratorem contractum quam per seipsos coniuges contractum: quoniam in illo deest sacramentum, quod non deest huic.

IV. Ad primum ergo objectionem in oppositum\* dicitur quod coniugium dicitur ratum dupliciter: vel radicaliter, vel formaliter. Et quod coniugium fidelium per procuratores contractum est ratum in radice baptismi, non autem est ratum ex forma ipsius sacramenti matrimonii. Coniugium autem inter infideles neutro modo est ratum.

Ad secundum dicitur quod vel est locutio intransitiva, ut dicitur *sacramentum coniugii* pro *coniugio*. Vel latiori vocabulo sumitur *sacramentum*: et non proprie, ut restringitur ad significandum sacramentum novae legis, de quo solo est nostra quaestio.

### QUAESITUM SECUNDUM

#### AN MATRIMONII CONTRACTUS CLANDESTINUS SIT QUANDOQUE LICITUS

\* Cf. quaesitum praec., introd. CIRCA secundum\*, an matrimonii contractus clandestinus sit quandoque licitus, absque argumentis dicendum est quod, cum contractus clandestinus non sit secundum se malus mortaliter, sed ratione accidentium ex illo consequentium, ideo in casu quo cessarent omnia inconvenientia, licitum esset contrahere clandestine: quoniam tunc etiam cessaret obligatio iuris positivi, quod propter huiusmodi inconvenientia constat emanasse.

II. Contingit autem de facto pluries casus iste, quando matrimonium contractum est in facie Ecclesiae et consummatum, et tamen fuit in veritate nullum propter aliquod occultum impedimentum dirimens: puta quia praecognoverat consanguineam uxoris. Tunc enim, habita dispensatione per secretas vias, potest et debet contrahi matrimonium sine testibus, ad evitandum scandalum. Immo nec coniugi debet impedimentum manifestare: sed dulciter rogare ut, pro consolatione sua, velit se iterum acceptare in coniugem; et, parte assentiente, sufficit. Sic enim evitatur omnis infamia; et intentum habetur; et nullum potest inconveniens sequi ex huiusmodi clandestino contractu.

III. An vero, ante contractum in facie Ecclesiae matrimonium, accidere possit casus in quo licitus sit contractus clandestinus, non mihi occurrit de clandestino per se: sed potest contingere de clandestino per accidens quod sit aut licitus, aut sine mortali peccato. Licitus quidem, si contingeret carere testibus, et oporteret contrahere: ut, si in bello seu direptione civitatis salvi fierent coniugati, possent personae habiles contrahere et consummare, ut vel sic evaderent opprobria, etc.; cessant enim omnia inconvenientia, et praeter intentionem est clandestinum matrimonium.

Absque mortali vero, ut si puella sub malignis tutoribus, ne tradatur viro imprudenti cum damno debita sibi dotis aut hereditatis propriae, oblata commo-ditate, non valens habere testes praesentes, contraheret cum viro grato, prudente, etc., sciens quod post factum publicabunt ipsa et vir contractum, et sic praevalebunt. Ex quo enim, parati publicare, contrahunt praeter intentum ex rationabili causa clam, excusantur saltem a mortali.

## QUAESITUM TERTIUM

AN MATRIMONII CONTRACTUS NON PROPTER PROLEM AUT VITANDAM FORNICATIONEM,  
SIT LICITUS

\* Cf. quaesit. I,  
introd.

\* Cf. num. v.

CIRCA tertium \* vero, an matrimonii contractus non propter prolem aut vitandam fornicationem, sit licitus, ratio dubii \* est quia videtur sacrilegium sacramentum non ordinari ad finem proprium. Finis autem proprius sacramenti coniugii est proles educanda ad cultum Dei, et remedium concupiscentiae.

In oppositum est coniugium inter Beatam Virginem et Ioseph, quod neutrum finem habuit ex parte Beatae Virginis.

II. Ad hoc dicitur quod in contrahendo matrimonium multiplex finis potest inveniri: et quantum ad propositum spectat, quintuplex finis potest considerari. Primus est finis istius contractus ratione actus. Et hic est proles, vel remedium concupiscentiae: hic enim est finis coniugii mediante concubitu, ut patet. — Secundus est ipsius contractus ratione sui. Et hic est mutua potestas corporum: ad hoc enim fit hic contractus ut neuter coniugum habeat potestatem sui corporis, sed alter alterius \*. — Tertius est eiusdem contractus ratione sacramenti. Et hic est sanctificatio coniugum, ut unusquisque possit *vas suum possidere in sanctificationem* \*. — Quartus esset si contractus iste ordinaretur a contrahente ad aliud extraneum: puta ad aliquod maleficium. — Quintus esset finis, non contractus, sed contrahentis tantummodo: hoc est, quod esset motivum ut finis ad hoc ut homo qui alias nollet contrahere matrimonium, applicaret se ad contrahendum matrimonium. Verbi gratia, cum David contraxit cum Abisag Sunamite \*, non ordinavit coniugium ad calefaciendum se, sed applicavit se ad contrahendum coniugium ut per mulierem calefieret, cum non esset alias dispositus ad contrahendum matrimonium.

\* I ad Cor., cap.  
vii, vers. 4.

\* I ad Thess., cap.  
iv, vers. 4.

\* III Reg., cap. I,  
vers. 1-4.

\* Cf. num. seq.

III. Quibus praemissis, dicenda sunt ad quaestionem motam duo \*. Primum, directe respondendo quaesito, quod contractus est licitus. Quoniam sufficit coniugio habere utrumque finem suum proximum. Finis autem proximus ipsius contractus secundum se est mutua potestas corporum: quatenus vero sacramentum, sanctificatio. Et propterea, etiam si non intendant prolem neque remedium concupiscentiae, sed solummodo esse coniuges secundum Ecclesiam, contractus est licitus. Et sic inter senes, et quos-

cumque non intendentes concumbere, potest licite contrahi matrimonium.

IV. Secundum est quod communiter extranei seu accidentes fines altero duorum modorum contingunt: vel ut ratio, non coniugii, sed coniugii cum tali; vel ut ratio applicationis ad contrahendum coniugium. Ideo communiter huiusmodi contractus sunt liciti: quoniam uterque modus est licitus. Exemplum primi modi habetur inter Iacob et Rachelem \*: propter pulcritudinem enim ipsius elegit contrahere potius cum Rachele quam cum Lia, dicens socero, *Serviam tibi pro Rachele, filia tua minore*, etc. Exemplum secundi habetur inter David et Sunamitem \*. Et primus quidem saepe contingit, et clarus est omnibus. Secundus autem amplius manifestatur exemplo et ratione. Simile quidem est si sacerdos aliquis nollet hodie celebrare, superveniente autem amico, ut illi morem gerat, applicat se ad celebrandum. Ita si quis non intenderet matrimonio coniungi, superveniente autem vidua *promittente maria et montes* \*, ut sibi utile faciat, applicat se ad contrahendum matrimonium cum illa, intendens illam habere coniugem, etc. Utrobique enim adventitius finis non ponitur finis celebrationis aut coniugii, sed applicationis ad celebrandum seu ad contrahendum. Et haec est ratio quare contractus non redditur illicitus.

\* Gen. cap. xxix,  
vers. 16 sqq.

\* Cf. num. II, fin.

\* Sallust. *Catili-*  
*lin.*, cap. xxiii.

V. Et per hoc patet responsio ad obiectionem in oppositum \*. Nam, sicut sacerdos alias non celebraturus hodie, ut morem gerat amico applicans se ad celebrandum, non constituit per hoc amicam finem celebrationis, sed applicationis suae; ita qui propter bona temporalia, alias non contracturus, movetur ad contrahendum coniugium, non constituit bonum illud extrinsecum finem coniugii, sed mutationis suae, qua de non volente contrahere factus est volens contrahere. Coniugium vero ipsum suscipit cum fine ipsius coniugii, etiam si de fine ipsius nihil cogitet: sicut dictus sacerdos celebrationem ordinat in finem celebrationis, etiam si nihil cogitet de fine. Eo ipso namque quod intendit coniugium, intendit ipsius finem, quamvis forte ad illum non se disponat: sicut sacerdos intendens celebrare vult ex hoc ipso finem celebrationis, quamvis forte non se disponat ad illum.

\* Num. I.



## QUAESTIONES DE USU MATRIMONII

### QUAESITUM PRIMUM

#### AN USUS MATRIMONII SIT LICITUS ANTE BENEDICTIONEM

CIRCA usum matrimonii dubium primo occurrit, an sit licitus ante benedictionem.

\* Cf. num. iv.

Videtur enim quod non \*. Tum quia fit contra statutum ac consuetudinem Ecclesiae: ut patet XXX, qu. v, in pluribus capitulis.

Tum quia, cum sine causa rationabili hoc fit, non evaditur contemptus: quem constat constituere peccatum mortale.

II. Ad hoc dicitur quod, licet quibusdam visum fuerit distinguendum de reddente aut petente debitum; et similiter de loco ubi est vel non est consuetudo huiusmodi benedictionis; et similiter de causa, an sit rationabilis vel non: mihi tamen videtur simpliciter et absolute dicendum quod huiusmodi actus non est peccatum mortale. Et ratio est quia nullum apparet in iure praeceptum obligans ad mortale: immo expresse, in fine cap. *Nostrates* \*, enumeratis concurrentibus ad nuptias, subditur quod haec omnia non servare non est peccatum.

\* Loc. cit.

Consuetudo quoque non obligat ad mortale plus quam statutum. Et tanto minus haec consuetudo obligat, quanto alicubi, ut in Germania, nobiles nocte praecedente benedictionem consummant matrimonium: alicubi vero, ut in Italia, poena apposita ab Ecclesia maritis consummantibus matrimonium ante benedictionem, tam levis est ut testetur minimum aut nullum esse peccatum.

Ex parte vero benedictionis, cum nulla fiat sibi iniuria, quoniam nec contemnitur, sed suscipitur etiam consummato matrimonio; nec admiscetur propterea aliquod falsum seu mendacium, quoniam nulla fit de virginitate ibi mentio; nulla habetur ratio mortalis peccati. — Nec obstat si dicatur quod canones praesupponunt virginitatem in benedicendis, saltem in sponsa, ut patet ibidem, cap. *Sponsus*: quoniam hoc de congruitate, et secundum commu-

niter accidentia intelligitur; ut patet ex hoc quod puella corrupta ante coniugium secrete ab alio nihilominus licite nuptialem benedictionem suscipit.

Ex parte demum finis ipsius benedictionis idem apparet. Quoniam ad duo ordinatur: scilicet ad solemnem traditionem uxoris, quam constat propterea non omitti; et ad divinam obtinendam benedictionem ipsorum coniugum, quae etiam non omittitur.

III. Ex quibus omnibus potest formari talis ratio. Actus coniugii ante benedictionem, etc., cum non sit illicitus nisi quia praevenit benedictionem ante debitam, non plus habet illiciti quam ex iniuria vel legis seu consuetudinis inhibentis, vel benedictionis ipsius seu eius finis, contrahat. Sed ex nullo horum contrahit rationem peccati mortalis, ut declaratum est. Ergo non est peccatum mortale.

A veniali autem peccato non excusari matrimonii consummationem, ex parte tam petentis quam reddentis, ex eo patet quod ordo ipse statutus lege vel consuetudine non servatur, dum ante benedictionem fit quod post benedictionem agendum erat.

IV. Ad primum autem in oppositum \* dicitur quod hoc argumentum nihil valet: *Statutum seu consuetudo Ecclesiae non servatur, Ergo est peccatum mortale*. Plus enim exigitur ad peccandum mortaliter quam violare statutum seu consuetudinem Ecclesiae: quoniam nec omne statutum nec omnis consuetudo Ecclesiae obligat ad mortale.

\* Num. i.

Ad secundum dicitur falsum esse quod, ubi deest rationabilis causa violandi seu non servandi statutum et consuetudinem Ecclesiae, ibi est contemptus: stat enim quod ex infirmitate seu concupiscentia veniali fiat transgressio. Et sic communiter videtur accidere in huiusmodi casibus. Et propterea, quia communiter ex contemptu non fit, communiter non est peccatum mortale.

### QUAESITUM SECUNDUM

#### AN USUS CLANDESTINI CONIUGII SIT ILLICITUS MORTALITER

SECUNDO quaeritur an usus clandestini coniugii sit illicitus mortaliter. Et est ratio dubii \* quia, si pars affirmativa poneretur, aut hoc esset ratione annexi scandali; aut ratione inhibitionis Ecclesiae. Sed scandalum tollitur si usus est occultus. Inhibitio autem Ecclesiae non facit peccatum mortale: cum in praecedenti articulo conclusum sit usum coniugii ante benedictionem non esse peccatum mortale, quamvis sit contra inhibitionem Ecclesiae.

\* Cf. num. v.

In oppositum est quod usus coniugii non legitimi est peccatum mortale. Clandestinum autem matrimonium, quamvis sit verum et ratum, constat non esse legitimum. Ergo.

II. Ad huius evidentiam, recolendum est in coniugiis dupliciter inveniri illicitum et mortale: vel quia malum, ut coniugium cum parente; vel quia prohibitum, ut coniugium cum affinibus, seu consanguineis quarti gradus. Usus autem coniugii clandestini utroque modo illicitus invenitur, et quia malus, et quia prohibitus. Est siquidem malus, non secundum se, sed secundum sibi annexa.

Ad cuius plenioris intelligentiam, sciendum est quod, licet clandestinum coniugium, cum eius usu, habeat omnia requisita ad substantialia coniugii et eius actus, et propter

hoc dicitur quod neutrum est secundum se malum; ex naturali tamen hominis proprietate, qua est animal sociale atque politicum \*, provenit turpitudine in clandestino coniugio et eius actu. Ex hoc namque quod homo est animal sociale et politicum, provenit quod coniugium et ipsius actus debeant sic fieri ut sint sine offensa et periculo offendendi societatem politicam. Usus autem clandestini coniugii annexum habet scandalum vitae socialis, dum scitur commiseri personas quae nesciuntur coniuges: nec etiam sine scandalo appareret mulier gravida, et proles fieret, etc.

Ipsium vero coniugium clandestinum annexum habet periculum offendendi vitam socialem: quoniam posset alter coniugum nova inire connubia, dum ignoratur ligatus altero coniugio.

Est igitur tam clandestinum coniugium quam ipsius actus, etiam si prohibitio legis non esset, de genere maiorum moraliter, non secundum se, sed secundum sibi annexa.

III. Utrum autem sit mortale peccatum, considerandum restat ex utroque principio: scilicet annexae moralis malitiae, et legalis inhibitionis. Ex parte siquidem moralis iniquitatis, distinguendum occurrit: et dicendum quod,

\* Aristot. *Politic.* lib. I, cap. I, n. 9; lib. III, cap. IV, n. 2, 3; *Ethic.* *Eudem.* lib. VII, cap. X, n. 5.

quando actus huiusmodi habet annexam scandali turpitudinem, est peccatum mortale; quando vero caret annexa turpitudine, non est peccatum mortale. Et horum ratio est in promptu. Quia ex quo ratio peccati mortalis con-  
surgit ex annexa turpitudine, extante illa, fit peccatum mortale: et illa non extante, non est peccatum mortale. — Notanter autem dixi *actus huiusmodi*, ad differentiam *usus*. Quoniam frequens actus, qui usum constituit, impossibile est, moraliter loquendo, quod careat scandalo. Nam frequens secreta conventio personarum quae possunt esse coniuges, semper est suspecta. Et, experientia teste, videmus scandala maxima ex huiusmodi usu provenire.

Ex parte autem inhibitionis ecclesiasticae, mortale peccatum videtur. Quoniam Evaristus Papa, ut habetur XXX, qu. v, cap. *Aliter*, damnat huiusmodi coniugia, ita quod *non coniugia, sed adulteria vel contubernia, vel supra aut fornicationes esse non dubitat*. Quod quia verum esse constat in iudiciali foro, in quo clandestinum matrimonium non est matrimonium, ex auctoritate Papae promulgatum, damnabilem constituit clandestini usum matrimonii.

Simpliciter igitur et absolute loquendo, usus matrimonii clandestini peccatum mortale est, utpote scandalosus scandalo notabili, reddente utrumque coniugem infamem, et a iure damnatus ut adulterium seu fornicatio.

IV. Quocirca caveant confessores viduarum nobilium ne consulant fornicariae ut contrahat clandestinum matrimonium, quasi licite deinceps satisfacturae voluptati suae cum clandestino coniuge. Tum quia non sunt facienda mala ut veniant bona \*: et multo minus ut evitentur peiora.

Tum quia per hoc non evadit peccatum mortale in usu dicti coniugii.

Tum quia adiungitur periculum homicidii utriusque aut alterius coniugis, ut pluries vidimus nostra aetate: consanguinei enim multo magis vindicant talia coniugia quam si fornicatio sola fuisset.

V. Ad obiecta ergo in oppositum \* dicitur quod, licet actus unus seu aliquis possit esse ita occultus quod careat secundum se omni turpitudine scandalosa; frequens tamen actus, ut dictum est \*, esse non potest. Et ille unus actus omnino occultus non caret periculo scandali: quia posset inde coniux concipere, et sic scandalum sequeretur.

Inhibitio autem Ecclesiae non similiter se habet ad usum coniugii ante benedictionem, et ad usum coniugii clandestini. Quoniam primum simpliciter inhibet: secundum autem non solum inhibet, sed damnat ut stuprum seu fornicationem. Et ratio est disparitatis quia actui coniugali debetur torus publicus, hoc est, publice praeparabilis seu praeparatus, unde et coniuges *contorales* dicuntur: clandestini autem coniugii actui non potest publice torus praeparari, cum coniugium ipsum publice habeatur tanquam non sit, cum probari non possit. Ante benedictionem vero publicis coniugibus potest publice torus praeparari: immo et de facto millies praeparatur. Et propterea actus coniugii clandestini merito reprobatur ac damnatur: actus vero publici coniugii non reprobatur nec damnatur, sed solius caeremoniae defectu accusatur. Est enim praecceptum caeremoniale de non praeveniendo benedictionem: de non utendo vero clandestino est praecceptum prope substantiale.

VI. Et hinc sequitur quod non solum usus, sed etiam actus unus coniugii per se clandestini, etiam cum sterili seu vetula, quae non potest concipere, quantumcumque occultus, est mortale peccatum, sicut et ipse contractus clandestinus: propter damnationem Ecclesiae damnantis omnem contractum et concubitum clandestinum in sua specie, ac per hoc, omnem concubitum et contractum clandestinum. Et consequenter, nisi rationabilis causa subsit contrahendi clandestine aut clandestine consummandi \*, damnationem suae speciei incurrit.

\* Num. i.

\* Num. iii.

\* Ad Rom. cap. iii, vers. 8.

\* Cf. supra, de Sacram. Matrim., quaesit. ii.





## DE DELECTATIONE MOROSA TRIPLEX DUBIUM

## PRIMUM DUBIUM

AN VOLUNTARIA DELECTATIO DE COGITATO ACTU LICITO CONDITIONALITER,  
SIT MORTALE PECCATUM

CIRCA actum coniugii, quoniam multa scripsimus in Commentariis praecedentis Libri in tractatu de luxuria \*, et quaedam etiam in Quolibetis \*\*, ideo, ne eadem repetamus, pertranseundum est, incidenter tamen dubia aliqua de delectatione morosa solvendo.

\* II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, qu. CLIV.  
\*\* *De Usu Matrimonii, et de Reddend. debit.* etc. - Opusc. Caiet. I, tom. Tract. XIII, xxix. - Ed. Lugdun. 1562.

EST autem primum dubium, an voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter, sit mortale peccatum. Verbi gratia, cogitat quis de actu coniugali cum tali muliere si esset uxor sua, et voluntarie delectatur de actu cogitato: an in hoc, et similibus, sit peccatum mortale.

Et est ratio dubii \*, quoniam pro parte negativa est quod delectatio est de actu licito, in tantum quod consensus in huiusmodi actum non est peccatum. Si enim consensus in actum non est peccatum, a fortiori nec cogitatio de illo erit peccatum.

Pro parte vero affirmativa est omnis religiosa conscientia, cavens huiusmodi delectationem ut peccatum mortale.

II. Ad hoc dicitur quod, sine dubio, huiusmodi delectatio voluntaria est peccatum mortale: quia est simpliciter de concubitu peccati mortalis. Ad cuius evidentiam, discernendum est inter consensum et delectationem. Quoniam tam consensus quam desiderium ferri potest in obiectum vel absolute vel conditionaliter: potest enim quis desiderare cibum absolute, et potest rursus desiderare ipsum sub conditione, puta, si non esset dies ieiunii. Et quod dicimus de actu, idem intellige de delectatione consequente actum exterius exercitum: nam potest quis desiderare delectationem cibi et absolute et sub conditione, puta, velle delectari in comedendo si non esset dies ieiunii. Delectatio

\* Cf. num. III.

autem voluntaria consequens obiectum interius apprehensum et concupitum, sive absolute sive conditionaliter, non potest distingui in delectationem conditionalem vel absolutam: sed ex hoc ipso quod inest huiusmodi delectatio voluntarie, est simpliciter et absolute delectatio. Unde, cum aliquis desiderat actum coniugii cum aliqua conditionaliter, idest, si esset sua: non peccat, quoniam desiderium obiectum habet rectae rationi consonum. Sed cum delectatur quis de huiusmodi actu conditionali cogitato, delectatio ipsa non est conditionalis: quoniam conditionalis nihil ponit in esse; huiusmodi autem delectatio ponitur in esse voluntarie. Et propterea delectatio ipsa non spectat ad obiectum desideratum et cogitatum quatenus est conditionale: ac per hoc, redit ad naturam sui generis, scilicet delectationis morosae de illicito concubitu. Ex hoc namque quod actus ut conditionalis non facit ipsam delectationem conditionalem, sequitur quod relinquat eam in genere delectationis voluntariae de concubitu, seclusa conditione quae sola faceret illum licitum. Et hoc est nihil aliud dicere quam relinquere illam in specie delectationis voluntariae de concubitu ac si illa conditio non esset cogitata. Et hoc est quod timoratae conscientiae utriusque sexus testantur.

III. Et per hoc patet solutio ad obiectum \*. Quoniam non est idem iudicium de consensu et desiderio in actum exterius illiusque delectationem sub conditione: et de praesenti delectatione voluntaria de eodem actu eademque delectatione cogitata.

Nec est verum quod praesens delectatio sit de actu licito. Quoniam non est de illo conditionaliter: actus autem non nisi conditionaliter est licitus.

\* Num. I.

## SECUNDUM DUBIUM

AN VIDUA QUAE VOLUNTARIE DELECTATUR DE CONIUGALI ACTU PRAETERITO,  
PECCET MORTALITER

SECUNDUM dubium est, an vidua quae voluntarie delectatur de actu coniugali praeterito, peccet mortaliter. Et est ratio dubii ambiguitas scribentium.

Ad hoc dicitur quod, formaliter loquendo, voluntaria delectatio de praeterito actu coniugii non est peccatum mortale. Et ratio est quia eiusdem moris est delectari de praesenti, praeterito vel futuro: huiusmodi enim differentiae non variant speciem moris de bono in malum. Et propterea, sicut simpliciter et absolute viduae consensu approbativo potest placere actus praeteritus, ita potest delectari de illo.

Et licet haec ratio sufficiat, manifestatur tamen ex simili. Iudex enim functus officio potest voluntarie delectari de vindicta quam exercuit occidendo perturbatores reipublicae: nec solum intus potest delectabiliter memorari, verum potest etiam delectabiliter haec enarrare, ut patet. Idem autem est iudicium de voluntaria delectatione in cogitatione, memoria, narratione et facto vindictae, et cuiuscumque alterius actus: memoria enim de iustis seu licitis eodem more est delectabilis quo et ipsa iusta elicit fuerunt delectabilia.

II. Advertendum tamen est hic quod aliud est loqui de voluntaria delectatione praeteriti actus liciti: et aliud est loqui de concomitantibus illam. Nam stat quod ipsa delectatio de actu praeterito voluntaria immunis sit secundum seipsam a peccato mortali: et tamen ipsamet, ut annexum habet malum aliquod, puta pollutionem, vel delectationem interiorem consequentem velleitatem actus similis praeterito, aut consequentem insurgentem concupiscentiam, sit peccatum mortale. Et quia venerea, quantumcumque licita, cum cogitantur, annexam habent concupiscentiam carnis, motusque qui, etiam non praecipiente intellectu, insurgunt, ut experientia testatur: ideo, si viduae delectatio periculum habet annexum pollutionis aut ruinae animae ad aliquem pravum consensum huiusmodi delectationum annexarum, ut communiter videtur accidere voluntarie immorantibus in memoriis talibus, tenetur evitare huiusmodi memoriam, sicut tenetur fugere huiusmodi pericula.

Sine his tamen, huiusmodi memoriae communiter sunt peccata venialia: quia *caerent pia necessitate et utilitate* \*.

\* Greg. Homil. VI in *Evang.* - Cf. *Moral.* lib. VII, cap. xviii, in vet. xxv; *Reg. Past.* part. III, cap. xiv, al. admon. xv.

## TERTIUM DUBIUM

AN VOLUNTARIA DELECTATIO DE VISA PULCRA MULIERE  
SIT COMPUTANDA INTER PECCATA MORTALIA DELECTATIONIS MOROSAE

TERTIUM est, an voluntaria delectatio de visa pulcra muliere sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosae.

Et est ratio dubii, quia simile videtur iudicium de delectatione omnis sensus. Sed voluntaria delectatio de muliere tacta spectat ad delectationem morosam. Ergo et de visa.

II. Ad hoc dicitur quod, cum nulla sensatio naturalis sit secundum se peccatum, quoniam est a natura ipsa, cum consequente delectatione, procul dubio, nisi mulieris visus aut tactus sit mortaliter malus, delectatio voluntaria de ipsa visa aut tacta non est mala. Verum inter tactus et alios sensus est, quoad propositum, differentia in hoc quod visus mulieris pulcrae, secundum seipsum delectabilis, non est libidinosus nisi ex parte videntis ad malum ordinetur: tactus autem per oscula et amplexus, ut est secundum tactum talem delectabilis, est libidinosus, sicut et concubitus, nisi coniugii bono honestetur. Quoniam delectatio sensibilis secundum quendam tactum, scilicet osculorum, amplexuum et huiusmodi, est secundum se a natura ordinata ad venerea: delectatio autem visus non est secundum se ad hoc ordinata. Hinc enim fit ut illa, ob solam delectationem exercitata, sint libidinosi: visus autem minime. Et propterea, sicut sensibilis delectatio osculo-

rum, etc., extra coniugium illicita est, et secundum se mortalis, ut in Commentariis praecedentis Libri \* diffuse declaratum est; ita voluntaria delectatio de huiusmodi cogitatis, mortale peccatum est delectationis morosae. Et per oppositum, quia videre mulierem pulcram non est secundum se ordinatum ad venerea, ideo delectabiliter videre mulierem pulcram ex suo genere nullum est peccatum. Ac per hoc, delectabiliter cogitare de visa muliere pulcra, nisi otiose vel ob malum fiat, peccatum nullum est.

Et haec similiter \* intellige de huiusmodi actibus secundum se. Nam secundum annexa pericula, iudicandum est iuxta canones periculorum \*: multi enim ex aspectu mulierum corrueunt, ut patet de David \*, etc.

ET HAEC SUFFICIENT PRO HOC LIBRO super Tertia Parte divi Thomae: ac per hoc, pro Commentariis integris super tota Summa eiusdem: ad gloriam in primis omnipotentis Dei, deinde ipsius divi Thomae, utilitatem autem Ecclesiae; sub correctione Sanctae Sedis Apostolicae, in qua nunc sedet Leo Decimus Pontifex Maximus \*, cui et scripta et scribenda omnia submissa semper esse volo.


Romae, die undevigesima Decembris, anno Christianae Salutis millesimo quingentesimo vigesimo, aetatis autem meae quinquagesimosecundo. AMEN.

\* Qu. CLIV, art. 4.

\* Cf. dubium praeced., num. II.

\* Cf. *Eccli.* cap. III, vers. 27.  
\* II *Reg.*, cap. XI, vers. 2 sqq.

\* Cf. Praef. ad III Partem Editionis huius Leoninae, pag. XLIII.



# APPENDIX

AD

CARDINALIS CAIETANI

QUAESTIONES DE SACRAMENTIS

QUAESTIO SEPTIMA EX EIUSDEM OPUSCULO VIGINTISEPTEM.QUAESTIONUM

AD FIDEM EDITIONIS LUGDUNENSIS MDXLI

## QUANDO QUIS OBLIGETUR AD CONTRITIONEM PECCATORUM MORTALIUM

*Vide supra, Quaestiones de Contritione, Quaesitum III.*

QUAERITUR utrum, quoties recordatur quis sui peccati mortalis, teneatur habere contritionem.

\* Cf. num. VIII, IX.

Et est ratio dubii \*, tum quia partem affirmativam multi tenere videntur, ex verbis sancti Thomae in IV *Sent.*, dist. XVII, qu. III, art. 1, qu<sup>a</sup> 4, dicentis: *Ad contritionem tenetur homo quando peccata memoriae occurrunt, cum praecipue in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, etc.*

Tum quia sicut, quoties occurrit peccatum mortale ut a se committendum, tenetur homo refutare commissionem, ita, quoties ut a se commissum, tenetur illud detestari.

\* Vers. 2.

Tum quia nec per momentum licitum est stare in peccato mortali. Ac per hoc, statim ut occurrit, tenetur illud fugere: iuxta illud *Eccli. XXI* \*: *Quasi a facie colubri fuge peccata.*

In oppositum autem est: tum quia sequeretur quod, quotiescumque aliquis de commissio peccato occurrente sibi atteretur, peccaret mortaliter, quia non haberet contritionem.

Tum quia efficax ratio non apparet praecepti ad contritionem pro tali tempore, scilicet memoriae peccati.

\* Vers. 9, iuxta versionem LXX.

II. Ad evidentiam huius dubitationis, praemittendum est quod non est hic quaestio de peccato mortali semel contrito. Quoniam hoc iam deletum prima contritione est: et, sicut peccatum semel rite confessum non tenetur homo iterum confiteri, eadem ratione de peccato semel contrito non tenetur homo iterum conteri; non enim *iudicat Deus bis in idipsum*, ut dicitur *Nahum I* \*, tam quoad vindictam exteriorem, quam per confessorem exercet, quam quoad vindictam interiorem, quam per actum ipsius poenitentis conterendo peccatum exercet. Sufficit enim semel contrito quod non placeant sibi commissa a se peccata. Et hoc sive contritio fuerit de aliquo mortali in speciali, sive in generali: dummodo fuerit contritio illa sufficiens ad salutem usque ad tempus confessionis, quando, singula detestando in confessione, conteretur in speciali. Est autem contritio generalis sufficiens ad salutem usque ad confessionem illa qua homo, dolens de omnibus offensis Dei, mutat deliberate cor ad praeponendum Deum omnibus, etiam propriae vitae, intendens congruo tempore confiteri. Et est sermo de contritione ipsius peccati secundum se, non secundum suum effectum, qui est retardatio a felicitate, ratione cuius totum tempus praesentis vitae est tempus contritionis, quia tempus peccato occupatum irreparabile effectum est pro felicitate.

Nec est hic quaestio de contritione in veritate, hoc est, de dolore caritate informato. Quoniam, cum *nemo sciat*

*utrum amore vel odio dignus sit* \*, si exigeretur certitudo verae contritionis, semper esset homo perplexus, aut nunquam cessaret obligatio contritionis: quod est falsum. Sed est quaestio de contritione quantum est ex parte poenitentis \*: hoc est quod, quantum est ex parte conditionum requisitarum ad contritionem ex parte poenitentis, est vera contritio, quamvis nesciatur an sit caritate informata, quia nescitur praesentia caritatis. Et similiter est quaestio de peccato mortali a se commissio nunquam contrito sive secundum veritatem sive secundum aestimationem.

\* *Eccl. cap. IX, vers. 1.*

\* Cf. supra, Qq. de Contritione, quaesit. I.

III. Quibus praemissis, sciendum est praeceptum habendae contritionis et esse per se primo affirmativum, et claudere in se praeceptum negativum. Nam praecipit actum contritionis habendum, et per hoc est affirmativum: et praecipit non esse retinendum odium Dei, in quod ex peccato mortali incurritur, et per hoc est praeceptum negativum. Et propterea primo tractandum est de vinculo eius quatenus est affirmativum; et deinde quatenus est negativum \*; et demum quatenus est ex utroque mixtum \*\*.

\* Num. IV.  
\*\* Num. V.

Praeceptorum igitur affirmativorum natura cum sit obligare quidem semper, sed non ad semper, sed ad determinatum tempus, hoc est, tempus necessitatis, ut divus Thomas, in IV *Sent.*, dist. XVII, qu. III, art. 1, qu<sup>a</sup> 4, dicit; consequens est ut praeceptum de contritione habenda non obliget nisi ad tempus urgens ad contritionem. Quod constat esse tempus tam mortis, quia summa est tunc necessitas contritionis; quoniam non remanet amplius tempus poenitendi; quam tempus ante sacramenti cuiusque susceptionem aut administrationem, quoniam, nisi tunc esset contritus, mortaliter peccaret suscipiens sacramentum, aut exercens actum quem sine peccato mortali oportet exercere.

Tempus autem occursus, quia scilicet memoriae occurrit commissum peccatum, etiam practice, puta ut detestandum seu conterendum, nulla apparet ratione esse tempus necessitatis: quoniam cum tali occursu stat hominem se habere circa commissum peccatum neutraliter, ac si non meminisset, ac si dormiret. Nam, occurrente peccato commissio ut materia detestationis habendae a me, possum tripliciter me habere: vel consentiendo in detestationem; vel aspersione detestationem; vel nec amplectendo nec contemnendo, sed vel nullum actum voluntatis circa illam exercendo, et tunc essem neuter; vel habendo actum velletatis circa illam, puta quia vellem habere contritionem, quamvis in veritate non velim, quia non intendo abstinere, etc. Si occurrens ergo memoria non necessitat hominem ad articulum aliquem quo oporteat ipsum actum aliquem exercere, quo pacto tempus necessitatis constituit;

et si rationem praeceptorum affirmativorum perspexerimus; apparebit occursum non constituere tempus necessitatis. Nam in praecepto baptismi, quantumcumque memoriae occurrat baptismus ut suscipiendus cum commoditate oblata, non propterea obligatio fit pro tunc ad baptismum. Et similiter in praecepto confessionis, et in praecepto eleemosynae de superfluo, non tenetur quis tunc confiteri aut eleemosynam dare quando memoriae occurrit cum commoditate parata: ut patet ibidem ex divo Thoma. Si ergo in aliis affirmativis praeceptis occursum exercendi actus commode non constituit necessitatis tempus, consequens est ut nec in praecepto contritionis habendae occursum peccati ut conterendi constituat tempus necessitatis. Oportet enim oppositum dicentem rationem reddere quare a communi regula occurrentis actus et materiae cum reliquis paratis in praeceptis affirmativis, excipiatur occurrens contritionis cum sua materia actus: ut scilicet ipse solus habeat vim constitutivam temporis urgentis ad seipsum exercendum, reliquis hanc vim non habentibus. Et quia nulla apparet exceptionis ratio, sequamur generalem regulam, tanquam communem huic et aliis praeceptis affirmativis.

IV. Negativa vero praecepta \* obligant semper et ad semper: prohibent enim mala, quae nullatenus committenda aut incurrenda sunt. Et licet omnia negativa praecepta conveniant in obligatione ad semper quoad esse illicitum, differentia tamen quaedam inter ipsa praecepta, extenso *praecepti* nomine, est in obligatione ad semper quoad actum peccati. Nam negativa praecepta de actibus peccatorum obligant ad semper non solum quoad esse illicitum, sed etiam quoad actum peccati: quia prohibent actum peccati, puta mendacium, adulterium, blasphemiam, et similia, quae non solum sunt illicita, sed quando adsunt peccati actum committitur; nullus enim transgreditur praecepta haec, *Non mentieris, Non adulterabis, Non blasphemabis*, nisi qui mentitur, adulteratur, aut blasphematur actu exteriori, vel saltem interiori. Negativa autem praecepta de habituali statu peccati obligant secundum se ad semper solum quoad esse illicitum, et non quoad actum peccati: quia non prohibent actum peccati, sed perseverantiam in statu peccati talis vel simpliciter.

Praeceptum autem, verbi gratia, de non retinendo alienum invito domino, dupliciter intelligi potest. Primo, de detentione habituali: quae non est actus, sed effectus peccati. Et sic non est praeceptum prohibens actum aliquem (quod patet ex eo quod qui abstulit, etiam si dormiat, retinet alienum invito domino), sed prohibet perseverantiam in statu peccati talis. Similiter et praeceptum de non retinendo habitualiter odium erga Deum, non prohibet aliquem actum, puta actum odii divini: sed, supposito quod homo peccando mortaliter odio habuerit Deum, ac per hoc perseveret usque ad contritionem in statu divini odii (non solum passive quia *Altissimus odio habet peccatores* \*, sed, quod peius est, active, quia perseverat in statu peccati mortalis includentis in se divinum odium propter contrarietatem ad dilectionem caritatis), prohibet perseverantiam in statu peccati mortalis simpliciter. Quo fit ut, quia statibus, sicut habitibus, non meremur nec demeremur, sed actibus \*; nullum novum peccatum contra hoc negativum praeceptum incurrat, nisi status talis de novo acceptetur, puta si de novo consentiatur in perseverantiam talis status. – Secundo, de detentione actuali: quae nihil aliud est quam consensus efficax in detentionem habitualem, seu quae est effectus peccati. Et sic praeceptum est prohibens actum peccati: et constat quod obligat semper et ad semper, sicut reliqua negativa. Et sic proprie habet vim et nomen praecepti: quoniam praecepta proprie de actibus sunt.

V. Discutiendo vero praeceptum contritionis ut mixtum ex affirmativo et negativo \*, sicut praeceptum de restitutione, invenimus quod obligat ad statim habendam contritionem sicut praeceptum de restitutione obligat ad statim restituendum. Et ratio est quia tempus huiusmodi actuum dilatatum annexam habet contrarietatem ad virtutem. Restitutio enim dilatata annexam habet retentionem alieni invito domino, quae contrariatur iustitiae: et similiter contritio

dilatata annexam habet retentionem divini odii, quae contrariatur caritati.

Nec propterea huiusmodi mixta praecepta exorbitant a communi regula praeceptorum affirmativorum, sed sequuntur eam, obligando tantum ad tempus necessitatis: nam implicatio inhibita contrarietatis ad virtutem determinat tempus necessitatis ad *statim*; tempus quippe necessitatis exercendae affirmationis est tempus ad actionem illam urgens sic quod, nisi fiat, incurritur peccatum. Sicut igitur praeceptum de restitutione propter implicitam detentionem alieni obligat ad statim restituendum, ita praeceptum de contritione propter implicitam detentionem odii contra Deum obligat ad statim conterendum. Et haec procul dubio est veritas.

VI. Sed exurgit difficultas: Quando peccatur contra hoc praeceptum? Dicere enim, ut prima facie apparet, quod contra praecepta affirmativa obligantia ad statim peccetur statim: puta, consummato furto, si non statim fiat restitutio, peccatur contra praeceptum restitutionis, omittendo statim restituere; et similiter, consummato peccato mortali, agitur contra praeceptum contritionis si non statim contritio habetur, – irrationabile videtur. Quia huiusmodi praecepta obligant ad singula *statim*, et non ad primum *statim* tantum: ut patet ex eo quod, transacto primo *statim*, non absolvitur a vinculo praecepti, sed remanet semper obligatus ad statim, donec adimpleat praeceptum. Si autem obligant ad singula *statim*, sequitur quod infinites peccat mortaliter non restituendo qui furatus est et non restituit statim, iuxta infinitas moras temporis intermedii inter furtum et restitutionem, si tandem fit.

Magis autem rationi consentaneum est ut contra huiusmodi praecepta tunc solum peccetur ex praeteritione temporis, quando non solum omittitur, sed committitur actus peccati determinantis praeceptum affirmativum ad statim.

Pro cuius clariori notitia, advertendum est quod tripliciter invenitur concurrere tempus urgens ad exercitium praecepti affirmativi. Primo, ut actus illius mensura simpliciter et absolute: sicut tempus diei festi determinat praeceptum de audiendo missam, et quadragesima ieiunii praeceptum. – Secundo, ut actus illius mensura ex praeparatione ad alium: sicut tempus praecedens susceptionem vel administrationem sacramenti determinat praeceptum contritionis; non enim tempus illud urget absolute ad conterendum, sed, si suscipiendum aut administrandum est sacramentum. – Tertio, ut actus illius mensura ex connectione alterius actus: sicut tempus significatum per *ly statim* determinat praeceptum restitutionis quia actus differendi restitutionem habet annexum actum voluntariae detentionis alieni interim.

Inter haec autem tempora differentia una ad propositum quod, si tempus urget ad actum ut illius mensura absolute, adveniente illo tempore, si omittitur actus, ita quod omissio sit voluntaria privative, quia scilicet potuit et scivit exercere actum illum, puta audire missam et non audivit: incurritur peccatum omissionis contra praeceptum illud. – Si vero tempus urget ad actum ut mensura illius ex ordine ad alterum actum, adveniente quocumque tempore, nisi ille alter actus propter quem tempus urget exerceatur, non fit contra praeceptum. Quantumcumque enim aliquis sit administraturus sacramentum, nisi administret illud aut proponat administrare illud sine contritione, nunquam agit propterea contra praeceptum contritionis, ut patet. – Et simili modo, eadem ratione, quantumcumque aliquis non conteratur statim, nisi ad hoc deveniat quod commissionis peccato incurrat detentionem divini odii, non peccat mortaliter, quamvis perseveret in statu peccati mortalis: sicut qui non statim restituit, nisi ad hoc deveniat quod commissionis peccato incurrat detentionem alieni, non peccat de novo mortaliter. Contra praecepta namque haec de non detinendo odium Dei, vel alienum, cum sint negativa, commissionis peccato oportet quod agatur. Ac per hoc, si propterea peccatur contra praecepta affirmativa de restituendo vel conterendo quia contra haec negativa agitur, non est omissio affirmativi nisi adsit commissio contra negati-

\* Cf. num. III, init.

\* *Eccli.* cap. XII, vers. 3.

\* Cf. Aristot. I *Ethic.*, cap. VIII, n. 9; s. Th. lect. XII. – Vide *I<sup>am</sup> II<sup>ae</sup>*, qu. LV; II *Sent.*, dist. XXVII, art. 1, ad 4; *De Verit.*, qu. XXVI, art. 6.

\* Cf. num. III, init.

vum. Et haec absque omni scrupulo veritas amplectenda est.

\* Num. 1.

VII. Ex his autem patet quid dicendum sit ad motam quaestionem principalem \*. Patet namque quod praeceptum contritionis non determinatur secundum se ad tempus memoriae, sed ad *statim*. Et propterea, nisi memoria afferat urgentem causam ad actum actualis detentionis odii Dei, non incurritur nova omissio contritionis, sed antiqua perseverat. Nulla autem apparet ratio quare memoria, aut occursum commissi peccati ut detestandi, constituat tunc tempus necessariae commissionis ad detinendum odium Dei, magis quam si non occurreret: nisi forte aut ad divinae inspirationis sequelam dicatur occursum obligare, — sed aliud est praeceptum de sequela inspirationis divinae, aliud de restitutionis aut contritionis tempore; aut occursum, seu memoriam, tanquam approprians materiam constituere dicatur tempus agendi, quia tempus agendi est quando materia est praesens. Sed aliud est loqui de necessitate agendi: aliud de commoditate seu congruitate agendi. Approximatio enim ad agens liberum non constituit tempus necessitatis, sed commoditatis ad agendum. Nos autem, ut patet ex dictis, tempus necessitatis agendi, ita quod, nisi agatur, novum peccatum incurritur, quaerimus.

Unde restat ut recordatio peccati commissi, quantumcumque practica, non obliget ad contritionem: sicut nec in praeceptis aliis occursum materiae obligat ad actum.

Et hoc, loquendo de memoria secundum se. Nam, si sit sermo de memoria secundum suum effectum quem ut in pluribus habet, quia scilicet parit aut detestationem aut approbationem peccati commissi occurrentis, sic obligat ad detestationem (quae tamen potest esse attritio vel contritio), ne in approbationem lapsus fiat.

\* Num. 1, *Et est.*

VIII. Ad primam autem obiectionem in oppositum \* dicitur quod vox dicentium quod homo tenetur conteri quando recordatur, verificatur secundum id quod ut in pluribus videtur accidere: quia scilicet communiter practica memoria in non dolente parere approbationem videtur.

Divi autem Thomae verba, si exacte librentur, non dicunt hominem teneri ad contritionem quando recordatur:

sed unum *quando* determinant per alterum *quando*. Nam dicunt, *quando peccata memoriae occurrunt cum in periculo mortis existit aut aliquo articulo*: ubi apparet quod tempus memoriae determinatur per tempus periculi mortis vel per tempus alicuius articuli, etc. Nec obstat quod apponitur *ly praecipue*. Quoniam *ly praecipue* principalitatem denotat periculi mortis respectu alterius partis disiunctivae, scilicet, *aut alicuius articuli* etc.: periculosius enim omittitur contritio in periculo mortis, quia non restat *locus poenitentiae* \*. Vel *ly praecipue* denotat principalitatem rationis obligativae ad contritionem: ita quod tempus memoriae est quaedam ratio conterendi; sed, quia non est sufficiens ratio obligandi ad conterendum, ideo additur principalis ratio obligandi, dicendo, *cum praecipue periculum aut articulus* etc. Et redit eadem conclusio.

\* *Ad Heb. cap. XII, vers. 17.*


Approbat autem hanc doctrinam communis peccatorum attritio, qua fatentur sibi displicere commissa peccata, et dicunt suam culpam, et confitentur quandoque citra absolutionem, et velleitatem habent status sine peccato. Hi enim actus boni sunt et dispositivi ad poenitentiam: adeo ut Ecclesia tales confessiones suscipiendas dicit, Extra, *de Poenit. et Remiss., Quod quidam*. Et tamen semper peccarent mortaliter, omittendo contritionem, si tempus memoriae esset tempus contritionis: cum isti actus non sint sine memoria peccatorum. — Nec obstat quod isti contriti nolunt suscipere absolutionem, dicentes se esse impenitentes. Quoniam narrare se habituali voluntate esse perseverantem in statu peccati, non est peccatum, quoniam non approbatur, sed narratur impenitentia: nec proponit tunc meretrix peccare, sed narrat tunc miseriam status sui cum voluntate illius. Nolle autem absolvi actus bonus est indisposito tunc ad absolutionem.

IX. Ad secundam obiectionem dicitur quod, etiam quando peccatum occurrit ut committendum, sufficit non consentire: nec tenetur homo dissentire.

Ad tertiam dicitur quod, licet nunquam sit licitum stare in statu peccati, non tamen de novo semper peccat perseverans in statu peccati, ut patet ex dictis \*.

\* Num. iv.

ROMAE, IV MARTII, MDXVIII.



# I N D E X

TERTIA PARS

SUMMAE THEOLOGIAE

SANCTI THOMAE AQUINATIS

CUM COMMENTARIIS

CARDINALIS CAIETANI

PRAEFATIO huius voluminis . . . . . pag. v

## QUAESTIO SEXAGESIMA

### Quid sit sacramentum.

ARTICULUS I	Utrum sacramentum sit in genere signi.	pag. 3
» II	Utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum. . . . .	» 4
» III	Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum. . . . .	» 5
» IV	Utrum sacramentum semper sit aliqua res sensibilis. . . . .	» 6
» V	Utrum requirantur determinatae res ad sacramenta. . . . .	» 7
» VI	Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba. . . . .	» 8
» VII	Utrum requirantur determinata verba in sacramentis. . . . .	» 10
» VIII	Utrum aliquid liceat addere verbis in quibus consistit forma sacramentorum. . . . .	» 12

## QUAESTIO SEXAGESIMAPRIMA

### De necessitate sacramentorum.

ARTICULUS I	Utrum sacramenta fuerint necessaria ad humanam salutem. . . . .	» 14
» II	Utrum ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta. . . . .	» 15
» III	Utrum post peccatum, ante Christum sacramenta debuerint esse. . . . .	» 16
» IV	Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta. . . . .	» 17

## QUAESTIO SEXAGESIMASECUNDA

### De effectu principali sacramentorum, qui est gratia.

ARTICULUS I	Utrum sacramenta sint causa gratiae . . . . .	» 19
» II	Utrum gratia sacramentalis addat aliquid supra gratiam virtutum et donorum. . . . .	» 22
» III	Utrum sacramenta novae legis contineant gratiam. . . . .	» 23
» IV	Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiae causativa. . . . .	» 24
» V	Utrum sacramenta novae legis habeant virtutem ex passione Christi. . . . .	» 26
» VI	Utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent. . . . .	» 28

## QUAESTIO SEXAGESIMATERTIA

### De alio effectu sacramentorum, qui est character.

ARTICULUS I	Utrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima. . . . .	pag. 30
» II	Utrum character sit spiritualis potestas. . . . .	» 31
» III	Utrum character sacramentalis sit character Christi. . . . .	» 34
» IV	Utrum character sit in potentiis animae sicut in subiecto. . . . .	» 36
» V	Utrum character insit animae indelebiter. . . . .	» 38
» VI	Utrum per omnia sacramenta novae legis imprimatur character. . . . .	» 39

## QUAESTIO SEXAGESIMAQUARTA

### De causis sacramentorum.

ARTICULUS I	Utrum solus Deus, vel etiam minister, interius operetur ad effectum sacramenti. . . . .	» 41
» II	Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina. . . . .	» 42
» III	Utrum Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiore effectum sacramentorum. . . . .	» 43
» IV	Utrum Christus potestatem suam quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare. . . . .	» ib.
» V	Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint. . . . .	» 46
» VI	Utrum mali ministrantes sacramenta peccent. . . . .	» 47
» VII	Utrum angeli possent sacramenta ministrare. . . . .	» 50
» VIII	Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti . . . . .	» 51
» IX	Utrum fides ministri sit de necessitate sacramenti. . . . .	» 53
» X	Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. . . . .	» 54

## QUAESTIO SEXAGESIMAQUINTA

### De numero sacramentorum.

ARTICULUS I	Utrum debeant esse septem sacramenta. . . . .	» 56
» II	Utrum sacramenta convenienter ordinentur secundum modum praedictum. . . . .	» 58

ARTICULUS III	Utrum sacramentum Eucharistiae sit potissimum inter sacramenta. . . . .	pag. 59
» IV	Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis. . . . .	» 61

QUAESTIO SEXAGESIMASEXTA

De sacramento baptismi.

ARTICULUS I	Utrum baptismus sit ipsa ablutio. . . . .	» 62
» II	Utrum baptismus fuerit institutus post Christi passionem. . . . .	» 64
» III	Utrum aqua sit propria materia baptismi. . . . .	» 65
» IV	Utrum ad baptismum requiratur aqua simplex. . . . .	» 66
» V	Utrum haec sit conveniens forma baptismi: <i>Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti</i> . . . . .	» 67
» VI	Utrum in nomine Christi possit dari baptismus. . . . .	» 70
» VII	Utrum immersio in aqua sit de necessitate baptismi. . . . .	» 72
» VIII	Utrum trina immersio sit de necessitate baptismi. . . . .	» 73
» IX	Utrum baptismus possit iterari. . . . .	» 75
» X	Utrum sit conveniens ritus quo Ecclesia utitur in baptizando. . . . .	» 76
» XI	Utrum convenienter describantur tria baptismata, scilicet aquae, sanguinis et flaminis. . . . .	» 78
» XII	Utrum baptismus sanguinis sit potissimus inter tria baptismata. . . . .	» ib.

QUAESTIO SEXAGESIMASEPTIMA

De ministris per quos traditur baptismi sacramentum.

ARTICULUS I	Utrum ad officium diaconi pertineat baptizare. . . . .	» 80
» II	Utrum baptizare pertineat ad officium presbyterorum, vel solum episcoporum. . . . .	» 81
» III	Utrum laicus baptizare possit. . . . .	» 82
» IV	Utrum mulier possit baptizare. . . . .	» 83
» V	Utrum ille qui non est baptizatus, possit sacramentum baptismi conferre. . . . .	» ib.
» VI	Utrum plures possint simul baptizare. . . . .	» 85
» VII	Utrum in baptismo requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte levet. . . . .	» 90
» VIII	Utrum ille qui suscipit aliquem de sacro fonte obligetur ad eius instructionem. . . . .	» ib.

QUAESTIO SEXAGESIMAOCTAVA

De suscipientibus baptismum.

ARTICULUS I	Utrum teneantur omnes ad susceptionem baptismi. . . . .	» 92
» II	Utrum sine baptismo aliquis possit salvari. . . . .	» 93
» III	Utrum baptismus sit differendus. . . . .	» 94
» IV	Utrum peccatores sint baptizandi. . . . .	» 95
» V	Utrum peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda. . . . .	» 96
» VI	Utrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri. . . . .	» 97
» VII	Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi. . . . .	» 98
» VIII	Utrum fides requiratur ex parte baptizati. . . . .	» 100
» IX	Utrum pueri sint baptizandi. . . . .	» 101
» X	Utrum pueri Iudaeorum vel aliorum infidelium sint baptizandi etiam invitatis parentibus. . . . .	» 102
» XI	Utrum in maternis uteris existentes possint baptizari. . . . .	» 103
» XII	Utrum furiosi et amentes debeant baptizari. . . . .	» 105

QUAESTIO SEXAGESIMANONA

De effectibus baptismi.

ARTICULUS I	Utrum per baptismum tollantur omnia peccata. . . . .	pag. 106
» II	Utrum per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati. . . . .	» 107
» III	Utrum per baptismum debeant auferri poenalties praesentis vitae. . . . .	» ib.
» IV	Utrum per baptismum conferantur homini gratia et virtutes. . . . .	» 108
» V	Utrum convenienter attribuantur baptismi pro effectibus quidam actus virtutum, scilicet incorporatio ad Christum, illuminatio, fecundatio. . . . .	» 109
» VI	Utrum pueri in baptismo consequantur gratiam et virtutes. . . . .	» 110
» VII	Utrum effectus baptismi sit apertio ianuae regni caelestis. . . . .	» 111
» VIII	Utrum baptismus habeat in omnibus aequalem effectum. . . . .	» 112
» IX	Utrum fictio impediat effectum baptismi. . . . .	» 113
» X	Utrum, fictione recedente, baptismus suum effectum consequatur. . . . .	» 114

QUAESTIO SEPTUAGESIMA

De Circumcisione.

ARTICULUS I	Utrum circumcisio fuerit praeparatoria et figurativa baptismi. . . . .	» 116
» II	Utrum circumcisio fuerit convenienter instituta. . . . .	» 117
» III	Utrum ritus circumcisionis fuerit conveniens. . . . .	» 118
» IV	Utrum circumcisio conferret gratiam iustificantem. . . . .	» 119

QUAESTIO SEPTUAGESIMAPRIMA

De catechismo et exorcismo.

ARTICULUS I	Utrum catechismus debeat praecedere baptismum. . . . .	» 121
» II	Utrum exorcismus debeat praecedere baptismum. . . . .	» 122
» III	Utrum ea quae aguntur in exorcismo efficiant aliquid, vel solum significant. . . . .	» ib.
» IV	Utrum sit sacerdotis catechizare et exorcizare baptizandum. . . . .	» 124

QUAESTIO SEPTUAGESIMASECUNDA

De sacramento confirmationis.

ARTICULUS I	Utrum confirmatio sit sacramentum. . . . .	» 125
» II	Utrum chrisma sit conveniens materia huius sacramenti. . . . .	» 126
» III	Utrum sit de necessitate huius sacramenti quod chrisma, quod est materia huius sacramenti, fuerit prius per episcopum consecratum. . . . .	» 127
» IV	Utrum haec sit conveniens forma huius sacramenti: <i>Consigno te signo crucis</i> , etc. . . . .	» 129
» V	Utrum sacramentum confirmationis imprimat characterem. . . . .	» 130
» VI	Utrum character confirmationis praesupponat ex necessitate characterem baptismalem. . . . .	» 131
» VII	Utrum per hoc sacramentum gratia gratum faciens conferatur. . . . .	» 132
» VIII	Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum. . . . .	» 133
» IX	Utrum hoc sacramentum sit conferendum homini in fronte. . . . .	» 134
» X	Utrum ille qui confirmatur debeat teneri ab alio. . . . .	» ib.
» XI	Utrum solus episcopus hoc sacramentum conferre possit. . . . .	» 135
» XII	Utrum ritus huius sacramenti sit conveniens. . . . .	» 136

## QUAESTIO SEPTUAGESIMATERTIA

## De sacramento Eucharistiae.

- ARTICULUS I Utrum Eucharistia sit sacramentum. . . pag. 138  
 » II Utrum Eucharistia sit unum sacramentum vel plura. . . » 139  
 » III Utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis. . . » 140  
 » IV Utrum convenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur. . . » 141  
 » V Utrum fuerit conveniens institutio istius sacramenti. . . » 142  
 » VI Utrum agnus paschalis fuerit praecipua figura huius sacramenti. . . » 143

## QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUARTA

## De materia huius sacramenti.

- ARTICULUS I Utrum materia huius sacramenti sit panis et vinum. . . » 145  
 » II Utrum requiratur determinata quantitas panis et vini ad materiam huius sacramenti. . . » 146  
 » III Utrum requiratur ad materiam huius sacramenti quod sit panis triticeus. . . » 147  
 » IV Utrum hoc sacramentum debeat confici ex pane azymo. . . » 149  
 » V Utrum sit propria materia huius sacramenti vinum vitis. . . » 151  
 » VI Utrum aqua sit vino permiscenda . . . » 152  
 » VII Utrum permixtio aquae sit de necessitate huius sacramenti. . . » ib.  
 » VIII Utrum debeat aqua in magna quantitate apponi. . . » 153

## QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUINTA

## De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

- ARTICULUS I Utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem, vel solum secundum figuram vel sicut in signo. . . » 155  
 » II Utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem. . . » 160  
 » III Utrum substantia panis, post consecrationem huius sacramenti, annihilatur, aut in pristinam materiam resolvatur. . . » 164  
 » IV Utrum panis possit converti in corpus Christi. . . » 167  
 » V Utrum in hoc sacramento remaneant accidentia panis et vini. . . » 172  
 » VI Utrum, facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis. . . » 173  
 » VII Utrum ista conversio fiat in instanti, vel fiat successive. . . » 174  
 » VIII Utrum haec sit vera: *Ex pane fit corpus Christi*. . . » 176

## QUAESTIO SEPTUAGESIMASEXTA

## De modo quo Christus existit in hoc sacramento.

- ARTICULUS I Utrum totus Christus contineatur sub hoc sacramento. . . » 178  
 » II Utrum sub utraque specie huius sacramenti totus Christus contineatur. . . » 180  
 » III Utrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini. . . » 182  
 » IV Utrum tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in hoc sacramento. . . » 184  
 » V Utrum corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco. . . » 185  
 » VI Utrum corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento. . . » 186

- ARTICULUS VII Utrum corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato. . . pag. 188  
 » VIII Utrum, quando in hoc sacramento miraculose apparet vel caro vel puer, sit ibi vere corpus Christi. . . » 191

## QUAESTIO SEPTUAGESIMASEPTIMA

## De accidentibus remanentibus in hoc sacramento.

- ARTICULUS I Utrum accidentia remaneant in hoc sacramento sine subiecto. . . » 193  
 » II Utrum in hoc sacramento quantitas dimensiva panis vel vini sit aliorum accidentium subiectum. . . » 196  
 » III Utrum species quae remanent in hoc sacramento, possint immutare aliquod extrinsecum. . . » 197  
 » IV Utrum species sacramentales corrumpi possint. . . » 198  
 » V Utrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari. . . » 199  
 » VI Utrum species sacramentales possint nutrire. . . » 201  
 » VII Utrum species sacramentales frangantur in hoc sacramento. . . » 202  
 » VIII Utrum vino consecrato possit aliquis liquor misceri. . . » 203

## QUAESTIO SEPTUAGESIMAOCTAVA

## De forma huius sacramenti.

- ARTICULUS I Utrum haec sit forma huius sacramenti, *Hoc est corpus meum, et, Hic est calix sanguinis mei*. . . » 205  
 » II Utrum haec sit conveniens forma consecrationis panis, *Hoc est corpus meum*. . . » 207  
 » III Utrum haec sit conveniens forma consecrationis vini, *Hic est calix sanguinis mei, etc.* . . » 209  
 » IV Utrum praedictis verbis formarum insit aliqua vis creata effectiva consecrationis. . . » 211  
 » V Utrum praedictae locutiones sint verae. » 212  
 » VI Utrum forma consecrationis panis consequatur effectum suum antequam perficiatur forma consecrationis vini. » 215

## QUAESTIO SEPTUAGESIMANONA

## De effectibus huius sacramenti.

- ARTICULUS I Utrum per hoc sacramentum conferatur gratia. . . » 217  
 » II Utrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriae. . . » 221  
 » III Utrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis. . . » 222  
 » IV Utrum per hoc sacramentum remittantur peccata venialia. . . » 223  
 » V Utrum per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur. . . » 224  
 » VI Utrum per hoc sacramentum praeservetur homo a peccatis futuris. . . » 225  
 » VII Utrum hoc sacramentum prosit aliis quam summentibus. . . » ib.  
 » VIII Utrum per veniale peccatum impediatur effectus huius sacramenti. . . » 226

## QUAESTIO OCTOGESIMA

## De usu sive sumptione huius sacramenti.

- ARTICULUS I Utrum debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet spiritualiter et sacramentaliter. . . » 228  
 » II Utrum solius hominis sit hoc sacramentum sumere spiritualiter, vel etiam angelorum. . . » 229



ARTICULUS III	Utrum solus homo iustus possit manducare Christum sacramentaliter. . . . .	pag. 230
» IV	Utrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter peccet. . . . .	» 231
» V	Utrum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum. . . . .	» 233
» VI	Utrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. . . . .	» 235
» VII	Utrum nocturna pollutio impediatur a sumptione corporis Christi. . . . .	» 236
» VIII	Utrum cibus vel potus praeassumptus impediatur sumptionem huius sacramenti. . . . .	» 238
» IX	Utrum non habentes usum rationis debeant hoc sacramentum accipere. . . . .	» 240
» X	Utrum liceat quotidie hoc sacramentum suscipere. . . . .	» 241
» XI	Utrum liceat cessare omnino a communionem. . . . .	» 243
» XII	Utrum liceat sumere corpus Domini sine sanguine. . . . .	» 244

#### QUAESTIO OCTOGESIMAPRIMA

##### De usu huius sacramenti quo Christus usus est in prima sui institutione.

ARTICULUS I	Utrum Christus sumpserit suum corpus et sanguinem. . . . .	» 256
» II	Utrum Christus Iudae dederit corpus suum. . . . .	» 257
» III	Utrum Christus sumpserit et dederit corpus suum discipulis impassibile. . . . .	» 258
» IV	Utrum, si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum in pyxide, vel ab aliquo Apostolorum consecratum, ibi moreretur. . . . .	» 259

#### QUAESTIO OCTOGESIMASECUNDA

##### De ministro huius sacramenti.

ARTICULUS I	Utrum consecratio huius sacramenti proprie sit sacerdotis. . . . .	» 260
» II	Utrum plures sacerdotes possint unam et eandem hostiam consecrare. . . . .	» 261
» III	Utrum pertineat solum ad sacerdotem dispensatio huius sacramenti. . . . .	» 262
» IV	Utrum sacerdos consecrans teneatur sumere hoc sacramentum. . . . .	» 263
» V	Utrum malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit. . . . .	» 264
» VI	Utrum missa sacerdotis mali minus valeat quam missa sacerdotis boni. . . . .	» 265
» VII	Utrum haeretici et schismatici et excommunicati consecrare possint. . . . .	» 266
» VIII	Utrum sacerdos degradatus possit hoc sacramentum conficere. . . . .	» 267
» IX	Utrum aliquis licite possit communionem recipere a sacerdotibus haereticis vel excommunicatis, vel etiam peccatoribus, et ab eis missam audire. . . . .	» 268
» X	Utrum liceat sacerdoti omnino a consecratione Eucharistiae abstinere. . . . .	» 269

#### QUAESTIO OCTOGESIMATERTIA

##### De ritu huius sacramenti.

ARTICULUS I	Utrum in celebratione huius sacramenti Christus immoletur. . . . .	» 271
» II	Utrum convenienter sit determinatum tempus celebrationis huius mysterii. . . . .	» 272
» III	Utrum oporteat hoc sacramentum celebrare in domo et vasis sacris. . . . .	» 273
» IV	Utrum convenienter ordinentur ea quae circa hoc sacramentum dicuntur. . . . .	» 276
» V	Utrum ea quae in celebratione huius sacramenti aguntur, sint convenientia. . . . .	» 280
» VI	Utrum possit sufficienter occurrere defectibus qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt, statuta Ecclesiae observando. . . . .	» 283

#### QUAESTIO OCTOGESIMAQUARTA

##### De poenitentia secundum quod est sacramentum.

ARTICULUS I	Utrum poenitentia sit sacramentum. . . . .	pag. 286
» II	Utrum peccata sint propria materia huius sacramenti. . . . .	» 287
» III	Utrum haec sit forma huius sacramenti, <i>Ego te absolvo</i> . . . . .	» 289
» IV	Utrum impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum. . . . .	» 291
» V	Utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis. . . . .	» 292
» VI	Utrum poenitentia sit <i>secunda tabula post naufragium</i> . . . . .	» 293
» VII	Utrum hoc sacramentum fuerit convenienter institutum in nova lege. . . . .	» 294
» VIII	Utrum poenitentia debeat durare usque ad finem vitae. . . . .	» 295
» IX	Utrum poenitentia possit esse continua. . . . .	» 296
» X	Utrum sacramentum poenitentiae debeat iterari. . . . .	» 297

#### QUAESTIO OCTOGESIMAQUINTA

##### De poenitentia secundum quod est virtus.

ARTICULUS I	Utrum poenitentia sit virtus. . . . .	» 299
» II	Utrum poenitentia sit specialis virtus. . . . .	» 300
» III	Utrum virtus poenitentiae sit species iustitiae. . . . .	» 301
» IV	Utrum subiectum poenitentiae sit propria voluntas. . . . .	» 303
» V	Utrum principium poenitentiae sit ex timore. . . . .	» 304
» VI	Utrum poenitentia sit prima virtutum. . . . .	» 305

#### QUAESTIO OCTOGESIMASEXTA

##### De effectu poenitentiae quantum ad remissionem peccatorum mortalium.

ARTICULUS I	Utrum per poenitentiam removeantur omnia peccata. . . . .	» 307
» II	Utrum sine poenitentia peccatum remitti possit. . . . .	» 308
» III	Utrum possit per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti. . . . .	» 310
» IV	Utrum, remissa culpa per poenitentiam, remaneat reatus poenae. . . . .	» 311
» V	Utrum, remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiae peccati. . . . .	» 312
» VI	Utrum remissio culpae sit effectus poenitentiae secundum quod est virtus. . . . .	» 313

#### QUAESTIO OCTOGESIMASEPTIMA

##### De remissione venialium peccatorum.

ARTICULUS I	Utrum veniale peccatum possit remitti sine poenitentia. . . . .	» 315
» II	Utrum ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiae infusio. . . . .	» 317
» III	Utrum peccata venialia remittantur per aspersionem aquae benedictae, et episcopalem benedictionem, et alia huiusmodi. . . . .	» 319
» IV	Utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali. . . . .	» 320

#### QUAESTIO OCTOGESIMAOCTAVA

##### De reditu peccatorum post poenitentiam dimissorum.

ARTICULUS I	Utrum peccata dimissa redeant per sequens peccatum. . . . .	» 321
» II	Utrum peccata dimissa redeant per ingratitude quae specialiter est secundum quatuor genera peccatorum. . . . .	» 323
» III	Utrum per ingratitude peccati sequentis consurgat tantus reatus quantum fuerat peccatorum prius dimissorum. . . . .	» 324

ARTICULUS IV	Utrum ingratitude ratione cuius sequens peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum. . . .	pag. 325	ARTICULUS VI	Utrum per poenitentiam subsequentem etiam opera mortua vivificentur. . .	pag. 332
QUAESTIO OCTOGESIMANONA			QUAESTIO NONAGESIMA		
<b>De recuperatione virtutum per poenitentiam.</b>			<b>De partibus poenitentiae in generali.</b>		
ARTICULUS I	Utrum per poenitentiam virtutes restituantur. . . . .	» 327	ARTICULUS I	Utrum poenitentiae debeant partes assignari. . . . .	» 334
» II	Utrum post poenitentiam resurgat homo in aequali virtute. . . . .	» 328	» II	Utrum convenienter assignentur partes poenitentiae contritio, confessio et satisfactio. . . . .	» 335
» III	Utrum per poenitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem. . . .	» 329	» III	Utrum praedicta tria sint partes integrales poenitentiae. . . . .	» 336
» IV	Utrum opera virtutum in caritate facta mortificari possint. . . . .	» 331	» IV	Utrum convenienter dividatur poenitentia in poenitentiam ante baptismum, et poenitentiam mortalium, et poenitentiam venialium. . . . .	» 337
» V	Utrum opera mortificata per peccatum per poenitentiam reviviscant. . . .	» ib.			

## CARDINALIS CAIETANI

## QUAESTIONES DE SACRAMENTIS

PROLOGUS . . . . .	pag. 341	QUAESTIONES DE CONTRITIONE	QUAESTIONES DE CAUSA INDULGENTIARUM		
QUAESITUM I	An attritio possit fieri contritio. . . .	pag. 341	QUAESITUM I	Utrum necessario requiratur causa rationabilis indulgentiarum. . . . .	pag. 364
» II	An exigatur ad contritionem quod sit singulorum peccatorum mortalium . . .	» 343	» II	An ex hoc ipso quod in bulla exprimitur aliquid pro causa indulgentiae, sit rationabilis causa tantae indulgentiae. . . . .	» 365
» III	An peccator teneatur ad contritionem quando recordatur peccatorum suorum. . . . .	» 344	QUAESTIONES DE SUSCIPIENTIBUS INDULGENTIAS		
» IV	An contritio remittat non solum culpam, sed poenam debitam peccato. . . .	» 345	QUAESITUM I	An, praeter gratiam, requiratur ex parte suscipientis indulgentias aliqua alia dispositio. . . . .	» 367
QUAESTIONES DE CONFESSIOE			» II	An tempore quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia. . . .	» 368
QUAESITUM I	An omnes teneantur ad confessionem. . .	» 347	DE MODO TRADENDI AUT RECIPIENDI ORDINES		
» II	An peccata mortalia totaliter occulta, ut sunt peccata in solo corde, sint necessario confitenda. . . . .	» ib.	ARTICULUS UNICUS. . . . .	» 369	
» III	Utrum oporteat confiteri in speciali singulas species et numerum certum peccatorum. . . . .	» 349	DE SACRAMENTO MATRIMONII TRIPLEX QUAEISITUM		
» IV	An peccata semel rite confessa, subsequata absolutione et satisfactione, possint iterum fructuose confiteri, etc. . . .	» 351	QUAESITUM I	An matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum. . . . .	» 370
» V	An confessio informis sit iteranda. . .	» 352	» II	An matrimonii contractus clandestinus sit quandoque licitus. . . . .	» ib.
QUAESTIONES DE SATISFACTIONE			» III	An matrimonii contractus non propter prolem aut vitandam fornicationem, sit licitus. . . . .	» 371
QUAESITUM I	An satisfactio poenitentialis possit esse de alias debito. . . . .	» 355	QUAESTIONES DE USU MATRIMONII		
» II	An pro contrito et confesso peccato imposita satisfactio, si exolvatur in peccato mortali, sit iteranda. . . . .	» 356	QUAESITUM I	An usus matrimonii sit licitus ante benedictionem. . . . .	» 372
QUAESTIO DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE			» II	An usus clandestini coniugii sit illicitus mortaliter. . . . .	» ib.
QUAESITUM UNICUM	An minister sacramenti poenitentiae possit esse sacerdos absque iurisdictione. . . . .	» 358	DE DELECTATIONE MOROSA TRIPLEX DUBIUM		
QUAESTIONES DE THESAURO INDULGENTIARUM			I DUBIUM	An voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter, sit mortale peccatum. . . . .	» 374
QUAESITUM I	An thesaurus aliquis sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum. . . . .	» 359	II »	An vidua quae voluntarie delectatur de coniugali actu praeterito, peccet mortaliter. . . . .	» ib.
» II	Ex quibus constet thesaurus unde fiunt indulgentiae. . . . .	» 360	III »	An voluntaria delectatio de visa pulcra muliere sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosae. . . . .	» 375
» III	Quorum sint satisfactiones ex quibus constat thesaurus unde fiunt indulgentiae. . . . .	» 361			
» IV	An thesaurus hic subditus sit dispensationi Papae aliter quam per sacramentorum collationem. . . . .	» 362			

## APPENDIX EX OPUSCULO CARDINALIS CAIETANI XXVII QUAEISITIONUM

Quando quis obligetur ad contritionem peccatorum mortalium . . . . .	pag. 376
--	----------



PRAEFATIO huius voluminis

QUAESTIO SEXAGESIMA Quid sit sacramentum.

ARTICULUS I Utrum sacramentum sit in genere signi.

ARTICULUS II Utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum

ARTICULUS III Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum

ARTICULUS IV Utrum sacramentum semper sit aliqua res sensibilis

ARTICULUS V Utrum requirantur determinatae res ad sacramenta

ARTICULUS VI Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba

ARTICULUS VII Utrum requirantur determinata verba in sacramentis

ARTICULUS VIII Utrum aliquid liceat addere verbis in quibus consistit forma sacramentorum

QUAESTIO SEXAGESIMAPRIMA De necessitate sacramentorum.

ARTICULUS I Utrum sacramenta fuerint necessaria ad humanam salutem

ARTICULUS II Utrum ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta

ARTICULUS III Utrum post peccatum, ante Christum sacramenta debuerint esse

ARTICULUS IV Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta

QUAESTIO SEXAGESIMASECUNDA De effectu principali sacramentorum, qui est gratia.

ARTICULUS I Utrum sacramenta sint causa gratiae

ARTICULUS II Utrum gratia sacramentalis addat aliquid supra gratiam virtutum et donorum

ARTICULUS III Utrum sacramenta novae legis contineant gratiam

ARTICULUS IV Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiae causativa

ARTICULUS V Utrum sacramenta novae legis habeant virtutem ex passione Christi

ARTICULUS VI Utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent

QUAESTIO SEXAGESIMATERTIA De alio effectu sacramentorum, qui est character.

ARTICULUS I Utrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima

ARTICULUS II Utrum character sit spiritualis potestas

ARTICULUS III Utrum character sacramentalis sit character Christi

ARTICULUS IV Utrum character sit in potentiis animae sicut in subiecto

ARTICULUS V Utrum character insit animae indelebiter

ARTICULUS VI Utrum per omnia sacramenta novae legis imprimatur character

QUAESTIO SEXAGESIMAQUARTA De causis sacramentorum.

ARTICULUS I Utrum solus Deus, vel etiam minister, interius operetur ad effectum sacramenti

ARTICULUS II Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina

ARTICULUS III Utrum Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiorum effectum sacramentorum

ARTICULUS IV Utrum Christus potestatem suam quam

ARTICULUS IV Utrum habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare

ARTICULUS V Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint

ARTICULUS VI Utrum mali ministrantes sacramenta peccent

ARTICULUS VII Utrum angeli possent sacramenta ministrare

ARTICULUS VIII Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti

ARTICULUS IX Utrum fides ministri sit de necessitate sacramenti

ARTICULUS X Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti

QUAESTIO SEXAGESIMAQUINTA De numero sacramentorum.

ARTICULUS I Utrum debeant esse septem sacramenta

ARTICULUS II Utrum sacramenta convenienter ordinentur secundum modum praedictum

ARTICULUS III Utrum sacramentum Eucharistiae sit potissimum inter sacramenta

ARTICULUS IV Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis

QUAESTIO SEXAGESIMASEXTA De sacramento baptismi.

ARTICULUS I Utrum baptismus sit ipsa ablutio

ARTICULUS II Utrum baptismus fuerit institutus post Christi passionem

ARTICULUS III Utrum aqua sit propria materia baptismi

ARTICULUS IV Utrum ad baptismum requiratur aqua simplex

ARTICULUS V Utrum haec sit conveniens forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*

ARTICULUS VI Utrum in nomine Christi possit dari baptismus

ARTICULUS VII Utrum immersio in aqua sit de necessitate baptismi

ARTICULUS VIII Utrum trina immersio sit de necessitate baptismi

ARTICULUS IX Utrum baptismus possit iterari

ARTICULUS X Utrum sit conveniens ritus quo Ecclesia utitur in baptizando

ARTICULUS XI Utrum convenienter describantur tria baptismata, scilicet aquae, sanguinis et flaminis

ARTICULUS XII Utrum baptismus sanguinis sit potissimus inter tria baptismata

QUAESTIO SEXAGESIMASEPTIMA De ministris per quos traditur baptismi sacramentum.

ARTICULUS I Utrum ad officium diaconi pertineat baptizare

ARTICULUS II Utrum baptizare pertineat ad officium presbyterorum, vel solum episcoporum

ARTICULUS III Utrum laicus baptizare possit

ARTICULUS IV Utrum mulier possit baptizare

ARTICULUS V Utrum ille qui non est baptizatus, possit sacramentum baptismi conferre

ARTICULUS VI Utrum plures possint simul baptizare

ARTICULUS VII Utrum in baptismo requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte levet

ARTICULUS VIII Utrum ille qui suscipit aliquem de sacro fonte obligetur ad eius instructionem

QUAESTIO SEXAGESIMAOCTAVA De suscipientibus baptismum.

ARTICULUS I Utrum teneantur omnes ad susceptionem baptismi

ARTICULUS II Utrum sine baptismo aliquis possit salvari

ARTICULUS III Utrum baptismus sit differendus

ARTICULUS IV Utrum peccatores sint baptizandi

ARTICULUS V Utrum peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda

ARTICULUS VI Utrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri

ARTICULUS VII Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi

ARTICULUS VIII Utrum fides requiratur ex parte baptizati

ARTICULUS IX Utrum pueri sint baptizandi

ARTICULUS X Utrum pueri Iudaeorum vel aliorum infidelium sint baptizandi etiam invitis parentibus

ARTICULUS XI Utrum in maternis uteris existentes possint baptizari

ARTICULUS XII Utrum furiosi et amentes debeant baptizari

QUAESTIO SEXAGESIMANONA De effectibus baptismi.

ARTICULUS I Utrum per baptismum tollantur omnia peccata

ARTICULUS II Utrum per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati

ARTICULUS III Utrum per baptismum debeant auferri poenae praesentis vitae

ARTICULUS IV Utrum per baptismum conferantur homini gratia et virtutes

ARTICULUS V Utrum convenienter attribuantur baptismi pro effectibus quidam actus virtutum, scilicet incorporatio ad Christum, illuminatio, fecundatio

ARTICULUS VI Utrum pueri in baptismo consequantur gratiam et virtutes

ARTICULUS VII Utrum effectus baptismi sit apertio ianuae regni caelestis

ARTICULUS VIII Utrum baptismus habeat in omnibus aequalem effectum  
ARTICULUS IX Utrum fictio impediatur effectum baptismi  
ARTICULUS X Utrum, fictione recedente, baptismus suum effectum consequatur  
QUAESTIO SEPTUAGESIMA De Circumcisione.  
ARTICULUS I Utrum circumcisio fuerit praeparatoria et figurativa baptismi  
ARTICULUS II Utrum circumcisio fuerit convenienter instituta  
ARTICULUS III Utrum ritus circumcisionis fuerit conveniens  
ARTICULUS IV Utrum circumcisio conferret gratiam iustificantem  
QUAESTIO SEPTUAGESIMAPRIMA De catechismo et exorcismo.  
ARTICULUS I Utrum catechismus debeat praecedere baptismum  
ARTICULUS II Utrum exorcismus debeat praecedere baptismum  
ARTICULUS III Utrum ea quae aguntur in exorcismo efficiant aliquid, vel solum significant  
ARTICULUS IV Utrum sit sacerdotis catechizare et exorcizare baptizandum  
QUAESTIO SEPTUAGESIMASECUNDA De sacramento confirmationis.  
ARTICULUS I Utrum confirmatio sit sacramentum  
ARTICULUS II Utrum chrisma sit conveniens materia huius sacramenti  
ARTICULUS III Utrum sit de necessitate huius sacramenti quod chrisma, quod est materia huius sacramenti, fuerit prius per episcopum consecratum  
ARTICULUS IV Utrum haec sit conveniens forma huius sacramenti: *Consigno te signo crucis, etc.*  
ARTICULUS V Utrum sacramentum confirmationis imprimat characterem  
ARTICULUS VI Utrum character confirmationis praesupponat ex necessitate characterem baptismalem  
ARTICULUS VII Utrum per hoc sacramentum gratia gratum faciens conferatur  
ARTICULUS VIII Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum  
ARTICULUS IX Utrum hoc sacramentum sit conferendum homini in fronte  
ARTICULUS X Utrum ille qui confirmatur debeat teneri ab alio  
ARTICULUS XI Utrum solus episcopus hoc sacramentum conferre possit  
ARTICULUS XII Utrum ritus huius sacramenti sit conveniens  
QUAESTIO SEPTUAGESIMATERTIA De sacramento Eucharistiae.  
ARTICULUS I Utrum Eucharistia sit sacramentum  
ARTICULUS II Utrum Eucharistia sit unum sacramentum vel plura  
ARTICULUS III Utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis  
ARTICULUS IV Utrum convenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur  
ARTICULUS V Utrum fuerit conveniens institutio istius sacramenti  
ARTICULUS VI Utrum agnus paschalis fuerit praecipua figura huius sacramenti  
QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUARTA De materia huius sacramenti.  
ARTICULUS I Utrum materia huius sacramenti sit panis et vinum  
ARTICULUS II Utrum requiratur determinata quantitas panis et vini ad materiam huius sacramenti  
ARTICULUS III Utrum requiratur ad materiam huius sacramenti quod sit panis triticeus  
ARTICULUS IV Utrum hoc sacramentum debeat confici ex pane azymo  
ARTICULUS V Utrum sit propria materia huius sacramenti vinum vitis  
ARTICULUS VI Utrum aqua sit vino permiscenda  
ARTICULUS VII Utrum permixtio aquae sit de necessitate huius sacramenti  
ARTICULUS VIII Utrum debeat aqua in magna quantitate apponi  
QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUINTA De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi.  
ARTICULUS I Utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem, vel solum secundum figuram vel sicut in signo  
ARTICULUS II Utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem  
ARTICULUS III Utrum substantia panis, post consecrationem huius sacramenti, annihiletur, aut in pristinam materiam resolvatur  
ARTICULUS IV Utrum panis possit converti in corpus Christi  
ARTICULUS V Utrum in hoc sacramento remaneant accidentia panis et vini  
ARTICULUS VI Utrum, facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis  
ARTICULUS VII Utrum ista conversio fiat in instanti, vel fiat successive  
ARTICULUS VIII Utrum haec sit vera: *Ex pane fit corpus Christi*  
QUAESTIO SEPTUAGESIMASEXTA De modo quo Christus existit in hoc sacramento.  
ARTICULUS I Utrum totus Christus contineatur sub hoc sacramento  
ARTICULUS II Utrum sub utraque specie huius sacramenti totus Christus contineatur  
ARTICULUS III Utrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini  
ARTICULUS IV Utrum tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in hoc sacramento  
ARTICULUS V Utrum corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco  
ARTICULUS VI Utrum corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento  
ARTICULUS VII Utrum corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato  
ARTICULUS VIII Utrum, quando in hoc sacramento miraculose apparet vel caro vel puer, sit ibi vere corpus Christi  
QUAESTIO SEPTUAGESIMASEPTIMA De accidentibus remanentibus in hoc sacramento.  
ARTICULUS I Utrum accidentia remaneant in hoc sacramento sine subiecto  
ARTICULUS II Utrum in hoc sacramento quantitas dimensiva panis vel vini sit aliorum accidentium subiectum  
ARTICULUS III Utrum species quae remanent in hoc sacramento, possint immutare aliquod extrinsecum  
ARTICULUS IV Utrum species sacramentales corrumpi possint  
ARTICULUS V Utrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari  
ARTICULUS VI Utrum species sacramentales possint nutrire  
ARTICULUS VII Utrum species sacramentales frangantur in hoc sacramento  
ARTICULUS VIII Utrum vino consecrato possit aliquis liquor misceri  
QUAESTIO SEPTUAGESIMAOCTAVA De forma huius sacramenti.  
ARTICULUS I Utrum haec sit forma huius sacramenti, *Hoc est corpus meum, et, Hic est calix sanguinis mei*  
ARTICULUS II Utrum haec sit conveniens forma consecrationis panis, *Hoc est corpus meum*  
ARTICULUS III Utrum haec sit conveniens forma consecrationis vini, *Hic est calix sanguinis mei, etc.*  
ARTICULUS IV Utrum praedictis verbis formarum insit aliqua vis creata effectiva consecrationis  
ARTICULUS V Utrum praedictae locutiones sint verae  
ARTICULUS VI Utrum forma consecrationis panis consequatur effectum suum antequam perficiatur forma consecrationis vini  
QUAESTIO SEPTUAGESIMANONA De effectibus huius sacramenti.  
ARTICULUS I Utrum per hoc sacramentum conferatur gratia  
ARTICULUS II Utrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriae  
ARTICULUS III Utrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis  
ARTICULUS IV Utrum per hoc sacramentum remittantur peccata venialia  
ARTICULUS V Utrum per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur  
ARTICULUS VI Utrum per hoc sacramentum praeservetur homo a peccatis futuris  
ARTICULUS VII Utrum hoc sacramentum prosit aliis quam summentibus  
ARTICULUS VIII Utrum per veniale peccatum impediatur effectus huius sacramenti  
QUAESTIO OCTOGESIMA De usu sive sumptione huius sacramenti.  
ARTICULUS I Utrum debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet spiritualiter et sacramentaliter  
ARTICULUS II Utrum solius hominis sit hoc sacramentum sumere spiritualiter, vel etiam angelorum  
ARTICULUS IV Utrum ingratitude ratione cuius sequens peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum  
QUAESTIO OCTOGESIMANONA De recuperatione virtutum per poenitentiam.

ARTICULUS I Utrum per poenitentiam virtutes restituantur

ARTICULUS II Utrum post poenitentiam resurgat homo in aequali virtute

ARTICULUS III Utrum per poenitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem

ARTICULUS IV Utrum opera virtutum in caritate facta mortificari possint

ARTICULUS V Utrum opera mortificata per peccatum per poenitentiam reviviscant

ARTICULUS VI Utrum per poenitentiam subsequentem etiam opera mortua vivificentur

QUAESTIO NONAGESIMA De partibus poenitentiae in generali.

ARTICULUS I Utrum poenitentiae debeant partes assignari

ARTICULUS II Utrum convenienter assignentur partes poenitentiae contritio, confessio et satisfactio

ARTICULUS III Utrum praedicta tria sint partes integrales poenitentiae

ARTICULUS IV Utrum convenienter dividatur poenitentia in poenitentiam ante baptismum, et poenitentiam mortalium, et poenitentiam venialium

CARDINALIS CAIETANI QUAESTIONES DE SACRAMENTIS

PROLOGUS

QUAESTIONES DE CONTRITIONE

QUAESITUM I

An attritio possit fieri contritio

QUAESITUM II

An exigatur ad contritionem quod sit singulorum peccatorum mortalium

QUAESITUM III

An peccator teneatur ad contritionem quando recordatur peccatorum suorum

QUAESITUM IV

An contritio remittat non solum culpam, sed poenam debitam peccato

QUAESTIONES DE CONFESIONE

QUAESITUM I

An omnes teneantur ad confessionem

QUAESITUM II

An peccata mortalia totaliter occulta, ut sunt peccata in solo corde, sint necessario confitenda

QUAESITUM III

Utrum oporteat confiteri in speciali singulas species et numerum certum peccatorum

QUAESITUM IV

An peccata semel rite confessa, subsecuta absolutione et satisfactione, possint iterum fructuose confiteri, etc.

QUAESITUM V

An confessio informis sit iteranda

QUAESTIONES DE SATISFACTIONE

QUAESITUM I

An satisfactio poenitentialis possit esse de alias debito

QUAESITUM II

An pro contrito et confesso peccato imposita satisfactio, si exsolvatur in peccato mortali, sit iterand

QUAESTIO DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

QUAESITUM UNICUM

An minister sacramenti poenitentiae possit esse sacerdos absque iurisdictione

QUAESTIONES DE THESAURO INDULGENTIARUM

QUAESITUM I

An thesaurus aliquis sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum

QUAESITUM II

Ex quibus constet thesaurus unde fiunt indulgentiae

QUAESITUM III

Quorum sint satisfactiones ex quibus constat thesaurus unde fiunt indulgentiae

QUAESITUM IV

An thesaurus hic subditus sit dispensationi Papae aliter quam per sacramentorum collationem

QUAESTIONES DE CAUSA INDULGENTIARUM

QUAESITUM I

Utrum necessario requiratur causa rationabilis indulgentiarum

QUAESITUM II

An ex hoc ipso quod in bulla exprimitur aliquid pro causa indulgentiae, sit rationabilis causa tantae indulgentiae

QUAESTIONES DE SUSCIPIENTIBUS INDULGENTIAS

QUAESITUM I

An, praeter gratiam, requiratur ex parte suscipientis indulgentias aliqua alia dispositio

QUAESITUM II

An tempore quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia

DE MODO TRADENDI AUT RECIPIENDI ORDINES

ARTICULUS UNICUS

DE SACRAMENTO MATRIMONII TRIPLEX QUAESITUM

QUAESITUM I

An matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum

QUAESITUM II

An matrimonii contractus clandestinus sit quandoque licitus

QUAESITUM III

An matrimonii contractus non propter prolem aut vitandam fornicationem, sit licitus

QUAESTIONES DE USU MATRIMONII

QUAESITUM I

An usus matrimonii sit licitus ante benedictionem

QUAESITUM II

An usus clandestini coniugii sit illicitus mortaliter

DE DELECTATIONE MOROSA TRIPLEX DUBIUM

I DUBIUM

An voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter, sit mortale peccatum

II DUBIUM

An vidua quae voluntarie delectatur de coniugali actu praeterito, peccet mortaliter

III DUBIUM

An voluntaria delectatio de visa pulchra muliere sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosae

APPENDIX EX OPUSCULO CARDINALIS CAIETANI XXVII QUAESTIONUM

Quando quis obligetur ad contritionem peccatorum mortalium